ORDINAVERUNT TESTAMENTUM EIUS SUPER SACRIFICIA

PRAXIS CÆREMONIARUM
seu
SACRORUM ROMANÆ ECC. RITUUM
Accurata Tractatio

[redacted]

D. ANDREA PISCARA CASTALDO NEAP.
Congreg. Cler. Reg. Presbytero
S.T.P.

In qua Ecclesiæ ministri, cuiuscūq. ordinis, in omnibus functionibus etiam Pontificalibus exactè instruuntur.

B. Caietanus
... quærite Regnum Dei

B. Andreas
Introibo ad Altare Dei:

Neapoli: Excudebat Lazarus Scorigius. Anno Sal. MDCXXV Cum Privilegio

... Colmich... fe.

... ad Bibliothecam S. Petri in Monte aureo



D. O. M.

VNI, AC TRINO

D. D. D.



VM nulli mortalium, vt recepta consuetudine, videre hucusque licuit, sed tibi Deo meo viuo & vero, librum hunc sim directurus; nequaquam multiloqua, terrenæque Sapientiæ Phaleris compta Epistola, mihi doctas fabulas minimè sequuto, tecum erit agendum: 1. Petr. 1. 16.
Quin Magistri ac Doctoris gentium exemplo, quinq; verba in sensu meo, hoc est, intelligibilia in Ecclesia in cætu fidelium, propensiore voluntatis affectu, potius quam decem millia in lingua, videlicet erudita, ero prolaturus. 1 Cor. 14. 19.
Verum quia tecum sine te non datur eloqui, immuta tu, ò Deus, signa, innoua tu mirabilia. Eccl 36 6.
Da vel Apostolorum igneas linguas, vel cœlestem illam, Act. 2. 3 Ps 44. 2
qua tuus Psaltes velut calamo velociter scribentis tibi sua dicabat opera. Isa. 6. 2.
Quòd si hic pennam suam fortasse ex Seraphim alis ardentissimi tui amoris potentia euulsit, hunc infunde mihi, vt agilitate celeri tibi placeam. Tuo igitur spiritu effulgente, & Beatæ Virginis exemplo, quæ ipso obumbrata, pauca tantùm eaque simplicia, sed satis eloquentia, Angelo fuit collocata, qui turbatæ pectus confirmabat. Lucæ 1 34.
TIBI DICO. Satis superque me dixisse fateor. Verbum breue, fortasse plenum, sed illo vtique spiritu, quo replentur omnia; quo inspirante omnis impletur iustitia. Sap. 1. 7 Matt. 3 15.
TIBI DICO. Vtique Imperantium Imperatori, Regi Regum, Dominorum Dominatori, Patri ac Deo meo. Apocal 19 16.
Ecce ego, Domine, Seruus tuus, & Filius ancillæ tuæ, tanquam verna in tuis ædibus à pueritia ad senectam usque enutritus, non aliam quàm hanc domum tuam agnoui, nostri Ps. 115. 16.

vide-

Psal. 79. 16. videlicet ordinis Congregationem, quam plantauit dextera
Ps. 103. 16. tua, quamque singulari prouidentia sicut Cedros Libani moderaris ac regis. Hic tranquillam vitam quietè ducens, non mi-
Matt. 24 45. nori fiducia ac olim, quando in manibus fidelis, atque prudentis serui tui ANDREÆ AVELLINI Patris mei tunc super
familiam tuam à te constituti Præpositi, nunc in cœlis in glo-
Ps. 135. 18. ria Sanctorum Beatificati, vota mea in medio Templi tui solemniter nuncupaui; nunc ex eadem plantatione tua collectos
fructus, Sacrarum nempè Cæremoniarum Praxim. TIBI
DICO. Istam quippè instituti rationem tu ipse ab amplissimis
illis viris exegisti, qui prima huius ordinis fundamenta iecerunt; vt nimirum temporis iniuria obsoletam sacri cultus tui
1. Cor. 7. rationem sincerius restaurarent. Tibi itaque ceu vineæ plantatori eius fructus reddo. Nefas enim esset, si vineæ plantator
fructus ex ea minimè gustaret. Quòd si accedant & alij, & huiuscemodi etiam fructibus reficiantur, pretium operę consecu-
Malach. 4. 4. tus ero, si dona & sacrificia, vt in diebus antiquis, & annis sæ-
Baruch. 1. 13. culi tibi reddant & ipsi quoque: Quod reliquum est flexis cordis genibus, oculisque, ac manibus eleuatis, Baruch imitatus, librum, quem Hieremia dictante scripserat populo proponentem, adiungam, Tibi Domino Deo nostro iustitia, nobis autem
confusio faciei nostræ. Omnes enim Ecclesiæ Ministros, qui
hoc meo proficient labore, obtestor, ne quid mihi ex ipso tribuant, si quid verò negligentius scriptum deprehenderint, memores conditionis humanæ benignè indulgeant; at id quidquid boni in ipso inuenerint illud, tanquam à tua benignitate
mihi largitum accipiant, tibique Regi nostro fideliter inseruiant, reddantque honorem per sæcula.

D. VINCENTIVS
GILIBERTVS
PRAEPOSITVS GENERALIS CONGREG. CLERICORVM REGVLARIVM.



PVS, quod inſcribitur Praxis Cęremoniarum, ſeu Sacrorum Rituum Eccleſiæ Romanæ accurata tractatio, à Patre D. Andrea Piſcara Caſtaldo noſtræ Congregationis Sacerdote, ac Theologo compoſitum; cum Patres ex noſtris Theologi viderint, & approbauerint, vt Typis mãdetur facultatem concedimus, ſi ijs ad quos ſpectat videbitur. In quorum fidem, &c. Datum Romæ apud S. Silueſtrum Montis Quirinalis die xxx. Auguſti M. DC.XXV.

D. Vincentius Gilibertus Præpoſ. Gener.

† LOCVS SIGILLI.

D. Angelus Maria Secret.

IO. MATTHAEVS
GARIOPHILVS CIDON
S.T.D. ARCHIEPISCOPVS ICONII.

VT fierent holocausta Deo lex scripta iubebat,
Et lege extincta vult holocausta Deus.
Vult animus totus, fiat totum hostia corpus,
Vult holocausta intus, vult holocausta foris.
Ergo holocausta suis fiant vt ritibus aptè,
Dum Piscara doces, das holocausta Deo.

D. MATTHAEVS
CVDNER ANGLVS
LONDINENSIS CLER. REGVL.S.T.P.

ESse bonum pretij nisi sit benè, nullius omnes
Norunt, qui fieri se studuere bonos
Nec verò officium officium est conditio rerum
Si qua deficitur conditione sua.
Est autem officium, quo non augustius vllum,
Quicquid agas totum rite referre Deo.
Ergo liber, qui id præstetur, qui præstat abundè
Tu quanti fuerit, Lector amice, puta.



Ex

Ex Genes. 26. 5.

Benedicentur in semine tuo omnes gentes terra, eò quod obedierit Abraham voci meæ, & custodierit praecepta, & mandata mea, & Cęremonias, legesq; seruauerit.

Ex Deuter. 4. 7.

Nec est alia natio tam grandis, quę habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obseruationibus nostris: quæ est enim gens sic inclyta, qua habeat Cęremonias, iustaque iudicia, & vniuersam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros?

Ex 3. Reg. 2. 3.

Obserua custodias Domini Dei tui, vt ambules in vijs eius, & custodias Caremonias eius, & praecepta eius, & iudicia, & testimonia, sicut scriptum est in lege Moysi.

Ezech. 44. 5.

Fili hominis pone cor tuum, & vide oculis tuis, & auribus tuis audi omnia, quæ ego loquor ad te de vniuersis Cęremonijs Domus Domini, & de cunctis legibus eius.

Ibidem 15.

Sacerdotes autem, & Leuitæ filij Sadoc, qui custodierunt Cęremonias Sanctuarij mei cum errarent filij Israel à me; ipsi accedant ad me, vt ministrent mihi, & stabunt in conspectu meo, vt offerant mihi adipem, & sanguinem, ait Dominus Deus.

Ex Concil. Trident. sess. 22. cap. 5.

Cum natura humana ea sit, vt non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum diuinarum meditationem sustolli, propterea pia Mater Ecclesia Ritus quosdam vt scilicet quadam submissa voce, alia verò clariore in Missa pronuncientur instituit. Cęremonias item adhibuit, vt mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa ex Apostolica disciplina, & traditione, quò & maiestas tanti sacrificij commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis, & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

Ibidem Can. 7.

Si quis dixerit Cęremonias, vestes, & externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica vtitur, irritabula impietatis esse magis, quàm officia pietatis: Anathema sit.

INDEX
SECTIONVM, ET CAPITVM
Quæ in hoc Volumine continentur.

LIBER PRIMVS.

De Officijs Ministrorum Ecclesiæ.

Sectio Prima.

De Sacrarum Cęremoniarum Pręfectis.

Sectio secunda.

De Ministris Sacristiæ.

Sectio Tertia.

De aliis Sacristæ coadiutoribus, singulis Ecclesiæ muneribus designandis.

Sectio Quarta.

De Acolythis, & eorum Officiis.

bus

Sectio Quinta.

De inferioris Ordinis Ministris Episcopo celebrante.

Sectio Sexta.

De Ministris Choro inseruientibus.

Sectio Septima.

De Ministris Sacri Ordinis.

Sectio Octaua.

De Canonicis, & Dignitatibus Cathedralium Ecclesiarum.

Sectio Nona.

De Abbatibus, & alijs Prelatis, Episcopis inferioribus.

Sectio Decima.

De Episcopis, Archiepiscopis, & Patriarchis.

LIBER SECVNDVS.

De modo exercendi Ecclesiastica ministeria, & singulas functiones.

Sectio Prima.

De modis in genere in Ecclesiasticis functionibus obseruandis.

Sectio

Sectio Secunda.

De modis in aliquibus specialibus functionibus obseruandis.

Sectio Tertia.

De Diuinis Officijs in genere, hoc est de partibus integrantibus Diuina Officia.

Sectio Quarta.

De Officio Feriali.

Sectio Quinta.

De celebratione Festorum.

Sectio Sexta.

De Sacrificio Missæ in genere.

Sectio

Sectio Septima.

De præcedentibus Missæ Sacrificium.

Sectio Octaua.

De modo celebrandi Missæ Sacrificium.

Sectio Nona.

De Missa solemni.

Sectio Decima.

De Processionibus.

Sectio

Sectio Vndecima.

De benedictionibus Sacerdotalibus.

Sectio Duodecima.

De Benedictionibus, & consecrationibus Pontificalibus.

Sectio Decimatertia.

De Consecratione Ecclesiæ.

Sectio Decima quarta.

De Sacramentorum administratione.

Sectio Nona.

De solemnitate, & tempore Paschali vsque ad Octauam Pentecostes exclusiuè.

Sectio Decima.

De festo Sacratissimi Corporis Christi.

Sectio Vndecima.

De Tempore post Pentecosten.

Sectio Duodecima.

De festis Sanctorum per annum occurrentibus.

FINIS.



PARAENESIS AD OMNES SACRORVM RITVVM MINISTROS.



MNIBVS quidē, quos Christi Domini Charitas in Ecclesia fide
lium turmis aggregatos piè complectitur, officium dispensationis
credirę omninò debemus: Nam quòd Christiani sumus, ait Aug. D. Aug.
nobis sumus, quòdverò pręsumus, seu linguis loquimur, vobis de-
bemus, cũ teste Apost. nõ omnes Doctores, nõ omnes Prophetæ, 1. Cor.
neq; oẽs linguis loquamur, aut interpreremur; hęc enim omnia 12.30.
ab vno, eodemq; spiritu operantur, qui diuidit singulis prout vult, ad vtilitatem vi
delicet credentium, nõ autem ad propriam commoditatem; ideo omnia omnibus, 1. Cor.
qui talibus potiuntur donis, fieri debent. Cum igitur interpretamur, vel linguis lo 12. 7.
quimur, omnibus loqui debemus, qui sunt inter nos; cum concionem ad populum
habemus, nullum secernimus, hortamur omnes simul in vnum habitantes orbem
diuites, & pauperes. Verumtamen præsens hic sermo pijs, ac Religiosis Viris Sacer-
dotibus, reliquisque Ecclesiæ Ministris ritè dirigitur: Vos, inquam, alloquimur ge- 1. Pet. 2. 9.
nus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, quos in sua, immo & super suā fami Luc. 12.
liam constituit Dominus, vt videlicet distribuatis illis in tēpore tritici mensuram: 42.
ac velut peruigiles custodes super muros Ierusalem diu, noctuq; laudetis nomen Isa. 62.6
Domini, stantes in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri, sacrificantes sacrificiũ
laudis, eiusque opera in exultatione annunciantes. Dum itaque talia Deo ipsi of Ps. 133.5
fertis sacrificia cum incenso digno in odorem suauitatis, vespere scilicet, mane, & Ps. 106. 22.
meridie, pijssimā eius annunciare misericordiam, pariter ac iustitiam decantare in Eccl. 45. 20.
filios filiorum, his qui seruāt testamentum eius, quod lege perpetua vobiscum sta- Ps. 54.18
tuit pacis fędus, quo & beatificati estis, atque præcincti zona gloriæ, & coronati in Ps. 102. 18.
vasis virtutis, vt sit ipse vobis in Deum, & vos illi in populum, in quo statis, & in
quo gloriam habetis, in ipso videlicet testamento electis, atq; dilectis filijs hęredi Eccl. 45. 8.
tario iure disposito, atque ordinato super sacrificia, his qui seruant illud, ministris Ps. 48.4.
noui testamenti, facientibus verbum illius ad audiendam vocem sermonum eius, Ps. 49. 5.
non auditoribus, sed legis factoribus à Deo ipso sanctificatis, quibus tanquam filijs Ps. 102. 18.
omnia, quæ audiuit à Patre nota fecit; vnde vt hæredes Dei, & cohęredes Christi 2. Cor. 3 6.
Domini nõ seruorum, sed filiorum nomen accepistis, tantò in hoc meliores Ange- Ioan. 15. 15.
lis effecti, quantò differentiùs præ illis munus hæreditastis. Ad vos sermo noster di- Heb. 1. 4
rigatur, non vt æs sonans, aut cymbalum tinniens, sed charitate sincera dilectione 1. Cor.
permoti vobiscum agentes, quæ vestri sunt muneris, explicabimus. 13. 1.

Cum enim sacrarũ Cęremoniarum librum, quem nostræ Congregationis vsui accomodatum annis præteritis in lucem à nobis editum quamplures pij, eruditiq; viri efflagitarent, communi omnium vtilitati, & commodo sedulò intendentes, vt iterum typis daretur nouo studio, atque labore aliquibus mutatis, demptis vide-

licet singularibus nostræ Congregationis consuetudinibus, alijsq; omnibus Ecclesiasticis cōmunibus ex Rubricis Missalis, Breuiarij, Pontificalis, Ritualis, ac Cæremonialis Romanorum selectis ritibus additis, locupletiorem, atq; vniuersaliorem, nouum videlicet ex veteribus, ac nouissimis confetiū, optatum tandem nunc tradimus. In quo Ministri Ecclesiæ ea omnia, quę ad munus cuiuslibet ordinis obeundum quoquo modo spectant, habebitis. Modum insuper, quo exornari Ecclesiæ, sacella, atque Altaria Romano more debeant, percipietis. Singularum quoque functionum, quarum venustas, ac maiestas in ipso modo maximè constat, quasi in exemplari rationem, ipsarumq; ordinem expressum conspicietis, præcipuè Missarum, atq; Officiorum siue priuatim, siue solemniter cum celebrantur, necnon Sacramenta cum administrantur, quod quoue ordine perficiendum sit, manifestissimè, atque accuratè singula, si rectè perquiratis, explicata inuenietis. Processionum item, Exequiarum, Benedictionum, aliorumque Ecclesiæ munerum expressam formam præ oculis habebitis, ac denique singulorum temporum, quę scilicet per anni circulum in Ecclesia Dei mira varietate occurrunt perficiēda, ordine satis congruo, facili stylo, vsitaris, atque Ecclesiasticis vocibus ita definita omninò inuenietis, vt nihil eorum, quę ad Diuinum cultum spectant, amplius desiderari posse videatur, ipsis quoque vel minutioribus explicatis.

Vt autem exactè fideliterque omnia, ac singula, vt decet, executioni mandari possint, simpliciter, ac sincerè in hoc primo volumine Diuinorum Officiorum praxim tradimus; nam de origine, & ratione eorum in altero, quod paratum præ manibus habemus, ex Sanctorum Patrum dictis, nec non Sacrorum Conciliorum decretis, atque Ecclesiasticis historijs singula exactè, atque distinctè, Deo dante, explicata in lucem dabimus, cum omnibus circumstantijs, latentibusque misterijs, ita vt remoto velamine, quantum fieri potest ita, pateāt, vt nihil prorsus deinceps in obscuro remaneat, sed omnia in luce clarescant.

Cęterum quò in omnibus communi vestrę vtilitati consulamus, tertium tādem addere volumen intēdimus, in quo singula Diuina Officia temporibus suis per anni circulum suo ordine piè, atque eruditè explicabuntur, additis piis meditationibus, animiq; affectibus, ita vt non perfunctoriè, sed accuratè, vt decet, toto corde,
Heb. 13. 16. ac mentis attentione seraphico modo vestrum exerceatis munus; talibus enim hostiis promeretur Deus, talesque, qui ei ritè inseruiant, requirit Ministros: decorè
Heb. 12. 22. igitur hoc modo induti securi tandem accedere poteritis ad Syon montem, & Ciuitatem Dei viuentis Ierusalem Cœlestem, & ad multorum millium Angelorum frequentiam, in Ecclesia primitiuorum, quod hic mysteriis agitur, apertè visuri.
Exod. 25. 40. Inspicite ergo Sacerdotes ministri Domini, & facite iuxta exemplar, quod tradimus vobis, Deumque Optimum Maximum bonorum omnium largitorem pro me precamini; tunc maximè, cum sacris his actionibus conuenienter intenti Diuini
Luc. 12. 49 muneris largitate repleti, illo accensi igne, quem Dominus noster misit in terras,
Iacob. 1 5. voluitq; vehementer accendi, vt mihi pariter, ac vobis spiritum suum bonum donare dignetur, ipse qui dat omnibus affluenter, & non improperat, cuius, vt ait
D. Ambros. in Côc 23. Ambrosius, vberior est gratia, quàm nostra precatio, plus tribuens, quam rogamus.
D. Aug. Vnde erubescat oportet, vt subdit Augustinus, humana pigritia, plus enim est ipse paratus dare, quàm nos accipere. Ipse igitur, qui magnificus est petentibus largitor, atque profusus in omnibus inuocantibus illum in veritate, faciat nos idoneos
2. Cor. 3. 6. Ministros noui testamenti, effundens in nos spiritum gratię, & precum, vt dignè,
Zach. 12. 10. quod totius huius operis caput erit, nostrum exerceatur munus.

PRAXIS CAEREMONIARVM, SEV SACRORVM ROMANÆ ECCLESIÆ RITVVM.

Liber Primus.

SVMMA EORVM, QVÆ IN HOC Primo Libro continentur.



CVm varia, ac diuersa sint Ecclesiasticorum, atque Christi Domini Ministrorum muneta, eiusque Spiritus dona per gradus, & ordines, prout idem ipse voluit, distinguatur; non enim omnia, etsi eiusdem sint corporis membra, eundem actum habent, ac propterea, vt in Ecclesiastica hac Hierarchia dignè quisque suum exequatur munus, laudabiliterque in mystico Christi Domini corpore sacra ministeria perficiat, singulos cuiusque ordinis Ministros in hoc primo libro huius operis summo studio, atque singulari diligentia instruere intendimus: eritque liber iste Sacerdotibus, atque Leuitis, quasi in ostio Tabernaculi excubantibus alterū labrum æneū, plenum speculis, non quidem mulierum, sed Leuitici ordinis fortissimorum virorum, in quo aspicientes, omia, ac singula, quæ in Ecclesiastico ministeriofieri debent, apte, & congruè distincta inuenient.

Rom. 12. 4.

Exod. 38. v.

SECTIO PRIMA.

De Sacrarum Caremoniarum Prafectis.

De officio Magistri Cæremoniarum in Ecclesijs Collegiatis Caput I.

1 SEmper decuit ad Ecclesiæ militãris perfectioem, atque decorem, diuersorum officiorum, & ordinum munera diuersis personis pro necessitate multarum actionum distribui: magna namque domus vasorum multitudine resplendet, omnia ad honorem sanctificata ipsi Domino vtilia, quibus maximè Ecclesiasticæ Reipublicę maiestas elucet: Inter omnes autem. (D. Tho. . 2. q. 83. a. 3.) (2. Tim. 2. 20.)

2 Ad sanctissimum Dei cultum augẽdum, & Cleri in diuinorum officiorum ratione studium adiuuandum, nec non populi pietatem vehementius excitandam, plurimum confert Magistri cæremoniarum industria.

3 Propterea quàm diligenter quilibet Ecclesię Pręsul curabit, vt ad huiusmodi officij munus is eligatur, qui ex gremio eiusdem collegij, si commodè fieri possit, in Sacerdotali dignitate constitutus, cęteros vitæ, ac morum grauitate præcellens honestè, ac decorè resplendeat, quiuè in ministerio Ecclesiastico, sacrisque actionibus eruditus, summo studio Ecclesiasticæ disciplinæ amantissimus, in omni actu, insigni quadam ratione eius obseruantiam doceat, optimè omnes cęremoniarum regulas edoctus, pręcipuè eas, quæ in pręsenti libro pręscribuntur.

4 Corporis quoque habitudine qui sit conspicuus, omni prorsus deformitate carens, quò officium suum religiosè, riè, decorè, elegãter, ac pro rei, quę agitur, dignitate exequi possit: ita tamen, vt grauiter in omni actu se gerat, non discurrens velociter, non caput voluens, nec manus agitans, ac denique tali corporis habitu modestè, ac religiosè cũcta perficiat, vt omne affectionis vitium cauens, quam sustinet officij dignitatem, rite tueri possit.

5 Is igitur, qui huic muneri pręficitur, sciat, omia Ecclesiastica munera ad ipsum spectare, vnde & ipsius partes erunt omnia prospicere, cuncta præuidere, maximè in solemnioribus, vt loco, ac tempore benè disponantur vniuersa: Altaria videlicet decenter sint ornata, Ecclesia vndique nitida, & benè aptata, sacra supellex, ac reliqua necessaria commodè distributa inueniantur. (Paris. de Crass. li. 1. c. 2.)

6 Sin-

6 Singulis diebus Sabbati tabellam in sacristia affigendam conficiat, in qua præscribat, quid à singulis per hebdomadam perficiendū sit, videlicet quis Hebdomadarius, qui Cantores, qui Lectores, qui Diaconi munus, qui Subdiaconi; qui Thuriferarii, qui Acolythi, quiuè Ceroferarii in Missis solemnibus per totam hebdomadam exercere debeant.

7 Quòd si quid extraordinarium infra hebdomadam agendum erit, etiam adnotetur, præcipuè si aliqua solemnitas occurrat; designentur pariter Ministri in ipsa tabella.

Cærem. Ambro. lib. 1 tit. de offe. mag. cerem. & eius coadiutoris pa. 131.

8 Quando celebranda erunt aliqua, quæ non ita frequenter occurrunt, quæque solemni ritu, & apparatu peragi solent, re prius cum Superiore (vt decet) communicata, præuideat omnia, atque disponat, curetque singula seruari iuxta formam, quam tradet: quicquid agēdum erit, magna cum grauitate, & congruenti mora, vt cęteris deuotionem, & reuerentiam pariat, peragi studeat.

9 Omnes præcipuè eius exequantur iussa; ipse verò singulos de peragendis moneat, & si opus fuerit, nedum Ministros, verùm & celebrātem ipsum antea, vel simulatis gestibus instruat, quò cum publicè suum exequūtur munus, absque errore securè, grauiter, ac maturè cuncta perficiant.

10 Sit ipse patiens, mansuetus, & humilis, nec grauetur aliquando (cum res postulauerit) suis manibus cæteros adiuuare Ministros; cum verò aliquem monere oporteat, id modestè faciat, ac discretè, submissa voce, ac solo nutu, si fieri potest, signo leuissimo, ac suauiter quęcumque agenda sunt, demonstrans.

11 Errata pariter in ipso actu (si quæ contingunt) vel modestè, ac leniter corrigat, vel silentio, maximè si fuerint leuia, transeat, ne fortè magis præco erroris, quàm corrector appareat.

12 Si quis fortè ab eo præscripta exequi neglexerit, is placidè, ac benignè ab eodem moneatur; cum verò res postulauerit, videlicet in grauioribus à Superiore, pro rei qualitate, qui errauerit, corripiatur.

13 Eos, qui sacris Ordinibus initiantur, vel primam Missam celebrare debēt, diligenter instruat; muneris namque, & officij erit sui, vt singuli Ecclesiæ Ministri ab eo cæremoniarum vsum, ac disciplinā ritè percipiant in omnibus peragendis, ac propterea benignè singulos in Ecclesiastica disciplina instruens omnibus suā præstabit operam: neque cuiquam primā Missam celebrare liceat, qui ab eo non fuerit instructus.

Concil. Mediol. 1. de celebrat. Missæ. Et Cōc. Med. 3. Constit. 47. syn. lib. 4.

14 Sacerdotes si aliquid ex adnotatis in rubricis prætermiserint, seu immutauerint ex incuria, vt quandoque accidit, ab eodem modestè tamē, ac benignè moneantur, & omnino omnium actus in ecclesiasticis functionibus diligentissimè obseruet, si qui à tradita forma recesserint, ab eo moneantur.

15 Diebus festis superpelliceo mundo indutus ministerium suum diligenter præstabit, præcipuè in Missa Conuentuali, & Vesperis, quæ solēniter celebrantur.

16 In primis curabit, vt omnibus opportunè præparatis pro Missa solemni, dum dicitur tertia in choro, celebrans, ac Ministri in sacristia sacras induant vestes.

17 Circa finem tertiæ, ordinatis omnibus, Thuriferario videlicet cum thuribulo, quem sequuntur Ceroferarij cum cereis accensis, Subdiaconus, Diaconus, ac celebrans, ipse omnes præcedens eos ducet ad altare.

18 Diebus Dominicis, cum facienda est aspersio aquæ benedictæ, præcedens celebrantem cum Ministris eos ducet in chorum, & circa presbyterium.

19 Dum fit confessio, genuflexus assistit post Ministros.

20 Pro incensatione, facta confessione, ascendens ante supremum gradum altaris, accepta nauicula ab Acolytho, eam porrigit Diacono, & imposito incēso rursum acceptam nauiculam à Diacono

cono tradit Acolytho: dum incensatur altare, assistit à latere Epistolę infra gradus, dum verò incensatur celebrans, stat propè Diaconum, faciens inclinationes cum eo, quod semper in incensatione seruabit.

21 Dum cantatur Hymnus *Gloria in excelsis, Symbolum, & Sanctus*, ipse pariter stat in eodem cornu Epistolę, ita vt etiam à choro videri possit, ibique capitis inclinationibus, cum res postulauerit, celebrantem cum Ministris, vt idem pręstent, facilè monere posit.

22 Diaconum, & Subdiaconum accedentes ad cantandam Epistolam, vel Euangelium, item ad credentiam semper ducet, & deducet, eos præcedendo.

23 Ministrabit incensum, vt supra, pro incensandis oblatis, deinde deducet Diaconum ad incensandum chorum, eique à latere assistens monebit, quando, & quibus sit inclinandum, quos prius, quosue posterius incensare debeat, & quibus numero incensationibus.

24 Deducet Subdiaconum deferentem pacem in choro.

25 Eundem etiam deferentem postea calicem ad credentiam deducet.

26 Completa Missa eodem ordine, quo venerant, deducit celebrantem cum Ministris ad sacristiam.

27 Eadem respectiuè obseruabit ad *Vesperas*, cum solemniter celebrantur, & in reliquis officijs, quæ solemni ritu perficiuntur, præcipuè in exequijs, & absolutione ad tumulum; ipse namque assistens de singulis peragendis monere debet celebrantem, ac Ministros. Aduertendo, quòd in locis, quibus pluribus clericis ministrātibus singula singulis ordinatè, vt infra distinguemus, munera distribuuntur, Thurjferarius, & Acolythus deputatus nauiculam ministrabunt, & deducent Diaconum, & Subdiaconum: omnia tamen dependenter à Magistro cæremoniarum fieri debent, qui cuncta ordine præscripto disponet; sed vbi ita ordinatè proceditur, vt singuli diligenter suū exequatur munus, prout in nostra Congregatione, in qua Diuini cultus obseruantia maximè viget, immunis erit Magister cæremoniarum ab huiusmodi onere, maximè diebus ordinariis, decet tamen, vt in solemnioribus, & extraordinariis semper assistat.

28 Ad ipsum etiam spectabit eos monere, quibus incumbit, quot cereos in Altari esse deceat, & quando sint accendendi pro qualitate festorum, & officiorum, aduertendo, ne lampades extinguātur, cum ardere debent.

29 Ordinem quoque pulsandarum campanarum diligenter obseruari curabit; eiusdem muneris erit, ne intra chorū, dum diuina celebrantur officia, quis incompositè, minusque modestè assistat, vel gestum aliquem ab aliis differentem demonstret, sed ab omnibus ecclesiastica disciplina obseruetur, ac propterea omnes in his, quæ ad cultum diuinum spectant, sine contradictione, vel etiam eius nutui, signouè leuissimo obedire debent.

30 Non solùm autem in choro, verum etiam in tota Ecclesia studiosè curabit, vt omnes cum debita reuerentia diuinis intersint officiis, silentio, stantes, sedentes, vel genuflectentes, prout res postulauerit, occurrens, quantum fieri potest, ne tumultus fiant, omniaque profana arceantur, adhibitis ad hoc inferioribus Ministris, præcipuè ipsis Ecclesiæ custodibus.

31 In processionibus ad ipsū spectat, omnes rite, & ordine dirigere, omnem que operam dabit, vt seruato ordine nullo modo interrumpatur, vel perturbetur processio, ac propterea studeat, vt pari passu, graui incessu, debitaque distantia omnes, ac singuli progrediantur; celeri quadam, sed graui iteratione, si opus sit, discurrendo, vt omnia, præcipuè eodem ritu, cantētur, atque dicātur, prouideat.

32 Quòd si ipse Cæremoniarius in suo munere deliquerit, non ab alio, sed pro rei commissæ, vel omissæ ratione à Superiore loci moneatur, vel corrigatur;

cęteri, ad omnem confusionem vitandã, ne se immisceant.

33 In ijs Ecclesijs, in quibus Magister cęremoniarum à pręfecto chori fuerit distinctus, quisque suas exequatur partes, iuxta loci consuetudinem: regulariter tamen, vbi adest chori Magister, vel vbi tale munus non fuerit institutum, is, qui in choro præsidet, diligenter inuigilet, ne quid in diuinis officijs prętermittatur, neuè absurdè, vel indecorè pręposterè quidquam fiat, sed vt quisque suo muneri satisfaciat, opportunè prouideat.

Conc. Prouin. Med. 1

34 Distinguendum etiam est in ijs, quę ad Magistri cęremoniarum munus, atque Sacristę spectant, ne mutuò se impediant, sed vnusquisque suo intendat muneri: sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem non eundem actum habent, ita in Ecclesiis collegiatis, vbi plures ad diuina celebranda conueniunt, à multis vnum in Christo mysticum constituitur corpus, ac propterea singuli sui sint memores muneris, quò alter alterius simus membra in Christo Iesu Domino nostro.

De Magistris Cęremoniarum Ecclesijs Cathedralibus pręficiendis.
Caput II.

1 *Quinam, & à quo eligi debeant Magistri cæremoniarum.*
2 *Emolumenta Magistri cæremoniarum.*
3 *Priuilegia Magistri cæremoniarum.*
4 *Habitus Magistri cæremoniarum vbique.*
5 *Habitus ad diuina officia.*
6 *Ferulæ vsus concedendus Magistro cęremoniarum.*
7 *Magistri cæremoniarum munus præcipuum cuncta prauidere.*
8 *Recognoscat loca, quibus functiones peragi debent.*
9 *Vias processionum præcurrat.*
10 *Inuitandos moneat.*
11 *Exequiarum curam habebit.*
12 *Episcopo in omnibus functionibus assistit.*
13 *Ad Ecclesias alienas ne accedat.*
14 *Capitulo collegialiter procedente eius munus.*
15 *Processiones diriget.*
16 *Baldachinum à quibus sit deferendum, designabit.*
17 *Ministros omnes ordinabit.*
18 *Ad Vesperas ab Episcopo celebrandas, quomodo procedit.*
19 *Ad Vesperas quomodo, & vbi assistit.*
20 *Ad incensationem eius partes.*
21 *Ad benedictionem in fine Vesperarum eius munus.*
22 *In reditu post Vesperas eius partes.*
23 *Ad Missam solemnem quomodo procedit.*
24 *Dum Episcopus paramenta sumit eius munus.*
25 *Item in ingressu altaris.*
26 *Ad confessionem.*
27 *Pro incensatione in principio Missæ quomodo ministrabit.*
28 *Cantorum ministeria ordinabit.*
29 *Episcopũ dedicendis, & agendis monet.*
30 *Canonicorum circulos ordinat.*
31 *Episcopo sermonẽ habente eius munus.*
32 *Item si alius sermonem sit habiturus, quid agere debeat.*
33 *Incensum pro oblatis quomodo ministrat.*
34 *Ad manuum lotionem mappam quomodo ministrabit.*
35 *Ad pacem deferendum quõ procedit.*
36 *In ingressu Episcopi quomodo assistit.*
37 *Item in consecratione Episcopi.*
38 *In conferendis ordinibus.*
39 *In consecrationibus.*
40 *In synodo.*
41 *In visitationibus.*
42 *In habitu cum datur sanctimonialibus.*
43 *In publicis concionibus, cum fiunt ab Episcopo.*
44 *Item cum Episcopus ipsi assistit.*
45 *Omnibus Pontificalibus functionibus assistit.*

46 *In omni Missa publica, cum celebratur ab Episcopo, vel coram Episcopo assistit.*

47 *Episcopi mandata omnia, ac singula ad nutum exequi debet.*

Cærem. Epi. lib. 1. c. 3.

1 IN Cathedralibus, iuxta præscripta in Cęremoniali Episcoporum, duo, si fieri possit, de gremio Ecclesiæ idonei ad huiusmodi munus ab Episcopo eligantur, quorum alter in Sacerdotali ordine constitutus in sacra Theologia Magistri, Licentiatiuè, vel in iure Canonico Doctoris gradum sit adeptus: alter verò saltem in sacris ordinibus sit constitutus.

2 Certum, & commodum stipendiũ præter extraordinaria emolumenta eis assignari debet.

3 Priuilegijs quoque, atque prærogatiuis singularibus eos gaudere decet.

Cærem. Ambro. lib. 1. tit. de offic. Mag. cæ rem. & coadiu. pa. 145.

4 Vestes coloris violacei suo muneri congruentes ad talos vsque demissas per totam Diœcesim induent; in Ciuitate quidem Tunica, ac Toga vsque ad tertã demissis, ipsius verò Togæ manicæ latè pateant, in itinere verò breuiores vestes adhibebunt.

5 In Choro, & quandocumque ad diuina officia celebranda conuenerint, superpelliceum mundum semper super vtramque vestem Tunicam scilicet, ac Togam superimponent.

6 Solemnioribus diebus, atque functionibus concedi eis potest ferula deferenda, quæ erit coloris violacei, vel alterius, cum extrema parte argentata, vel aurata, alijsque ornata insignibus, arbitrio Episcopi, vel iuxta locorum consuetudinem.

7 Præcipuum ipsius Magistri cęremoniarum, qui primus in ordine constituitur, munus erit, prospicere omnia, aliorumque munera perpendere, vnde ad ipsum spectat, Episcopum, Canonicos, Officiales, ac reliquos Ministros, omnesque Clericos, præsertim seminarij, cęremoniarum rationem, vsum, ac disciplinam docere, præmonere, atque instruere, exhibitis etiam, vbi opus esse videbitur, schedulis.

8 In solemnitatibus, & actionibus publicis, quibus Episcopus, vel Capitulum interesse debet, recognoscat omnem apparatum, an loco suo rite disposita sint omnia.

Cærem. Ambro. lib. 1. c. de offic. Mag. cæ. rem. par. 143.

9 Cum aliqua solemnis processio extra Ecclesiam dirigenda erit, ipse pridie viam processionis destinatam præcurret, eamque mundari, & ab ea omnia impedimẽta, atque profana amoueri curabit.

10 Si Prælati, seu Magistratus ad solemnitatem, vel processionem erun inuitandi, eos de hora, & loco, quò conueniendum erit, monebit.

11 Si quando funeralia, seu exequiæ solemni ritu erunt celebrandæ, præuideat omnia, curetque singula opportuno tempore præparari, iuxta præscripta in Pontificali Romano.

12 Cum Episcopus alicui sacræ functioni incumbit, vel assistit, seu in Ecclesia, siue extra Ecclesiam, illi semper interest, inseruiendo Episcopo, ac stans aperto capite; curans, vt omnia sint parata, & inuigilans actioni, quę agitur, Episcopum de agendis monebit.

Cærem. Ambro. vbi sup. par. 129. & 144.

13 Ad Ecclesias autem, vel alia loca, ad quæ diuinorum officiorum causa Episcopus, vel Capitulum non solet conuenire, ne ipse accẽdat, cęremoniarum causa, sui muneris operam collocaturus, nisi aliter Episcopus ei cõcesserit, vel iusserit.

14 Quotiescumque Capitulum collegialiter ad Episcopum accedit, vel quauis occasione ad aliquem Cardinalem, vel insignem aliquem Principem, honoris causa, ipsum Magistrum cæremoniarum in habitu violaceo adesse decet, qui alios pręcedens Capitulum ad eos deducat, & reducat.

15 Processiones omnes diriget summo studio intendens, vt ordo seruetur, ac à nemine turbetur. Notulam propterea habebit totius cleri tàm sęcularis, quàm regularis, cum Societatum ordini-

bus

bus, vt, iuxta eorum præcedentiam, omnes, & singuli suo ordine vocentur.

16 Si in processionibus deferendum sit Baldachinum, illud Magistratibus, atque Nobilibus præsentibus, vel alijs, quibus, iuxta loci consuetudinem, incumbet, deferendum assignabit.

17 Deferentes Baculum Pastoralem, Mitram, Thuribulum, Intortitia, &c. ipse ordinabit, sicut & reliquis omnibus tàm Prælatis, quàm Magistratibus, ac Nobilibus suum designabit procedendi locum.

18 Ad Vesperas, cum ab Episcopo solemniter celebrantur, præcedet capitulum, in limine Ecclesiæ accepto de manu Acolythi aspersorio, illud tradit Archipresbytero, vel Archidiacono, & omnino digniori ex Capitulo, & facta de more aspersione ab Episcopo, illud iterum accipit de manu eiusdem, & reddit Acolytho.

19 Dum celebrantur Vesperæ, stans in plano chori, aperto capite, semper assistit Episcopo, admonendo, quando standum, vel sedendum sit, quando caput aperiendum, quando cooperiendum, quando inclinandum, imponenda, vel deponenda Mitra, & alia huiusmodi.

20 Cum incensandum erit Altare, tradet nauiculam Archipresbytero, ministrabitque thuribulũ, & præcedet omnes, dum ad altaris incensationem proceditur, & incensato altari, deducet Archipresbyterum ad incensandum Episcopum, assistens ei à sinistris.

21 In fine Vesperarum genuflexus ante vltimum gradum sedis Episcopi innuet, atque ostendet formam benedictionis.

22 Recedentibus omnibus, ordinabit processionem, monens maximè clericos Seminarij, vt grauiter, ac modestè quilibet suo ordine procedat.

23 Ad Missam solemnem eodem modo deducet Capitulum ad Episcopum, omnesque præcedens, ipsos ad Ecclesiam comitabitur, asperforium ministrãs in ipso limine Ecclesiæ.

24 Dum Episcopus paramenta sumit, ipse assistit, attentè aduertens, vt ordine distribuantur singula paramenta per Clericos, ritèque eis induatur.

25 In ingressu ad altare cuncta grauiter, ac decorè ordinabit.

26 Ad confessionem, dum dicitur Indulgentiam, & Subdiacono imponente manipulum sinistro brachio Episcopi celebrantis, ipse post eum stans librũ Euangeliorum tenebit.

27 In principio Missæ accepta nauicula ab Acolytho illam tradit Archidiacono, & reacceptam ab eodem reddit Acolytho, ibique à latere Epistolæ, dum incensatur altare, assistit.

28 Ipse Cantorum ministeria ordinabit, vt cum Organistis conuenientes opportuno tempore cantent, quæ cantanda sunt, vel organa tangant, paruo tintinnabulo signum dans inchoandi.

29 Episcopum de dicendis monebit, videlicet, quando inclinare, vel genuflectere, quando item benedicere debet cantaturos lectiones, vel Epistolam; Diaconum, ac Subdiaconum, nec non Archipresbyterum, cum ad suum quisque munus exequendum procedit, comitabitur.

30 Canonicos ad circulos, cum dicitur, *Gloria in excelsis*, *Credo*, *Sanctus*, & *Agnus Dei*, Episcopo assistente ad Missam, deducet.

31 Si Episcopus intra Missarum solemnia sermonem sit habiturus, ipse prius aduertat, vt omnia sint decenter disposita, eique assistet, & in fine sermonis admonebit Presbyterum assistẽtem, si concedendæ erunt Indulgentiæ, vt illas promulget.

32 Si alius sit concionaturus, ipse eum ducit ad benedictionem, & ad ambonem euntem præcedet, & in fine ordinabit pro benedictione omnia necessaria, deducens in fine concionis Diaconũ ad confessionem faciendam ante Episcopum.

33 Ad

33 Ad offertorium ministrabit incensum, vt in principio Missæ.

34 Cum Episcopus lauat manus vnà cum Diacono hinc inde mappam tenebit.

35 Ante Communionem Presbyterum assistentem ad deferendam Pacem ducit.

36 Eiusdem Magistri munus requirit, vt omnibus pontificalibus functionibus semper assistat, videlicet in omni solemni ingressu Episcopi, siue in Ciuitate, siue in alijs locis suæ Diœcesis, atque Iurisdictionis.

37 Item in Consecrationibus Episcoporum.

38 In sacris ordinationibus, quæ fiũt ab Episcopo Ordinario loci, siue ab alijs in Ciuitate, & loco Diœcesis ex eius licentia.

39 In Altarium, Ecclesiarum, & cęremoniarum consecrationibus, reconciliationibus, seu benedictionibus Campanarum, & aliorum huiusmodi, quæ sũt Pontificalia munera.

40 In Synodis, quę solemniter celebrantur.

41 In Visitationibus, quę solemniter ab Episcopo fiunt, tàm in Ciuitate, quàm in Diœcesi.

42 Item in traditione habitus, & in professione Monialium.

43 In publicis sermonibus, si ab Episcopo fiunt, semper assistat.

44 Et quotiescumque Episcopum concionibus, sacris lectionibus, ac publicis huiusmodi actionibus assistere contigerit, aderit, & cæremoniarum Magister.

45 In omnibus denique consecrationibus, benedictionibus, Pontificalibus que muneribus, quæ solemni ritu peraguntur, siue ab Episcopo loci, siue ab alio ex eius licentia in loco suæ Diœcesis, semper Magister cæremoniarum interesse debet.

46 Quandocumque Episcopus loci in suæ Diœcesi publicè celebrabit, siue solemniter, siue priuatè, vel alio Sacerdote publicè celebrante etiam submissa voce in propria ipsius Diœcesi in eius præsentia, tunc ipse quoque sacrarum cęremoniarum Præfectus assistens, vt singula iuxta formam præscriptam perficiantur, curare debebit.

47 Hæc autem omnia, & alia huiusmodi, quæ in dies euenire poterunt, iuxta occasionum diuersitatem ad nutum Episcopi, idem Magister cęremoniarum exequi curabit, habita etiam, vt decet, ratione consuetudinis locorum, arbitrio, ac iudicio Episcopi eiusdem, cuius auctoritate huiusmodi moderanda erunt.

De Magistris Cęremoniarum Capellæ Pontificię. Caput III.

1 *Numerum Magistrorum cæremoniarũ Capellæ Pontificiæ.*
2 *Habitus Magistrorum cæremoniarum Papæ.*
3 *Magister cæremoniarum congregationi sacrorum rituum interesse debet.*
4 *Legato à latere Magister cæremoniarũ designatur assistens.*
5 *Magistrorum cæremoniarum munus, Sede vacante.*
6 *Processionem ad conclaue quomodo ordinabunt.*
7 *Clausuræ conclauis curam habebunt.*
8 *Cæremonialia in conclaui dirigunt.*
9 *Electum Pontificem induunt, & processionem ordinant.*
10 *Eorum munus in Capella Papali.*
11 *Primus cæremoniarius personam Papæ obseruat.*
12 *Secundus in Altari circa celebrantem, ac Ministros occupabitur.*
13 *Quisnam alios ducere, ac reducere debeat.*
14 *Modum, & ordinem agendorum in omnibus dirigunt.*
15 *Eorum munus in Consistorio publico.*
16 *Equitatum ordinant, & omnibus publicis actibus assistunt.*

1 Romę

1 ROmæ in Palatio Apostolico duo Magistri cæremoniarum Summo Pontifici inseruientes maximam auctoritatem habent, pinguesque eis redditus, pluraque emolumenta tribuuntur; quibus & duo alij coadiutores ad huius ministerij opus adiuncti mysticum quaternarij numerum implent, qui in vnum conuenientes, vt rite, atque vniformiter Diuinis inseruiatur, æquali, parique studio, ac summa diligentia ita suum implent munus, [Ezech. 1. 6.] vt in similitudinem hominis aspectum habentes, quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni sint, nam, vt ait S. Gregorius, quidquid in vno inuenies, hoc in omnibus quatuor simul cognosces. [D. Gregor. homil. 5. in Ezech. lib. 1.] Omnes igitur quatuor pari disciplina, dum diuina celebrantur officia, in Capella assistere debent.

2 Violaceis vtuntur vestibus, tunicis, ac togis, subtanis videlicet, atque supranis cum manicis oblongis, in extremitantibus ex serico rubeo ornatis, quæ ipsos conspicuos, ac decoros reddunt. Cum suum exequuntur munus, superpelliceum mundum supra vestes ipsas violaceas induunt, & cum Papa celebrat solemniter, rubeis vtuntur vestibus. Pariter in Vigilia, & festo omnium Sanctorum, in Vigilia, nocte, & die Natiuitatis Domini, & duobus sequentibus diebus, Vigilia, & die Circumcisionis, Vigilia, & die Epiphaniæ, in die Resurrectionis Domini, & duobus sequentibus diebus, Vigilia, & die Pentecostes, Vigilia, & die Ascensionis, Vigilia, & die Sanctissimæ Trinitatis, Vigilia, & die Corporis Christi, in Anniuersario Creationis, & Coronationis Domini Papæ, & Sabbaro in Albis, quando fit distributio Agnorum Dei, semper rubeis vtuntur vestibus.

3 Semper Congregationi sacrorum Rituum intersunt, & alter ipsorum Secretarij munus in ea exequi consueuit.

4 Cum aliquis Cardinalis Legatus à Latere mittitur, vnus ex ipsis, quem Sūmus Pontifex designauerit, apud illum eodem habitu indutus semper erit.

5 Sede vacante vnà cum Sacrista Magistri cæremoniarum, nouem dierum funera demortui Pontificis curant; decimo die Missam de Spiritu sancto solemniter celebrandam, & post ipsam orationem pro electione noui Pontificis, omnia rite disponendo, ordinant.

6 Completis omnibus in Capella Sixti, apud Sanctum Petrum processionem ad Conclaue ordinant, cui ipsi cæremoniarum Magistri interesse debent.

7 In Conclaui cum Cardinalibus, & aliis Conclauistis, & ipsi remanent, ac [Cærem. Greg. XV. pagin. 98.] tādem eodem die, quo ingrediuntur circa horam tertiam noctis clauso Conclaui claues S.R.E. Camerario fideliter cōsignare debent, publicumque documentum de eius clausura, adhibitis testibus, iuxta constitutionem Gregorij XV. rogare.

8 In eo loco Cardinalibus existentibus pro electione noui Pontificis ad ipsos spectat cæremonialia omnia dirigere, tàm in cælebratione Missarum, quam in precibus, ac præcipuè in ipso actu electionis, quò rite, ac suo ordine cuncta perficiantur. Ipsemet schedulas scrutinij, & accessus, ac cætera necessaria præparabunt.

9 Electo Pontifice, quid agendum sit, ordinabunt; Eum vestibus Papalibus, ac desuper Pontificalibus induent, egressionisque processionem ad Sanctum Petrū ordinabunt.

10 Cum facienda est Capella, & maximè in actibus non ita frequentaris cō- [Cærem. Rom. li. 3. sect. 1. cap. 4.] ueniant simul, quæ sunt agenda, præuideant, ac de occurrentibus concordantes inter se onera diuident, præmeditantes, quæ sunt agenda, quò memoriter cūcta exequi possint.

11 Primus omnium, atque antiquior curam præcipuam circa personam Pontificis gerit, ad quam semper respicit, si quid imperet, aduertens, vt Prælati, Oratores, ac reliqui omnes, quilibet suo loco consistat: ad summum Pontificem

non

non accedit, nisi vrgente necessitate, vel ab eo vocatus cum debitis genuflexionibus: Ad DD. Cardinales, cum res postulauerit, cum grauitate, ac debita reuerentia accedit.

12 Item qui ad Altare assistit, celebrantis personam, ac Ministrorum obseruabit, omnia præuidendo, ac Ministros deducendo: alij pariter adiuuabunt, maximè in solemnioribus, nã si fuerint concordes, vt decet, quantò plures erunt, ordinem inter se seruantes, tantò facilius, ac melius muneri suo satisfacient.

13 Qui curam habet ducendi, ac reducendi Prælatos, ac Nobiles ad loca illis debita, vel ad aliquem actum, modestè, ac maturè cuncta præstabit.

14 Semper in diuinis officijs, & maximè Papa celebrante, cuncta suo ordine disponent, prout in ceremoniali Romano.

15 Cum Consistorium publicum celebratur, Magistri cæremoniarum assistere debent, cunctaque dirigere ordine suo loco explicato.

16 Cardinales nouiter creatos ipsi instruunt, equitatum ordinant, & cum Pileus eius datur, cuncta disponunt, modo suo loco explicato: & omnino omnibus publicis actionibus Papç, & Cardinalibus assistunt, ipsos, quo habitu procedere debeant, quiduè, & quomodo exequi, prout res postulauerit, monendo.

SECTIO SECVNDA.
De Ministris Sacristiæ.

De Sacristiæ præfecto in collegiatis eligendo, & quæ sint eius partes. Cap. I.

1 *Sacristia quinam eligendus.*
2 *Sacristiæ munera inter Clericos destribuenda.*
3 *Sacrista neglegentes moneat.*
4 *Sanctorum Reliquias, vasa sacra, & omnem Ecclesiasticam supellectilem asseruabit.*
5 *Supplex proprijs armarij asseruetur.*
6 *Tabella pro Missis celebrandis ordinanda.*
7 *Ordo Missarum obseruandus.*
8 *Ordinem designatum nemo perturbet.*
9 *Sacerdotes exteri quando admittendi.*
10 *Sacrista Altarium curam habebit.*
11 *Paramentorum nitori studeat.*
12 *Inuentarium conficiat.*
13 *Ratione pulsationis campanarũ sciat.*
14 *Necessaria pro celebratione Missarum præparari curabit.*
15 *Vasa aquæ benedictæ mundari, ac refici curabit.*
16 *Sacristiæ quotidie assistat.*
17 *Necessaria pro ablutione manuum Sacerdotum, ac Ministrorum curabit.*
18 *Calceos, ac crepidas Sacerdotum curabit.*
19 *Bireta Sacerdotum curabit.*
20 *Silentium seruari in Sacristia studeat.*
21 *Oratoria in Sacristia disponat.*
22 *Tabella Orationum ipsis oratorijs affigenda.*
23 *Assistentia in Sacristia diebus festis maximè necessaria.*
24 *Paranda pro Missis solemnibus curabit.*
25 *Librum obligationum Missarum habebit.*
26 *Librum item Mortuorum, qui in Ecclesia sepeliuntur.*
27 *Inferiorum Ministrorum munera ordinabit.*

1 Sacristiæ munus, inter alia Ecclesiastica ministeria nequaquam minimum est, ac propterea in eo eligendo loci superior attentè consideret, vt is, qui eligitur, sit in Sacerdotali ordine constitutus, quique rerum sacrarum, & Ecclesiasticarum vsum, & scientiam habeat, & cognoscat, qua cura, ac studio Ecclesiastica suppellex custodienda sit, quouè ordine, ac tempore ea vtendum sit, adhibito Clericorum, & inseruientium ministerio. *Acta. Eccl. Mediol. p. 4.*

2 Omnes igitur Clerici, atque Sacerdotes

dotes pręcipuè, qui non sunt in dignitate constituti Sacristę pareant, & quia non omnia possumus omnes, idcirco singula eorum munia, quę ad Ecclesiæ ornatum, & ad Ecclesiasticas functiones rite exercendas spectant, inter ipsos Clericos, & Sacerdotes iuniores si distribuātur, satis erit congruum, dum eorum quilibet diligenter, atque exactè suum exequitur munus, facilè, ac decorè, vt decet, omnia perficiuntur.

Cōsuet. Cleric. Reg. Theat.

3 Si quis negligens in Ecclesiasticis huiusmodi exercitijs repertus fuerit, ab eodem Sacrista commoneatur, seu etiā, cum opus fuerit, pro rei qualitate, à Superiore corripiatur: meminerit tamen is, qui alios monere debet, vt vitę, ac morum honestate, grauitateque sit prędirus, ita vt nihil eorum, quæ in alijs reprehendere debet, in ipso desideretur.

4 Pręcipuum eius munus erit, vt sacra Eucharistia perperuò in Altari clauibus obserata decenter cū luminibus accensis conseruetur, & à Sacerdote ad id deputato renouetur: vt Sanctorum reliquię loco decenti clauibus obseruētur, atque ante illas Lampas accendatur: Olei Sancti vascula, Calices, Pyxides, omniaque vasa sacra diligenter in suis armarijs reclusa seruentur: vestimenta item Sacerdotalia, vniuersaque Ecclesiastica suppellex diligenter custodiantur.

Act. Eccles. Mediol. p. 3.

5 Singula ornamenta Ecclesiastica in suis loculis distinctè asseruari curet, vt, cum opus fuerit, prompta, atque parata sint omnia: omnium autem horum in primis nitori, atque politici studeat, ita vt non solùm supplex ipsa, & loculi, in quibus asseruantur, verùm etiam totius sacristię ambitus nitidè resplendeat, resque omnes Ecclesiastico vsui deputatę mundę seruentur.

Act. Eccles. Mediol. p. 3 Instr. supell. Eccles.

6 Eiusdem muneris erit Missarum celebrandarum seriem præscribere, pro quibus bene disponendis, & ordinandis habeat in Sacristia Tabellam, in qua nomina omnium Sacerdotum scripta sint, omnibusque sua sit assignata hora, quę per vices mutetur, ita vt non semper eidem eadem hora contingat, ac quilibet eorum in Altari, ad quod fuerit adscriptus, celebret, ne tempus, & ordo pręscriptus immutetur, diligenter aduertens, ne alicuius in curia definitus ab eo ordo turbetur, ne vè, plusquam decet, Missarum celebrandarum ordo retardetur, ne vè simul celebrantes concurrant.

Cōsuet. Cleric. Reg. Theat.

7 Si quis suo tempore pręsto non fuerit, vel ei, quem absens substituerit, vel ei, qui proximè post absentem sequitur, suo arbitrio locum celebrandi tribuat.

8 Nemini permittat, vt suo arbitrio sacris induatur vestibus, nisi suo loco, & tempore iuxta designatum ordinem.

9 Extraneos Sacerdotes, nisi prius idoneum aliquem esse constiterit, absque sui superioris facultate in scriptis, nequaquam celebrare permittat, qui pręterea clericali habitu, & tonsura vtatur. Concil. Mediol. 1.

10 Curet, vt omnia, ac singula Altaria munda, ac nitida, beneque ornata iuxta formam pręscriptam sint, pallioque coloris tempori, ac officio congruentis cooperta. Infra li. 2. sect. 1. cap. 1.

11 Vt paramenta, Linteamina, vasa, cerei, ac reliqua suppellex pro vsu Ecclesię integra, ac munda asseruentur, & cum res postulauerit, reficiantur omniaque in suis armarijs diligentissime suis temporibus depromenda asseruentur.

12 Vt nihil omnino depereat, totius supellectilis indicem, seu inuentarium conficiat, in quo omnia, præcipuè pretiosiora adnotentur.

13 Sciat rationem pulsationis cāpanarum, quando videlicet, & quomodo pulsandę sint quocunque tempore, quò earum Ministros monere possit, tabellam præscriptam omnino obseruans. Infra sect. 3. c. 10.

14 Aduertat, an vinum pro celebratione Missarum, hostiæ, candele, cerei, ac reliqua ad diuina officia celebranda necessaria à Ministris sint opportunè, ac congruè pręparata.

15 Du-

15 Curet, vt labra omnia, quæ sunt per Ecclesiam, nitida, ac munda conseruentur, & aqua benedicta, quoties opus fuerit, repleantur, præcipuè diebus Dominicis, ac festis, ac propterea singulis diebus Dominicis, vel etiam sępius, si opus fuerit, superpelliceo, ac stola violacea indutus, aquam sale aspersam benedicet, vel etiam ab alio Sacerdote benedicendam curabit.

Ritual. Rom. tit. ordo ad faciẽdã aquã benedictam.

16 Quotidie ab ea hora, qua prima Missa celebranda est in Ecclesia, præsto sit ad omnia, nec inde recedat, nisi prius omnibus illius diei Missis absolutis, & si rationabili ex causa eum abesse contingat de superioris licẽtia alium idoneum Ministrum in sui locum substituat.

17 Curet, vt in vase aquarum ex solido lapide, ad abluendas Sacerdorum manus, in Sacristia nunquam deficiat aqua munda, & hinc inde ex instrumento rornatili pendeant manutergia munda pro abstergendis manibus. Satis probanda hoc loco mihi videtur, &, vbi commodè fieri potest, etiam imiranda eorum consuetudo, qui distincta ante, & post celebrationem manutergia apponunt; decet enim ob reuerentiam tanti sacrificij, vt taliter disponantur, moneanturque omnes Sacerdotes, vt id obseruent, notando etiam supradicta instrumenta in schedula *Ante celebrationem: Post celebrationem*; item & aliud simile manutergium loco distinctum cum sua inscriptione: *Pro Ministris*, apponatur.

18 Cauere etiam debet, ne Sacerdotes lutulentis calceis ad celebrandum accedant, ac propterea sit in Sacristia pannus attritus, quo ipsos calceos, præcipuè tempore, quo viæ sunt lutuosæ, Sacerdotes exteri, priusquam sacras vestes induant, diligenter abstergant; asseruentur etiam in Sacristia crepidæ pro iis Sacerdotibus, qui calceis non vtutnur.

19 Diligenter etiam aduertat, ne quis fortè ex Clericali ordine ad celebrandum sine bireto accedat, ac propterea pro huiusmodi extraneis Sacerdotibus asseruentur in Sacristia duo, vel tria bireta. Romæ apud Sanctum Petrum strictissimo iure sub certis pœnis cautum est ne Sacerdotes cuiusque ordinis nudo capite ad celebrandum procedant, quod maximè dedecet, ac propterea Clerici biretos Monachi verò, qui non vtuntur bireto, saltem amictu caput tegant.

Cõsuet. Eccles. S. Petri.

20 Sęcularium commercia, quo tempore Missę celebrantur, ne permittat in eo loco, nec ipsos Sacerdotes, & Clericos ibidem obstrepere, nec colloqui alta voce, sed omnes moneat, vt quietè, atque deuotè in eo loco maneant, præcipuè Clerici, qui tunc orationi, vel libri alicuius pietatis Christianę mores, & instituta continentis lęctioni incumbere porius debent.

21 Curet, vt in Sacristia loco cõgruo duo Oraroria accommodentur, quò Sacerdotes ante celebrationem orationi vacantes se preparent, & peracto Missæ sacrificio se colligant, gratiarum actioni operam dantes; adaptetur in eis scabellum ad procumbendum ante propositam Crucifixi effigiem, vel aliam piam imaginem.

22 Adsit præterea tabella, in qua orationes præparatoriæ ante Missam, & gratiarum actiones post Missam descriptæ sint.

23 Diebus præcipuè festis sęper adsit in Sacristia superpelliceo indutus, aduertens, vt indumenta, ornamenta, libri, aliaque omnia ad vsum diuinorum officiorum congruo tempore exponantur.

Concil. Mediol. 1. de offic. Sacristæ.

24 Curet, vt pro Missa solemni supra mensam stratam loco congruo necessaria disponantur, puta paramenta celebrantis, ac Ministrorum, & cętera aptanda ab Acolythis designatis; prout suis locis dicetur.

25 Librum habeat Sacristia, in quo Missarum celebrandarum obligatio distinctè pręscribatur; item Anniuersaria, si quæ sint celebranda, temporibus suis ab ipsum spectabit in eo libro adnotare:

Infra sect. 4. c. 2.

omni-

omnique diligentia curabit, vt benefa ctoribus, iuxta præscripta, ab omnibus satisfiat.

26 Item & alium conficiat librum, in quo mortuorum nomina, eorum, inquam, qui in ea Ecclesia sepeliuntur, vnà cum die depositionis, & loco adnotentur, iuxta formam in Rituali Romano præscriptam.

Rit. Ro. in fin. rit. Formulæ scribēdæ in libris.

27 Omnium verò munera aduertat, ad ipsum namque spectat, cum omnium rector existat, ea ordinare, quę alij subordinati Ministri exequi, & perficere debeant.

De officio Sacristæ in Cathedralibus. Cap. II.

1 Præcipuè in Cathedralibus is, qui Sacristiæ præficitur, morum grauitate, vitæque integritate debet esse conspicuus; maximè enim decet, cum diuina celebrantur officia, ipso Episcopo in Domo Dei præsente, vt is, qui alijs præest, cuique Hierarchico ordine inferiores Ministri obediunt omnes, interiori, atque exteriori cultu bene dispositus, omnibus reuerendus appareat, ac proptereà non ea tantùm, quę fusius in præcedenti Capitulo Collegiatarum Ecclesiarum Sacristę præscripsimus, verùm & alia hic adnotanda diligenter ipsum obseruare oportet.

2 Paramenta omnia Pontificalia loco congruo armarijs ab alijs Sacerdotum, ac Ministrorum indumentis distincta diligenter asseruabit, videlicet vasa sacra aurea, & argentea, cruces, candelabra, baculum Pastoralem, Crucem pectoralē, annulum; item Mitras, pretiosam scilicet, auriphrygiatam, & simplicem, Dalmaticas, Tunicellas, & chirotecas, necnō gremialia, faldistorium cum suo integumento, & ornatum sedis Episcopalis cum suo strato, ac puluinis, caligis, sandalijs, & cęteris paramentis cuiuslibet coloris pro dierum, ac temporum opportunitate. Cærem. Ambr. lib. 1.

3 Episcopo celebraturo in solemnioribus, in primis curabit, vt Altare, & Chorus, Tribuna, atq; Cancelli omnibus necessarijs sint diligenter ornata, vt solium, ac sedes Episcopi exornetur, faldistorium, puluinaria, integumenta, ac reliqua suis distinctis locis disposita cōspiciātur.

4 Abacum, seu credentiam à latere Epistolæ instruat, cuius mappa mūda vndiq; pendeat, quę præ ceteris longior, latiorq; sit, in qua & vasa pretiosa ad ornatū adhibeantur; vasa itē argentea ad abluendas manus cū manutergijs, calix cū patena, atq; reliquis ornamentis; vasculum cū hostijs, ampullæ cū vino, & aqua, quæ cū velo pulchro cooperiri debent. Cęrem. Epi. l. 1. c. 12. Parif. de Graff. li. 1. c. 19.

5 Supra eandem mensam apponatur Mitra cum subireto Mitrali, necnon velum pro Capellano seruiente de Mitra, Thuribulum cum Nauicula, caligæ, & sandalia in aliqua peluicula argentea velo cooperta, præter paramenta Celebrantis, ac Ministrorum, quæ vel in Sacristia, vel in ipso Altari præparari debent.

6 Baculus Pastoralis prope Altare à parte Epistolæ reponatur.

7 Supra eandem credentiam duo cãdelabra cum suis cereis hinc inde apponi debent, & prope eam erit vas cum prunis, ac forcipibus pro thuribulo.

8 Paramenta omnia celebrantis, vel super Altare, vel alio loco congruo præparabit.

9 Ministrorum verò paramenta omnia in Sacristia disponentur.

10 Episcopo celebrante, Sacrista superpelliceo mundo indutus ad Altare aperto capite stans semper assistere debet, cæteris inferioribus Ministris interim agenda in Sacristia committens.

11 In Missa solemni cum offeruntur oblata ipse prægustabit de Hostia, vino, & aqua, porrigente Diacono; in reliquis verò apud credentiam assistet, vt promptus esse possit ad omnia ministranda, prout res postulauerit. Cærem. Episc. li. 1. c. 8.

12 Ad Vesperas pariter, õnibus prius paratis, semper superpelliceo indutus assistet; ipsum enim decet cuncta disponere, ac propterea paratus ad omnia, & singula necessaria erit.

13 Magistro cæremoniarum subministrabit, cum illius munus circa actionem, huius verò ad omnia ordinetur: ille namq; immediatè Episcopo assistens agenda disponit, iste verò tãquã minister fidelis, ac dispensator vtilis Episcopo, & alijs inferioribus Ministris necessaria ꝑparare, atq; subministrare in õnibus debet.

14 In precipuis verò solemnitatibus, maximè in maiori Hebdomada, cuncta disponet, & omnibus functionibus necessaria ordinans assistet.

15 Cum consecrantur olea feria 5. in Cœna Domini, ipse necessaria pręparabit, ac vasa mundabit.

16 Item in Sabbato Sancto fontem Baptismatis mundabit, vasa absterget, atque necessaria pręparabit, & antequam Chrisma in aqua benedicta ab Episcopo infũdatur, ex ipso fõre cõgruã aqnę quãtitatẽ ad cubicula aspergenda abstrahet.

17 In celebratione Synodi locum sessionis aptabit.

18 In Missis priuatis ab Episcopo loci, seu alio Prælato extero celebrandis, necessaria omnia pręparabit, pro ornatu, & apparatu, habita personarum ratione.

19 In exequijs ceram, & reliqua necessaria curabit, castrum doloris, seu lecticam mortuorum, iuxta qualitatem funeris, arbitrio Episcopi pręparabit; item supellectilem necessariam pro exequiarum officijs opportunè ministrabit. Cærem. Ambr. li. 1. tit. de Sacrista.

20 In ordinibus conferendis, & in Consecrationibus, seu in collatione Sacramenti Confirmationis pręparabit omnia instrumenta necessaria cum vasis, medulla panis ac mantilibus pro abluẽdis, & abstergendis manibus Sacerdotũ, & celebrantis, & reliqua omnia, quę in Pontificali habentur.

De inferioribus Clericis Sacristæ inseruientibus. Cap. III.

1 *Inferiores sacrista à maiori depẽdeant.*
2 *Linteamina Ecclesiastica semper sint munda.*
3 *Paramenta pro temporum, & officiorum ratione præparentur.*
4 *Festis diebus maior diligentia est adhibenda.*
5 *Præparanda in Choro pro Hebdomadario celebrante, ac lectoribus.*
6 *Pulpitum quomodo sit ornandum.*
7 *In Cathedralibus quæ præparanda.*
8 *Pro Episcopo celebraturo quę præparãda*
9 *Vas aquæ benedictæ quomodo ministrãdum in ingressu Episcopi ad Ecclesiã.*
10 *In ingressu Cardinalis, seu Legati Sedis Apostolicæ, vel magni Principis.*

1 Con-

Bonfin. de reg theat.

1 CONstituantur Sacristæ adiutores vnus, vel etiam in Ecclesijs maioribus plures, qui (prout visum fuerit) Sacristæ inseruiant, eiusque mandata accuratè exequantur. Horum partes erunt sacram supellectilem, necnon omnia Ecclesiastica instrumẽta suis quęque locis custodire, eaque tempore opportuno depromere, vigilantes maximè, nè eorum incuria aliquid depereat, & nè paramenta aliquod detrimentum patiantur, ne vè à tineis absumantur, opportuno, & sereno tẽpore aliquando, implorato (si opus fuerit) etiam aliorũ auxilio, extrahãt ea ex armarijs ad locũ aeri expositũ, puluerẽ, si quę fortè ipsis Armarijs adhæserint sordes, diligenter excutiant.

Act. Ecc. Mediol.

2 Linrea ad Sacrosancti Sacrificij ministerium spectantia, munda suis quæque locis asseruent, & statutis temporibus permutent, Albas videlicet, Amictus, cingulos, Altarium mappas, ac præcipuè superiores; mantilia quoque pro manibus Sacerdotum abstergendis, superpellicea, ac reliqua omnia Ecclesiasticis functionibus inseruientia.

3 Pro dierum, ac festorum varietate paramenta pro Missis, & officijs celebrandis opportunè depromant, videlicet pro Vesperis Pluuiale cum stola coloris conuenientis, & si officium sit primæ, vel secundæ Classis, etiam Amictum, Albam, & Cingulum, Thuribulum, & Nauiculam, Candelabra, Vas aquæ benedictæ, & Asperlorium, ac denique Breuiarium cum puluino: Pluuialia item pro assistentibus paria inter se bina eo numero, quo adhiberi debent, plura, vel pauciora, videlicet duo, quatuor, vel sex iuxta præscriptam formam: sic etiam cum Matutinum est celebrandum solemniter, vespere omnia pręparabunt. Pro Missis autem solemnibus pręparent Pluuiale, Casulã, Dalmaticam, Tunicellam, stolas cum Manipulis, Missalia, Velum oblongum pro Subdiacono, Calicem, & eius ornamenta, Puluinum, Thuribulum, Nauiculam, &, si sit dies Dominicus, Vas aquę benedictę cum Aspersorio, Ampullas cum peluicula, & mappula, omnia in loco peculiari, seorsum à loco, in quo reliqui Sacerdotes induuntur. Post Missarum celebrationem diligenti cura omnia in loco, ex quo fuerunt deprompta, reponant.

Cærem. Episcop. l. 2. c. 3. a fin.

4 Diebus verò solemnioribus vnanimiter, que agenda erunt, sedulò curabunt, ipsiq; Sacristæ sollicitè assistent, inuigilantes, vt locus Sacristię semper sit nitidus, ac decenter ornatus.

5 Sacerdori hebdomadario, vel alteri officia diuina celebraturo preparabunt indumenta sui ordinis, & Breuiarium cum signaculis, quò facilius omnia decantanda, vel recitanda possint indicari, ipsi disponent, quod etiam præstabunt ad Maturinum in altero libro pro his, qui lectiones sunt dicturi, curam habentes lectorilium, seu legilium, ea apponentes locis congruis. Libros quoq; pro cantu in Choro opportuno tempore disponent, & in solemnioribus etiam locum celebrantis ornabunt.

6 Pulpitum pro Concionibus, seu lectionibus, integumẽtis coloris pręscripti, iuxta colorem Pallij Altaris, exornabũt.

7 In Cathedralibus huiusmodi coadiutores Sacristæ diebus festis solium Episcopi ornabunt, & baldachinum appendent, cuius ornatus, etiam absente Episcopo, excepto tempore, quo sedes vacat, erit coloris paramentorum Altaris, officio videlicet congruentis.

8 Pro Episcopo, si fortè sit celebraturus, pręparabunt omnia Pontificalia indumenta, item Faldistorium, Tapera, Puluinaria, libros, Bugiam, & reliqua omnia necessaria.

9 Episcopo ad Ecclesiam venienti alter ex ipsis vasculum aquę benedictę cũ aspergillo deferet ad ianuas Ecclesię, ipsũ Magistro cæremoniarũ porrigẽs; nec inde discedet, donec Episcopus fuerit ingressus: adueniente vero Capitulo, si Episcopus nõ adsit, nõ erit opus aspergillo.

10 Similiter in ingressu Card. vel Leg.

Sedis Apostolicę eodem modo vasculum aquę benedictę ministrabit, quod etiam obseruabitur ad ingressum alicuius magni Principis, vel Principissæ in locis suæ ditionis.

De Ministro Laico, seruitio Sacristiæ deputando. Cap. IV.

1 *Officium Mansionarij antiquissimum in Ecclesia.*
2 *Mansionarij munus.*
3 *Mansionarius in Sacristia designatus ipsam nitidã, ac mundã conseruabit.*
4 *Fontes pro manuum lotione nitidas asseruabit.*
5 *Labrum, seu fontes aquæ benedictæ mundabit.*
6 *Necessaria in exequijs defunctorum præparabit.*

1 EX antiquissima traditione habemus in Ecclesia Mansionarios eius seruitio religiosè, ac sedula diligentia assiduè incumbentes, de quibus Sanctus Gregorius Magnus in Dialogis mentionem facit, maximè cõmendans Theodorum, & Abundium Ecclesiæ S. Stephani Mansionarios.

S. Greg. Dial. li. 1. c. 5. & li. 3. c. 24.

2 Designari itaque debet, in Ecclesijs præcipuè maioribus, aliquis veste decenti indutus, saltem infra suras, qui seruitio Sacristiæ assistens, Sacerdotes, quo tempore sacrum facere, & Clericos ministrare oporteat, opportunè moneat, campanas, cum opus fuerit, pulset, oleũ pro Lambadibus, & lucernis Ecclesiæ præparet, ipsasque concinnet; vinum, & aquam pro Missis celebrandis apponat, ignem pro thuribulo in vase ad id deputato in Sacristiam deferat, & solemnioribus diebus in Thimiamateriis odoramenta accommodet, ignemque supponat, & in omnibus diligenter Superiorum arbitrio deseruiat.

Cærem. Ambr. l. tit. de his inferiori- bus mini- tris.

3 Sacristiam, & Chorum, quoties opus fuerit, scopis mundabit, puluerem parietibus inhærentem euerret, telas aranearum delebit, atque absterget, capsulas quoque, quæ ad conspuendam cũ calce tam in Choro, quam in sacellis sunt, pluries in hebdomada ligneo instrumento euersas mundabit, aliquando etiã Soli exponat; &, cũ res postulauerit, sordida amota calce, puriorem imponet.

4 Fontes pro manuum lotione nitidos, ac mundos conseruet, quotidie abstergat, & Sabbaro maiori adhibita diligentia, singulis itẽ diebus aquã apponat.

5 Vasa, quę in Ecclesijs aquam benedictam continent, labrum, alijsque nominibus olim dicebantur, nunc verò fontes in Ecclesia maiores, ac minores die Sabbati absterget, sal, & aquam pro noua aqua Dominico die, ex Ecclesiæ ritu, benedicenda præparabit, quam recenter benedictam, in fontibus reponet, ac reliqua omnia, quæ ei fuerunt demandata, diligenter exequetur.

Steph. Dura. de Rit. Ecc. li. 1. c. 21 nu. 1.

6 In exequijs defunctorum, & in Anniuersarijs, lecticam mortuorum, scamna, candelabra, ac reliqua necessaria ipse præparabit.

De Ministro inferiori ad Ecclesiam custodiendam deputando. Cap. V.

1 *Custodis Ecclesiæ munus.*
2 *Viros à Mulieribus in Ecclesia segregari decet.*
3 *Quinam à Diuinis, dum celebrantur, arcendi.*
4 *Ecclesia fores suo tempore claudere, & aperire debet.*
5 *Diebus solemnibus Ecclesia fores ne claudantur.*
6 *Vt silẽtiũ in Ecclesia seruetur, inuigilet.*
7 *Modestè, ac deuotè muneri suo vacet.*
8 *Ministri Laici Cathedralibus Ecclesijs designandi.*

1 MAximè decet, præsertim in Ecclesijs maioribus, vt aliquis Minister constituatur, cui curæ sit, non tantũ ipsam à latronibus custodire, verum (vt antiquitus, teste Clemente, quidam

S. Clem. lib. 8. cõstit. c. 11. Cõc. Colon. & Lugd. Cõc. Tri. sess. 22. de obse. in cele. Miss.

ex Diaconis in Templo inãbulabat, con tẽplans, ne quis fieret strepitus, ne quis nutus faceret, aut mussitaret; quod post Cõcilium Colon: ense, & Lugdunense à Patribus Sacrosancti Concilij Tridentini monitũ est) sæculares omnes actiones, vana, atq; adeo profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arcere, vt Domus Dei verè orationis domus esse videatur, ac dici possit. Non. n. (vt ait Chrysostomus) tonstrina, aut vnguentaria taberna Ecclesia est, aut officina forensis, sed locus Angelorum, locus Archangelorum, Regia Cœli, Cœlũ ipsũ; atq; adeo, iuxta laudabilẽ constitutionẽ Pij V. fel. mem. discurrentes per Ecclesiã mendicos prę foribus stare iubeat.

D. Chris. hom. 3 in 1. ad cor.

Constit. Pij V. q incipit: cum primum.

2 Viros à mulieribus distincta habere loca in Ecclesia, antiquissimæ est consuetudinis, quam Patres Nostræ Congregationis antiquitatis sacrorum Rituum obseruantissimi instaurarunt; & S. Carolus Borromæus in sua Mediolanensi Ecclesia, Prouincialis Concilij decretis, firmauit, prout etiã Græca Ecclesia distinctũ habet locum deputatum mulieribus, cum eis sacra administrantur, & ideo vbi laudabilis hęc consuetudo viget, sedulò curet, ne confusè in alterutram partem procedant, sed vt viri à mulieribus segregati maneant, muneri suo satisfaciens, modestè, ac leniter moneat.

Cõc. Cæsaraug. sub Damas. PP. Consue. cle. reg. Theat.

3 Paruulos clamantes, & alios diuina officia perturbantes extra eijciat. Infideles verò, & mancipia non baptizata sacris interesse mysteriis non permittat; notoriè quoq; excommunicatos, cũ diuina celebrantur officia, exire cogat, canes latrãtes, nec nõ quælibet bruta animalia ab Ecclesia expellat; sordes, & immunditias, si quas aduerterit, statim diluat.

4 Mane diluculo fores Ecclesię aperiens, claues suis locis seruet: post Missarũ verò celebrationẽ facta prius diligenti perquisitione, ne quis intus remaneat, fores claudat. Ante vesperas rursus easaperiat, & hora congrua postmodum, iuxta locorum consuetudinem, claudat.

5 Diebus festis hora ante Vesperas aperiantur fores Ecclesiæ, nec claudantur, donec aduesperascat; diebus verò solemnioribus Paschę, Natalis Domini, Patroni Ecclesiæ, Indulgentiarum, &c. ad quas populus frequens concurrit, Feriæ V. in Cœna Domini, cum celebratur oratio quadraginta horarum, & similibus, ne claudantur à prandio, nisi post Solis occasũ. Patẽtibus Ecclesiæ ianuis ipse semper assistat, vel aliquem vice sui illam custodientem relinquat.

6 Cum diuina celebrantur officia, tunc maximè caueat, ne fiat strepitus; ne vè aliquis confabuletur; præcipuè verò in maiori hebdomada, cum celebrantur Horę Matutinę, ne permittat, ab aliquo ante tempus fragori dari initium.

Act. Eccles. Mediol.

7 Denique in Ecclesia assistens, vt munus suum impleat, vel deuotè genibus flexis oret, vel etiam sedens orationes recitet, aut aliquid legat, confabulationes, & colloquia viter, interrogatus verò breuiter, ac modestè, submissaque voce respondeat; in omnibus viri Religiosi, Ecclesięque Ministri exemplum præbens.

8 In cathedralibus, & maximè in Metropolitanis Ecclesijs plures designari poterunt, vestibus oblongis vsq; ad crura indutishi in processionibus baculum deferunt cum insignibus Episcopi; hi prę cedunt Capitulum, ipsum comitantes ad Chorum vsque ad Tribunam, impedimẽta, si fortè ob populi multitudinem occurrant, remouendo, aditumque procedentibus per viam patefaciendo: Hi semper capite aperto Capitulum deducũt, & reducunt, & tempore officiorum in limine Chori assistentes curent, ne laici clericis misceantur, ne vè diuina officia turbent, sed ea, qua decet, reuerentia Ecclesię assistant.

Cærem. Ambro. lib. 1. tit. de Alijs Ministris inferioribus.

SECTIO TERTIA.

De alijs Sacristæ coadiutoribus, singulis Ecclesiæ muneribus designandis.

De Clericis ad Altaria ornanda constituendis. Caput I.

1 *Altaris ornatus qualis esse debeat.*
2 *Altare maius à quibus, & quomodo ornandum.*
3 *Oratio omne opus præcedat.*
4 *Altaris velamen, & reliqua amouenda, antequam alia imponantur paramenta.*
5 *Puluis ex Altari discutiatur.*
6 *Tobalea superior qualis esse debeat.*
7 *Ornatus tobalearum quomodo aptandus.*
8 *Altaris pallia quomodo mutari debeãt.*
9 *Quando vesperarum officium ad Capitulum mutatur.*
10 *Velamina Altarium quando apponi debeant.*
11 *Altaria minora quomodo ornanda.*
12 *Altaria diebus festis flosculis ornanda.*
13 *Altare semper sit nitidum.*
14 *Pauimentum altaris quando mundandum.*
15 *Altare quando pro festorum dierum celebritate ornandum.*
16 *Quando solemnia ornamenta deponenda.*
17 *In dubiis quid agendum.*

1 AD decentem Altaris cultum, quò ipsius mensa sacro oleo cõsecrata honestiùs custodiatur, ne vè à pulueribus deturpetur, decet in primis, vt clerici, quibus illud ornare incumbit, Chrismale, siue pãnum lineum ceratum ad mensuram Altaris factum super ipsius mensam sternant, ac deinde, quò omnia, vt monet Apostolus; honestè fiant, mundissimis linteis exornetur. Obseruandum namque iuxta Rhemensis Concilij decreta, vt mensa Christi, ipsum videlicet Altare, vbi corpus Dominicum cõsecratur, vbi sanguis eius hauritur, vbi Sanctorum reliquiæ reconduntur, vbi preces, & vota populi à Sacerdote in conspectu Dei offeruntur, cum omni veneratione exornetur, & mundissimis linteis, & pallijs diligentissimè cooperiatur; nihilque super eo ponatur, nisi capsulæ cum reliquijs Sanctorum, & quatuor Euangelia.

Pōt. Ro. p. 2. t. de Alt. consec. pag. 134.

1. Cor. 14. 40.

Ex Cõc. Rhemẽs. Burc. li. 3 cap. 92. Iuo p. 3. c. 132.

2 In primis Altare maius, in quo, vt plurimùm, sacrosanctum Christi corpus asseruatur, præ cæteris splendidius exornandum est. Et vt maiori studio, &, qua decet diligẽtia, pertractetur, duo ex Clericis, alijs aptiores, ad id deputentur. Hi pro temporum, & officiorum qualitate ipsum ornabunt, nunquam tamen sine superpelliceo ad illud accedant.

Consuet. cle. reg. Theat.

3 Antequã iniunctõ sibi muneri manus admoueant, flexis genibus venerabile Sacramentum adorent, & breuibus ad Deum fusis precibus, omni reuerentia omnipotenti Deo, sacro Altari inseruiant, ac ministrent; silentium strictè obseruent, de exequendis tamen se mutuò, vel per nutus, vel submissa voce, si opus fuerit, moneant.

Consuet. cle. reg. Theat.

4 Velamen, quo Altare tegitur, detrahentes complicabunt; Tapetum à parte anteriori Altaris, extrahendo bradellam, seu scabellum, aliquantulum elongabunt; mappas, seu tobaleas amouentes complicabunt, sic etiam & pallium suis quælibet locis reponent.

5 Amoto priori pallio, atque tobaleis, antequam alia paramenta super Altare sternant, diligenter prius puluerem discutiant; deinde pallium congrui coloris apponant, tam exquisitè illud aptantes, vt, cruce in medio æqualiter consistẽte, nulla prorsus ruga contrahatur, vel alicubi intorqueatur; ac propterea satis cõgruè à nostris instrumento ligneo ex sectis, tenuibusque tabulis, firmissimè tamẽ sibi cohærentibus, confecto, huiusmodi sacrorum Altarium pallia confixa suis armarijs asseruantur, indeque, cum res postulauerit, facillimè ductilia ipsa lignea instrumenta fabrè elaborata depromun-

Consuet. cle. reg Theat.

tur,

rur,ipsique Altari, remoto priori pallio, eodemque modo in suo armario reposito,pro tempore, & officij celebrandi ratione, quod congruere videtur, apponitur,& vt ei firmiter inhæreat, bene vndique aptatur.Mappas item,seu tobaleas, ita accommodabunt, vt adhibitis aciculis, præcipuè in angulis, & fronte ipsius Altaris retia, & fasciæ non conterantur.

Rub.ge. Miss.20. 6 Ex tribus tobaleis,quæ super Altare sunt extendendæ, sit vna oblonga hinc inde vsque ad terram pertingens,duæ verò aliæ breuiores,vel saltem vna duplicata,omnes mundę,& ab habente facultatem benedictę.Pro ceris quoque,quæ ex candelis profluunt, linteum superius adhibere consueuimus,Altaris planiriem non excedens,quod sępe mutatur. Omnibus his peractis, Altare, vt prius, eius velamine operiant,scabellum, atque taperum accommodent,tum breuiter,Deū adorando,recedant. Consue. cle. reg. Theat.

7 Ad maiorem Dei cultū, quem semper augere pro viribus intendimus,consueuimus ipsius tobaleę, seu lintei fascias,serico,vel auro,necnon etiam pretiosioribus adhibitis margaritis bene cōtextas seorsum à linteo custodire, & aciculis ipsi pallio in fronte Altaris suo instrumento affixo circumponere;à lateribus verò vtriusque partis Altatis non tantum fascias adhibemus;verum & in solemnioribus linteis tenuissimis vndiq; auro,gemmisque contextis vniuersum Altaris ambitum concinnè ornamus, & ne ipsis quidem lateralibus linteis aliqua contrahatur ruga,quod facilè contingere potest,ex attractione auri,& argenti, quibus constant ,pariter subtilissimis, ac firmis instrumētis ex ligno exsecto confectis,ita aciculis aptare solemus , vt prō ptè vtrique parti,cum res postulauerit, apponantur,& remoueantur;facilè quoque,atque decenter,ne conterantur,suis capsulis ductilibus ligneo, vel serico panniculo supposito,custodiuntur. Confue. cle. reg. Theat.

8 Altaris maioris pallia mutabuntur, iuxta festorum,atque officiorum qualitatem,etiam in semiduplicibus, ac simplicibus,necnon,& in vigilijs,quando de eis fit officium. In Missis verò cantatis pro defunctis, quæ celebrari solent post Primam, adhibeat pallium exemptile,quod statim,peracto officio mortuorum,amoueatur, remaneatq;Altare ornatum paramentis reliquo diei officio congruentibus. Confue. cle. reg. Theat.

9 Quando officium incipit à Capitulo Vesperarum, color Altaris sit conueniens officio subsequenti,&,vbi commodè fieri potest,maximè in solemnioribus, palliolum exemptile coloris officio præcedenti congrui apponatur ad Capitulū amouendum, Carem. Petri de Royf.

10 Diebus ferialibus post prandium, vsque ad horas Missarum sequentis diei Altare maneat opertum velamine à lateribus vsque ad terram defluente, quò linteamina, bene munda conseruentur. Missarumque horis discoperiatur.Noctis verò tempore, vel cum Ecclesia scopis mundatur,vel puluis ex parietibus discutitur, etiam in parte anteriori velamen defluere debet,ita vt Altare vndiq; cooperiatur.

11 Cætera Altaria,quæ sunt in Ecclesia, pari disciplina à Clericis ad id deputatis,opportuno tempore pallijs coloris, pro temporum,ac festorum qualitate, decentis exornentur,ita vt Altari maiori omnino correspondeant; quodlibet etiā proprium habeat velamen,prout dictum est de Altari maiori.

12 Summo studio diebus festis, pro solemnitatum qualitate, Altaria ipsa flosculis naturalibus, vel saltem artificialibus diligenter ornabuntur, modo infra præscripto. Infra li. 2.sect.1. c. 1.

13 Quotidie post Nonam puluerem ab Altari, instrumento ex caudis volpinis,vel serico panno tenuissimo, seu etiā plumis ad id aptato,discutiant, ipsumq; Altare suo velamine cooperiant,& tapetum scopis superficie tenus mundent; semel tamen in hebdomada, ad minus die Sabbati,puluerem ex tapeto excutiant.

14 Cum

Consue. cle. reg. Theat.

14 Cū reliqui Ecclesiam scopis mundant,quilibet sui Altaris,ac Sacelli curā habeat,vt ipsum ab immunditijs tergat; alter verò ipsorum,qui ad Altare maius, seù sanctissimi Sacramenti fuerint designati,pauimentū,quod est intra Presbyterium,aperto capite, ob reuerentiam sanctissimi Sacramenti,euerret.

15 Suum munus exequantur hora congrua,nimirum diebus festis habentibus primas Vesperas, ante earum celebrationem,ipsum Altare paramentis officio congruentibus exornabunt.

16 Post secundas Vesperas diei festi, circa Solis occasum, completis iam omnibus officijs, demptis solemnibus, sequentis diei congrua paramenta apponantur.

17 In dubijs Sacristam consulant, à quo de qualitate paramentorum, & totius cultus ornatu, & omnino de omnibus eos instrui oporter.

De Sacerdote ad sanctissimam Eucharistiam ministrandam deputando. Caput II.

1 *Sacerdos ad Eucaristiam ministrandam deputandus qualis.*
2 *Pyxides pro Eucharistia quales.*
3 *Tabernaculum gestatorium,siue ostensorium quale.*
4 *Pyxides sæpe purificari debent, & quomodo.*
5 *Lunula ostensorij diligenter purificari debet.*
6 *Quod Pyxides pro communicandis præparande.*
7 *Eucharistia quibus cæremonijs pro communicādis ad Altare deferri debeat.*
8 *Modus ministrandi sacram Eucharistiam.*

Consue. cle. reg. Theat.

1 VT sanctissimum Eucharistię Sacramentum, qua decet reuerētia,opportunè fidelibus ministretur,aliquis ex Sacerdotibus,modestia,deuotione, ac morum grauitate conspicuus, ad id specialiter designetur. Hic pro temporum,& solemnitatum qualitate, habita eorum,qui communicari solent, ratione, vt sufficiens Hostiarum numerus consecretur,opportunè prçuidear.

Ac. Ecc Mediol. Concil. Tur.c.4.

2 Pyxides, quæ ad sanctissimam Eucharistiam custodiēdam adhibenrur, sint Sacramento dignę, vbi corpus Dominicum diligenter custodiatur,ac propterea erunt ex auro, vel ex argento deaurato. Saltem duæ in vnaquaque Ecclesia sint, vt,cum ad communicandum Sacramentum defertur, altera in Tabernaculo remaneat.Vbi verò prę inopia ex auro, vel argento haberi non poterunt, pes ex auricalcho, seu stanno inaurato erit, vas verò, seu cuppa erit ex argento, saltem intus auro illita; omnes à Prælato benedictæ benedictione, quę habetur in fine Missalis nuper emendati; omnes autem paruo conopeo serico, atque auriphrygiato, coloris tempori conuenientis,cooperiantur.Licet autem in aliquibus Ecclesijs semper albo tegumento operiantur; exactius tamen sacra ipsa pertractantes, parua conopea immutant, sicut & in reliquo ornatu eius dem sanctissimi Sacramenti, videlicet in ciborio,ac stola, quę communi omnium consensu mutantur.

3 Tabernaculum paruum item, atq; gestatorium, seu ostensorium pro Processionibus ex auro, vel argento, eoque certis locis inaurato, vel,vbi præ inopia tale haberi non poterit, saltem lunula erit argentea, ipsum verò vas ex auricalcbo,auro bene illito, atque à Prçlato eadem benedictione,qua Pyxides,benedictum.

Concil. Lat. sub Inn.III. c. 20.

4 Octaua quoque die diligenter idē Deputatus Pyxides purificabit, atque ieiunus fragmenta assumet,ac propterea decet, vt summo mane, vbi sanctissimum Sacramentum seruatur,primus omnium, vel post alios vltimus celebret; quod si post peractum Missæ sacrificium, ne adstantes nimium detineantur, neuè tædio afficiantur, ipsa purificare placuerit,im-

me-

mediatè, antequam sacris se exuat, nec ab Altari discedens, id ieiunius peragere debet, ipsum purificationis vinum tandē peractis omnibus assumens.

5 Post celebrationem festi, & octauæ sanctissimi Corporis Christi, ac post celebrationem orationis quadraginta horarum, & quoties sanctissimum Sacramentum in Tabernaculo fuerit expositū, sacram Hostiam ex Tabernaculo, cum celebrat, assumat in Missa, nec eam populo sumendam tradat, diligenter aduertens, ne quod in lunula fragmentum fortè remaneat; accurato studio vino eā diluat, ipsam vero ablutionem vel assumat, vel in piscinam sacrarij proiiciat. Act. Eec. Mediol.

6 Diebus verò festis in maioribus Ecclesiis, quibus fideles ad sacram Communionem frequenter accedere solent, iuxta locorum consuetudinem, prętet Pyxidem, quę in ciborio maioris Altaris quotidie conditur, vnam vel duas alias pręparabit, sufficienti Hostiarum quantitate, iuxta communicandorum numerū, refertas, quarum alteram ad Altare pro communione ad partem virorum paratam, alteram ad partem mulierum hora competenti deferat. Consue. cle. reg theat.

7 Cum transferendum est Sacramentum ad Altaria, omnibus à Ministro in Altari paratis, lotis prius manibus, super pelliceo indutus, ac stola coloris tempori, & officio congruentis, veloque oblongo super humeros imposito, adstantibus quatuor, vel ad minus duobus Acolythis cum intortitiis, ostiolum Tabernaculi aperiet, factaque genuflexione, pyxidem paruo conopeo eiusdem coloris cum reliquis paramentis, auroque intexto, sinistra velo tecta accipiet, dextera verò eiusdem veli extremitatem conteget, vtraque manu ipsam ante oculos eleuatā tenens, ad locum designatum, pręcedentibus Acolythis cum intortitiis transferret. Interim submissa voce alternatim cum ipsis Psalmos, & Hymnos deuotè recitabit, nihil per viam attendens. Et si per Ecclesiam longo spatio sit procedendum, pręcedat etiam Acolythus cum tintinnabulo, quo omnes ad tantum Sacramentū venerandum pręmoneārur, prout in Ecclesia. S. Petri seruatur. Ad locum pręparatum perueniens, supra Corporale intra paruum Tabernaculum reponet, ac statim genuflectet, ostiumq; clauder, & tunc deposito velo, iunctis manibus, altero tantùm Acolytho sine intortitiis pręcedente, reuertetur. Eodem quoque modo, & ordine post Missas ad Altare maius ipsum Sacramentum reportabit. Consue. Eccl. S. Petri.

8 Cum Sacramentum ministrat, eamomnia obseruet, quæ infra sunt adnotata. Quòd si ad infirmum Communionem deferat, quomodo sit procedendum, requirat par. 2. Infr. li. 2 lec. 3. &c.

De Ministro, seruitio Communionis sacrę deputando. Caput III.

1 *Acolythus seruitio Communionis deputandus.*
2 *Altare pro communicandis quomodo ornandum.*
3 *Scamnum pro communicandis quomodo aptandum.*
4 *Mensa, seu Abacus pro purificandis.*
5 *Vascula pro communicandis praeparanda.*
6 *Velum pro communicandis praeparandum.*
7 *Claues Tarbernaculi diligenter custodiantur.*
8 *Conopea paruula Pyxidi imponenda.*
9 *Vascula pro purificandis qualia.*
10 *Corporalia in Altari apponenda tempore comunionis.*
11 *Vascela ad abluendos digitos Sacerdotis.*
12 *Sacerdoti deferenti Eucharistiam quomodo ministrandum.*
13 *Post horam communionis omnia reponenda.*
14 *Vela, ac linteamina quomodo custodienda.*
15 *Vinum purificationis quomodo absumendum.*

16 Si

16 *Si Sacramentum in terrã decidat, quid agendum.*
17 *Locus Sacramenti quomodo ornandus.*
18 *Praparanda quotidie pro communicandis.*
19 *Vasa pro purificandis distincta.*
20 *Armarium pro vasculis communionis, & purificationis.*
21 *Armarium pro mappulis, & velis distinctum.*
22 *Sacrarij piscina vbi, & quomodo accomodanda.*

Consue. cle. reg. Theat. 1 PRæter Sacerdotem deputandus erit & Clericus seruitio sacræ Cõmunionis, qui quotidie, & præcipuè diebus festis omnia necessaria, & opportuna accommodabit.

2 Et primò sedulò curabit is, vt Altaria, in quibus sacrosanctum Eucharistiæ Sacramẽtum diebus festis ministrabitur, sint cęteris magis ornata, sit in ipsis paruum ciborium, & corporale, vbi Sacramentum sit reponendum, hinc inde habens quatuor candelabra cum candelis, quę ante Sacramentum ardeant, atque inter ipsa candelabra, vasa flosculis ornata interponantur.

Rit. Mis. 2. 6. 3 Scamnum ante cancellos, in quo sumenda est sacra Communio, panno tegatur laneo, vel sericeo, supraque extendatur linteum, vel velum album.

Cõc. Antisiodo. sub Gr. I cap. 42. Conc. 1. 2. p. 2. 4 Sint à lateribus mensę linteo mundo coopertę, in quibus vascula vini, & aquę, iuxta locorum consuetudinem, pro purificatione communicandorum, cum operculis, & mappula ad abstergendum reponantur. Vinum autem pro purificãdis semper sit album.

5 In loco, in quo sanctissimum Sacramentum asseruatur, hic inde tam pro viris, quàm pro mulieribus communicandis vascula apponat cum operculis, & mappulis.

6 Vela præterea, quę sternutur supra cancellos, aliud quoque pro communione Clericorum, ac Religiosorum, qui intra Presbyterium ad Altare communionem sumere debent, quod à duobus Clericis hinc inde est tenendum, prout & à temporibus S. Gregorij Papæ fuisse in vsu testatur Baronius, quod & Dominicarium dicebatur. Baron. in Ann. Ec. an. Chri sti 57. n. 42.

7 Clauium Tabernaculi curam gerat, quas, cum opus est, Sacerdoti tradat, nè, cum tempus vrget, illas perquirat, sed omnia opportunè pręuideat, eas aureas, vel saltem auratas esse decet, cordula sericea, auroque intexta accommodatas.

8 Paruula conopea, quibus Pyxides teguntur, similiter pridie quàm deseruiant, prępareat, & cum eis stolam Sacerdotalem coloris tempori conuenientis, velum quoque oblongum super humeros Sacerdotis imponendum, ac deniq; intortitia pro asportando sanctissimo Sacramento.

9 Summo mane mundabit vascula, & immisso vino, & aqua, suis locis partiatur diligenter, cum res postulauerit, superaddat vinum, & aquam, studens, vt vasa aquę sẽper sint plena, & æstate pręsertim sæpe recens sumatur.

10 Bursam corporalia continentem in Altari, quo sacratissima Eucharistia ministrari debet, opportunè loco congruo præparabit.

11 Vasculum, & purificatorium pro ablutione digitorum Sacerdotis in quolibet Altari, vbi Sacramentum ministratur, atque in sacristia diligenter præparet.

12 Oportuno tempore, videlicet sub horam Primæ, antequam in Altari, in quo collocandum est sanctissimum Sacramentum, aliquis ad celebrandum accedat, accensis in eo primò cereis, ipse, & saltem alter Clericus, quem adsciscet sibi adiutorem, intortitijs accensis præcedant Sacerdotem Sacramentum deferentem, & cum ad Altare peruenerint, facta ibi genuflexione, reddet intortitia Clerico consocio, ipse verò Sacerdoti ministrabit.

13 Post Missas eodem ordine Sacerdotem, ac Sacramentum deducat: Taber-

bernaculum clauibus obserabit,eas verò in armario,in quo calices,& vasa sacra conduntur reponet.

14 Vela, liteamina, atque etiam parua conopea Pyxidum suis quæque locis recondat, vasa quoque mundabit diligenter, & bene abstersa in sui armarijs clauibus obserara recondet.

15 Vinum purficationis vel ieiunus assumat, vel in sacrarij piscinâ proiiciat, & vasculum prius lotum in suum locum reponet; clauibus quoque sacrarij piscinam obserabit, ipsasque custodiet.

16 Si fortè Sacramentum in terram decidat,vel velum tãgat,Sacerdoti, cum locum, vel velum purificat, ministrabit, & lotionem in sacrarii piscinam ipse proiiciet.

17 Quoties sanctissimum Sacramentum ex aliqua causa in aliquem locum erit transferendum,ipse decenter locum ornabit luminibus,& vbi Pyxis erit locã da,corporale explicabit,vel saltem pallã supponet,curabitque sedulò, vt vbicũq; sacra Communio administrabitur, semper corporale,vel palla super Altare ponatur.

18 In Altari, quo sanctissimum Sacramentum asseruatur,quotidie mane supra credentiam præparabit vas aquę pro purificatione eorum, qui sanctissimũ Eucharistie Sacramentum sunt sumpturi,mappulam mundam, velum quoque, & post Missam omnia suis locis reponet. Feria IV. & VI. maiori diligentia etiam in sacellis,in quibus communio fieri solet,precipuè tempore Quadragesime, & certis quibusdam diebus, cuiusmodi sũt sextæ ferię mensis Martij,& festiuitates, quę à populo pręcipua deuotione colunrur,quę sunt necessaria,pręparabit.

19 Vasa vini,& aquę pro purificandis sint distincta,& locis separatis conseruentur, similiter & mappulę, singula verò vasa habent opercula, vel saltem palla linea munda, amyloque indurata conteganrur.

20 Peculiare habeat armarium prope sacristiam, in quo vini,& aquæ vascula seruabit, mappas etiam ad abstergenda vasa. Prope armarium verò sit aquęductus ad abluenda vasa, vbi etiam proiiciat aquam, non tamen ablutionem, nam hęc in sacrarii piscinam est proiicienda.

Confue. cle. reg Theat.

21 Habeat & aliud armarium in sacristia capsulis ductilibus, vbi vela, linteamina,& parua conopea Pyxidum distinctè,& politè omnia clauibus obserata conseruabit.

22 Sacrarii piscinę curam habeat, quæ in loco congruo, ac remoto prope sacristiam est costruenda, habens fenestellam, quæ clauibus obseretur. Clauiũ verò sit altera apud Ministrum Communionis, altera apud eum, qui calices, & vasa sacra custodit.

Act. Eec. Mediol. p. 1 Inst. fabr. Ec.

De Deputato ad Calices pręparandos. Capur IV.

1 *Calices à Ministro deputato nitidi asseruari debent.*
2 *Vas ad purificanda instrumenta satra necessarium.*
3 *Calicis ornamenta quomodo disponi debeant.*
4 *Calices post horam Missarum suis locis reponantur.*
5 *Calices pretiosiores in solemnioribus diebus adhibendi.*
6 *Vasa sacra diuersa proprijs locis asseruanda.*
7 *Armaria pro asseruandis sacris vasculis qualia.*
8 *Purificatoria pro Sacerdotibus præparanda qualia,& quomodo.*
9 *Purificatoria quomodo mundanda.*
10 *Purificatoria seorsum ab alijs linteaminibus asseruanda.*
11 *Corporalia ex lino fieri debent, non serico, vel auro in medio ornata.*
12 *Corporalia quare Palla,vel corporalia dicantur.*
13 *Duplex palla in sacrificio adhibenda.*

14 Cor-

14 *Corporalia, & Palla inter se non differunt.*
15 *Pallæ vsus satis commodus.*
16 *Calicis ornaměta diuersorum colorum pro temporum varietate.*
17 *Ostensorium pro festo Corporis Christi.*
18 *Oleum sanctum renouandum, & in vase mundo asseruandum.*
19 *Calices recenter consecrati lauandi.*
20 *Calices ex auro, vel agento esse debět.*
21 *Vasa sacra pretiosa esse decet.*

1 CAlix ad præferendum sanguině Christi Domini, vt monet Sanctus Clemens, tota ministerii munditie parandus ěst, nec non bene lotus calix Diacono peccatum fiat offerenti. Calices igitur, ac reliqua vasa sacra alicui ex Sacerdotibus, vel etiam ex Clericis in sacris constitutis commendentur: is summa diligentia, ac studio curet, vt nitidi, ac mundi seruentur, & propterea sępius per annum, præsertim appropinquanti bus pręcipuis festiuitatibus, ipsos lixiuio, vel aqua feruida, adhibito prius sapone, diligenter lauet à sordibus, & abstergat, ablutionisque aquam in sacrarii piscinā proiiciat.

Cle. ep. 1. ad Iac. fratrem Domini.

Consuet. cle. reg. Theat.

Act. Ec. Mediol. p. 1 instr. de mun dit. eccl.

2 Vas habeat peculiare, in quo ipsa sacra vasa, nec non purificatoria, & corporalia abluat.

3 Summo mane quotidie lotis manibus, & breuibus ad Deum fusis precibus, calices accommodabit, & ex ordine sic eos instituet, vt prius patenam, tum paruam pallam lineam, deinde velum sericeum coloris paramentorum, postea corporalia complicata intus bursam coloris similiter paramentorum recondita, vel subtus collocatam superimponat. Nam declaratum Romę fuit à peritis, vbi plures Missę sint celebrandæ, necesse non esse, vt corporalia intra bursam ponantur. At in Missa solemni, & vbi vna tantum Missa priuata celebratur, intra bursam poni debent, ipsiusque veli extremitates semper in anteriori parte supra bursam reuolui. Diebus verò ferialibus, nec non etiam simplicibus semper aliquem calicem, bursam, & velum nigrum pro Missis defunctorum parabit.

Consuet. cler. reg. Theat.

Declar. Mag. Rom.

4 Post Missarum celebrationem pariter lotis manibus, ac prius breuiter, vt decet, orando, cōplicabit vela, abstegat calices, purificatoria adaptabit, & omnibus propriis locis bene dispositis, armaria clauibus obserabit.

5 Calices pretiosiores pro diebus, & Missis solemnibus, atque etiam pro Pręlatis ab aliis segregatos proprio loco suis sacculis lineis, vel sericeis thecis inclusos diligenter conseruabit.

6 In eodem armario, vel alio loco decenti clauibus obserato conseruabit pyxides, Tabernaculum gestatorium, & alia vasa sacra; præcipuè vas, quod oleo sancto inseruit, tria vascula inscriptione distincta continens.

7 Calices in suis armariolis bene ornatis conseruentur; ipsa verò armariola suas habeant fenestellas, & ostiola, quę clauibus claudantur; cōseruentur autem semper munda, & nitida, ac propterea quotidie ab ipsis discutiatur puluis.

8 Cuilibet Sacerdoti suum assignetur purificatorium, quod, vt in emendati Missalis Rubricis additur, mundum esse debet, ex instrumento ligneo in ostiolis armarii, vel alibi loco congruo pendens, proprii cuiuslibet nominis inscriptione suo ordine affixum: designetur quoque alia purificatoria pro Sacerdotibus exteris; in quolibet item armario pědeat aliud purificatorium, vel linteum commune ad extergendos calices; vt autem purificatoria sint munda, & nitida, prout decet, sępe permutentur, & diligěter aptentur.

Rit. Mis. . . 1.

Consue. cle. reg. Theat.

9 Purificatoria, & corporalia, quę mutantur, antequam lixiuio cum aliis Ecclesię linteaminibus purganda tradantur, ter lauabit in vase ad id deputato, & aquam lotionis proiiciet in sacrarium; antequam autem taliter expurgentur, atque lauentur, seorsum ab aliis linteaminibus conseruentur. Vbi verò ita ex-

Act. Ec. Mediol. par. 2.

Consue. cler. reg. Theat.

expurgauerit, vel statim lixiuio lauentur, vel aeri exponantur, & exsiccentur, ne fortè ex Ministri negligentia mucescant.

10 Purificatoria verò munda in suis Armarijs ab alijs linteaminibus distincta intra capsulas ductiles asseruentur: singula autem habeant signum crucis in medio acu elaboratum, quo ab alijs linteaminibus secernantur.

11 Corporalia ex lino tantùm esse debent, prout in Rubricis Missalis emendati significanter exprimitur, non serico, vel auro in medio intexta, sed alba, ac munda, ab Episcopo, vel ab habente potestatem benedicta, prout in cap. Consulto statutum fuit ab Eusebio Papa, & S. Syluestro, prohibentibus; ne sacrificium Altaris fiat in sericeo panno, aut tincto, sed in puro linteo, terreno scilicet lino procreato, atque contexto, sicut corpus Domini nostri Iesu Christi in Syndone linea munda sepultum fuit: idque communi consensu consuetudine receptum docent Beda, & Bruchardus; qui & Concilij Rhemensis decretum refert; in cap. verò Socrates appellantur Corporalia.

Rit. Mis. l. 1. c. cõsul. to de cõsec. dis. 1

12 Palla sacra, quia est veluti pallium, & indumentum Corporis Christi in Altari, illam repræsentans Sydonem, vt notauit Isidorus, qua Christi Corpus fuit inuolutum, ita dicitur, vel vt ait Alcuinus dicuntur Corporalia, quia supponitur Corpori Christi: quod verò dicitur ex Concilio Rhemensi, quòd Corporalia non sint serico ornata, nec in eis alterius generis materia pretiosior, aut vilior misceatur; intelligitur de interiori parte, in qua Corpus Christi, & Calix collocatur, & ideo in emendati Missalis rubrica dicitur in medio non debere serico ornati: non enim prohibetur ora, & extremitates auro, ac serico exornari.

Bed. su. Marc. c. 44. & li. 6. in Luc. c. 7. Concil. Rhem. c. 3. ap. Bruch. li. 3. c. 98. Isid. Pelus epi. 123. Alcuin lib. de di. off. c. de celebr. Miss. Suar. 3. p. to. 3. disp. 81. sect. 6.

13 Notandum hoc loco est, vt bene obseruauit Innocentius III. quòd duplex est Palla; altera, quam super calicem plicatam imponimus, linteamina denotantes, quibus Ioseph Corpus Christi inuoluit, Syndonem videlicet, atque Sudariũ, sicut mos erat Iudęis sepelire mortuos suos; altera verò, quam super Altare extendimus, quę dicitur Corporale.

Inn. III. li. 2. myste. Miss. c. 56.

14 Corporalia igitur, & Pallæ cum inter se non differant, neque materia, neque forma, sed tãtùm in quantitate, cum alterum sit corporale explicatum, siue explicabile; alterum verò complicatum; vnde vtrumque debet esse ex lino, vtrũque eodem modo benedictum. Consueuimus autem tàm Pallam, quàm Calici superimponimus, quã & corporalia ipsa, quæ in Altari explicantur, circa ora ornata, diligenterque à peritis elaborata habere: eas verò Pallas, quas ad commoditatem induximus, quò facilius à fragmentis expurgentur, simplices absque ornatu adhibemus.

Cõsuet. Cleric. Regul. Theat.

15 Vsui autem admodum commodæ, atque vtiles sunt huiusmodi Pallæ non solùm in celebrationis actu, verùm & in communione: nam cum pro communicandis paucas particulas, vt passim vsu venit, consecramus, satis decenter post eleuationem vsque in finem, dum sacra Hostia super Patenam imponitur, ipsæ particulæ consecratę in Palla loco remoto à latere Calicis, à sinistris videlicet celebrantis, custodiuntur, & peracta communione facilius, si quæ ex ipsis fragmenta deciderint, colliguntur: Multoties etiam, cum Pyxides de loco ad locum transferuntur, supponitur huiusmodi Palla loco Corporalis, quod facilius semper, meliusque præstatur. Quâ autem auctoritate, & cur inductę fuerint, suo loco, Deo dante, fusius explicabimus.

16 Vela, & bursæ Corporalium omnium colorum quęlibet in suis capsulis, pretiosiora quidem pro diebus solemnibus à ferialibus, & communibus, inscriptione foris addita, sint distincta.

Cõsuet. Cl. Reg. Theat.

17 In festo Corporis Christi, & vbi publicè exponendum erit Sanctissimum Sacramentum in oratione quadraginta horarum pręparabit Ca-

licem cum duabus Hostijs, & insuper Tabernaculum portatile cum sua lunula.

Cap. cõsulto de coniecr. dist. 4. Buh. decret. lib. 4. c. 16.

18 Oleum Sanctum quotannis feria v. in Cœna Domini renouabit, vetus gossipio igni comburat, vas diligenter mũdabit lixiuio, adhibito etiam sapone, & bene mundato, atque absterso, nouum ex Cathedrali Ecclesia accipiens in suis armarijs conseruabit.

19 Calices recenter consecratos mica panis absterget, ac diligẽter diluet, atque mundabit; aquam verò lotionis in piscinam sacrarij proijciet.

Ritus Miss. 1. 1.

20 Calix, iuxta rubricam Missalis recogniti, debet esse aureus, vel argenteus, vel saltem habere cuppam argenteam intus inauratam, & simul cum patena itidem aurata, & ab Episcopo consecratus.

21 Pyxides pariter, & Tabernaculum gestatorium, & reliqua sacra vasa debent esse ex auro, vel argento; maxime enim decet, vt diuino cultui pretiosiora adhibeantur; nam temporibus etiam, quibus in Christianos sæuiebat Paganorum persecutio, vasis aureis, & argenteis, etiam temporibus Diocletiani, vt apud Augustinum legitur, Ecclesia Dei abundabat: & Optatus tradit non argento tantùm, sed etiam auro incruentum sacrificium offerri consueuisse.

D. Aug. lib. 3 cõtr. Crescon. c. 29. Optatus Mileuita nus ex rebus gestis Sancti Laurentij.

De officio eius, qui Hostiarum curam habet. Cap. V.

1. *Hostia à Clerico deputato preparanda.*
2. *Hostia minores pro communicandis.*
3. *Hostiarum vasa qualia esse debeant.*
4. *Hostiaria distincta pro Hostijs minoribus pro communicandis.*
5. *Hostia suis temporibus diligenter preparentur.*
6. *Hostia minores quomodo preparanda.*
7. *Hostia mundis manibus pertractari debent.*

Act. Eccles. Mediol. p. 2. Syn. Diœces. 11.

1 Hostias pro Missis celebrandis Clericus, vel Sacerdos ad id deputatus præparabit, aduertens diligenter, vt vigesimo quoque die ad summum recentes aptentur, antiquioribus absumptis. Imago sacra Crucifixi, & non alia, in maioribus, & Pietatis in minoribus impressa sit, & vt nitidè, ac studiosè fiant, diligenter obseruet, easque forcipibus ad id tantùm paratis, vel alio simili instrumẽto tondeat; aduertens præcipuè, quòd in rubrica Missalis nouiter emendati est additum, vt sint integræ, & à fragmentis purgatæ.

Bruch. decret. lib. 5. c. 39. Ritus Miss. 1. 1.

2 Ad minores verò Hostias adaptandas instrumento ferreo forma rotunda, eas adamussim circumcidente, vtatur, & cribro è cribus confecto, antequam cõsecrentur, à fragmentis benè purgabit.

Act. Eccles. Mediol. p. 2. instru. fabr. Eccles. li. 2.

3 Vasa pro seruandis Hostijs sint argẽtea seu eburnea, vel ossea, quòd si sint lignea, intus deaurentur, vel panno serico aptè vestiantur. Ad Hostias verò cõprimendas integumentum plum beum panno sericeo politè obuolutum in ipsis vasculis, seu Hostiarijs adhibeat.

4 Sint & alia vasa similia pro conseruandis Hostijs minoribus, quæ non solùm sint in Sacristia, verùm etiam in sacellis, in quibus solet fieri sacra Communio.

5 Summo mane singulis diebus apponet in Hostiarijs sufficientem earum numerum pro Missis celebrandis, ac pari modo Hostiarum minorum pro communicandis.

6 Pro diebus festis præparabit sufficientem numerum Hostiarum minorum, præuidens, vt pridie consecrentur; prius tamen omnem adhibeat diligentiam, ne qua sit inter eas macula, vel non sint perfectè orbiculares, sed omnes sint puræ, nitidæ, & à fragmentis purgatæ in Pyxide, seu in vase, in quo fieri debet earum consecratio, bene, ac diligenter dispositæ.

7 Quoties, vt suum exequatur munus, Hostias tangere contingit, prius la-

Cõstit. Cleric. Regul. Theat.

uet manus linteamina munda adhibeat, ferreisque instrumentis politis vtatur, nulli alij vsui vnquam applicandis.

De officio Clericorum, quibus incumbit præparare ampullas, & alio necessaria pro celebratione Missarum. Cap. VI.

1 *Acolythi ampullas pro Missis celebrandis præparabunt.*
2 *Ampullæ vitreæ, vel crystallinæ diligenter abstergantur, & operiantur.*
3 *Vasa vini, & aquæ pro celebratione Missarum.*
4 *Altaria pro Missis celebrandis quomodo aptari debent.*
5 *Ampullæ argenteæ improbantur.*
6 *Instrumentum, quo ampullæ ad altaria facilè deferātur, explicatur, & quid agendum, vbi plures ad celebrãdum concurrunt.*
7 *Quomodo præcauendum, ne aqua ablutio in terram proijciatur.*
8 *Post celebrationem Missarum omnia suis locis reponi debent.*
9 *Diebus festis pretiosiora adhibeantur.*
10 *Die Sabbati per singulas hebdomadas omnia diligenter expurgentur, ac mundentur.*

Bruch. decret. lib. 5. c. 29.

1 AMpullas, & alia pro celebratione Missarum præparare, Acolythi præcipuum munus est; is ergo, ex Clericis, cui fuerit iniunctum, summo manè, breui prius ad Deum habita oratione, vinum, quod album, & optimum semper erit, vnà cum aqua, omni adhibita diligētia, lineo panniculo mundo, atque tenui colabit, ab omni sorde diluens.

Rubr. gen. Miss. 20.

Cõfuet. Cleric. Regul. Theat.

2 Ampullas vitreas, vel crystallinas, decora forma binas inter se pares, ac similes, tot numero, quot Altaria, in quibus erit celebrandum, lauabit, ac linteo absterget, ita vt nihil aquæ in eis remaneat, & sic bene lotas, panno lineo mundo supposito ex ordine supra scamnum aptabit, vnam vino, alteram verò aqua implens; quòd si aliquid defluxerit, statim absterget: opercula item vitrea, vel etiam stannea perpolita, atque accuratè elaborata, quibus operiatur; singula habeant: peluiculas pariter vitreas, vel crystallinas pari diligentia lauabit, atque absterget.

3 Vasa autem, in quibus vinum, & aqua conseruantur, sint etiam vitrea, ac munda, singula quæque suo sint munita operculo, eaque in suo Armario nitida recondat, ita vt in eis semper sit vinum, & aqua, vt superaddi possit, cum res postulauerit.

Cõfuet. Cl. Reg. Theat.

4 Præparatis iam ampullis cum suis peluiculis, ac mappulis, superpelliceo indutus accedat ad Altaria, & Icones cum suis ornamentis, candelabra, Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti cum suo conopeo, & quæcunque picta, vel maurata iuncta sint Altaribus, caudis vulpinis, vel instrumento ex plumis, aliaue simili materia confecto, à puluere mundabit; mox velamina abstrahens ab ipsis Altaribus, ea complicabit, suisque locis reponet. Apponat deinde in medio Altaris ante Crucem tabellam secretorum, à latere Epistolæ puluinum coloris pallij, in grado verò Altaris campanulam; supra gredentiam mappam mundam sternet, tum verò peluiculam, ac mappulam, ampullas ita ex ordine super imponat, vt peluicula prope mappulam medium credentiæ locum obtineat: ampullæ hinc inde, continens quidem vinum à dextris, aquam verò à sinistris, rostro dexteram respiciēte, collocentur: & ita singula Altaria præparabit.

Act. Eccl. Mediol. p. 2. decr. Visit.

5 Ampullę argenteę, vel ex alia simili materia, qua apparere extra clarè non possit aquæ, ac vini materia ad vsum Sacri ministerij nullo modo adhibeantur, tum quia Minister, & Sacerdos, cũ nõ videãt vini, & aquæ materiã, facilè cõfūdere possunt, tum quia aquæ guttæ non ita, vt rubrica monet, ex tali instrumēto im-

mitti in calicem possunt, quin vberius, quàm decet, aqua effluat; tum etiam quia difficilè mundæ asseruantur, & difficilius diluuntur à contractis sordibus, & omnino ob plura incommoda nullo modo eis vtendum erit: ad ornatum verò, tum maximè, cum solemniter celebratur, poterunt admitti; non tamen improbamus, immo libenter admittimus peluiculas argenteas, quæ Ecclesiasticis functionibus satis congruunt.

Cõfuet. Cleric. Regul. Theat. 6 Nostri ordinis Clerici accuratissimi in huiusmodi minister'js ipsas ampullas vino, & aqua refertas, ac diligentissimè extersas, binas inferre consueuerunt in instrumento ligneo amplitudinis circiter vnius palmi, longitudinis verò maioris, ita vt iuxta numerum Altarium, in quibus celebrandum erit, ac locorum exigentiam plures contineat; ipsa verò areula erit ex nuceo ligno fabrè constructa, cum diuisionibus eiusdem materiæ modicis ligneis interuallis, quasi cancellis connexis, quò seorsum cuilibet ampullæ suus tribuatur locus; ex vtraque autem parte ipsius areulæ, vel saltem ex altera, prout videbitur, omissis huiusmodi ligneis diuisionibus, tãtæ latitudinis spatio relicto, quantum ad peluiculas in eo reponendas sufficit. In medio autem duobus ligneolis hinc inde, à lateribus surgentibus, tectio desuper affixo, manubrium, quo deferatur, habeat. Minister itaque, cui incumbet, omnibus in Altari modo præscripto dispositis, tandem ipso ligneo instrumento ampullas omnes singulis sacellis deferens, binas super credentiam cum sua peluicula aptabit: eodemque instrumento in Ecclesiis, vbi plures Sacerdotes ad celebrandum conueniunt, præcipuè in solemnioribus, idem deputatus diligenter per Altaria discurrens ipsas renouabit, ac immutabit, ampullas vacuas, vel semiuacuas auferendo, recenti vino, & aqua refertas reponendo: dedecet enim, deficiente vini, vel aquę materia, Ministrum Sacerdote in Altari relicto, maximè cum frequens est populus, per Ecclesiam cursitare: neque à nostris, qui Ecclesiasticas res politius, perfectiusque pertractãt eorum probatur consuetudo, qui deficientem in amulis vini, vel aquę materiam ex alia phiala, vel eo loco parata, vel cum res postulauerit, delata, in conspectu omnium infundunt.

7 Et quia in peluiculis, quæ ad manuum lotionis ministerium adhibentur, abundare solet aqua, tum maximè, cùm plures celebrantur Missæ, indecorumque fit, ipsam lotionis aquam in terram fundere, satis congruè præter prædictam peluiculam, quam regulariter super credentiam præparandam diximus, alia aliquantulum maior profunda, ac concaua prope credentiam, vel subtus eam opportunè præparabitur, vt Missæ ministrantes affluentem aquam in eam immittant, completis Missarum Sacrificiis in sacrarii piscinam proiiciendam.

8 post Missarum celebrationem ampullas lauabit, & absterget, similiter, peluiculas, & opercula, manutergia, quoque, & mappas credentiarum complicabit, & suis capsulis conseruabit, singula in propriis locis recondens, videlicet ampullas, & peluiculas in parte superiori armarii, vasa verò vini, & aquæ in parte inferiori; in medio autem capsulis ductilibus linteamina. Aquam verò lotionis in aquęductum, quem prope armarium esse decet, proiiciet. tabellas secretorum, puluinos, & campanulas in Sacristia, vel in aliquo loco in ipsis sacellis ad id præparato collocabit. Cõfuet. cler. Regul. Theatin.

9 Diebus verò festis ampullas, & mappulas pulchriores, prout à Sacrista illi fuerit impositum, pręcipuè pro Missa Conuentuali pręparabit.

10 Die Sabbati diligenter ampullas purgabit, adhibitis ouarum putaminibus bene contritis, & ligneo aliquo instrumento, seu calamo ad sordiculas eluendas, postea iterum aqua bene lotas Cõfuet. Cleric. Regul. Theat.

panno

panno lineo abstergent, & omnia munda suis locis reponens præparabit.

De officio eius, qui Sacerdotalia indumenta in Sacristia præparare debet: Cap. VII.

1 *Clerici paramenta pro celebratione Missarum diligenter preparent.*
2 *Color paramentorum qualis esse debeat.*
3 *In vigilijs qualis color adhibeatur.*
4 *Diebus Rogationum qualis color adhibeatur.*
5 *Si, iuxta Rubricas, in Collegiatis dicendę sint duę Missę, qualis color sit praparandus.*
6 *Puluinaria cuius coloris adhibenda.*
7 *Pulchriora diebus festis adhibenda.*
8 *Paramenta sint decentia.*
9 *Post celebrationem Missarum paramenta suis locis reponantur.*
10 *Die Sabbati linteamina munda apponenda.*

Cõsuet. Cleric. Reg. Theat.

1 Clericorum præcipuũ munus est, indumenta Sacerdotalia propriatis Missis quotidie præparare ante horas Missarum: is igitur, cui incumbit, breuiter prius Deum orando, caudis vulpinis, vel alio simili instrumento, armaria, & scamna Sacristiæ mundabit; stragulum, seu pannum supra scamnum sterner, ac diligenter aptabit, ita vt æqualiter pendeat, supraque ipsum paramenta disponet, prius casulam explicans, cui stolam cum manipulo super imponet, mox cingulum, & Albam, & supra Amictũ expander: ipsa autem paramenta erunt plura, vel pauciora, iuxta numerum eorum, qui celebraturi sunt; vnde standum in hoc est consuetudini locorum.

2 Color paramẽtorum in duplicibus quidem, & semiduplicibus semper erit cõueniens officio diei, eiusdemq; qualitatis, ac ornatus Altaris, qui officio currenti in omnibus conueniens esse debet. Diebus verò ferialibus, excepto tempore Quadragesimæ, præparentur etiam aliqua paramenta nigra pro Missis Defunctorum, quod etiam in simplicibus obseruetur.

3 Vigiliis verò, & feriis quatuor temporum occurrẽtibus infra octauas, etiam si officium sit de octaua, Altarisque ornatus illi conformis, quia tamen Missę celebrãdę erunt de Vigilia, Sacerdotum ornamenta erunt violacea.

4 Diebus Rogationum, videlicet feria tertia, & quarta post quintam Dominicam Paschæ quamuis paramenta Altaris sint coloris officio, quod celebratur, conuenientis; in Missis tamen Rogationum erunt violacea.

5 Quandocumque, iuxta Rubricas, dicendæ erunt duæ Misse, præparabuntur quidem paramenta coloris officio conuenientis, vnum tamen erit coloris violacei pro Missa Vigiliæ, vel quatuor temporum, seu feriæ Aduentus, aut Quadragesimæ, & omnino in omnibus paramenta erunt coloris conuenientis Missæ, quę celebratur, iuxta Rubricam Missalis Romani. Rit. Miss.

6 Eodem loco præparabit puluinos coloris conuenientis paramentis Altarium, scopulas etiam non solùm pro mundandis paramentis, verùm etiam pro vestibus Sacerdotum ibidem imponet. Missalia quoque, iuxta numerum paramentorum, cum signaculis bene concinnatis, nec non & campanulas ibidem præparabit. Cõsuet. Cleric. Regul. Theat.

7 Diebus festis iuxta qualitatem solemnitatum pulchriora, & pretiosiora paramenta instruat, ex pręscripto Sacristæ.

8 Aduertat diligenter, quod in Rubricis noui Missalis expressè est adnotatum, ne paramenta sint lacera, ne vè aliquid in eis inconcinnum, & indecens sit, &, si res postulauerit, curet, vt resarciantur: Albas mundas, cum opus est, apponat, Amictus verò sępius mutet. Ri. Mis. t. 2.

9 Post horas Missarum vnà cum alijs Clericis Albas, atque Amictus Cõsuet. Cleric. Regul. Thear.

complicabit, & omnia suis locis bene dispofita reponet. Stragulum, quod est supra scamnum, prius scopula mundabit, denique complicatum suo loco condet, ac tandem caudis vulpinis, vel alio instrumento simili illud, & armaria bene mundabit.

Cõfuet. Cleric. Regul. Theat. 10 Die Sabbati linteamina munda apponet; signacula Missalium diligenter concinnabit, & omnia bene dispofita in proprijs Armarijs polita relinquet.

De Ministro Cereorum, seu Candelarum. Cap. VIII.

1 *Cereorum vsus antiquissimus.*
2 *Cereorum pondus, & quātitas aequalis.*
3 *Armaria procereis asseruandis qualia.*
4 *Cerei albi, purique in Ecclesiasticis officijs adhibendi.*
5 *Cerei sex super Altare maius apponēdi.*
6 *Faces pro eleuatione Sanctissimi Sacramenti in Altari maiori praeparandae.*
7 *Cerei super cancellos in solemnioribus adhibendi.*
8 *Cerei auro ornati in solemnioribus adhibendi.*
9 *Funalia necessaria pro eleuatione Sanctissimi Sacramenti.*
10 *Cerei in sacellis apponendi.*
11 *Faces pro eleuatione Sanctissimi Sacramenti singulis sacellis accōmodandae.*
12 *Cerei in officio feriali accendendi.*
13 *Cereorum numerus ad Vesperas festorum per annum.*
14 *Cereorum numerus in festis maioribus.*
15 *Cerei in solemnioribus semper accensi esse debent, & quot.*
16 *Luminaria ante Sanctorum Reliquias adhibenda.*
17 *Cerei praeparandi in festo Purificationis.*
18 *Cerei, & intortitia pro Processione Sanctissimi Sacramenti.*
19 *Cereus Paschalis.*
20 *Tres candelae in Sabbato sancto adhibendae.*
21 *Cerei adhibendi in Matutinis tenebrarum, & officio feriae sextae maioris hebdomadae.*
22 *Item in Commemoratione Defunctorum, & exequijs.*
23 *Cerei expoliri debent.*
24 *Thus pro incensatione praeparandum.*
25 *Candelabra nitida asseruanda.*
26 *Bacilla ad accendendos, & extinguendos cereos adhibenda.*
27 *Opercula minora ad extinguendos cereos adhibenda.*
28 *Septem candelabra cum cereis, Episcopo celebrante, solemniter in Altari apponenda.*
29 *Papa solemniter celebrante, septem item candelabra deserenda.*

1 CEreorum, ac luminum antiquissimam Ecclesiae consuetudinem cum reliquis pietatis, ac religionis instrumentis, Patrum traditione, constanter, ac firmiter custodimus. Bellarm. tom. 2. De reliquijs Sãctorum lib. 2. c. 3. & 4.

2 Is igitur, qui cereorum curam habet, diligenter inuigilet, vt omnia opportunè, pro loci, ac temporum qualitate, ad id congruentia disponantur: Singulorum cereorum quantitatem, ac pondus agnoscat, & omnia parata habeat, ita vt siue bini, siue terni, siue etiam quaterni, iuxta candelabrorum numerum, longitudine, pondere, ac in reliquis omnibus aequales adhibeantur, ita vt reliquo Ecclesiastico ornatui, vt decet, correspondeant.

3 Propria habeat Armaria, in quibus suis locis diligenter cum cerei, tum intortitia ita bene asseruentur, vt ne leuiter quidem inflectantur. Decet autem, prout in bene ordinatis Ecclesijs obseruatur, cereorum armaria extra sacrarium loco congruo aptentur, ne fortè, vt miserabiliter aliquibus locis contigisse vidimus, accenso igne ex elychnijs non bene emunctis, vniuersa Ecclesiastica supellex incendio pereat. Ideo expedit, extra Sacrarium loco non ligneis laquearijs, sed fornicibus cooperto, huiusmodi aptentur armaria. Cõfuet. Cleric. Regul. Theat.

4 Cereos per anni circulum Ecclesiastico vsui,pro loci qualitate, cõgruentes opportuno tempore pręparet, omni studio attendens,vt cera sit alba,& munda, ac propterea recentes, & nouiter elaboratos Soli, aerique, aperto cœlo, per aliquod tempus exponat : hos autem alios maiores, alios minores habeat, vt suis temporibus omnia opportunè disponat.

5 In Altari maiori sex candelabra in medio habentia crucem, vel ciborium Sanctissimi Sacramenti semper suos habeant cereos integros, longitudinis, ac quantitatis loco conuenientis. In ipsis quidem maioribus Ecclesijs, maiores, in minoribus verò minores arbitrio prudẽtis ministri.

Cõsuet. cler. Regul. Theatin.

6 In eodem maiori Altari ante gradus super candelabra eminentia semper erunt duę faces in eleuatione sacratissimæ Hostiæ accendendæ.

7 Supra parietes,vel cancellos,si candelabra perpetuò ibi sint, habeant pariter & cereos integros in ipsis affixos põderis conuenientis. In festis verò primæ classis apponantur maioris semper ponderis, iuxta loci consuetudinem, & magnitudinem.

Cõsuet. capellæ Papalis, & Cler. Regul. Theat.

8 Decet,vt in Altari maiori sex cerei in maioribus solemnitatibus auro exornati apponantur, ac pariter supra parietes,& in candelabris, quæ à ceroferarijs deferuntur: quod præcipuè in solemnitatibus primæ classis in ipsis maioribus Ecclesijs, vbi diuini cultus obseruantia viget, satis congruè, ac decenter seruabitur.

9 Pro eleuatione Sanctissimi Sacramenti in Missis solemnibus dierum festorum per annum ad minus duo præparare debẽt funalia;in festis verò primę classis quatuor,vel plura;pro deducendo Sãctissimo Sacramento ad Altaria pro communicandis quatuor, vel saltem duo;pro communicandis infirmis, & pro processione solemni,in qua sacra Hostia defertur, plura iuxta loci commoditatem, & consuetudinem adhiberi debent.

Cõsuet. Cleric. Regul. Theat.

10 In Altaribus,quæ sunt in reliquis Ecclesiæ sacellis, hinc sint cerei hinc inde in cãdelabris,quæ sunt super gradum, prope crucem. Duæ verò candelæ, quæ in ipsarum Missarum,quæ priuatè dicuntur, celebratione accenduntur, minoris sint ponderis, habita semper ratione loci,ac possibilitatis.

11 Singulis sacellis accommodentur ante gradus duo candelabra maiora, vel duo instrumenta,quæ cornucopia vulgò dici solent, vel saltem vnum, istudque à latere Epistolæ; in ipsis aptentur faces maioris ponderis,pro loci qualitate,quæ semper in solemnioribus erunt maiores in pondere,ac longitudine.

12 In officijs ferialibus,dum celebrãtur Horę diurnę,pariter atque nocturnę, semper in Altari,seu in loco,vbi celebrari contingit, sint duo candelabra cum suis cereis accensis, mediam habentes crucis imaginem.

13 Diebus festis per annum ad Vesperas, & Missam solemnem,sex accenduntur cerei;ad reliquas Horas,sicut in Missis priuatis,duo.

Cõsuet. Cl. Reg. Theat.

14 In solemnioribus, & festis maioribus etiam ad Matutinum plures cerei, saltem quatuor accenduntur;in festis primæ classis sex, & in maioribus solemnitatibus, videlicet Paschæ, Pentecostes, Natalis Domini, Assumptionis B. Virginis, ac Patroni Ecclesiæ etiam supra parietes accenduntur omnes cerei;sicut ad Vesperas.

Cõsuet. Cl. Reg Theat.

15 In festis primæ classis semper interdiu in Altari maiori erunt accensi in candelabris minoribus infra gradũ quatuor cerei, vel saltem duo, maximè in Ecclesijs maioribus; & vbi Sanctorum reliquiæ exponuntur, decet, vt semper sint quatuor.

16 In loco,vbi sunt reliquiæ Sanctorum,pręter lampadem,quam semper decet esse accensam, dum exponuntur, accendantur duo cerei;& dum deferuntur, decet, vt pręcedente Acolyto cum face accensa deferantur; hoc enim maximè

cul-

cultum, ac venerationem Sanctorum decet.

17 In festo Purificationis B. Virginis, iuxta locorum consuetudinem, cereorũ, & candelarum sufficientem numerum præparabit, vt benedicantur, atque distribuantur.

18 Pro Processionibus Sanctissimi Sacramenti tàm in maiori hebdomada, quàm in festo Corporis Christi, seu etiã quæ fiunt pro celebratione quadraginta horarum in maioribus Ecclesijs, satis cõgruè funalia singuli de Choro gestabũt; ideo opportunè omnia disponantur: in minoribus verò Ecclesijs, vbi talia intortitia haberi non possunt, adhibeantur faces, vel cerei, congruentis longitudinis, ac ponderis: non desint tamen aliquæ faces, ad minus quatuor, à senioribus propè Sanctissimum Sacramentum deferendæ, & vbi est sodalitas, præcedant, clericos, vel hinc inde cum intortitiis accensis procedant ipsi laici.

19 Pro cereo Paschali in Sabbato sãcto quotannis benedicẽdo opietur quinque grana, ipse verò cereus sit magni põderis, habita ratione Ecclesiæ, & candelabri, in quo locari debet; auro item elegãter ornetur cum sanctæ Crucis effigie in medio, vbi grana sunt affigenda.

20 Tres item candelę in principio officii illius diei adhibendæ sunt eleganter auro contextæ, in arundine flosculis bene consita, & ornata affigendæ.

21 Pro Matutinis tenebrarum in triduo maioris hebdomadæ, & pro officio Feriæ sextę in Parasceue ad Missam cerei non albi, sed ceræ communis erunt omnes tàm super Altare, & cancellos, quàm in candelabro triangulari adhibendi; similiter & in processione, quæ fit in ipsa Parasceue, omnes erunt cerę communis, & ideo opportunè præparentur. [margin: ...rem. ...pisco. ...l. 2. c. ...1.]

22 In officiis, ac Missis solemnibus Defunctorum tàm in die Commemorationis eorum, quàm in solemnibus eorũ officiis, & exequiis, decet, vt omnes cerei sint ex cera communi. Cum autem à laicis offeruntur, possunt adhiberi etiam ceræ albæ, seruata in hoc locorum consuetudine. [margin: ...rem. ...pisco. ...l. 2. c. ...]

23 Habeat emunctorium cum vase stanneo, vel etiam argenteo iuxta facultatem Ecclesiarum, maximè diebus solemnioribus, & cum Sanctissimum Sacramentum est expositum. Adaptans autem cereos, semper attendat, vt bene dispositi facilè accendi possint, neuè deflectant aduertens, sed recti, æqualique distantia inter se sint bene aptati, &, cum opus est, expoliantur. [margin: Cõsuet. cle. reg. Theat.]

24 Ad eundem spectat, thus cum aliis aromatibus, atque odoramentis in diuinis officiis, ex more in thuribulo, atque thymiamateriis adhibere. In nauicula tamen aromata, quæ pro thuribulo apponuntur, semper thuris materia excedat reliqua odoramenta. [margin: cærem. Epis. lib. 1. c. 23.]

25 Candelabra ex auricalcho nitida seruabit; cum res postulauerit, à puluere, & cera, si fortè defluxerit, sæpius in anno maximè in præcipuis solemnitatibus, diligentissimè mundabit. [margin: Act. Eccles. Mediol. p. 2. instru. demũd. Eccles. Cõsuet. Cl. Reg. Theat.]

26 Curet etiam diligenter, vt in singulis Altaribus sint bacilla cum suis candelulis ad accẽdendos, atque alia ad extinguendos cereos cum operculis ex lamina stannea, quorum pars inferior patulo circuitu finiatur, superior verò in acumen desinat.

27 Alia opercula minora, bina in singulis Altaribus ad extinguendas pariter candelas sine bacillis habeat, huius modi autem bacilla, decet esse perpolita, atque etiam aliquo colore, puta rubeo, intincta, vel etiam in solemnioribus diebus deaurata, aut argento illita. [margin: Consu. Cl. Reg. Theat.]

28 In Cathedralibus, Episcopo solẽniter celebrante super Altare maius, in quo celebrandum est, apponi debent septem candelabra cum suis cereis, & crux ante candelabrum mediũ cætera supereminens collocabitur. [margin: Cærm. Epi. lib. 1. c. 12.]

29 Papa celebrante, septem Acolythi cum septem candelabris, & cereis accensis præcedunt crucem, & ad Euang- [margin: Consue. Cl. Reg. Theat.]

cu-

lium, quod à Diacono latino cantetur, deferuntur.

De Ministro Lampadarum. Cap. IX.

1 *Lampadarum vsus antiquissimus.*
2 *Oleum pro lampadibus quale.*
3 *Lampades nitidæ, ac mundæ conseruandæ.*
4 *Lampades omnes diebus festis accendendæ.*
5 *Lampas ante Sanctorum Reliquias accendenda.*
6 *Lampas in Sacristia accendenda.*
7 *Lampadarum qualitas, materia, ac forma.*
8 *Lampadarum armarium peculiare.*
9 *Instrumenta necessaria Ministro lampadarum.*

1 CVm perperuo in sacro Altari, atque in Basilicis Deo dicatis luminaria bene concinnari debeant, præcipuè ante Sanctissimum Eucharistię Sacramentum diu, noctuque plures lampades, vel saltem vna ardere debet, eius cura alicui ex clericis, seu etiam inferioribus ministris demandabitur. Is, quoties opus fuerit, eam concinnabit, pręcipuè post Matutinum, prandium, & cœnam, videlicet, vespere, mane, ac meridie.

Concil. Aquisg. c. 19. Ritual. Roman. tit. de Sanctiss. Sacra. Eucharist.

2 Oleum pro lampadibus adhibeat optimum, vt clarè luceant. Lecythum insuper ad infundendum oleum in ipsis lāpadibus similiter ex stanno apte elaboratum habeat: elychnia ex bombyce tenuiori, & optimo plura præparabit.

3 Vt autem nitidę à sordibus lampades asseruentur, vas habeat ex stanno cōfectum cum suo manubrio, similiter emūctorium, seu forfices, quibus elychnij extremam partem, quæ iam exusta lumini officit, præcidat, atque in præfatum vas stanneum proijciat.

Cōfuet. Cl. Reg. Theat.

4 Diebus festis valde mane omnes lampades accendat, & sic accensæ maneant tota die; diebus verò ferialibus tres, vel plures, & ad minus vna noctu, diuque sit accensa: Semper autem, cum vna tātùm accenditur, sit media, nisi fortè pendeant ex lampadario triangulari.

Carrem. Epist. li. 2. c. 11.

5 Non solùm ante Sanctissimum Sacramentum, verùm etiam ante Sanctorum Reliquias decet, vt lampas semper ardeat in honorem Sanctorum, prout ex antiqua Sanctorum Patrum traditione talem fuisse Ecclesiæ Catholicæ vsum manifestè patet.

Bellar. tom. 2. lib. 2. c. 23.

6 In Sacristia pariter per horam Missarum in Ecclesijs maioribus, in quibus sunt plura Altaria, frequensque celebrātium cōcursus sit lampas accensa, ex qua clerici, cum opus est, cereos pro celebratione Missarum, atque diuinorum officiorum accendant; maximè enim dedecet si ex altari, in quo celebratur, luminaria per Ecclesiam accendantur, quod absque celebrantium incommodo fieri non potest.

7 Omnes autem lampades sint cryst allinę pro diebus ferialibus, vel diebus festis ex auricalcho, eoque inaurato, vel argenteę, quibus intus vitrea lampas imponatur. Octauo quoque die, & ante festiuitates surfure, & aqua calida abluantur, ac bene abstergantur. Pari quoque modo catenulę, ex quibus pendent, poliantur.

Act. Eccles. Mediol. p. 2. Instru. Eccl. lib. 2. c. 18. Cōfuet. Cleric. Regul. Theat.

8 Proprium habeat armarium ab alijs distinctum extra Sacrarium loco cōgruo, in quo sit tabula perforata, vbi lampades singulas, cum opus fuerit, collocet, ne ex eis oleum effluat: plures pręparatas habebit in eodem armario, vt, opportuno tempore, eas paratas inueniat.

Cōfuet. Cleric. Regul. Theat.

9 In eodem armario conseruabit vascula, & instrumenta, vas videlicet aquę, vas olei, lecythum, emunctoria, seu forfices, & vas, quod in inferiori parte foramen habeat, in quod proiiciens oleum ex lampadibus, cum mundantur, ab aqua descretum colligat, ne pereat. Linteamina quoque ad detergendas lampades, & reliqua instrumenta suo vsui conuenientia ibidem debeat.

De Campanarum Ministro. Cap. X.

1 *Campanarum Minister tempora obseruare debet.*
2 *Campanarum numerus distinctus, iuxta Ecclesiæ qualitatem.*
3 *Campanarũ pluralitas in Ecclesiis maioribus antiqua consuetudine probatur, earumque varius sonus.*
4 *Campanæ quomodo ad diuina officia pulsentur diebus ferialibus.*
5 *Diebus festis quomodo compulsantur.*
6 *Quomodo pulsentur in celebratione 40. horarum, ac diebus indulgentiarum.*
7 *Campana in processionibus pulsanda.*
8 *Quomodo pulsentur in processionibus.*
9 *Campanæ in aduentu Magni Principis in signum lætitiæ compulsantur.*
10 *Campana in aduentu Episcopi loci pulsanda.*
11 *In eleuatione sacrificij Missæ pulsanda.*
12 *Cum Sanctissima Eucharistia circumfertur, pulsantur.*
13 *Ad concionem quomodo pulsanda.*
14 *Signum salutationis Angelicæ quomodo dandum.*
15 *Campanæ signum cur detur in fine diuini officij.*
16 *Campanæ pro defunctis pulsandæ.*
17 *Campanarum sonus funebris commendatur.*
18 *Campanæ pulsandę in transitu defuncti.*
19 *In delatione corporis defuncti.*
20 *Item in officio solemni pro defunctis.*
21 *Campanæ pulsandę ad repellendas tẽpestates.*
22 *Campanarum sonus incongruus vitandus.*
23 *Campanę signo ne vocetur Campanarius.*
24 *Campanæ ad supplicium significandum ne adhibeantur.*
25 *Campanarius habeat tabulam pulsationis distinctam per anni circulum.*
26 *Singulis Ecclesijs propria Tabula præscribenda.*
27 *In efformandis tabulis horarum, Solis cursus per anni circulum obseruandus.*
28 *Noctis in suas partes distinctio antiquissima.*
29 *Mediæ noctis obseruatio necessaria.*
30 *Diei diuisio horis Ecclesiasticis accommodata.*
31 *Hora Nonę, ac Meridiei.*
32 *Vesperarum hora congrua.*
33 *Matutinum diei sequentis qua hora sit celebrandum.*
34 *Hora completorij propria, & antiqua, iuxta regulas Monachorum.*
35 *Signum Salutationis Angelicę Vespertinum.*

1 QVia Ecclesiastica disciplina ex temporum congrua dispositione maximè pendet, Campanarum Minister horas diligenter obseruet, ne fortè ex ipsius incuria aliqua perturbatio oriatur; opportuno itaque tempore, non pro libito, sed certis horis, iuxta statutam formam, non præueniendo, nec protrahendo tempus, campanarum sono ad diuina officia vnà omnes conuocabit; sunt enim velut Ecclesiasticę tubæ ab Episcopo benedictę, quibus conuocatur populus in Templum, & Clerus ad annũciandam Dei misericordiam, ideo vt illæ, ita, & istæ numero distingui debent.

2 S. Carolus in libro de instructione fabricæ suæ Mediolanensis Prouinciæ satis congruum numerum præscripsit: *Si Ecclesia*, inquit, *Cathedralis est; septem, aut quinque ad minus campanas, si collegiata, tres, si Parochialis, totidem, aut duas saltem habere debet, easque distinctoquodã soni concentu inter se consentientes pro varia diuinorum officiorum, quæ fiunt, ratione, & significatione*; Et paulo post subdit. *Campana verò nec in turri, nec alio in loco collocandę sunt, nisi prius solemnis benedictionis, precumque ritu ex Ecclesiæ instituto sint consecratæ, nullam rem profanam insculptam, inscriptamque vllo modo,* (Act. Eccles. Mediol. lib. 2. c. 25. de fabr. Eccles.)

sed

sed S. Patroni Ecclesię, vel aliam sacram imaginem, piamque inscriptionem habentes.

3 Quod autem à S. Carolo de numero campanarum in Ecclesijs maioribus rite fuit sancitum, venerandæ antiquitatis continet obseruantiam. Nam, vt Guitbertus Tornarus adnotauit, quod antiquitus distinguebatur in clangore tubarum, & differentia sonituum, hoc idem repræsentatur nunc in Ecclesia. Vnde colligimus campanarum sonum pro varietate dierum multiplicem, adeo vt festis diebus aliter, quàm ferialibus, & celebrioribus, quàm minus celebrioribus campane pulsari solitæ fuerint. Quod auctor ordinis Romani manifestè ostendit, dum ait: *In ipsa feria V. maioris hebdomadę, idest in Cęna Domini, mane primo Mãsionarij ordinent omnia, quæ sunt necessaria ad consecrationem Chrismatis, &c. Ipso die sonentur campanę ad Missas, & ad cæteras Horas, sicut mos est diebus festis.* Alibi verò dum agit de consecratione Episcopi: *Electus*, inquit, *sacris vestibus indutus, procedat vnà cum Archiepiscopo, & cęteris Episcopis è secretario ante Altare, factoque ibi scrutinio, & concrepantibus signis, Ecclesię cantor incipit antiphonam.* Ex quibus locis manifestè colligitur plura esse signa, idest plures campanas, solemnibusque diebus plures pulsari campanas.

Guitb. Tor. de off. Episc. c. 15.

Ord. Roman. fer. v. in Coena Domini.

Or. Ro. tit. qualiter E. pisc. ordinetur in Eccl. Rom.

4 Cum igitur campanę specialiter diuino cultui sint consecratæ, atque dicatæ, ipsarum sono Ecclesiastici ad diuina officia celebranda, & populus, vt in diuinis communicent, regulariter conuocentur, diebus quidem ferialibus simplici vnius campanę pulsatione ad Matutinum, & Vesperas semel, atque iterum primum quidem medię, vltimum verò minoris cãpanæ signo: vltimum tamen campanæ signum decet, semper præcedant minoris campanæ tintinni eo temporis spatio, quo commodè omnes in Chorum se conferre possint. Nam, vt ait Ioannes Belethus, in rebus Ecclesiasticis suo tempore eruditus, primum signum datur ad inuocandum, vltimum ad inchoandum; statim namque, ac campanę sonus cessauerit, debent diuina officia inchoari.

Cõ suet. Cleric. Regul. Theat. Io. Beleth. de diu. off. c. 86.

5 Diebus festis ad Dei omnipotentis gloriam, & Sanctorum honorem maxima cum lætitia, & armonico sono pulsari debent campanæ ad Missam solemnem, ad Vesperas, & Matutinũ tribus vicibus, pluribus campanis, habita ratione festorum, Vespere etiam ante celebrationem festorum post signum salutationis Angelicæ, & mane in aurora multiplici campanarum sono fideles ad Deum laudandum excitantur.

6 Idipsum seruetur, cum in aliqua Ecclesia celebratur oratio quadraginta Horarum; item cum ad Indulgentias populus frequens concurrit.

Act. Eccles. Mediol. cõstit. Synod. lib. 2.

7 In solemnioribus autem processionibus, ac præcipuè cum Sanctissimum Sacramentum, vel Sanctorum Reliquię circumferuntur, campanarum sono piorum mẽtes spirituali gaudio affectæ ad Deum laudandum, ipsosque Sanctos deuotè venerandos Ecclesiastico more excitantur.

8 In processionibus, quę fiunt per ambitum Ecclesiæ, pulsantur campanæ, durante processione; in ijs verò, quæ extra Ecclesiam fiunt, pulsantur, dum Clerus exit, & dum redit, & tunc Cathedralis Ecclesiæ mansionarius præcedens processionem, monebit omnes Ecclesias, per quas processio pertransibit, vt campanæ pulsentur.

S. Card. cõst. Syno. li. 4. 5. de process. 15. Caere. Amb. li. 1. tit. de ostiarijs pa. 193.

9 Et quia, vt passim notant Canonistæ, dum in Decretalibus agunt de officio custodis, campanæ Ecclesiasticæ sunt signa lætitiæ, & honoris, cum Princeps maximà dignitate decorati, præcipuè Ecclesiastica, in locis sibi subiectis solemniter excipiuntur, campanarum sono in signũ lętitię honorantur. Magni enim Principes quandoque, iuxta Pontificalis Romani Ritus, etiam processionaliter, & cum honore excipiuntur.

Decret. li. 1. c. 1. Episc. Tã gast. lib. de campa. c. 12. Põt. Ro. pa. 2. tit. ord. ad recipiẽ. process. Princip. mag. potent. pa. 675.

10 Cum Episcopus loci ad Ecclesiam in loco suæ Iurisdictionis accedit, campa-

narum

narum sono semper excipitur: similiter cum processionaliter transit, campanæ in signum honoris pulsari debent.

Rit. Miss. VII. 8. Concil. Claraual. conc. to. 3. par. 1. Act. Eccles. Mediol. const. Synod. li. 4

11 In sacrificio Missæ, cum scilicet sancta conficitur Eucharistia, & eleuatur, in Missis priuatis paruo tintinnabulo pulsatur: at in Missa solemni laudabilis est consuetudo ex decreto Concilij Claraualensis inducta, & à S. Carolo in sua Prouincia ordinata, pulsandi scilicet campanas ad honorem, & venerationem tanti Sacramenti, ac Sacrificij; nec non ad excitandas hominum mentes, vt etiam domi commorantes, & vbique degentes ad campanarum sonitũ, genibus flexis, Christum Dominum in spiritu adorent.

Constit. Synod. prouin. Mediol. lib. 2.

12 Similiter cum Eucharistia, siue ad communicãdum infirmos circumfertur; siue etiam cum de loco ad locum, puta ab vno Altari ad aliud, pro communicãdis fidelibus, transfertur, tintinnabuli signo fideles, vt illud venerentur, præmoneri decet.

Cõsuet. Cleric. Regul. Theat.

13 Pro concione regulariter ter maiori campana, Vespere post signum salutationis Angelicę, mane in aurora, & proxime ante concionẽ signum dabitur. Cũ verò concionator suggestum ascendere debet, cõciso, ac breui sono signum dabitur. Eodẽ modo fiat pro lectione vespertina, cum hoc tamen discrimine, quòd campana, quæ ibi in aurora, hic post meridiẽ pulsabitur, habita tamen locorum ratione, quorum standum est consuetudini.

Conf. Syno. Mediol. li. 2. Arnald. Ruo. li. ligni vitæ Epis. Tagast. lib. de camp.

14 Signum salutationis Angelicæ, quod ex communi Ecclesiæ vsu vespere, mane, & meridie in omnibus Ecclesiis datur, à Summis Pontificibus institutum, prout fusius Auctor libri Ligni vitæ, & alii docent, Vespere ad Solis occasum hora vigesimaquarta cum aliis Ecclesiis, præcipuè cum maiori, vt decet, cõueniendo; mane verò antequam illucescat, & meridie hora congrua, pro temporũ varietate, aliis Ecclesiis communiter cohærẽdo, certa, ac determinata hora semper detur.

Cõsuet. Cl. Reg. Theat.

15 Et cum regulariter apud Religiosos, qui in claustris degẽtes debitis horis diuinas persoluunt laudes, matutinum circa auroram terminari soleat; Nona verò circa meridiem, & Completorium ad Solis occasum: Hinc factum est, vt apud ipsos post Laudes, Nonam, & Completorium signum salutationis Angelicę cãpanula detur, quę laudabilis cõsuetudo à Religiosis pręcipuè seruari debet; non tamen ad completorium dicantur preces, quæ ad Salutationem Angelicam sũt assignatæ, sed iuxta Breuiarij Rubricam dicatur Pater noster, Aue Maria, & Credo; olim enim Cœnobitę Completoriũ circa Solis occasum celebrabant, ita vt post completorium indiceretur silentiũ, ac propterea tunc dabatur signum salutationis Angelicæ, & à Superiore tãdem omnes aspergebantur. Quæ laudabilis consuetudo, vbi viget, retineri debet.

16 Pro defunctis verò laudabilis consuetudo est plurium Ecclesiarum Gregorio XIII. Pontifice, primùm Romæ instituta, deinde à S. Carolo Mediolani, vespere circa primam noctis horam minoris, vel etiam maioris campanæ, sicut pro salutatione Angelica, signum dare, quò piis precibus fidelium defunctorum animę iuuentur. Const. Syn. Eccl. Med. lib. 1. tit. de orõne n. 18.

17 Vsus autem pulsandi campanas pro defunctis Christiana pietate, ait Beda, ideo fuit inductus, vt tali sonitu inuitati fideles, misericordiæ opus, funus associando, implerent, ac pro illis omnes iàm præsentes, quam absentes, excitati, preces ad Deum funderent; sancta enim, & salubris cogitatio est pro defunctis exorare. Hãc antiquissimam, & omni laude dignam Ecclesiasticam consuetudinẽ Catholicæ fidei hostes immanes nostris temporibus Caluinistæ impugnant, ac propterea eam magis Catholici tueri tenentur. Commendatur pręcipuè ab Episcopo Tagastensi illorum locorum consuetudo, in quibus ad sonitum funebrem expressius iudicandum campanę non ad vtramque, sed ad vnam tantùm partem paulatim, ac sensim pulsantur; quasi mœrorem quendam repræsentantes. Bed. lib. 4. c. 33. 2. Mac. 12. Ep. Tagast. lib. de camp. c. 20. Cõsuet. Cl. Reg. Theat.

In

Rit. Ro. Ti. ordo cõmẽd. anim. §. in expi.

18 In obitu igitur defuncti, si fuerit aliquis Prælatus, vel Religiosus, aut etiã Collegialis, statim ac expirauerit, dabitur signum campanæ maioris, vt fit pro Salutatione Angelica, & immediatè post, campanæ omnes sono funebri, ac conciso pluries, iuxta personæ qualitatem, ac loci consuetudinem pulsantur. Idem prẽstandũ in obitu Summ. Pontificis, & Episcopi loci, cum enim certum nũtium eius mortis aduenerit, statim in Cathedrali, & aliis Ecclesiis campanæ pulsari debent.

Rit. Ro. Ti. exe. ordo.

19 Pulsantur etiam, quando defuncti corpus defertur in Ecclesiam, vel cum sepulturæ tradi debet: pro officio etiam pro defunctis, atque etiam pro Missa solemniter pro singulis pulsari decet.

Confoe. cle. reg. Theat.

20 Si aliquod solemne officium celebrandum sit, puta in obitu Summi Pontificis, Episcopi loci, vel alicuius Magnatis, etiam absente corpore, Vespere post signum Salutationis Angelicæ, & mane in aurora ter pulsantur campanæ sono funebri: quod etiam seruatur in Commemoratione omnium fidelium defunctorũ, & quoties solemniter pro defunctis est celebrandum, & tunc in ipsis exequiis, & dum fit absolutio ad tumulum, semper sono conciso pulsantur campanæ.

Rit. Ro. Tit. de procel. 9. preces ad repel. tẽpest.

21 His omnibus addimus ex Rituali Romano nouiter impresso, pulsandas esse campanas omnes, cũ procella imminet; pulsantur enim campanæ ad tempestatem repellendam, vt Dæmones, qui, Deo permittente multoties eas excitant, ipsarum sonitu, dum fideles ad preces confugiunt, terreantur: abhorrent enim maximè Dẽmones sonitum campanarum, quæ sunt multiplici benedictione sacratæ, atque etiam vt per earum sonum aer condensus cuncutiatur, ac serenus reddatur, prout fusius in Concilio Toletano habetur.

Cõc. Tolet. 1. c. 14

22 Diligẽter aduertat Campanarius, ne pueri, vel alii otiosi ad locum, quo pulsantur campanæ, accedant, & ne extra horam ab aliquo tangantur, cum enim sint instrumenta, ac signa publica, non sine admiratione temporibus incongruis earum sonus auditur, etiam leuissimus.

23 Dedecet quoque, si in solemnioribus maximè, quando plures campanæ pulsari debent, earum ictibus per Sacristam, vel alios, tẽpus pulsãdi significetur, cum voce potius, quàm cãpanæ signo Ministros ad eas pulsandas cõuocare deceat.

24 S. Carolus Borromẽus Diuini cultus obseruantissimus vsum campanæ ad supplicium significandum omnino improbauit, sunt enim sacra signa ad fideles conuocandum inducta.

Cõst. Syno. Prouin. Mediol. lib. 4. tit. cõmun. de ratione diui. offic. n. 12.

25 Cẽterum, quia circa campanarũ sonum, locorum consuetudinem, vt plurimum, obseruare oportet, cauẽdum est, ne pro libito Campanarius horas variet, ac propterea decet, vt tempore Visitationis in qualibet Ecclesia designetur Tabula horarum, quibus per annum ad diuina officia pulsari debent campanẽ, omnia iuxta temporum variationem distincta.

26 Vt autem rite huiusmodi Tabulẽ in singulis Ecclesiis formari possint, aliqua generalia pro instructione Ministri campanarum ad distinguendas horas pulsationis, pro ipsis diuinis officiis, hoc loco adnotare non erit incongruum.

27 In primis namque temporum distinctiones, & anni cursum campanarius obseruare debet, non enim tempora sunt semper ẽqualia, diuina namque ordinatione variãtur; prout ex Solis cursu per Zodiacum eorum distinctio facilè colligitur; sunt enim à Deo posita signa in tempora, dies, & annos, quorum ordinatione vniuersẽ humanæ vitẽ ratio pendet: Idcirco hoc loco singulorum temporum varietatem ad efformandam Tabulam horarum, videlicet mediẽ noctis, Matutini, Aurorẽ, Ortus Solis, & cẽterorum tẽporum distinctiones, adnotabuntur. Ge. 1. 14

D. Hier. in ps. 89. vers. & custodia in noct.

28 Licet nox, ex antiquissima institutione, in quatuor partes, seu vigilias militaribus stationibus primum accommodata, orantium fidelium turmis, prẽcipuè Monachorum deseruiret, qui ad singulas vigilias surgentes nocturnalia officia, pri-

mum videlicet Nocturnum in prima vigilia, secundum in secunda ante mediam noctem, tertium verò post mediam noctem, ac tandem Laudes matutinas in ipsa quarta vigilia noctis præcinebant; nostris tamen temporibus regulariter in religiosis domibus Nocturnale officium à plerisque vtriusque sexus religiosorum Ordinum Congregationibus in ipso mediæ noctis tempore celebratur; ab alijs verò Horis matutinis, quarta videlicet noctis parte; idcirco in hac nostra Tabula, qua nostros Ecclesiasticos instruere intendimus, iâiùm mediç noctis, & quartæ vigiliç horas ad instruendum Campanarum ministrum adnotabimus.

Cõfuet. Cl.Reg. Theat.

29 Obseruandum prçcipuè est, certum mediç noctis tempus, vnde dies naturalis incipit, pro ecclesiastico ieiunio, & multò magis pro naturali, ad sacram Communionem sumendam, maximè Sacerdotibus, qui quotidie celebrant, ne cessarium.

Sylu. in fac. ver. ieiu.3.

30 Tempus verò diei licet in plures partes diuidi possit, iuxta illud: Nonnè duodecim horç sunt diei, in illas tamen hoc loco diuidimus, quæ ecclesiastico vsui sunt necessariç, obseruatis namque horis aurorç, ortus Solis, Tertiç, meridiei, ac vesperarum, singula tempora ecclesiastico vsui congrua habebimus; nam in aurora datur signum Salutationis Angelicç matutinæ. In eadem hora rite Missarum celebrandarum initia dari debent, cum ante auroram non nisi ex speciali Sedis Apostolicç priuilegio celebrari possit. In ortu Solis officio Primæ suum designatur tempus; hora verò Tertiç Missam solemnem in Collegiatis, maximè diebus festis celebrari decet. Sexta verò, sequenti hora, quç mediat inter Tertiam, & Nonam.

Io.11.9.

31 In ipso verò meridie, quando Nona dici debet, datur signum Salutationis meridianæ, & Missarum celebratio cessare debet, cum vltra, nisi ex speciali priuilegio, protrahi non possit, & propterea eadem hora fores Ecclesiæ, & non prius in Collegiatis, vbi plures Sacerdotes celebrant, claudi debent.

32 Vesperarum verò hora congrua mediat inter meridiem, & occasum Solis, vnde Ecclesiasticum nostrum ea obseruare decet, vt temporibus suis diuinæ persoluantur laudes.

33 Quam præcipuè horam etiam in priuatis officijs recitandis illis obseruandam proponimus, qui matutinale officium sequentis diei prçueniunt; non enim ante horam Vesperarum recitari decet, & ideo iuxta traditam formam, transacta videlicet hora Vesperarum, & non prius, dicto Completorio, si fortè aliquando in Choro celebrandum erit; vt in triduo maioris hebdomadç, vel infra Octauam Corporis Christi, ecclesiastico more celebrari consueuit, & cum in aliquibus Ecclesijs ratione alicuius solemnitatis ex consuetudine in prçcedenti die post Vesperas celebrandum fuerit Matutinum, obseruari hora congrua debet, & ad hoc maximè huius nostræ Tabulæ obseruatio confert, cum in ea singulis temporibus certa inueniatur hora, quam prçterire non decet; media videlicet inter meridiem, & occasum Solis.

D. Tho. quodl.5.

34 Hora verò Completorij in hac Tabula non signatur, cùm sit post Solis occasum omnibus conspicuum, vt propterea, qui tali consuetudine laudabiliter Monachorũ ordines temporibus suis diuinas preces in communi concelebrãt, non indigeant directione.

Bed.l.3. in Eldr. c.18.

35 Pariter pro signo Salutationis Angelicæ, quod non variatur, cum omnibus pateant ipsa crepuscula vespertina, videlicet vigesimaquarta, & vltima diei artificialis hora.

TABVLA GENERALIS AD DISTINGVENDA TEMPORA,

Et horas Ecclesiasticas pro celebratione Diuinorum Officiorum, atque Missarum horis congruis accomodata, iuxta communem supputationem horarum Italicarum, quæ ab occasu Solis initium sumunt, ad gradum Eleuationis Poli 41. quæ & alijs locis accommodari facilè poterit ad singulas eleuationes superiorum graduum minutum vnum plus, minusuè addendo, vel ad inferiorum depresionem minuendo.

Meritò autem à die 21. Martij initium sumendum duximus, Niceni Concilij Decretis inhærentes, inde æquinoctij vernalis, pariter & anni sacri, principium pro Paschate ritè temporibus suis celebrando perpetuo statuentibus.

		Tẽpus mediæ noctis		Quartæ, & vltimæ noctis partis		Crepusculi Matutini.		Ortus Solis, & Primæ.		Hora Tertiæ, ac Missæ solemn		Meridiei.		Celebrandi Vesperas.	
Martij.		Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.
Die	21	6	0	9	0	10	23	12	0	15	0	18	0	21	0
	22	5	59	8	58	10	21	11	58	14	58	17	59	21	0
	23	5	57	8	56	10	17	11	54	14	55	17	57	20	58
	24	5	5[illegible]	8	54	10	15	11	52	14	54	17	56	20	58
	25	5	55	8	52	10	13	11	50	14	53	17	55	20	57
	26	5	53	8	49	10	9	11	46	14	49	17	53	20	56
	27	5	52	8	48	10	7	11	44	14	47	17	52	20	56
	28	5	51	8	46	10	5	11	42	14	46	17	51	20	55
	29	5	49	8	44	10	0	11	38	14	44	17	49	20	55
	30	5	48	8	42	9	58	11	36	14	42	17	48	20	54
	31	5	46	8	39	9	54	11	32	14	39	17	46	20	53

complicabit, & omnia suis locis bene disposita reponet. Stragulum, quod est supra scamnum, prius scopula mundabit, denique complicatum suo loco condet, ac tandem caudis vulpinis, vel alio instrumento simili illud, & armaria bene mundabit.

Cõsuet. Cleric. Regul. Theat. 10 Die Sabbati linteamina munda apponet; signacula Missalium diligenter concinnabit, & omnia bene disposita in proprijs Armatijs polita relinquet.

De Ministro Cereorum, seu Candelarum. Cap. VIII.

1 *Cereorum vsus antiquissimus.*
2 *Cereorum pondus, & quãtitas æqualis.*
3 *Armaria pro cereis asseruandis qualia.*
4 *Cerei albi, parique in Ecclesiasticis officijs adhibendi.*
5 *Cerei sex super Altare maius apponẽdi.*
6 *Faces pro eleuatione Sanctissimi Sacramenti in Altari maiori præparandæ.*
7 *Cerei super cancellos in solemnioribus adhibendi.*
8 *Cerei auro ornati in solemnioribus adhibendi.*
9 *Funalia necessaria pro eleuatione Sanctissimi Sacramenti.*
10 *Cerei in sacellis apponendi.*
11 *Faces pro eleuatione Sanctissimi Sacramenti singulis sacellis accõmodandæ.*
12 *Cerei in officio feriali accendendi.*
13 *Cereorum numerus ad Vesperas festorum per annum.*
14 *Cereorum numerus in festis maioribus.*
15 *Cerei in solemnioribus semper accensi esse debent, & quot.*
16 *Luminaria ante Sanctorum Reliquias adhibenda.*
17 *Cerei præparandi in festo Purificationis.*
18 *Cerei, & intortitia pro Processione Sanctissimi Sacramenti.*
19 *Cereus Paschalis.*
20 *Tres candelæ in Sabbato sancto adhibendæ.*
21 *Cerei adhibendi in Matutinis tenebrarum, & officio feriæ sextæ maioris hebdomadæ.*
22 *Item in Commemoratione Defunctorum, & exequijs.*
23 *Cerei expoliri debent.*
24 *Thus pro incensatione præparandum.*
25 *Candelabra nitida asseruanda.*
26 *Bacilla ad accendendos, & extinguendos cereos adhibenda.*
27 *Opercula minora ad extinguendos cereos adhibenda.*
28 *Septem candelabra cum cereis, Episcopo celebrante, solemniter in Altari apponenda.*
29 *Papa solemniter celebrante, septem item candelabra deferenda.*

1 CEreorum, ac luminum antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem cum reliquis pietatis, ac religionis instrumentis, Patrum traditione, constanter, ac firmiter custodimus. Bellarm. tom. 2. De reliquijs Sãctorum lib. 3. c. 3. & 4.

2 Is igitur, qui cereorum curam habet, diligenter inuigilet, vt omnia opportunè, pro loci, ac temporum qualitate, ad id congruentia disponantur. Singulorum cereorum quantitatem, ac pondus agnoscat, & omnia parata habeat, ita vt siue bini, siue terni, siue etiam quaterni, iuxta candelabrorum numerum, longitudine, pondere, ac in reliquis omnibus æquales adhibeantur, ita vt reliquo Ecclesiastico ornatui, vt decet, correspondeant.

3 Propria habeat Armaria, in quibus suis locis diligenter cum cerei, tum intortitia ita bene asseruentur, vt ne leuiter quidem inflectantur. Decet autem, prout in bene ordinatis Ecclesijs obseruatur, cereorum armaria extra sacrarium loco congruo aptentur, ne fortè, vt miserabiliter aliquibus locis contigisse vidimus, accenso igne ex elychnijs non bene emunctis, vniuersa Ecclesiastica supellex incendio pereat. Ideo expedit, extra Sacrarium loco non ligneis laquearijs, sed fornicibus cooperto, huiusmodi aptentur armaria. Cõsuet. Cleric. Regul. Theat.

4 Cereos per anni circulum Ecclesiastico vsui, pro loci qualitate, cōgruentes opportuno tempore pręparet, omni studio attendens, vt cera sit alba, & munda, ac propterea recentes, & nouiter elaboratos Soli, aerique, aperto cœlo, per aliquod tempus exponat: hos autem alios maiores, alios minores habeat, vt suis temporibus omnia opportunè disponat.

5 In Altari maiori sex candelabra in medio habentia crucem, vel ciborium Sanctissimi Sacramenti semper suos habeant cereos integros, longitudinis, ac quantitatis loco conuenientis. In ipsis quidem maioribus Ecclesijs, maiores, in minoribus verò minores arbitrio prudētia ministri.

Cōsuet. Cler. Regul. Theatin.

6 In eodem maiori Altari ante gradus super candelabra eminentia semper erunt duę faces in eleuatione sacratissimæ Hostiæ accendendæ.

7 Supra parietes, vel cancellos, si candelabra perpetuò ibi sint, habeant pariter & cereos integros in ipsis affixos pōderis conuenientis. In festis verò primæ classis apponantur maioris semper ponderis, iuxta loci consuetudinem, & magnitudinem.

Cōsuet. Capellæ Papalis, & Cler. Regul. Theat.

8 Decet, vt in Altari maiori sex cerei in maioribus solemnitatibus auro exornati apponantur, ac pariter supra parietes, & in candelabris, quæ à ceroferarijs deferuntur: quod præcipuè in solemnitatibus primæ classis in ipsis maioribus Ecclesijs, vbi diuini cultus obseruantia viget, satis congruè, ac decenter seruabitur.

9 Pro eleuatione Sanctissimi Sacramenti in Missis solemnibus dierum festorum per annum ad minus duo præparare debēt funalia; in festis verò primę classis quatuor, vel plura; pro deducendo Sāctissimo Sacramento ad Altaria pro communicandis quatuor, vel saltem duo; pro communicandis infirmis, & pro processione solemni, in qua sacra Hostia defertur, plura iuxta loci commoditatem, & consuetudinem adhiberi debent.

Cōsuet. Cleric. Regul. Theat.

10 In Altaribus, quæ sunt in reliquis Ecclesiæ sacellis, binc sint cerei hinc inde in cādelabris, quæ sunt super gradum, prope crucem. Duæ verò candelæ, quæ in ipsarum Missarum, quæ priuatè dicuntur, celebratione accenduntur, minoris sint ponderis, habita semper ratione loci, ac possibilitatis.

11 Singulis sacellis accommodentur ante gradus duo candelabra maiora, vel duo instrumenta, quæ cornucopia vulgò dici solent, vel saltem vnum, istudque à latere Epistolæ; in ipsis aptentur faces maioris ponderis, pro loci qualitate, quæ semper in solemnioribus erunt maiores in pondere, ac longitudine.

12 In officijs ferialibus, dum celebrātur Horę diurnę, pariter atque nocturnę, semper in Altari, seu in loco, vbi celebrari contingit, sint duo candelabra cum suis cereis accensis, mediam habentes crucis imaginem.

13 Diebus festis per annum ad Vesperas, & Missam solemnem, sex accenduntur cerei; ad reliquas Horas, sicut in Missis priuatis, duo.

Cōsuet. Cl. Reg. Theat.

14 In solemnioribus, & festis maioribus etiam ad Matutinum plures cerei, saltem quatuor accenduntur; in festis primæ classis sex, & in maioribus solemnitatibus, videlicet Paschæ, Pentecostes, Natalis Domini, Assumptionis B. Virginis, ac Patroni Ecclesiæ etiam supra parietes accenduntur omnes cerei; sicut ad Vesperas.

Cōsuet. Cl. Reg Theat.

15 In festis primæ classis semper interdiu in Altari maiori erunt accensi in candelabris minoribus infra gradū quatuor cerei, vel saltem duo, maximè in Ecclesijs maioribus; & vbi Sanctorum reliquiæ exponuntur, decet, vt semper sint quatuor.

16 In loco, vbi sunt reliquiæ Sanctorum, pręter lampadem, quam semper decet esse accensam, dum exponuntur, accendantur duo cerei; & dum deferuntur, decet, vt pręcedente Acolyto cum face accensa deferantur; hoc enim maximè

cul-

cultum, ac venerationem Sanctorum decet.

17 In festo Purificationis B. Virginis, iuxta locorum consuetudinem, cereorũ, & candelarum sufficientem numerum præparabit, vt benedicantur, atque distribuantur.

18 Pro Processionibus Sanctissimi Sacramenti tàm in maiori hebdomada, quàm in festo Corporis Christi, seu etiã quæ fiunt pro celebratione quadraginta horarum in maioribus Ecclesijs, satis cõgruè funalia singuli de Choro gestabũt; ideo opportunè omnia disponantur: in minoribus verò Ecclesijs, vbi talia intortitia haberi non possunt, adhibeantur faces, vel cerei, congruentis longitudinis, ac ponderis: non desint tamen aliquæ faces, ad minus quatuor, à senioribus propè Sanctissimum Sacramentum deferendæ, & vbi est sodalitas, præcedant, clericos, vel hincinde cum intortitiis accensis procedant ipsi laici.

19 Pro cereo Paschali in Sabbato sãcto quotannis benedicẽdo oportetur quinque grana; ipse verò cereus sit magni põderis, habita ratione Ecclesiæ, & candelabri, in quo locari debet; auro item elegãter ornetur cum sanctæ Crucis effigie in medio, vbi grana sunt affigenda.

20 Tres item candelę in principio officii illius diei adhibendæ sunt eleganter auro contextæ, in arundine flosculis bene consita, & ornata affigendæ.

Cærem. Episco. lib. 2. c. 2. 21 Pro Matutinis tenebrarum in triduo maioris hebdomadæ, & pro officio Feriæ sextę in Parasceue ad Missam cerei non albi, sed ceræ communis erunt omnes tàm super Altare, & cancellos, quàm in candelabro triangulari adhibendi; similiter & in processione, quæ fit in ipsa Parasceue, omnes erunt cerę communis, & ideo opportunè præparentur.

Cærem. Episco. lib. 2. c. 22 In officiis, ac Missis solemnibus Defunctorum tàm in die Commemorationis eorum, quàm in solemnibus eorũ officiis, & exequiis, decet, vt omnes cerei sint ex cera communi. Cum autem à laicis offeruntur, possunt adhiberi etiam ceræ albæ, seruata in hoc locorum consuetudine.

23 Habeat emunctorium cum vase stanneo, vel etiam argenteo iuxta facultatem Ecclesiarum, maximè diebus solemnioribus, & cum Sanctissimum Sacramentum est expositum. Adaptans autem cereos, semper attendat, vt bene dispositi facilè accendi possint, neuè deflectant aduertens, sed recti, æqualique distantia inter se sint bene aptati, &, cum opus est, expoliantur. Cõsuet. cler. reg. Theat.

24 Ad eundem spectat, thus cum aliis aromatibus, atque odoramentis in diuinis officiis, ex more in thuribulo, atque thymiamateriis adhibere. In nauicula tamen aromata, quæ pro thuribulo apponuntur, semper thuris materia excedat reliqua odoramenta. cærem. Epis. lib. 1. c. 23.

25 Candelabra ex auricalcho nitida seruabit; cum res postulauerit, à puluere, & cera, si fortè defluxerit, sæpius in anno maximè in præcipuis solemnitatibus, diligentissimè mundabit. Act. Eccles. Mediol. p. 2. instru. demũd. Eccles. Cõsuet. Cl. Reg. Theat.

26 Curet etiam diligenter, vt in singulis Altaribus sint bacilla cum suis candelulis ad accẽdendos, atque alia ad extinguendos cereos cum operculis ex lamina stannea, quorum pars inferior patulo circuitu finiatur, superior verò in acumen desinat.

27 Alia opercula minora, bina in singulis Altaribus ad extinguendas pariter candelas sine bacillis habeat, huius modi autem bacilla, decet esse perpolita, atque etiam aliquo colore, puta rubeo, intincta, vel etiam in solemnioribus diebus deaurata, aut argento illita. Consu. Cl. Reg. Theat.

28 In Cathedralibus, Episcopo solẽniter celebrante super Altare maius, in quo celebrandum est, apponi debent septem candelabra cum suis cereis, & crux ante candelabrum mediũ cætera supereminens collocabitur. Cærem. Epi. lib. 1. c. 12.

29 Papa celebrante, septem Acolythi cum septem candelabris, & cereis accensis præcedunt crucem, & ad Euange- Consue. Cl. Reg. Theat.

cul-

lium, quod à Diacono latino cantetur, deferuntur.

De Ministro Lampadarum. Cap. IX.

1 *Lampadarum vsus antiquissimus.*
2 *Oleum pro lampadibus quale.*
3 *Lampades nitidæ, ac mundæ conseruandæ.*
4 *Lampades omnes diebus festis accendendæ.*
5 *Lampas ante Sanctorum Reliquias accendenda.*
6 *Lampas in Sacristia accendenda.*
7 *Lampadarum qualitas, materia, ac forma.*
8 *Lampadarum armarium peculiare.*
9 *Instrumenta necessaria Ministro lampadarum.*

1 CVm perpetuo in sacro Altari, atque in Basilicis Deo dicatis luminaria bene concinnari debeant, præcipuè ante Sanctissimum Eucharistię Sacramentum diu, noctuque plures lampades, vel saltem vna ardere debet, eius cura alicui ex clericis, seu etiam inferioribus ministris demandabitur. Is, quoties opus fuerit, eam concinnabit, pręcipuè post Maturinum, prandium, & cœnam, videlicet, vespere, mane, ac meridie. (Concil. Aquisg. c. 19. Rituál. Roman. tit. de Sanctiss. Sacra. Eucharist.)

2 Oleum pro lampadibus adhibeat optimum, vt clarè luceant. Lecythum insuper ad infundendum oleum in ipsis lāpadibus similiter ex stanno apte elaboratum habeat: elychnia ex bombyce tenuiori, & optimo plura præparabit.

3 *Vt* autem nitidę à sordibus lampades asseruentur, vas habeat ex stanno cōfectum cum suo manubrio, similirer emūctorium, seu forfices, quibus elychnij extremam partem, quæ iam exusta lumini officit, præcidat, atque in præfatum vas stanneum proijciat. (Cōsuet. Cl. Reg. Theat.)

4 Diebus festis valde mane omnes lampades accendat, & sic accensæ maneant tota die; diebus verò ferialibus tres, vel plures, & ad minus vna noctu, diuque sit accensa: Semper autem, cum vna tātùm accenditur, sit media, nisi fortè pendeant ex lampadario triangulari. (Cærem. Episc. li. 1. c. 12.)

5 Non solùm ante Sanctissimum Sacramentum, verùm etiam ante Sanctorum Reliquias decet, vt lampas semper ardeat in honorem Sanctorum, prout ex antiqua Sanctorum Patrum traditione, talem fuisse Ecclesiæ Catholicæ vsum manifestè patet. (Bellar. tom. 2. lib. 2. c. 13.)

6 In Sacristia pariter per horam Missarum in Ecclesijs maioribus, in quibus sunt plura Altaria, frequensque celebrātium cōcursus sit lampas accensa, ex qua clerici, cum opus est, cereos pro celebratione Missarum, atque diuinorum officiorum accendant; maximè enim dedecet si ex altari, in quo celebratur, luminaria per Ecclesiam accendantur, quod absque celebrantium incommodo fieri non potest.

7 Omnes autem lampades sint crystallinę pro diebus ferialibus, vel diebus festis ex auricalcho, eoque inaurato, vel argenteę, quibus intus vitrea lampas imponatur. Octauo quoque die, & ante festiuitates fursure, & aqua calida abluantur, ac bene abstergantur. Pari quoque modo catenulę, ex quibus pendent, poliantur. (Act. Eccles. Mediol. p. 4. Instru. Eccl. lib. 1. c. 18. Cōsuet. Cleric. Regul. Theat.)

8 Proprium habeat armarium ab alijs distinctum extra Sacrarium loco cōgruo, in quo sit tabula perforata, vbi lampades singulas, cum opus fuerit, collocet, ne ex eis oleum effluat: plures pręparatas habebit in eodem armario, vt, opportuno tempore, eas paratas inueniat. (Cōsuet. Cleric. Regul. Theat.)

9 In eodem armario conseruabit vascula, & instrumenra, vas videlicet aquę, vas olei, lecythum, emunctoria, seu forfices, & vas, quod in inferiori parte foramen habeat, in quod proiiciens oleum ex lampadibus, cum mundantur, ab aqua descretum colligat, ne pereat. Linteamina quoque ad detergendas lampades, & reliqua instrumenta suo vsui conuenientia ibidem debeat.

De Campanarum Ministro. Cap. X.

1 *Campanarum Minister tempora obseruare debet.*
2 *Campanarum numerus distinctus, iuxta Ecclesiæ qualitatem.*
3 *Campanarũ pluralitas in Ecclesiis maioribus antiqua consuetudine probatur, earumque varius sonus.*
4 *Campanæ quomodo ad diuina officia pulsentur diebus ferialibus.*
5 *Diebus festis quomodo compulsantur.*
6 *Quomodo pulsentur in celebratione 40. horarum, ac diebus indulgentiarum.*
7 *Campanæ in processionibus pulsandæ.*
8 *Quomodo pulsentur in processionibus.*
9 *Campanæ in aduentu Magni Principis in signum lætitiæ compulsantur.*
10 *Campanæ in aduentu Episcopi loci pulsandæ.*
11 *In eleuatione sacrificij Missæ pulsandæ.*
12 *Cum Sanctissima Eucharistia circumfertur, pulsantur.*
13 *Ad concionem quomodo pulsandæ.*
14 *Signum salutationis Angelicæ quomodo dandum.*
15 *Campanæ signum cur detur in fine diuini officij.*
16 *Campanæ pro defunctis pulsandæ.*
17 *Campanarum sonus funebris commendatur.*
18 *Campanæ pulsandę in transitu defuncti.*
19 *In delatione corporis defuncti.*
20 *Item in officio solemni pro defunctis.*
21 *Campanæ pulsandę ad repellendas tẽpestates.*
22 *Campanarum sonus incongruus vitandus.*
23 *Campanę signo ne vocetur Campanarius.*
24 *Campanæ ad supplicium significandum ne adhibeantur.*
25 *Campanarius habeat tabulam pulsationis distinctam per anni circulum.*
26 *Singulis Ecclesijs propria Tabula prascribenda.*
27 *In efformandis tabulis horarum, Solis cursus per anni circulum obseruandus.*
28 *Noctis in suas partes distinctio antiquissima.*
29 *Mediæ noctis obseruatio necessaria.*
30 *Diei diuisio horis Ecclesiasticis accommodata.*
31 *Hora Nonę, ac Meridiei.*
32 *Vesperarum hora congrua.*
33 *Matutinum diei sequentis qua hora sit celebrandum.*
34 *Hora completorij propria, & antiqua, iuxta regulas Monachorum.*
35 *Signum Salutationis Angelicę Vespertinum.*

1 QVia Ecclesiastica disciplina ex temporum congrua dispositione maximè pendet, Campanarum Minister horas diligenter obseruet, ne fortè ex ipsius incuria aliqua perturbatio oriatur; opportuno itaque tempore, non pro libito, sed certis horis, iuxta statutam formam, non præueniendo, nec protrahendo tempus, campanarum sono ad diuina offica vnà omnes conuocabit; sunt enim velut Ecclesiasticę tubæ ab Episcopo benedictę, quibus conuocatur populus in Templum, & Clerus ad annũciandam Dei misericordiam, ideo vt illæ, ita, & istæ numero distingui debent.

2 S. Carolus in libro de instructione fabricæ suæ Mediolanensis Prouinciæ satis congruum numerum præscripsit: *Si Ecclesia*, inquit, *Cathedralis est, septem, aut quinque ad minus campanas, si collegiata, tres, si Parochialis, totidem, aut duas saltem habere debet, easque distinctio quodã soni concentu inter se consentientes pro varia diuinorum officiorum, quæ fiunt, ratione, & significatione*; Et paulo post subdit. *Campanæ verò nec in turri, nec alio in loco collocandę sunt, nisi prius solemnis benedictionis, precumque ritu ex Ecclesiæ instituto sint consecratæ, nullam rem profanam insculptam, inscriptamque vllo modo,* Act. Eccles. Mediol. lib. 1. c. 25. de fabr. Eccles.

sed

sed S. Patroni Ecclesię, vel aliam sacram imaginem, piamque inscriptionem habentes.

3 Quod autem à S. Carolo de numero campanarum in Ecclesijs maioribus rite fuit sancitum, venerandæ antiquitatis continet obseruantiam. Nam, vt Guitbertus Tornarus adnotauit, quod antiquitus distinguebatur in clangore tubarum, & differentia sonituum, hoc idem repræsentatur nunc in Ecclesia. Vnde colligimus campanarum sonum pro varietate dierum multiplicem, adeo vt festis diebus aliter, quàm ferialibus, & celebrioribus, quàm minus celebrioribus campanę pulsari solitæ fuerint. Quod auctor ordinis Romani manifestè ostendit, dum ait: *In ipsa feria V. maioris hebdomadę, idest in Cęna Domini, mane primo Mansionarij ordinent omnia, quæ sunt necessaria ad consecrationem Chrismatis, &c. Ipso die sonentur campanę ad Missas, & ad cæteras Horas, sicut mos est diebus festis.* Alibi verò dum agit de consecratione Episcopi: *Electus*, inquit, *sacris vestibus indutus, procedat vnà cum Archiepiscopo, & cęteris Episcopis è secretario ante Altare, factoque ibi scrutinio, & concrepantibus signis, Ecclesię cantor incipit antiphonam.* Ex quibus locis manifestè colligitur plura esse signa, idest plures campanas, solemnibusque diebus plures pulsari campanas.

Guitb. Tor. de off. Epis. c. 15.

Ord. Roman. fer. V. in Cœna Domini.

Or. Ro. t. quater E. pisc. ordinetur Eccl. Rom.

4 Cum igitur campanę specialiter diuino cultui sint consecratæ, atque dicatæ, ipsarum sono Ecclesiastici ad diuina officia celebranda, & populus, vt in diuinis communicent, regulariter conuocentur, diebus quidem ferialibus simplici vnius campanę pulsatione ad Matutinum, & Vesperas semel, atque iterum primum quidem medię, vltimum verò minoris campanæ signo: vltimum tamen campanæ signum decet, semper præcedant minoris campanæ tintinni eo temporis spatio, quò commodè omnes in Chorum conferre possint. Nam, vt ait Ioannes Belethus, in rebus Ecclesiasticis suo tempore eruditus, primum signum datur ad inuocandum, vltimum ad inchoandum; statim namque, ac campanę sonus cessauerit, debent diuina officia incohari.

...ò fuet. Cleric. Regul. Theat. Io. Beleth. de diu. off. c. 86.

5 Diebus festis ad Dei omnipotentis gloriam, & Sanctorum honorem maxima cum lætitia, & armonico sono pulsari debent campanæ ad Missam solemnem, ad Vesperas, & Matutinū tribus vicibus, pluribus campanis, habita ratione festorum, Vespere etiam ante celebrationem festorum post signum salutationis Angelicæ, & mane in aurora, multiplici campanarum sono fideles ad Deum laudandum excitantur.

6 Idipsum seruetur, cum in aliqua Ecclesia celebratur oratio quadraginta Horarum; item cum ad Indulgentias populus frequens concurrit.

Act. Eccles. Mediol. côstit. Synod. lib. 2.

7 In solemnioribus autem processionibus, ac præcipuè cum Sanctissimum Sacramentum, vel Sanctorum Reliquię circumferuntur, campanarum sono piorum mētes spirituali gaudio affectæ ad Deum laudandum, ipsosque Sanctos deuotè venerandos Ecclesiastico more excitantur.

8 In processionibus, quę fiunt per ambitum Ecclesiæ, pulsantur campanæ, durante processione; in ijs verò, quæ extra Ecclesiam fiunt, pulsantur, dum Clerus exit, & dum redit, & tunc Cathedralis Ecclesiæ mansionarius præcedens processionem, monebit omnes Ecclesias, per quas processio pertransibit, vt campanæ pulsentur.

S. Card. côst. Syno. li. 4. §. de process. 15. Cære. Amb. li. 1. tit. de ostiarijs pa. 193.

9 Et quia, vt passim notant Canonistæ, dum in Decretalibus agunt de officio custodis, campanæ Ecclesiasticæ sunt signa lætitiæ, & honoris, cum Princeps maximâ dignitate decorati, præcipuè Ecclesiastica, in locis sibi subiectis solemniter excipiuntur, campanarum sono in signū lętitię honorantur. Magni enim Principes quandoque, iuxta Pontificalis Romani Ritus, etiam processionaliter, & cum honore excipiuntur.

Decret. li. 1. c. 1. Epis. Iâgast. lib. de campa. c. 12. Pôt. Ro. pa. 2. tit. ord. ad recipié. process. Princip. mag. potent. pa. 675.

10 Cum Episcopus loci, ad Ecclesiam in loco suæ Iurisdictionis accedit, campa-

narum

narum sono semper excipitur: similiter cum processionaliter transit, campanæ in signum honoris pulsari debent.

tit. Miss. VII. 8. Concil. Clarau. onc.to. par.2. d. Eccles. Med. iol co. it. Syod.li.4

11 In sacrificio Missæ, cum scilicet sãcta conficitur Eucharistia, & eleuatur, in Missis priuatis paruo tintinnabulo pulsatur: at in Missa solemni laudabilis est cõsuetudo ex decreto Concilij Claraualensis inducta, & à S. Carolo in sua Prouincia ordinata, pulsandi scilicet campanas ad honorem, & venerationem tanti Sacramenti, ac Sacrificij; nec non ad excitandas hominum mentes, vt etiam domi commorantes, & vbique degentes ad campanarum sonitũ, genibus flexis, Christum Dominum in spiritu adorent.

onstit. ynod. rouin. lediol. b. 2.

12 Similiter cum Eucharistia, siue ad communicãdum infirmos circumfertur; siue etiam cum de loco ad locum, puta ab vno Altari ad aliud, pro communicãdis fidelibus, transfertur, tintinnabuli signo fideles, vt illud venerentur, præmoneri decet.

Cõsuet. Cleric. Regul. Theat.

13 Pro concione regulariter ter maiori campana, Vespere post signum salutationis Angelicę, mane in aurora, & proxime ante concionẽ signum dabitur. Cũ verò concionator suggestum ascendere debet, cõciso, ac breui sono signum dabitur. Eodẽ modo fiat pro lectione vespertina, cum hoc tamen discrimine, quòd cãpana, quæ ibi in aurora, hic post meridiẽ pulsabitur, habita tamen locorum ratione, quorum standum est consuetudini.

Conf. Syno. Mediol.li.2. Arnald. tuo. li. gni vi. Epif. Tagast. b. de camp.

14 Signum salutationis Angelicæ, quod ex communi Ecclesiæ vsu vespere, mane, & meridie in omnibus Ecclesiis datur, à Summis Pontificibus institutum, prout fusius Auctor libri Ligni vitæ, & alii docent, Vespere ad Solis occasum hora vigesimaquarta cum aliis Ecclesiis, præcipuè cum maiori, vt decet, cõueniendo; mane verò antequam illucescat, & meridie hora congrua, pro temporũ varietate, aliis Ecclesiis communiter cohærẽdo, certa, ac determinata hora semper detur.

Cõsuet. Cl.Reg. Theat.

15 Et cum regulariter apud Religiosos, qui in claustris degẽtes debitis horis diuinas persoluunt laudes, matutinum circa auroram terminari soleat; Nonam verò circa meridiem, & Completorium ad Solis occasum: Hinc factum est, vt apud ipsos post Laudes, Nonam, & Completorium signum salutationis Angelicę cãpanula detur, quę laudabilis cõsuetudo à Religiosis pręcipuè seruari debet; non tamen ad completorium dicantur preces, quæ ad Salutationem Angelicam sũt assignatæ, sed iuxta Breuiarij Rubricam dicatur Pater noster, Aue Maria, & Credo; olim enim Cœnobitę Completoriũ circa Solis occasum celebrabant, ita vt post completorium indiceretur silentiũ, ac propterea tunc dabatur signum salutationis Angelicæ, & à Superiore tãdem omnes aspergebantur. Quæ laudabilis consuetudo, vbi viget, retineri debet.

16 Pro defunctis verò laudabilis consuetudo est plurium Ecclesiarum Gregorio XIII. Pontifice, primùm Romæ instituta, deinde à S. Carolo Mediolani, vespere circa primam noctis horam minoris, vel etiam maioris campanæ, sicut pro salutatione Angelica, signum dare, quò piis precibus fidelium defunctorum animę iuuentur.

Const. Syn. Eccl. Med. lib.1. tit. de orõne n. 18.

17 Vsus autem pulsandi campanas pro defunctis Christiana pietate, ait Beda, ideo fuit inductus, vt tali sonitu inuitati fideles, misericordiæ opus, funus associando, implerent, ac pro illis omnes tàm præsentes, quam absentes, excitati, preces ad Deum funderent; sancta enim, & salubris cogitatio est pro defunctis exorare. Hãc antiquissimam, & omni laude dignam Ecclesiasticam consuetudinẽ Catholicæ fidei hostes immanes nostris temporibus Caluinistæ impugnant, ac propterea eam magis Catholici tueri tenentur. Commendatur pręcipuè ab Episcopo Tagastensi illorum locorum consuetudo, in quibus ad sonitum funebrem expressius iudicandum campanę non ad vtramque, sed ad vnam tantùm partem paulatim, ac sensim pulsantur; quasi mœrorem quendam repræsentantes.

Bed. lib. 4. c. 33. 2. Mac. 12.

Ep. Tagast. lib. de camp. c. 20. Cõsuet. Cl.Reg. Theat.

In

Rit. Ro. Ti. ordo cõmẽd. anim. §. in expi.

18 In obitu igitur defuncti, si fuerit aliquis Prælatus, vel Religiosus, aut etiã Collegialis, statim ac expirauerit, dabitur signum campanæ maioris, vt fit pro Salutatione Angelica, & immediatè post, campanæ omnes sono funebri, ac conciso pluries, iuxta personæ qualitatem, ac loci consuetudinem pulsantur. Idem pręstandũ in obitu Summ. Pontificis, & Episcopi loci, cum enim certum nũtium eius mortis aduenerit, statim in Cathedrali, & aliis Ecclesiis campanæ pulsari debent.

Rit. Ro. Ti. exe. ordo.

19 Pulsantur etiam, quando defuncti corpus defertur in Ecclesiam, vel cum sepulturæ tradi debet: pro officio etiam pro defunctis, atque etiam pro Missa solemniter pro singulis pulsari decet.

Confue. cle. reg. Theat.

20 Si aliquod solemne officium celebrandum sit, puta in obitu Summi Pontificis, Episcopi loci, vel alicuius Magnatis, etiam absente corpore, Vespere post signum Salutationis Angelicæ, & mane in aurora ter pulsantur campanæ sono funebri: quod etiam seruatur in Commemoratione omnium fidelium defunctorũ, & quoties solemniter pro defunctis est celebrandum, & tunc in ipsis exequiis, & dum fit absolutio ad tumulum, semper sono conciso pulsantur campanæ.

Rit. Ro. Tit. de proces.). pre :es ad epel. tẽ pest.

21 His omnibus addimus ex Rituali Romano nouiter impresso, pulsandas esse campanas omnes, cũ procella imminet; pulsantur enim campanæ ad tempestatem repellendam, vt Dæmones, qui, Deo permittente multoties eas excitant, ipsarum sonitu, dum fideles ad preces confugiunt, terreantur: abhorrent enim maximè Dęmones sonitum campanarum, quæ sunt multiplici benedictione sacratæ, atque etiam vt per earum sonum aer condensus cuncutiatur, ac serenus reddatur, prout fusius in Concilio Toletano habetur.

Cõc. To .c. 1. c. 14

22 Diligẽter aduertat Campanarius, ne pueri, vel alii otiosi ad locum, quo pulsantur campanæ, accedant, & ne extra horam ab aliquo tangantur, cum enim sint instrumenta, ac signa publica, non sine admiratione temporibus incongruis earum sonus auditur, etiam leuissimis.

23 Dedecet quoque, si in solemnioribus maximè, quando plures campanæ pulsari debent, earum ictibus per Sacristam, vel alios, tẽpus pulsãdi significetur, cum voce potius, quàm cãpanæ signo Ministros ad eas pulsandas cõuocare deceat.

24 S. Carolus Borromęus Diuini cultus obseruantissimus vsum campanæ ad supplicium significandum omnino improbauit, sunt enim sacra signa ad fideles conuocandum inducta.

Cõst. Syno. Prouin. Mediol. lib. 4. tit. cõmun. de ratione diui. offic. n. 12.

25 Cęterum, quia circa campanarũ sonum, locorum consuetudinem, vt plurimum, obseruare oportet, cauẽdum est, ne pro libito Campanarius horas variet, ac propterea decet, vt tempore Visitationis in qualibet Ecclesia designetur Tabula horarum, quibus per annum ad diuina officia pulsari debent campanę, omnia iuxta temporum variationem distincta.

26 Vt autem rite huiusmodi Tabulę in singulis Ecclesiis formari possint, aliqua generalia pro instructione Ministri campanarum ad distinguendas horas pulsationis, pro ipsis diuinis officiis, hoc loco adnotare non erit incongruum.

27 In primis namque temporum distinctiones, & anni cursum campanarius obseruare debet, non enim tempora sunt semper ęqualia, diuina namque ordinatione variãtur; prout ex Solis cursu per Zodiacum eorum distinctio facilè colligitur; sunt enim à Deo posita signa in tempora, dies, & annos, quorum ordinatione vniuersę humanæ virę ratio pendet: Idcirco hoc loco singulorum temporum varietatem ad efformandam Tabulam horarum, videlicet medię noctis, Matutini, Aurorę, Ortus Solis, & cęterorum tẽporum distinctiones, adnotabuntur. Ge. 1. 14

D. Hier. in ps. 89. vers. & custodia in noct.

28 Licet nox, ex antiquissima institutione, in quatuor partes, seu vigilias militaribus stationibus primum accommodata, orantium fidelium turmis, pręcipuè Monachorum deseruiret, qui ad singulas vigilias surgentes nocturnalia officia, pri-

mum videlicet Nocturnum in prima vigilia, secundum in secunda ante mediam noctem, tertium verò post mediam noctem, ac tandem Laudes matutinas in ipsa quarta vigilia noctis præcinebant; nostris tamen temporibus regulariter in religiosis domibus Nocturnale officium à plerisque vtriusque sexus religiosorum Ordinum Congregationibus in ipso mediæ noctis tempore celebratur; ab alijs verò Horis matutinis, quarta videlicet noctis parte; idcirco in hac nostra Tabula, qua nostros Ecclesiasticos instruere intendimus, tātùm mediæ noctis, & quartæ vigiliæ horas ad instruendum Campanarum ministrum adnotabimus.

Cōsuet. Cl. Reg. Theat.

29 Obseruandum præcipuè est, certum mediæ noctis tempus, vnde dies naturalis incipit, pro ecclesiastico ieiunio, & multò magis pro naturali, ad sacram Communionem sumendam, maximè Sacerdotibus, qui quotidie celebrant, necessarium.

Sylu. in sac. ver. ieiu. 3.

30 Tempus verò diei licet in plures partes diuidi possit, iuxta illud: Nonnè duodecim horæ sunt diei, in illas tamen hoc loco diuidimus, quæ ecclesiastico vsui sunt necessariæ, obseruatis namque horis auroræ, ortus Solis, Tertiæ, meridiei, ac vesperarum, singula tempora ecclesiastico vsui congrua habebimus; nam in aurora datur signum Salutationis Angelicæ matutinæ. In eadem hora rite Missarum celebrandarum initia dari debent, cum ante auroram non nisi ex speciali Sedis Apostolicæ priuilegio celebrari possit. In ortu Solis officio Primæ suum designatur tempus; hora verò Tertiæ Missam solemnem in Collegiatis, maximè diebus festis celebrari decet. Sexta verò, sequenti hora, quæ mediat inter Tertiam, & Nonam.

Io. 11. 9.

31 In ipso verò meridie, quando Nona dici debet, datur signum Salutationis meridianæ, & Missarum celebratio cessare debet, cum vltra, nisi ex speciali priuilegio, protrahi non possit, & propterea eadem hora fores Ecclesiæ, & non prius in Collegiatis, vbi plures Sacerdotes celebrant, claudi debent.

32 Vesperarum verò hora congrua mediat inter meridiem, & occasum Solis, vnde Ecclesiasticum nostrum ea obseruare decet, vt temporibus suis diuinæ persoluantur laudes.

33 Quam præcipuè horam etiam in priuatis officijs recitandis illis obseruandam proponimus, qui matutinale officium sequentis diei præueniunt; non enim ante horam Vesperarum recitari decet, & ideo iuxta traditam formam, transacta videlicet hora Vesperarum, & non prius, dicto Completorio, si fortè aliquando in Choro celebrandum erit; vt in triduo maioris hebdomadæ, vel infra Octauam Corporis Christi, ecclesiastico more celebrari consueuit, & cum in aliquibus Ecclesijs ratione alicuius solemnitatis ex consuetudine in præcedenti die post Vesperas celebrandum fuerit Matutinum, obseruari hora congrua debet, & ad hoc maximè huius nostræ Tabulæ obseruatio confert, cum in ea singulis temporibus certa inueniatur hora, quam præterire non decet; media videlicet inter meridiem, & occasum Solis.

D. Tho. quodl. 5.

34 Hora verò Completorij in hac Tabula non signatur, cùm sit post Solis occasum omnibus conspicuum, vt propterea, qui tali consuetudine laudabiliter Monachorū ordines temporibus suis diuinas preces in communi concelebrāt, non indigeant directione.

Bed. l. 3. in Esdr. c. 18.

35 Pariter pro signo Salutationis Angelicæ, quod non variatur, cum omnibus pateant ipsa crepuscula vespertina, videlicet vigesimaquarta, & vltima diei artificialis hora.

TABV-

TABVLA GENERALIS AD DISTINGVENDA TEMPORA,

Et horas Ecclesiasticas pro celebratione Diuinorum Officiorum, atque Missarum horis congruis accomodata, iuxta communem supputationem horarum Italicarum, quæ ab occasu Solis initium sumunt, ad gradum Eleuationis Poli 41. quæ & alijs locis accommodari facilè poterit ad singulas eleuationes superiorum graduum minutum vnum plus, minusuè addendo, vel ad inferiorum depresionem minuendo.

Meritò autem à die 21. Martij initium sumendum duximus, Niceni Concilij Decretis inhærentes, inde æquinoctij vernalis, pariter & anni sacri, principium pro Paschate ritè temporibus suis celebrando perpetuo statuentibus.

	Tēpus mediæ noctis		Quartæ, & Primæ noctis partis		Crepusculi Matutini.		Ortus Solis, & Primę.		Hora Tertiæ, ac Missæ solemn		Meridiei.		Celebrandi Vesperas.	
Martij.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.
Die 21	6	0	9	0	10	23	12	0	15	0	18	0	21	0
22	5	59	8	58	10	21	11	58	14	58	17	59	21	0
23	5	57	8	56	10	17	11	54	14	55	17	57	20	58
24	5	50	8	54	10	15	11	52	14	54	17	56	20	58
25	5	55	8	52	10	13	11	50	14	53	17	55	20	57
26	5	53	8	49	10	9	11	46	14	49	17	53	20	56
27	5	52	8	48	10	7	11	44	14	47	17	52	20	56
28	5	51	8	46	10	5	11	42	14	46	17	51	20	55
29	5	49	8	44	10	0	11	38	14	44	17	49	20	55
30	5	48	8	42	9	58	11	36	14	42	17	48	20	54
31	5	46	8	39	9	54	11	32	14	39	17	46	20	53

Aprilis.	Tẽpus mediæ noctis.		Quartæ, & vltimæ noctis partis.		Crepusculi matutini.		Ortus Solis, & Primæ.		Hora Tertiæ, ac Missę solemn.		Meridiei.		Celebrandi Vesperas.	
	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.
Die 1	5	45	8	38	9	51	11	30	14	38	17	45	20	53
2	5	43	8	35	9	47	11	26	14	35	17	43	20	52
3	5	42	8	33	9	45	11	24	14	33	17	42	20	51
4	5	40	8	30	9	40	11	20	14	30	17	40	20	50
5	5	39	8	29	9	38	11	18	14	29	17	39	20	50
6	5	38	8	27	9	36	11	16	14	27	17	38	20	49
7	5	36	8	24	9	31	11	12	14	24	17	36	20	48
8	5	35	8	23	9	29	11	10	14	23	17	35	20	48
9	5	34	8	21	9	27	11	8	14	21	17	34	20	47
10	5	32	8	18	9	22	11	4	14	18	17	32	20	46
11	5	31	8	17	9	20	11	2	14	17	17	31	20	46
12	5	30	8	15	9	18	11	0	14	15	17	30	20	45
13	5	28	8	12	9	13	10	56	14	12	17	28	20	44
14	5	27	8	11	9	11	10	54	14	11	17	27	20	44
15	5	26	8	9	9	9	10	52	14	9	17	26	20	43
16	5	24	8	6	9	4	10	48	14	6	17	24	20	42
17	5	23	8	5	9	2	10	46	14	5	17	23	20	42
18	5	22	8	3	9	0	10	44	14	3	17	22	20	41
19	5	20	8	0	8	56	10	40	14	0	17	20	20	40
20	5	19	7	59	8	54	10	38	13	59	17	19	20	40
21	5	18	7	57	8	51	10	36	13	57	17	18	20	39
22	5	17	7	56	8	49	10	34	13	56	17	17	20	39
23	5	16	7	54	8	47	10	32	13	54	17	16	20	38
24	5	15	7	53	8	43	10	30	13	53	17	15	20	38
25	5	14	7	51	8	41	10	28	13	51	17	14	20	37
26	5	13	7	50	8	39	10	26	13	50	17	13	20	37
27	5	12	7	48	8	36	10	24	13	48	17	12	20	36
28	5	11	7	47	8	34	10	22	13	47	17	11	20	36
29	5	9	7	44	8	30	10	18	13	44	17	9	20	35
30	5	8	7	42	8	26	10	16	13	42	17	8	20	34

Maij.	Têpus mediæ noctis.		Quartæ, & vltimæ noctis partis.		Crepusculi Matutini.		Ortus Solis, & Primę.		Hora Tertiæ, ac Missæ solemn.		Meridiei.		Celebrandi Vesperas.	
	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.
Die 1	5	7	7	41	8	24	10	14	13	41	17	7	20	34
2	5	5	7	38	8	20	10	10	13	38	17	5	20	33
3	5	4	7	36	8	17	10	8	13	36	17	4	20	32
4	5	3	7	35	8	15	10	6	13	35	17	3	20	32
5	5	2	7	33	8	13	10	4	13	33	17	2	20	31
6	5	1	7	32	8	9	10	2	13	32	17	1	20	31
7	5	0	7	30	8	7	10	0	13	30	17	0	20	30
8	4	58	7	27	8	3	9	56	13	27	16	58	20	29
9	4	57	7	26	7	59	9	54	13	26	16	57	20	29
10	4	56	7	24	7	57	9	52	13	24	16	56	20	28
11	4	55	7	23	7	55	9	50	13	23	16	55	20	28
12	4	54	7	21	7	51	9	48	13	21	16	54	20	27
13	4	53	7	20	7	49	9	46	13	20	16	53	10	27
14	4	52	7	18	7	47	9	44	13	18	16	52	20	26
15	4	51	7	17	7	44	9	42	13	17	16	51	20	26
16	4	50	7	15	7	42	9	40	13	15	16	50	20	25
17	4	49	7	14	7	40	9	38	13	14	16	49	20	25
18	4	48	7	12	7	36	9	36	13	12	16	48	20	24
19	4	47	7	11	7	34	9	34	13	11	16	47	20	24
20	4	46	7	9	7	32	9	32	13	9	16	46	20	23
21	4	45	7	8	7	30	9	30	13	8	16	45	20	23
22	4	45	7	8	7	28	9	30	13	8	16	45	20	23
23	4	44	7	6	7	26	9	28	13	6	16	44	20	22
24	4	43	7	5	7	24	9	26	13	5	16	43	20	22
25	4	43	7	5	7	22	9	26	13	5	16	4[illegible]	20	22
26	4	42	7	3	7	20	9	24	13	3	16	42	20	21
27	4	41	7	2	7	18	9	22	13	2	16	41	20	21
28	4	41	7	2	7	17	9	22	13	2	16	41	20	21
29	4	40	7	0	7	15	9	20	13	0	16	40	20	20
30	4	39	6	59	7	13	9	18	12	59	16	39	10	20
31	4	39	6	59	7	12	9	18	12	59	16	39	10	20

Iunij.	Tēpus mediæ noctis.		Quartæ, & vltimæ noctis partis.		Crepusculi matutini.		Ortus Solis, & Primæ.		Hora Tertię, ac Missę solemn.		Meridiei.		Celebrandi Vesperas.	
	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.
Die 1	4	38	6	57	7	10	9	16	12	57	16	38	20	19
2	4	37	6	56	7	8	9	14	12	56	16	37	20	19
3	4	37	6	56	7	6	9	14	12	56	16	37	20	19
4	4	36	6	54	7	4	9	12	12	54	16	36	20	18
5	4	36	6	54	7	4	9	12	12	54	16	36	20	18
6	4	35	6	53	7	0	9	10	12	53	16	35	20	18
7	4	35	6	53	7	0	9	10	12	53	16	35	20	18
8	4	34	6	51	6	58	9	8	12	51	16	34	20	17
9	4	34	6	51	6	57	9	8	12	51	16	34	20	17
10	4	34	6	51	6	57	9	8	12	51	16	34	20	17
11	4	33	6	50	6	55	9	6	12	50	16	33	20	16
12	4	33	6	50	6	55	9	6	12	50	16	33	20	16
13	4	33	6	50	6	55	9	6	12	50	16	33	20	16
14	4	32	6	48	6	53	9	4	12	48	16	32	20	16
15	4	32	6	48	6	52	9	4	12	48	15	32	20	16
16	4	32	6	48	6	52	9	4	12	48	17	32	20	16
17	4	31	6	47	6	50	9	2	12	47	16	31	20	16
18	4	31	6	47	6	48	9	2	12	47	16	31	20	16
19	4	31	6	47	6	48	9	2	12	47	16	31	20	16
20	4	30	6	45	6	46	9	0	12	45	16	30	20	15
21	4	30	6	45	6	46	9	0	12	45	16	30	20	15
22	4	30	6	45	6	46	9	0	12	45	16	30	20	15
23	4	30	6	45	6	46	9	0	12	45	16	30	20	15
24	4	31	6	47	6	48	9	2	12	47	16	31	20	16
25	4	31	6	47	6	48	9	2	12	47	16	31	20	16
26	4	31	6	47	6	50	9	2	12	47	16	31	20	16
27	4	32	6	48	6	52	9	4	12	48	16	32	20	16
28	4	32	6	48	6	52	9	4	12	48	16	32	20	16
29	4	32	6	48	5	53	9	4	12	48	15	32	20	16
30	4	33	6	50	6	55	9	6	12	50	16	33	20	16

Iulij.	Tēpus mediæ noctis.		Quartæ, & vltimæ noctis partis.		Crepusculi Matutini.		Ortus Solis, & Primę.		Hora Tertiæ, ac Missæ solemn.		Meridiei.		Celebrandi Vesperas.	
	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.
Die 1	4	33	6	50	6	55	9	6	12	50	16	33	20	16
2	4	33	6	50	6	55	9	6	12	50	16	33	20	16
3	4	34	6	51	6	57	9	8	12	51	16	34	20	17
4	4	34	6	51	6	57	9	8	12	51	16	34	20	17
5	4	34	6	51	6	58	9	8	12	51	16	34	20	17
6	4	35	6	53	7	0	9	10	12	53	16	35	20	18
7	4	35	6	53	7	0	9	10	12	53	16	35	20	18
8	4	36	6	54	7	4	9	12	12	54	16	36	20	18
9	4	36	6	54	7	4	9	12	12	54	16	36	20	18
10	4	37	6	56	7	6	9	14	12	56	16	37	20	19
11	4	37	6	56	7	8	9	14	12	56	16	37	20	19
12	4	38	6	57	7	10	9	16	12	57	16	38	20	19
13	4	39	6	59	7	12	9	18	12	59	16	39	20	20
14	4	39	6	59	7	13	9	18	12	59	16	39	20	20
15	4	40	7	0	7	15	9	20	13	0	16	40	20	20
16	4	41	7	2	7	17	9	22	13	2	16	41	20	21
17	4	41	7	2	7	18	9	22	13	2	16	41	20	21
18	4	42	7	3	7	20	9	24	13	3	16	42	20	21
19	4	43	7	5	7	22	9	26	13	5	16	43	20	22
20	4	43	7	5	7	24	9	26	13	5	16	43	20	22
21	4	44	7	6	7	26	9	28	13	6	16	44	20	22
22	4	45	7	8	7	28	9	30	13	8	16	45	20	23
23	4	45	7	8	7	30	9	30	13	8	16	45	20	23
24	4	46	7	9	7	32	9	32	13	9	16	46	20	23
25	4	47	7	11	7	34	9	34	13	11	16	47	20	24
26	4	48	7	12	7	36	9	36	13	12	16	48	20	24
27	4	49	7	14	7	38	9	38	13	14	16	49	20	25
28	4	50	7	15	7	40	9	40	13	15	16	50	20	25
29	4	51	7	17	7	42	9	42	13	17	16	51	20	26
30	4	52	7	18	7	44	9	44	13	18	16	52	20	26
31	4	53	7	20	7	46	9	46	13	20	16	53	20	27

Augusti.

Augusti.	Tēpus mediæ noctis.		Quartæ, & vltimæ noctis partis.		Crepusculi matutini.		Ortus Solis, & Primæ.		Hora Tertiæ, ac Missæ solemn.		Meridiei.		Celebrandi Vesperas.	
	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.
Die 1	4	54	7	21	7	51	9	48	13	21	16	45	20	27
2	4	55	7	23	7	55	9	50	13	23	16	55	20	28
3	4	55	7	23	7	57	9	50	13	23	16	55	20	28
4	4	56	7	24	7	59	9	52	13	24	16	56	20	28
5	4	57	7	26	8	3	9	54	13	26	16	57	20	29
6	4	[illegible]	7	27	8	7	9	56	13	27	16	58	20	29
7	5	0	7	30	8	9	10	0	13	30	17	0	20	30
8	5	1	7	32	8	13	10	2	13	32	17	1	20	31
9	5	2	7	33	8	15	10	4	13	33	17	2	20	31
10	5	3	7	35	8	17	10	6	13	35	17	3	20	32
11	5	4	7	36	8	20	10	8	13	36	17	4	20	32
12	5	5	7	38	8	24	10	10	13	38	17	5	20	33
13	5	7	7	41	8	26	10	14	13	41	17	7	20	34
14	5	8	7	42	8	30	10	16	13	42	17	8	20	34
15	5	9	7	44	8	34	10	18	13	44	17	9	20	35
16	5	11	7	47	8	36	10	22	13	47	17	11	20	36
17	5	12	7	48	8	39	10	24	13	48	17	12	20	36
18	5	13	7	50	8	41	10	26	13	50	17	13	20	37
19	5	14	7	51	8	43	10	28	13	51	17	14	20	37
20	5	15	7	53	8	47	10	30	13	53	17	15	20	38
21	5	16	7	54	8	49	10	32	13	54	17	16	20	38
22	5	17	7	56	8	51	10	34	13	56	17	17	20	39
23	5	18	7	57	8	54	10	36	13	57	17	18	20	39
24	5	19	7	59	8	56	10	38	13	59	17	19	20	40
25	5	20	8	0	9	0	10	40	14	0	17	20	20	40
26	5	22	8	3	9	2	10	44	14	3	17	22	20	41
27	5	23	8	5	9	4	10	46	14	5	17	23	20	42
28	5	24	8	6	9	9	10	48	14	6	17	24	20	42
29	5	26	8	9	9	11	10	52	14	9	17	26	20	43
30	5	27	8	11	9	13	10	54	14	11	17	27	20	44
31	5	28	8	12	9	18	10	56	14	12	17	28	20	44

	Tẽpus mediæ noctis.		Quartæ, & vltimæ noctis partis.		Crepusculi Matutini.		Ortus Solis, & Primę.		Hora Tertiæ, ac Missæ solemn.		Meridiei.		Celebrandi Vesperas.	
	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min
Septembris. Die 1	5	30	8	15	9	20	11	0	14	15	17	30	20	45
2	5	31	8	17	9	22	11	2	14	17	17	31	20	46
3	5	32	8	18	9	27	11	4	14	18	17	32	20	46
4	5	34	8	21	9	29	11	8	14	21	17	34	20	47
5	5	35	8	23	9	31	11	10	14	23	17	35	20	48
6	5	36	8	24	9	36	11	12	14	24	17	36	20	48
7	5	38	8	27	9	38	11	16	14	27	17	38	20	49
8	5	39	8	29	9	40	11	18	14	29	17	39	20	50
9	5	40	8	3[illegible]	9	45	11	20	14	30	17	40	20	50
10	5	42	8	3[illegible]	9	47	11	24	14	33	17	42	20	51
11	5	43	8	35	9	51	11	26	14	35	17	43	20	52
12	5	45	8	3[illegible]	9	54	11	30	14	38	17	45	20	53
13	5	46	8	3[illegible]	9	58	11	32	14	39	17	46	20	53
14	5	47	8	4[illegible]	0	0	11	3[illegible]	14	42	17	48	20	54
15	5	48	8	4[illegible]	0	5	11	38	14	44	17	49	20	55
16	5	49	8	4[illegible]	0	7	11	42	14	46	17	51	20	55
17	5	51	8	4[illegible]	10	9	11	44	14	47	17	52	20	56
18	5	52	8	4[illegible]	10	13	11	46	14	49	17	53	20	56
19	5	53	8	5[illegible]	10	15	11	50	14	53	17	55	20	57
20	5	55	8	54	10	17	11	52	14	54	17	56	20	58
21	5	56	8	56	10	21	11	54	14	55	17	57	20	58
22	5	57	8	58	10	23	11	58	14	58	17	59	21	0
23	6	59	9	0	10	23	12	0	15	0	18	0	21	0
24	6	0	9	0	10	23	12	0	15	0	18	0	21	0
25	6	1	9	2	10	25	12	2	15	2	18	1	21	1
26	6	3	9	5	10	29	12	6	15	5	18	3	21	2
27	6	4	9	6	10	32	12	8	15	6	18	4	21	2
28	6	5	9	8	10	34	12	10	15	8	18	5	21	3
29	6	7	9	11	10	38	12	14	15	11	18	7	21	4
30	6	8	9	12	10	40	12	16	15	12	18	8	21	4

Octobris. Die	Tẽpus mediæ noctis. Hor.	Min.	Quartæ, & vltimæ noctis partis. Hor.	Min.	Crepusculi matutini. Hor.	Min.	Ortus Solis, & Primæ. Hor.	Min.	Hora Tertię, ac Missę solemn. Hor.	Min.	Meridiei. Hor.	Min.	Celebrandi Vesperas. Hor.	Min.
1	6	9	9	14	10	42	12	18	15	14	18	9	21	5
2	6	11	9	17	10	46	12	22	15	17	18	11	21	6
3	6	12	9	18	10	48	12	24	15	18	18	12	21	6
4	6	14	9	21	10	52	12	28	15	21	18	14	21	7
5	6	15	9	23	10	54	12	30	15	23	18	15	21	8
6	6	17	9	26	10	58	12	34	15	26	18	17	21	9
7	6	18	9	27	11	0	12	36	15	27	18	18	21	9
8	6	20	9	30	11	4	12	40	15	30	18	20	21	10
9	6	21	9	32	11	6	12	42	15	32	18	21	21	11
10	6	22	9	33	11	8	12	44	15	33	18	22	21	11
11	6	24	9	36	11	12	12	48	15	36	18	24	21	12
12	6	25	9	38	11	14	12	50	15	38	18	25	21	13
13	6	26	9	39	11	16	12	52	15	39	18	26	21	13
14	6	28	9	42	11	20	12	56	15	42	18	28	21	14
15	6	29	9	44	11	22	12	58	15	44	18	29	21	15
16	6	30	9	45	11	24	13	0	15	45	18	30	21	15
17	6	32	9	48	11	28	13	4	15	48	19	32	21	16
18	6	33	9	50	11	30	13	6	15	50	18	33	21	17
19	6	34	9	51	11	32	13	8	15	51	18	34	21	17
20	6	36	9	54	11	36	13	12	15	54	18	36	21	18
21	6	37	9	55	11	38	13	14	15	56	18	37	21	19
22	6	38	9	57	11	40	13	16	15	57	18	38	21	19
23	6	40	10	0	11	44	13	20	16	0	18	40	21	20
24	6	41	10	2	11	45	13	22	16	2	18	41	21	21
25	6	42	10	3	11	47	13	24	16	3	18	42	21	21
26	6	44	10	6	11	51	13	28	16	6	18	44	21	22
27	5	45	10	8	11	53	13	30	16	8	18	45	21	23
28	6	46	10	9	11	55	13	32	16	9	18	46	21	23
29	6	47	10	11	11	57	13	34	16	11	18	47	21	24
30	6	48	10	12	11	59	13	36	16	12	18	48	21	24
31	6	49	10	14	12	1	13	38	16	14	18	49	21	25

Nouembris. Die	Tēpus mediæ noctis. Hor.	Min.	Quartæ, & vltimæ noctis partis. Hor.	Min.	Crepusculi matutini. Hor.	Min.	Ortus Solis, & Primæ. Hor.	Min.	Horæ Tertiæ, ac Missæ solemn. Hor.	Min.	Meridiei. Hor.	Min.	Celebrandi Vesperas. Hor.	Min.
1	6	51	10	17	12	5	13	42	16	17	18	51	21	26
2	6	52	10	18	12	6	13	44	16	18	18	52	21	26
3	6	53	10	20	12	8	13	46	16	20	18	53	21	27
4	6	55	10	23	12	12	13	50	16	23	18	55	21	28
5	6	56	10	24	12	14	13	52	16	24	18	56	21	28
6	6	57	10	26	12	16	13	54	16	26	18	57	21	29
7	6	58	10	27	12	18	13	56	16	27	18	58	21	29
8	6	59	10	29	12	19	13	58	16	29	18	59	21	30
9	7	0	10	30	12	21	14	0	16	30	19	0	21	30
10	7	2	10	33	12	25	14	4	16	33	19	2	21	31
11	7	3	10	35	12	27	14	6	16	35	19	3	21	32
12	7	4	10	36	12	29	14	8	16	36	19	4	21	32
13	7	5	10	38	12	31	14	10	16	38	19	5	21	33
14	7	6	10	39	12	32	14	12	16	39	19	6	21	33
15	7	7	10	41	12	34	14	14	16	41	19	7	21	34
16	7	8	10	42	12	36	14	16	16	42	19	8	21	34
17	7	9	10	44	12	38	14	18	16	44	19	9	21	35
18	7	10	10	45	12	40	14	20	16	45	19	10	21	35
19	7	11	10	47	12	42	14	22	16	47	19	11	21	36
20	7	12	10	48	12	43	14	24	16	48	19	12	21	36
21	7	13	10	50	12	45	14	26	16	50	19	13	21	37
22	7	14	11	51	12	47	14	28	16	51	19	14	21	37
23	7	15	10	53	12	48	14	30	16	53	19	15	21	38
24	7	15	10	53	12	48	14	30	16	53	19	15	21	38
25	7	16	10	54	12	50	14	32	16	54	19	16	21	38
26	7	17	10	56	12	52	14	34	16	56	19	17	21	39
27	7	17	10	56	12	52	14	34	16	56	19	17	21	39
28	7	18	10	57	12	54	14	36	16	57	19	18	21	39
29	7	19	10	59	12	56	14	38	16	59	19	19	21	40
30	7	19	10	59	12	56	14	38	16	59	19	19	21	40

	Tẽpus mediæ noctis.		Quartæ, & vltimæ noctis partis.		Crepusculi matutini.		Ortus Solis, & Primæ.		Hora Tertię, ac Missę solemn.		Meridiei.		Celebrandi Vesperas.	
	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.
Decembris. Die 1	7	20	11	0	12	58	14	40	17	0	19	20	21	40
2	7	21	11	2	12	59	14	42	17	2	19	21	21	41
3	7	21	11	2	12	59	14	42	17	2	19	21	21	41
4	7	22	11	3	13	1	14	44	17	3	19	3	21	41
5	7	23	11	5	13	3	14	46	17	5	19	5	21	42
6	7	23	11	5	13	3	14	46	17	5	19	5	21	42
7	7	24	11	6	13	4	14	48	17	6	19	6	21	42
8	7	24	11	6	13	4	14	48	17	6	19	6	21	42
9	7	25	11	8	13	6	14	50	17	8	19	8	21	43
10	7	25	11	8	13	6	14	50	17	8	19	8	21	43
11	7	26	11	9	13	8	14	52	17	9	19	9	21	43
12	7	26	11	9	12	8	14	52	17	9	19	9	21	43
13	7	26	11	9	13	8	14	52	17	9	19	9	21	43
14	7	27	11	11	13	10	14	54	17	11	19	11	21	44
15	7	27	11	11	13	10	14	54	17	11	19	11	21	44
16	7	27	11	11	13	10	14	54	17	11	19	11	21	44
17	7	28	11	12	13	12	14	56	17	12	19	12	21	44
18	7	28	11	12	13	12	14	56	17	12	19	12	21	44
19	7	28	11	12	13	12	14	56	17	12	19	12	21	44
20	7	29	11	14	13	13	14	58	17	14	19	54	21	45
21	7	29	11	14	13	13	14	58	17	14	19	14	21	45
22	7	30	11	15	13	15	14	0	17	15	19	15	21	45
23	7	30	11	15	13	15	14	0	17	15	19	15	21	45
24	7	29	11	14	13	13	14	58	17	14	19	29	21	45
25	7	29	11	14	13	13	14	58	17	14	19	29	21	45
26	7	29	11	14	13	13	14	58	17	14	19	29	21	45
27	7	28	11	12	13	12	14	56	17	12	19	28	21	44
28	7	28	11	12	13	12	14	56	17	12	19	28	21	44
29	7	28	11	12	13	12	14	56	17	12	19	28	21	44
30	7	27	11	11	13	10	14	54	17	11	19	27	21	44
31	7	27	11	11	13	10	14	54	17	11	19	27	21	44

Ianuarij.	Tẽpus mediæ noctis.		Quartæ, & vltimæ noctis partis.		Crepusculi matutini.		Ortus Solis, & Primæ.		Hora Tertię, ac Missę solemn.		Meridiei.		Celebrandi Vesperas.	
	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.
Die 1	7	27	11	11	13	10	14	54	17	11	19	27	21	44
2	7	26	11	9	13	8	14	52	17	9	19	26	21	43
3	7	26	11	9	13	8	14	52	17	9	19	26	21	43
4	7	26	11	9	13	8	14	52	17	9	19	26	21	43
5	7	25	11	8	13	6	14	50	17	8	19	25	21	43
6	7	25	11	8	13	6	14	50	17	8	19	25	21	43
7	7	24	11	6	13	4	14	48	17	6	19	24	21	42
8	7	24	11	6	13	4	14	48	17	6	19	24	21	42
9	7	23	11	5	13	3	14	46	17	5	19	23	21	42
10	7	23	11	5	13	3	14	46	17	5	19	23	21	42
11	7	22	11	3	13	1	14	44	17	3	19	22	21	41
12	7	21	11	2	13	59	14	42	17	2	19	21	21	41
13	7	21	11	2	13	59	14	42	17	2	19	21	21	41
14	7	20	11	0	12	58	14	40	17	0	19	20	21	40
15	7	19	10	59	12	56	14	38	16	59	19	19	21	40
16	7	19	10	59	12	56	14	38	16	59	19	19	21	40
17	7	18	10	57	12	54	14	36	16	57	19	18	21	39
18	7	17	10	56	12	52	14	34	16	56	19	17	21	39
19	7	16	10	54	12	50	14	32	16	54	19	16	21	38
20	7	15	10	53	12	48	14	30	16	53	19	15	21	38
21	7	14	10	51	12	47	14	28	16	51	19	14	21	37
22	7	13	10	50	12	45	14	26	16	50	19	13	21	37
23	7	12	10	48	12	43	14	24	16	48	19	12	21	36
24	7	11	10	47	12	42	14	22	16	47	19	11	21	36
25	7	10	10	45	12	40	14	20	16	45	19	10	21	35
26	7	9	10	44	12	38	14	18	16	44	19	9	21	35
27	7	8	10	42	12	36	14	16	16	42	19	8	21	34
28	7	7	10	41	12	34	14	14	16	41	19	7	21	34
29	7	6	10	39	12	32	14	12	16	39	19	6	21	33
30	7	5	10	38	12	31	14	10	16	38	19	5	21	53
31	7	4	10	36	12	29	14	8	16	36	19	4	21	32

Februarij	Tēpus mediæ noctis.		Quartæ, & vltimæ noctis partis.		Crepusculi matutini.		Ortus Solis, & Primæ.		Hora Tertię, ac Missę solemn.		Meridiei.		Celebrandi Vesperas.	
	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.	Hor.	Min.
Die 1	7	3	10	35	12	27	14	6	16	35	19	3	21	32
2	7	2	10	33	12	25	14	4	16	33	19	2	21	31
3	7	0	10	30	12	21	14	0	16	30	19	0	21	30
4	6	59	10	29	12	19	13	58	16	29	18	59	21	30
5	6	58	10	27	12	18	13	56	16	27	18	58	21	29
6	6	57	10	26	12	16	13	54	16	26	18	57	21	29
7	6	56	10	24	12	14	13	52	16	24	18	56	21	28
8	6	55	10	23	12	12	13	50	16	23	18	55	21	28
9	6	53	10	20	12	8	13	46	16	20	18	53	21	27
10	6	52	10	18	12	6	13	44	16	18	18	52	21	26
11	6	51	10	17	12	5	13	42	16	17	18	51	21	26
12	6	49	10	14	12	1	13	38	16	14	18	49	21	25
13	6	48	10	12	11	59	13	36	16	12	18	48	21	24
14	6	47	10	11	11	57	13	34	16	11	18	47	21	24
15	6	46	10	9	11	55	13	32	16	9	18	46	21	23
16	6	45	10	8	11	53	13	30	16	8	18	45	21	23
17	6	44	10	6	11	51	13	28	16	6	18	44	21	22
18	6	42	10	3	11	47	13	24	16	3	18	42	21	21
19	6	41	10	2	11	45	13	22	16	2	18	41	21	21
20	6	40	10	0	11	44	13	20	16	0	18	40	21	20
21	6	38	9	57	11	40	13	16	15	57	18	38	21	19
22	6	37	9	55	11	38	13	14	15	56	18	37	21	19
23	6	36	9	54	11	36	13	12	15	54	18	36	21	18
24	6	34	9	51	11	32	13	8	15	51	18	34	21	17
25	6	33	9	50	11	30	13	6	15	50	18	33	21	17
26	6	32	9	48	11	28	13	4	15	48	18	32	21	16
27	6	30	9	45	11	24	13	[illegible]	15	45	18	30	21	15
28	6	29	9	44	11	22	12	58	15	44	18	29	21	15

Martij.	Tẽpus mediæ noctis. Hor.	Min.	Quartæ, & vltimæ noctis partis. Hor.	Min.	Crepusculi matutini. Hor.	Min.	Ortus Solis, & Primæ. Hor.	Min.	Hora Tertię, ac Missę solemn. Hor.	Min.	Meridiei. Hor.	Min.	Celebrandi Vesperas. Hor.	Min
Die 1	6	28	9	42	11	20	12	56	15	42	18	28	21	14
2	6	26	9	39	11	16	12	52	15	39	18	26	21	13
3	6	25	9	38	11	14	12	50	15	38	18	25	21	13
4	6	24	9	36	11	12	12	48	15	36	18	24	21	12
5	6	22	9	33	11	8	12	44	15	33	18	22	21	11
6	6	21	9	32	11	6	12	42	15	32	18	21	21	11
7	6	20	9	30	11	4	12	40	15	30	18	20	21	10
8	6	18	9	27	11	0	12	36	15	27	18	18	21	9
9	6	17	9	26	10	58	12	34	15	26	18	17	21	9
10	6	15	9	23	10	54	12	30	15	23	18	15	21	8
11	6	14	9	21	10	52	12	28	15	21	18	14	21	7
12	6	12	9	18	10	48	12	24	15	18	18	12	21	6
13	6	11	9	17	10	46	12	22	15	17	18	11	21	6
14	6	9	9	14	10	42	12	18	15	14	18	9	21	5
15	6	8	9	12	10	40	12	16	15	12	18	8	21	4
16	6	7	9	11	10	38	12	14	15	11	18	7	21	4
17	6	5	9	8	10	34	12	10	15	8	18	5	21	3
18	6	4	9		10	32	12	8	15	6	18	4	21	2
19	6	3	9	5	10	29	12	6	15	5	18	3	21	2
20	6	1	9	2	10	25	12	2	15	2	18	1	21	1

SECTIO QVARTA.

De Acolythis, & eorum officijs.

De officio Acolythi Missis priuatis ministrantis. Cap. I.

1 *Acolythus deuotè Missis priuatis inseruire debet.*
2 *Quo habitu, ac dispositione ad ministrandum accedere debet.*
3 *Amictum, & Albam quomodo accommodabit.*
4 *Stola quomodo accommodanda, item & Casula.*
5 *Cuncta circumspiciat, an sint bene disposita.*
6 *In Altari necessaria disponantur.*
7 *E Sacristia quomodo recedendum.*
8 *Per Ecclesiam quomodo procedendum.*
9 *Ad Altare quibus caremonijs accedat.*
10 *Si ad Altare à latere Euangelij sit procedendum, quomodo se gerat.*
11 *Cum celebrante facit confessionem, & quomodo.*
12 *Post confessionem quo loco genuflectendum.*
13 *In principio Missa, dum dicitur Introitus, Oratio, & Epistola, quid agendum.*
14 *Ad Euangelium transfert librum.*
15 *Post Euangelium ministrat ampullas.*
16 *Aquam ad manuum ablutionem quomodo ministrabit.*
17 *Ad Præfationem quo loco assistit, respondet, & tangit tintinnabulum.*
18 *Cereum pro eleuatione accendit, & quomodo.*
19 *Ad eleuationem quid agendum.*
20 *Vbi assistit post eleuationem, & quomodo, & quando percutit pectus.*
21 *Pacem defert, quando, & quomodo.*
22 *Communioni ministrat, si sit facienda.*
23 *Purificationis vinum ministrat.*
24 *Extinguit cereum, ac librum transfert.*
25 *Ad benedictionem, & vltimum Euangelium vbi, & quomodo stabit.*
26 *In fine Missæ quid præstabit.*
27 *Si in Altari fuerit sanctissimum Sacramentum, quando porrigendum biretum.*
28 *In Sacristia Sacerdotem sacras vestes deponentem adiuuat.*
29 *Communioni ministrat, si facienda sit in fine Missæ.*
30 *Si Missa celebretur coram Prælato in loco sua iurisdictionis, quomodo se ei inclinat.*
31 *Ad Confessionem quo loco genuflectendum, & quid agendum.*
32 *Librum Euangelij quando, & quomodo Prælato osculandum defert.*
33 *Intortitia ad eleuationem sanctissimi Sacramenti deferenda.*
34 *Pacis instrumentum ministrandum.*
35 *Reuerentia in fine Missæ facienda.*

1 Decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos, præcipuè cum sanctis ministerijs incumbunt, mores omnes componere habitu, incessu, gestu, atque omnino in omnibus nil, nisi graue, moderatum, omnique pietate referrum præseferre; quanta reuerentia sancti Angeli Dei ministri sacro adstant Altari, voluentes animo: propriam pariter indignitatem, ac Diuinam attendant clementiam, cum tremore exultantes, pium in se affectum excitando, ad suum munus implendum accedant.

2 Primùm omnium cum ad Sacristiā Acolythus ministraturus peruenerit, lotis, ac mundis manibus, superpellideo indutus, vt in Rubrica Missalis emendati habetur, genuflexus orans aliquantisper, Sacerdotem celebraturum expectabit, ac postmodum eius vestem superiorē complicatam in loco ad hoc parato reponet, inferiorem verò scopula emundabit, præcipuè circa collaria. Rit. Miss. VII. 8. Cōsuet. Cl. Reg. Theat.

3 Cum Sacerdos sacris se induit, Amictum ita componat, vt crux medium obtineat locum, nec circa collum aliqua Rit. Miss. I. 3.

ruga

ruga contrahatur: quod larus excedit, ita disponens, vt non sit impedimento, cum brachia est eleuaturus. Albam vtraque manu accipiens, à dextris Sacerdotis capiti imponat; deinde manicam dexteram brachio dextero, & sinistram sinistro adaptet: mox cingulum à tergo vtraque manu porrigat, & supra ipsum circum circa Albam eleuet, vt honestè vsquequaque defluens, vestes communes tegat, ac eius fimbrias ita diligenter ordinet, vt ad latitudinem digiti plus, minusue in terram æqualiter fluat.

Concil. Mach. 4 Stolam item circa collum ita accommodet, ac vitta cingulo liget, vt non longè à collo distet, nec tam extollatur altè, vt à casula, cum superimponitur, non tegatur, sed, ne aliquo modo con- Cōstuet. Cleric. Regul. Theat. trahatur, aduertat, crucem, quæ est in medio, complicando, casulam randem ita aptabit, vt humeris firmiter inhærens non defluat.

5 Diligenter deinde circumspiciat, an bene sint cuncta disposita, videlicet, an Alba æqualiter pendeat, cæteraque sacerdotalia indumenta sint aptata, & si aliqua ex parte aliquid non bene dispositum fuerit, statim accommodet.

6 Præuideat deinde, an in Altari omnia sint parata, ac præcipuè, vt candelæ sint accensæ, æqualique distantia rectè appositæ, & ab Icone, & à reliquo ornatu ita remotæ, vt de incendio, ceræq; defluentis immunditia timeri non possit.

Rit. Mis. I. 1. 7 Cum procedendum erit ad Altare, accepto Missali ante pectus, profundè inclinans Imagini principali, quæ est in Sacristia, ad fontem aquę benedictę ante Cōstuet. Cl. Reg. Theat. ostium accedens, accipiat Asperforium, ipsumque reuerenter osculando, Sacerdoti porrigat, atque ab eo genuflexus aspergatur.

8 Procedat postea ad Altare, ante ipsum Sacerdotem oculis demissis, ac graui Rit. Mis. II. 1. incessu. Quòd si contingat ante Altare maius transire, genuflectat. Pari etiam modo, vbi Sanctissimum Sacramentum aderit, & vbi eleuatur Missa, genuflectat, nec se eleuet, quousque celebrans supra corporale Calicem deposuerit.

9 Si Missa, cui ministrat, celebranda erit in Altari, ad quod pluribus gradibus Rit. Mis. II. 2. ascenditur, vel in quo sanctissimum Sacramentum asseruatur, ad infimum gradum Altaris perueniēs, à dexteris Sacerdotis aliquantulum retro ab eo accipiat biretū, illudque osculetur, & simul genuflectit; & pariter ad Altare ascendit, vbi à latere Epistolæ supra puluinum deponet Missale clausum, & cruci caput inclinans, descendens deponet biretum supra credentiam, vel alio loco congruo, deinde accedens ad latus Euangelii, genuflectit ante infimum gradum Altaris retro post celebrantem à sinistris eius, & si in Altari sint plures ordines graduum, ante infimum gradum superioris ordinis: si verò in Altari vnus tantum sit gradus, ipsa videlicet bradella, semper in plano suum obtinebit locum, & vbi ob angustiam loci nullus gradus erit, ipse congruo spatio ante Altare à sinistris Sacerdotis erit.

10 Quòd si Altare ita situm sit, vt non possit per medium prodire Sacerdos, quin prius à parte Epistolę transeat, tunc aliquantulum retrocedens, transeundi ei copiam faciat; & postea accepto bireto, cum illo reuerentiam facit, reliqua, vt supra, præstabit.

11 Cum celebrans dicit: *In nomine* Inst. lib. 2. c. 1. *Patris*, &c. ipse quoque se crucis signo, modo præscripto, muniat, & cum eodem Psalmum recitabit, semper eadem voce, eodemque tono respondens. Cum dicitur: *Gloria Patri*, &c. caput inclinet. Ad *Adiutorium nostrum* se signat, similiter ad *Indulgentiam*, &c. Ad confessionem cum dicit: *Tibi Pater*, & *Te Pater*, se inclinat aliquantulum versus celebrātem, Rit. Mis. III. 3. prout in emendati Missalis Rubrica habemus, & dicens: *Mea culpa*, percutiat ter pectus.

12 Dicto *Oremus*; cū celebrans ascendit ad Altare, si plures in Altari sint gradus, surgens, genuflectit supra infimum gradum Altaris ad Euangelij partem: sin

autem non sint gradus, sed tantum bradella in plano, ex eodem latere subtus, non autem supra bradellam genuflectat.

Rit. Miss. IV. 2. 13 Cum in principio Introitus celebrans se crucis signo munit, ipse pariter se eo signet. Cum dicitur *Gloria Patri*, &c. se inclinet. Ad *Kyrie eleyson* respondebit alternatim eodem semper tono. Quando vertens se celebrans dicit: *Dominus vobiscum*: ipse, aliquantulum inclinato capite, respondeat: *Et cum spiritu tuo*. Quadragesima, & Quatuor temporibus, cum dicit: *Flectamus genua*: ipse subdit: *Leuate*: & in conclusione orationum respondebit *Amen*. Post Epistolam respondebit semper: *Deo gratias*, etiam si plures Epistolæ recitentur, excepta quinta Epistola Danielis, quæ quinto loco dicitur in Sabbatis Quatuor temporum, ad quam non respondetur *Deo gratias*, Rit. Miss. X. 1. prout in nouiter emendati Missalis rubrica notatur.

14 Dum dicitur vltimus vers. *Gradualis*, vel in fine *Tractus*, vel *Sequentiæ*, pro diuersitate temporum, erigit se, & Rit. Miss. VI. 1. accedens supra Altare, à cornu Epistolæ accipit Missale cum puluino, & transfert ad partem Euangelij, transiens verò per medium, profundè se inclinat, & si in Altari sit sanctissimum Sacramentum, genuflectat, & reposito, ac adaptato ibidem Missali, ita vt posterior pars libri respiciat ipsum cornu Altaris, retrocedens descendat ante infimum gradum à parte Epistolæ, & ibi assistens facie conuersa Rit. Miss. VI. 2. ad latus Euangelij, respondeat, *Et cum spiritu tuo*, & *Gloria tibi Domine*, & in fine dicat, *Laus tibi Christe*. Eodem modo respondeat in fine illius partis Passionis, quæ dicitur in tono Euangelij, præter quàm in Parasceue.

15 Lecto Euangelio, genuflectat à latere contra librum, idest ex parte Epistolæ supra gradum, vel ante bradellam. Si aliquis fortè in Altari, in quo sanctissimum Sacramentum non asseruatur, communionem petierit, antequam ampullas accipiat, particulas consecrandas intra hostiariam celebranti offerat, monens eum de numero eorum, qui communionem factam sumere debent, nec ipse manu hostias tangat, sed celebrans ipse ex hostiaria eas accipiat. Dicto igitur Offertorio, surgens cum debitis reuerentiis accedat ad credentiam, & inde accipiens ampullas sine operculis, eas deferat ad Altare à latere Epistolę: Ampullam quidem vini dextera, aquæ verò sinistra per pedes eleuatas, inter se, & à pectore aliquantulum distantes earum rostris ad dexteram conuersis, teneat. Perueniens autem ad Altare si per gradus ascendatur, tunc peractis prius reuerentijs, ad supremum gradum pariter à latere Epistolæ ascendens, ampullam, non autem celebrantis manum osculetur, prout in rubricis Missalis emendati habetur; & debita inclinatione primum ampullam vini celebranti tradat: mox à sinistra ad Rit. Miss. VII. 2. dexteram aquæ ampullam transferens, eamq; aliquantò eleuatam tenens, dum à celebrante benedicitur aqua, profundè inclinat, illamque porrigēs osculatur. Quòd si pro Defunctis celebratur, neque Rit. Miss. XIII. 2. ampullas, neque quidquam aliud porrigens osculatur.

16 Postquam autem vinum, & aquam ministrauerit, sūptis ampullis, qua decet reuerentia, ad credentiā reuertatur, vbi eas reponit, ac ampullam vini cooperit; mox, pro manuum lotione, adaptat mappulam supra brachium sinistrum, & accipiens peluiculam manu sinistra, dextera tenet ampullā aquæ, & sic manibus eleuatis aliquātulum, æqualiter inter se, & à pectore distantibus, cum debitis reuerentijs iterum accedit ad latus Epistolę, & supra gradus, si plures ibi sint, ascendit: sin minus, ante bradellam aquā ad manuum lotionem, aliquantulum dexteram eleuando, in medium peluiculę infundit; postmodum vertens paulisper brachium sinistrum, mappulam ad detergēdas manus porrigit. Mox, cum debitis reuerentiis ad credentiam ampullam reportans,

eam

Cærem. Episc. lib. 1. c. 16. & Rubr. p. Miss. fol. vj. in parasc.

eam cum peluicula suo loco reponit, & mappulam ibidem adaptat. Si in Altari sit Sancrissimum Sacramentum exposi-tum, extra Altare à latere Epistolæ infra gradus reuerenter stans ad manuum lotionem ministrat.

17 Ad Altare regrediens, genuflectit à latere Epistolæ: & cum Celebrans cõuertens se dicit: *Orate fratres*, ipse submissa, & intelligibili voce responder: *Suscipiat Dominus*, &c. non tamen vt in emendati Missalis rubrica habetur, dicit *Amen*, nam hoc subdit Sacerdos. Ibidem genuflexus respondet ad Præfationem: cum dicitur *Sanctus* pulsat tintinnabulũ, prout in emendati Missalis rubrica notatur. Pulsatur enim, cum sacrificium conficitur, & eleuatur, campanula ad honorem, & venerationem tanti sacrificii, nec non ad excitandas hominũ mentes, pro ut ex Concilio Claramontano Cõradus Abbas Vvespergen. in suo Chronico colligit. Tunc verò Acolythus pulsato tintinnabulo, eodem in loco permanet, donec Sacerdos dicto *Memento* oret mentaliter.

Ritus miss. VII 8.

Ritus miss. VII 8.

Concil. Claramon. Conrad. Abb. in Chron.

18 Cum Sacerdos dicit, *& omnium circumstantium*, &c. ipse surgens, accendit intortitium fixum in Candelabro à latere Epistolæ, vel si sit in Altari maiori, vel in quolibet alio, in quo Sãctissimum Sacramẽtum asseruatur, maximè diebus festis, accendit duo, nec extinguit, vt in emendatis Missalis Rubricis notatur, nisi postquam Sacerdos sanguinem sumpserit, vel aliis communicauerit; ac postea genuflectit supra supremum gradum Altaris à latere Epistolæ, vel supra bradellã, ibique stat vsque ad Communionem.

Cõsuet. Cleric. Regul. Theat. Ritus Miss. VIII. 6.

19 Cum Sacerdos genuflectit, vt eleuet Hostiam consecratam, ipse sinistra eleuans fimbriam casulæ, dextera ter, vel continuatè pulsat campanulam: Primò cum celebrans genuflectit, secundò cum eleuat Hostiam, ac tertiò cum ipsam iam inclinat, vt reponat, & cum iterum genuflectit, casulæ fimbriam dimittit. Cum Hostia eleuatur, profundè inclinat: similiter cum aurea, & postea celebrans genuflectit: idipsum obseruabit in eleuatione Calicis, quo eleuato, retrocedit, vbi prius à latere Epistolæ, indeque respondebit, quoties res postulauerit.

20 Cum dicitur à Sacerdote, *Nobis quoque peccatoribus*, dextera percutit pectus, sinistram tenendo infra pectus. Id ipsum facit ter, cum dicit *Agnus Dei* &c. nisi Missa sit pro Defunctis. Similiter cũ dicitur *Domine non sum dignus*, inclinatus ter percutit pectus.

Cærem. Episc. lib. 1. c. 24. Ritus miss. X. 9. Infr. lib. 2. sect. 2. c. 3. Ritus miss. XVI. 6.

21 Si datur pax, dicto *Agnus Dei* à latere Epistolæ genuflexus, dextera super Altare, dum celebrans dicit orationem *Domine Iesu Christe*, instrumentum Pacis tenet, ac celebranti osculãdum porrigit; quo dicente *Pax tecum*, respondet, *& cũ spiritu tuo*. Et si adsit aliquis Prælatus, vel Princeps, modo infra præscripto illi defert Pacem.

22 Si facienda sit communio, extendit ante communicãdos linteum, vel velum album, prout in noui Missalis rubrica habetur; aduertens, ne mappulam ad abstergendas manus celebrantis præparatam, ante communicandos extendat; non enim decet; & genuflexus à latere Epistolæ dicit Confessionem; deinde cõmunicatis porrigit vas vini, vel aquæ, cum mappula ad purificandum.

23 Post sanguinis sumptionem vel facta Communione, si sit facienda, cum debitis reuerentijs accedit ad credentiam, vnde accipiens ampullam vini dextera, aquæ verò sinistra sine operculis, earum rostris ad partem anteriorem conuersis, procedit à latere Epistolæ, ibique facta debita reuerentia, ascendit supra gradus; ad purificandum Calicem infundit tantũ vinum dextera extensa, & aliquantulum eleuata; mox ab abluendos digitos propinat prius vinũ, deinde reposita ampulla vini supra Altare, dextera propinat etiam aquam, & vtramque ampullam accipies, aquę sinistra, vini verò dextera, cum debitis reuerentiis recedens, reponit supra credentiam, & earũ rostris

Ritus miss. X. 5.

ad

ad dexteram conuersis, ipsas operculis cooperit.

24 Post Purificationem extinguit facem, vel faces, & ascendens supra Altare à latere Euangelij defert missale, ac puluinum, cum debitis reuerentijs, ad latus Epistolæ, & descendens reponit operculum stanneum, quo intortitium extinxerat, statimque genuflectit contra librum, à latere videlicet Euangelij, & in conclusione orationum ibidē respondet *Amen*.

Ritus mis. XI. 1.

25 Quando aliquod particulare Euāgelium legendum est in fine Missę, dicto *Benedicamus Domino*, vel *Ite Missa est*, responsoque *Deogratias*, transferr librū ad latus Euangelii; Postea genuflectit ad benedictionem, & dum legitur Euangelium, stat ante infimum gradum à latere Epistolę, facie conuersa ad celebrantem: & lecto Euangelio, respondet *Deo gratias*, statimque librum cum puluino reponit ad latus Epistolæ. Quòd si non sit legendum particulare Euangelium, data benedictione, surgit, & ad Euangelium stat, vt supra. Cum verò dicitur, *& Verbum caro factum est*, genuflectit versus Crucem, & in fine respondet *Deo gratias*; & tunc, & non prius extinguuntur cerei suo instrumento.

Ritus mis. XII. 1.

26 Completis omnibus accipit biretum, & ascendens ad Altare ad latus Epistolæ, si in eo non fuerit Sanctissimum Sacramentum, cum osculis, & debita inclinatione, ipsum Sacerdoti porrigit, antequam descendat, & accepto Missali ante pectus, vnà cum eo prius inclinando, descendet ante infimum gradum à latere Epistolæ, vbi pariter facta Cruci reuerentia, ipsum præcedens, reuertitur in Sacristiam ordine, quo venerant.

Ritus mis. XII. 6.

27 Quòd si celebratum fuerit in Altari, in quo Sanctissimum Sacramentum asseruatur, non porrigit ei biretum, nisi facta genuflexione ante infimum gradum. Quo loco Ministrum pariter, ac celebrantem monitos velim de variatione circa huius rubricæ obseruantiam. Aliter namque in Missalibus impressis in Vaticano anno 1609. inueniet præscriptum; illa autem variatio, vt à fide dignis accepi, non quidem Superiorum auctoritate, sed priuati cuiusdam placito facta fuit: vnde postmodum Superiorum mandato, iuxta primam emendari Missalis impressionem, in reliquis editionibus Romanis fuit obseruatum, quare horum auctoritati, & non aliorum placitis inhærendum erit.

28 Perueniens in Sacristiam, sistit se in ipso vestibulo, ac profundè celebranti inclinat, expectatque donec transeat; deinde procedens inclinat se Imagini principali, quæ est in Sacristia, & reposito Missali in loco suo, vittam stolæ soluit, casulam supra scamnum extendit, desuper stolam adaptat, Sacerdos verò manipulum, deinde ibidem reponit Cingulū, mox Albam complicatam superimponit, & Sacerdos Amictum; ipse tandem genuflexus, ab eo petit benedictionem, ac breui habita ratione, superpelliceum deponit, ac recedit in pace, &c. Cō suet. Cleric. Regul. Theat.

29 Si facienda sit communio in fine Missæ, dicto Euangelio S. Ioannis genuflectit à latere Epistolæ, & facit omnia, vt supra: facra Communione, vasculum ad abluendos digitos, si ibi sit præparatum, Sacerdoti porrigit, deinde accepto bireto recedunt.

30 Si Missa celebratur coram aliquo Prælato, in loco suę Iurisdictionis, quotiescunque ante eum trāsit, reuerentiam illi facit. Si verò Prælatus non sit in loco propriæ residentiæ, vel si adsit aliquis Magnus Princeps, caput illi inclinet, personæ habita ratione: quod semper, cum ante illum transire contingit, reuerenter præstabit.

31 Cum celebrans facit Confessionē in cornu Euangelii, ipse in cornu Epistolæ facie ad celebrantem conuersa respōdet genuflexus, & in confessione dicens *Tibi Pater*, & *Te Pater*, non ad Prælatū, sed ad celebrantem se conuertit, etiam si ibi fuerit Summus Pontifex. Ritus mis. III. 9.

32 Dicto Euangelio, immediatè post,

si di-

ſi dicendum ſit Symbolum, vel ſi non ſit dicendum, poſteaquam celebrans legerit Offertorium, niſi Capellanus proprius Prælati adeſſet, qui huiuſmodi munus obiret, accipit librum de Altari, & apertum defert ſine vlla genuflexione ad Prælatum, vt illud in principio lecti Euangelij oſculetur: clauſo deinde libro, genuflectit Prælato, & librum ad Altare reportat, rurſumque ſuo loco aperit.

33 Ad eleuationem ſanctiſſimi Sacramenti deferuntur intortitia, vel à ſcutiferis Prælati, vel à duobus Acolythis, qui vſque ad ſanguinis ſumptionem aſſiſtant.

nfr. l. 1. ect. 2. .3. 34 Dicto *Agnus Dei*, niſi adſit proprius Prælati Capellanus, defert inſtrumento Pacem, modo infra præſcripto.

35 Completa Miſſa, vnà cum celebrante congruam reuerentiam Prælato facit.

De officio Acolythi miniſtrantis in Miſſa ſolemni. Cap. II.

1 *Acolythus pro Miſſa ſolemni quænam debeat præparare in Sacriſtia.*
2 *In Altari quid, & quomodo diſponere debeat.*
3 *Cum Miniſtris quomodo ad Altare procedat.*
4 *Die Dominico quomodo miniſtrabit ad aſperſionem aquæ benedictæ.*
5 *Ad Confeſſionem quomodo aſſiſtet.*
6 *Librum Subdiacono pro Epiſtola cantanda quomodo deferet.*
7 *Subdiacono Epiſtolam cantanti quomodo miniſtrabit.*
8 *Nauiculam ad Euangelium quomodo miniſtrabit.*
9 *Poſt cantatum Euangelium librum aſportat.*
10 *Ampullas Subdiacono porrigit.*
11 *Ad manuum lotionem aquam miniſtrabit.*
12 *A Thuriferario ſuo loco thurificabitur.*
13 *Ad eleuationem ſanctiſſimi Sacramenti, & poſt, vbi, & quomodo ſtabit.*
14 *Velum Subdiaconi complicatum ſuo loco reponit.*
15 *Subdiacono ampullas pro purificatione porrigit.*
16 *Ad benedictionem vbi, & quomodo ſtabit.*
17 *Recedendo, quo ordine procedit cum alijs.*
18 *Cereos in Altari extinguit, & omnia in Sacriſtiam reportat.*

1 Acolythus miniſtraturus in Miſſa ſolemni opportuno tempore lotis manibus, ac ſuperpelliceo indutus omnia paramenta tam pro celebrante, quàm pro Miniſtris in ſcamno Sacriſtiæ præparata, locis ſuis diſponet, miniſtraturos, ipſumque celebrantem vnà cum Thuriferario expectabit, ipſoſque, dum dicitur Tertia, ſacras veſtes accipientes, adiuuabit.

2 Sub finem Tertiæ accipiens à Sacriſtia puluinum, Miſſalia, cum ſuis integumentis coloris paramentorum, deſuper imponens velum, ac mappulam pro ampullis, ambabus manibus eleuata, omnia defert ad Altare, ibique facta genuflexione, ſingula ſuis locis diſponit, puluinum videlicet, & Miſſale apertũ ſuper Altare à latere Epiſtolę. Supra credentiã verò ex vna parte velum, ac deſuper librum Euangeliorum; atque ex altera ampullas, & peluiculam, ac mappulã imponit; omnia ita diſponens, vt locum pro candelabris hinc inde relinquat: In medio autem reponet Calicem, ac tandem circa finem Tertiæ accendit ſex cereos.

3 Dicto *Benedicamus Domino*, præcedit Miniſtros ſacris indutos, & ante oſtiũ Sacriſtię porrecto Aſperſorio Diacono ſine oſculis, cum alijs genuflexus, à celebrante aſpergitur, & pręcedens alios Miniſtros, à ſiniſtris Thuriferarij egreditur inceſſu graui, oculiſque demiſſis, & perueniens ante infimum gradum Altaris, cum debitis reuerentijs, accipit biretum à Diacono, & ſuo loco reponendum defert. Cõſuet. Cleric. Regul. Theat.

4 *Die* Dominico reposito bireto, rediens accipit ambabus manibus librum à credẽtia, Subdiacono suo tempore tradendum, pro oratione *Exaudi*, &c. qua completa, accipiens à Thuriferario manipulum, tradit Subdiacono, à quo accepto libro, vnà cum *T*huriferario, qui asportabit Pluuiale, recedens illum supra credentiam reponet.

Rubr. gener. Miss. XVII. 6 5 Dum fit confessio, genuflexus maneat post subdiaconum, ac facta Confessione eleuans se, accepta à *T*hurifer ario nauicula, eam Diacono apertam sine osculo porrigit, ita vt commodè possit ipsam à puppi apprehendere, & dum ille ministrat incensum, ipse inclinatus post eum stabit, à quo reaccipiens nauiculam, retrocedit ad medium plani ante gradũ Altaris, vbi stat, donec omnia incensentur. Celebrante reuerso, facta genuflexione Altari; reponit nauiculam supra credentiam, & rediens sistit post Subdiaconum à latere *E*pistolæ. Cum verò celebrans cum ministris in medium procedit, vt intonet Hymnum, *Gloria in excelsis*, &c. ipse pariter in medium post eos procedit, & vbi est consuetudo, ministris sedentibus, post eos stabit, vel in gradu, seu bradella sedebit.

6 Dicto *Dominus vobiscum*, si vna tantùm oratio sit dicenda, consuetis adhibitis reuerentijs, accipit librum à credentia. Si autem plures dicantur, stat à cornu *E*pistolæ post Subdiaconum, & cũ dicitut vltima Oratio, facta prius Altari reuerentia in medio, accedit ad credentiam, & inde librum aliquantulum eleuatum ambabus manibus ferens, inclinando se, tradit Subdiacono, & cum illo reuerentiam faciens, in medio post eum ad locũ *E*pistolæ accedit, ibique, quousque perficiatur, stat, cum ille se inclinat, vel genuflectit, ipse quoque idem præstabit, & in fine respondebit *Deogratias*.

7 Interim dum dicitur Epistola, postquam celebrans suo loco priuatè dixerit *Epistolam cum Graduali*, vbi non est cantus, si non sit dicenda *Sequentia*, ne mora interponatur inter cantum Chori, & Euangelij, ipse defert Missale celebrantis cum puluino ad latus Euangelij, Subdiaconus munus implens, qui iuxta Missalis rubricam, illud transferre deberet. *V*bi verò tempus suppetit, in locis, in quibus adhibetur cantus, vel cum dicitur *Sequentia*; tunc non ab Acolytho, sed à Subdiacono, iuxta rubricas, est transferendum. Cõ fuet. Cleric. Regul. approb. à Mag. Rom.

8 Finita *E*pistola, acceptã nauiculam à *T*huriferario, vt supra, Diacono tradit; deinde facta cum alijs in medio reuerentia, dum cantatur *E*uangelium, stat à sinistris *T*uriferarii à latere *E*pistolę, facie tamen conuersa ad latus *E*uangelii, dextera tenens pedem nauiculæ ante pectus, & vbi inclinandum, vel genuflectendum est, cum aliis id præstabit.

9 Cantato *E*uangelio, accipit Missale à Subdiacono, & intonato à celebrante *Credo*, vel dicto *Dominus vobiscum*, debitis peractis reuerentiis, reponit Missale supra credentiam, & dum dicitur *Symbolum*, stat post celebrantem, & ministros in medio, inclinans se, & genuflectens, quando opus est, cum ipsis. Dicto verò, *Et homo factus est*, præcedens Diaconum, facta prius genuflexione, accedit ad credentiam, & ibi stans à sinistris Diaconi, dum ille accipit Bursam corporalium, eleuat manipulum, ne impediatur: *E*t cũ redeunt, eundem præcedit vsque ad planum ante infimum gradum Altaris, ibi que stat, quousque absoluatur *Symbolum*. *E*t vbi est consuetudo sedendi, stans celebranti, ac ministris assistit, vel in aliquo gradu, seu bradella sedet.

10 Dicto à celebrante, *Dominus vobiscum*, vnà cum Subdiacono, facta Altari reuerentia, accedit ad credentiã, vbi prius velum humeris Subdiaconi imponit, ac benè adaptat: postea ambas ampullas tenens post eum ad Altare procedit in cornu *E*pistolæ, ibique peractis reuerentiis, illas porrigit, primò vini, mox aquæ; quas reaccipiens, suo loco in credentia reponit: Deinde in medio stans accedente Thuriferario, nauiculam Dia-

cono

cono porrigit, vt sup. in Introitu.

11 Cum celebrans redit, incensato Altari, accedens ad credentiam accipit ampullam aquæ cum peluicula, & mappula, accedensque ab Altare cum debitis reuerentijs, à latere Epistolæ infundit aquam ad manuum ablutionem, singula postmodum suis locis reponens.

12 Rediẽs ad locum suum, post Subdiaconum, thurificato Diacono, & ipse à Thuriferario aliquantulum ad illum conuersus, & inclinatus thurificabitur.

13 Ad *Sanctus* pulsabit tintinnabulũ, & intortitia accẽdet, atq; aduenientibus ceroferarijs cum facibus accensis, in medio eorum genuflectet; ad eleuationem tintinnabulum tangens, ac reposito calice super corporale, surgit.

Rit. miss. .8. 14 Dum dicitur *Pater noster*, Diacono accipiente Patenam à manibus Subdiaconi, ipse velum ab eius humeris aufert, atq; compilatum, supra credentiam reponet; moxque in medium rediens dũ dicitur *Agnus Dei*, profundè inclinans, ter pecutit pectus. Cum verò celebrans dicit *Domine non sum dignus*, genuflexus pariter ter percutiet pectus.

Rit. miss. .8. 15 Subdiacono redeunte de Choro, recipit Pacem à Thuriferario: Deinde cũ debitis reuerentijs accedit ad credentiã, & ampullas ad latus Epistolæ, posteaquã Subdiacono ad purificandum celebrantem porrexit, reponit suo loco, rediensq; ad Altare, extinguit intortitia. Subdiaconum deferentem calicem præcedẽdo ad credentiam ducit, ac reducit, cum debitis reuerentijs.

16 Ad benedictionem, & in fine Euãgelij S. Ioannis, post Subdiaconum pariter, facie tamen conuersa ad Crucem, genuflectet.

17 Dum dicitur Euangelium in fine, accipit biretum, atq; Diacono ab Altari descendenti porrigit, reuerteturq; alios præcedendo, ad sinistram Thuriferarij.

18 Ad Altare rediens, vna cum Thuriferarios cereos extinguit, incipiens ab ijs, qui à Cruce magis distant, duas cãdelas ibi accensas relinquens, omniaq; in Sacristiam asportat, vbi cum Thuriferario Amictus, Albas, & cingulos complicabit, omniaque bene disposita relinquet.

De officio Acolythi in Missis solemnibus, & exequijs Defunctorum.

Cap. III.

1 *Necessaria pro Missa solemni quando preparabit.*
2 *Genuflectit ad orationes.*
3 *Velum pro Subdiacono nõ praparandũ.*
4 *Non percutit pectus ad Agnus Dei.*
5 *Sine osculis omnia porrigit.*
6 *In fine Missæ si facienda sit absolutio.*
7 *Ad tumulum quomodo procedit.*
8 *Ad exequias in officio sepulturæ quomodo ministrabit.*
9 *In loco sepulturæ quomodo se geret.*
10 *In reditu ab exequijs quomodo procedit.*
11 *In sepultura paruulorum quomodo ministrabit.*

1 IN Missis solemnibus pro Defunctis, Acolythus omnia, vt supra, pręparabit, dum dicitur Prima; vel si officiũ sit solemne, dum dicitur Nona.

2 In orationibus, quę dicuntur in principio Missæ ante Epistolam, & post communionem, post eleuationem vsque ad *Per omnia*; &c. ante *Pax Domini* genuflectet. Rub. gen. miss. XVII. 5

3 Velum pro Subdiacono non præparabit, non enim adhibetur.

4 Ad *Agnus Dei* non pertutit pectus.

5 Cum aliquid porrigit, nunquam illud, nec manum osculatur. Rit. miss. XII. 1.

6 Si facienda sit absolutio ad tumulum in fine Missæ, dum dicitur Euangeliũ S. Ionnis, accipit Pluuiale, atq; ministris porrigit, biretum quoque celebrantis Diacono dat.

7 Ad tumulum à sinistris Thuriferarij procedit, vasculum aquæ benedictæ cum suo aspersorio dextera deferens, sinistra verò librum ante pectus cum suo Rit. miss. XIII. 3.

integumento nigri coloris. Cum verò ad pedes Tumuli peruenerit, contra Altare, relicto ibi Subdiacono cum ceroferarijs, vnà cum Turiferario accedit post celebrantem, ibique stat, dum dicitur Respōsorium: & Cantoribus dicētibus vers. *Requiem æternam*, porrigit Diacono nauiculam apertam, reponens interim vasculum aquę benedictę, & librum in aliquo cōgruo loco, & dum incensum ministratur, stat inclinatus post Diaconum; deinde recipiens nauiculam stat in suo loco, & circa finem Responsorij, porrigit Diacono asperioriū, statq; donec aspergitur, & thurificatur Tumulus, à sinistris Thuriferarij. Thurificato verò Tumulo, Diacono redeunti porrigit librum, & finita oratione illum resumit. Cum cantores dicunt *Requiescant in pace*, à sinistris Thuriferarii accedit ad crucem, quam præcedendo, reuertitur in sacristiā, vbi perueniens deponit vasculum, ac librum; extinguit cereos in Altari, ac reliqua, vt in alijs Missis præstat.

8 Ministraturus officio sepulturæ, eadem obseruabit, ipse celebranti, cum tumulum aspergit, incensi nauiculam ministrabit, & porrigendo ei aspersorium, & fimbrias pluuialis à dexteris eleuando, cū ipso procedit, & cum celebrans se cruci inclinat, ipse genuflectet: & si plura dicātur Responsoria, eadem semper obseruabit.

9 Finita oratione post Responsorium, cum dicitur *In Paradisum*, à sinistris Thuriferarii procedens, ante crucem accedit, & ad locum sepulturæ post celebrantem cū Thuriferario assistit. Cum dicitur *Pater noster*, incensum ministrat, vt supra, deinde porrigēs celebranti aspersorium, vt corpus, ac Tumulum aspergat fimbriā Pluuialis eleuat.

10 Dum recedunt pręcedit crucem à sinistris Thuriferarij ordine, quo venerant, & procedit in sacristiam, ibique deposito vasculo, exuit celebrantem Pluuiali.

11 In exequiis verò paruulorum pręparabit stolā albam, librum, & vasculum aquę benedictæ cum suo aspersorio, & cū opus fuerit post celebrantem procedens, illi aspersorium porriget.

De officio Acolythi ministrantis ad Vesperas. Cap. IV.

1 AD Vesperas dato primo signo, Acolythus ministraturus præparabit supra scamnum sacristię pro celebrāte in medio stolam, Cingulum, Albā, & Amictum, Pluuiale quoque coloris cōuenientis, & dato secundo signo, ei, dum se sacris vestibus induit, inseruiet.

2 Procedens ad Chorum ante ostium porriget aspersorium, deosculando illud; deinde à sinistris Thuriferarii alios præcedens in medio Chori, facta Altari genuflexione, & circumstātibus inclinatione, in locum sui ordinis recedit. Cōfuet. Cleric. Regul. Theat.

3 Dum cantatur quintus Psalmus ante capitulum, accedens ad Altare, accendit faces, quæ sunt in candelabris eminētibus ante gradus Altaris cum candelula, quę est in bacillo: Primum eam, quæ est à latere Epistolæ, postmodum eam, quæ est à latere Euangelii, terga vertens populo, & non Altari. Et circa finē hymni accipit nauiculam à Thuriferario, procedentibusque ad Altare à sinistris eius alios procedit.

4 Ipse, si nõ adsint Assistentes induti pluuialibus, inclinatus à sinistris Thurifer rarii, cum osculo cochlearis, & manus celebrantis nàuiculam tenens apertam, aptatoque cochleari, ita vt commodè acci pi possit, incensum ministrat, quo imposito, manũ celebrantis, & cochleare osculabitur.

5 Dum thurificatur *Altare* à sinistris celebrantis in secundo gradu sinistra ele uat partem anteriorem Pluuialis, dextera verò posteriorem, cum ille se inclinat, vel genuflectit, ipse pariter reuerẽtiã fa ciẽs genuflectat. Altari thurificato adap tat Pluuiale, vt æqualiter fluat; mox ante infimum gradum Altaris descendens re assumit nauiculam, quam in aliquo loco congruo reposuerat, & cum debitis reue rentiis, ante omnes ordine, quo venerãt, reuertitur in Chorum.

6 In medio Chori facta *Altari* reuerẽ tia ad adstantes conuersus se inclinat; deinde nauicula loco suo deposita, recedit in locum sui ordinis, vel stat in vltimo subsellio Chori inferioris, donec compleatur officium, & tunc à sinistris Thuriferarii Sacerdotem, cum in Sacristiam re uertit ur, præcedit.

7 Tandem vnà cum Thuriferario cereos in Altari extinguit.

De officio Acolythi in Missis, quæ cantantur sine Ministris. Cap. V.

1 *Acolythus quanam præparabit in Missa cantanda sine Ministris.*
2 *Diebus Dominicis quomodo aquam mi nistrabit.*
3 *Ad Confessionem, quo loco assistit ministrans.*
4 *Epistolam quomodo, & vbi cantabit.*
5 *Post Epistolam quid præstabit.*
6 *Ad eleuationem quomodo ministrabit.*
7 *Post communionem quo loco, & quomodo assistit.*
8 *Completa Missa, quomodo recedit.*

1 QVando Missa cantatur sine Ministris, Acolythus, dato primo signo, præparabit supra scam nũ Sacristię peculiare paramẽtum, sibi à Sacrista pro Missa cantanda assignatum, & celebrante induto ad *Altare*, præparabit omnia necessaria, puta calicem cum suis ornamentis, Missale apertum supra puluinum, & quatuor candelas accẽdet.

2 Diebus Dominicis cõpleta Tertia, præcedendo celebrantem cum Pluuiali à sinistris Turiferarii procedet: aliis die bus ipsum præcedet more solito.

3 Missæ initio ad Confessionem genu flexus post eum à sinistris, vt in Missis pri uatis respondet. Cum verò celebrans ascendit ad *Altare*, & ipse surgens, ac stans in medio ante infimum gradum, respondet ad *Kyrie eleison*: In Missis Defunctorum, & ferialibus cum Oratio, vel Orationes dicuntur, genuflectit. Rub. ex tr. Miss. XVII. 5.

4 Dum dicitur vltima Oratio, cum debitis reuerentiis, accipit ambabus manibus librum Epistolarum in credentia repositum, facta Altari reuerentia, loco consueto cantat Epistolam; qua finita non osculatur celebrantis manum, sed facta iterum *Altari* reuerentia; reponit Missale supra credentiam. Rit. mis. VI. 8.

5 Ad Altare ascendens, transfert Missale celebrantis ad latus Euangelii; & assistens more solito, in fine respondet *Laus tibi Christe*, in mediumque se transfert, vbi stat donec dicatur *Offertorium*, quo dicto, ministrat ampullas, atque etiam, cũ incensandum est *Altare*, nauiculam, deinde deferet ad abluendas manus.

6 Dicto *Sãctus* &c. accẽdit vtrũq; cereũ & tãgens tintinnabulũ, stat genuflexus, statimq; post sãguinis eleuationẽ surgit; si verò *Missa* sit ꝓ Defunctis, vel ferialis, stat genuflexus vsq; ad *Pax Dñi*; si dr̃ *Agnus Dei*, ꝑcutit pectus, pariter cũ dr̃ *Dñe nõ sũ dignus*, genuflexus percutit pectus.

7 Post communionem ministrabit, vt in *Missis* priuatis, & ad Orationes stabit, nisi fortè *Missa* sit pro Defunctis, vel ferialis, nam tunc genuflectit;

reliqua, vt in Missis priuatis, præstabit.

8 Finita Missa, more solito præce dit celebrantem, cum reuertitur ad Sacristiã, ibique eum deponentem paramenta adiuuat; cereos deinde in Altari extinguit, & quæ supra credentiam parauerat, ad Sacristiam reportat, ac tandem paramenta complicata suis locis reponit.

De officio Thuriferarij ministrantis in Missa solemni. Cap. VI.

1 *Thuriferarij munus.*
2 *Thuribulum quomodo defer atur.*
3 *Ad Altare quomodo procedendum.*
4 *Ad aspersionem die Dominico quomodo ministrabit.*
5 *Casulam pro celebrante quomodo ministris porrigit.*
6 *Ad Confessionem quo loco, & quomodo assistit.*
7 *Thuribulum pro incensatione quomodo ministrabit.*
8 *Post incensationem quomodo recedit.*
9 *Ad Euangelium incensum ministrat.*
10 *Post Euangelium thuribulum Diacono porrigit, & quomodo.*
11 *Pro oblatis incensum ministrat, & quomodo.*
12 *Diaconum in Chorum procedentem comitatur.*
13 *Diaconum, & reliquos incensat.*
14 *Ad eleuationem ministrat incensũ, & quomodo.*
15 *Ad Pacem dandam quomodo procedit.*
16 *Post communionem quid præstabit.*
17 *Ad benedictionem, vbi, et quomodo stabit.*
18 *Ad Sacristiam quo ordine cum alijs reuertitur.*
19 *Cereos in Altari quomodo extinguit.*
20 *Paramenta reponit, & aptat.*

1 Thuriferarius vnà cum Acolytho omnia parameora pro celebrãte, & Ministris opportunè suis locis disponet, ipsosque, dum sumunt paramenta, adiuuabit.

2 Circa finem Tertiæ, vel si sit dies Dominicus, facta aspersione, accipit thuribulum dextera, illud pollice tenens per manubrium, siuè annulum maiorem, simul cooperculi catenam per minorem annulum eleuans, sinistra verò manu nauiculam, eius pede accepto tenens. Cum verò incedit, vtramque manum æqualiter eleuatam tenebit, superpelliceum super brachia reflectens, ne fortè contingat cum thuribulo, aut nauicula implicari, illudque comburi. Cærem. Epis. li. 1. c. 11.

3 Ad Altare, primus omnium à dextris Acolythi regulariter cum thuribulo procedens, ante infimum gradum post Diaconũ vnà cum alijs reuerẽtiam facit.

4 Diebus verò Dominicis deferens vasculum aquæ nouiter benedictæ, ac summ aspersorium, tenensque illud sinistra ab inferiori parte aliquantulum eleuatũ, atque à pectore distans, dextera inter indicem, & pollicem aspersorium supra vasculi labrum firmans, porrigit aspersoriũ Diacono sine osculis. Dum autem ad aspergendum Chorum proceditur, ante ministros à latere Diaconi vasculũ portat, vt ex ipso celebrans, cum opus est, aquam sumat. In medio Chori cum celebrante, & ministris genuflectit, & cum ipsis procedens, cum opus est, se inclinat, vel genuflectit. Deinde cum populus aspergitur, à dextris Diaconi, aliquantulum tamen retro semper tenet vasculum aquæ benedictæ paratum, ac tandem facta aspersione, in Sacristiam redit.

5 Dum dicuntur Versus, & Oratio *Exaudi*, &c. accipit manipulum, & planetam celebrãtis, dextera superpellicei extremitatibus tenens partem superiorem planetę cum manipulo, sinistra verò ipsam eleuans, & circa finem Orationis accedens cum debitis reuerentiis, manipulum primum Acolytho, deinde ille Subdiacono, mox planetam Diacono tradit, atque vtraque manu accipiens Pluuiale, extremitatibusque superpellicei tenens eleuatum à terra defert in Sacristiam.

6 Repo-

6 Reposito Pluuiali supra suū instrumentum, accipit thuribulum cum nauicula, cum quo accedens ad Altare in plano à dextris Acolythi genuflectit. Interim, dum fit confessio, thuribulum leuiter mouet, ne ignis extinguatur.

7 Facta confessione surgit, ac tenens thuribulum sinistra annulo maiori manubrii, dextera annulo minori, eleuabit per catenulam operculū thuribuli, quò thus commodè imponi possit; tenensque dextera vasculum per catenulas eleuatum in medio, in supremo gradu Altaris ad latere Epistolæ, facie tamen conuersa ad celebrantē, inclinatus stat, donec thus fuerit immissum, ac benedictum, & tūc claudens thuribulum, ipsum Diacono sine osculis porrigit, dum Altare incensatur, stat in plano ante infimū gradum à dextris Acolythi.

8 Altari iam incensato, ad latus Epistolę expectat, donec à Diacono incensetur celebrās, stans post eū, ac postmodū accepto thuribulo cum nauicula recedit.

9 Statim cantata Epistola, thuribulū cum prunis accensis defert, & ministrat, vt supra. Imposito verò, atque benedicto incenso ante infimum gradum recedit, vbi cum Diacono, & aliis ministris facta genuflexione, procedit post Diaconum à dextris Acolythi, stans aliquantulum retro tenet, ac ducit suauiter thuribulū, & Diacono dicente *Sequentia* &c. claudit thuribulū, & tenens manubrium dexterа, vasculum verò per catenulas sinistra, firmat se à dextris Diaconi, eique thuribulum dat, vt librum incēset, rursumque accepto ab eo thuribulo, post eum stans ipsum agitabit, catenam operculi eleuās, ne extinguatur ignis, inclinat se, ac genuflectit, cum opus est.

Cæremon. Pari. de Craff. li. 1. c. 11.

10 Cantato Euang. statim thuribulū clausum tradit Diacono sine osculis, dextera, dū porrigit, tenēs manubriū, sinistra vasculū, contra verò cū recipit; quę semper seruare debet: Inchoato *Credo*, vel si non sit dicendum *Dñs vobiscum*, &c. reuerenter, vt decet, accepta nauicula recedit.

11 Ad offertorium iterum accedit cū thuribulo, & dū incēsantur oblata, & Altare, stat à dextris Acolythi, & redeunte celebrante, ab incensatione Altaris accedit ad latus Epistolæ, vbi stat post Diaconum incensantem celebrantem.

12 cum eodē postea procedit ad incēsandū adstātes in Choro, & facta in medio reuerētia, stat à sinistris Diaconi incēsātis, cū eo se inclinās, cū res postulauerit.

13 Incensato Choro, cū debitis reuerentiis Diaconū pręcedēs, accedit ad Altare, ibiq; facta prius genuflexione, stat à latere eius, donec Subdiaconus thurificetur; tum accipiēs ab eo thuribulum, cum debitis Inclinationibus thurificat primò Diac. mox Acolythū, ac tandem populū.

14 In Pręfatione dicto *Sāctus*, procedit cū thuribulo, præcedendo ceroferarios, & immisso incēso in thuribulū, accedēs à latere Epistolæ in infimo gradu genuflexus, dum eleuatur Hostia consecrata, ter ducens thuribulum, illā incensat, ante, & postea profundè se inclinans, quę pariter pręstat in eleuatione calicis. Deinde facta in medio genuflexione, vtroque genu recedit, & reposito thuribulo redit ad Altare, ibique stat post Ministros à dextris Acolythi, donec detur Pax.

15 Cū dāda est Pax, præcedēdo Subdiaconum euntem ad Chorum, & redeūtem comitatur, ac tandē ante Altare perueniens, ab eodem accipit Pacem, modo suo loco præscripto, quā ipse pari disciplina dabit Acolytho ibidem assistenti. Rit. Mis. X. 8. Infr. lib. 2. sect. 2. cap. 3.

16 Facta cōmunione, dū celebrans se purificat, extinguit intortitia, & dum dicuntur Orationes, stat post Ministros à latere Epistole: quibus dictis, cum iisdem in medium reuertitur.

17 Ad benedictionem post Diaconū in plano genuflectit, & dū dicitur Euang. stabit ibidem, vbi quando genuflectendū est, facie cōuersa ad crucem genuflectet.

18 Cōpleta Missa pcedēdo ceroferarios ordine, quo venerāt, pcedit in sacristiā.

19 Cū Acolytho deinde pcedit ad extinguēda luminaria Altaris, duas saltē cā

delas accensas ibi relinquens.

20 Reliqua omnia in Sacristia reponit, atque cum Acolytho paramēta omnia bene complicata disponit, & aptat.

De officio Thuriferarij in Missis solemnibus, & exequijs Defunctorum. Cap. VII.

1 *Omittenda à Thuriferario, cum pro Defunctis celebratur.*
2 *In absolutione ad tumulum quomodo proceditur.*
3 *Incensum ad tumulum quomodo ministrandum.*
4 *Post absolutionē quo ordine reuertitur.*
5 *In exequijs quomodo ministrabit.*

Rit. Mis. XIII. 1. 1 IN Missis solemnibus Defunctorum Thuriferarius in principio non defert Thuribulum, sed procedit à dextris Acolythi; in confessione verò genuflectit, ac pariter, cum dicuntur Orationes: Ad *Euangeliū* assistit loco solito; attamē sine thuribulo. Ad oblata ministrat thuribulū, sed tātū celebrans incensatur, & in eleuatione Subdiacono thuribulū porrigit. Nunquam manus, aliquid porrigendo osculatur, & ad *Agnus Dei* nō pcutit pectus.

2 Post Missam si faciēda sit absolutio ad tumulū, accepto thuribulo prunis accensis referto, & nauicula, præcedendo crucē à dextris Acolythi, procedit ad tumulum; quò perueniens ad pedes contra *Altare* relicto ibi Subdiacono deferente crucem, vnà cum *Acolytho* facta cruci reuerentia, accedit retro post celebrantē.

Ritual. Ro. Ti. de exeq. 3 Cū cantatur in Resp. ℣. *Requiē aeternā*, accedēs ante celebrantē thuribulum apertum tenet, stans inclinatus, donec imponatur, ac benedicatur incensū, deinde asperso tumulo, cum celebrans complet circulū, accedēs in mediū, cū debitis reuerētijs, thuribulū Diacono tradit, atq; post thurificationē pariter accipit, deinde stās retro post celebrantem, continuò leuiter thuribulum mouet, ne ignis extinguatur.

4 Dicto à Cantoribus *Requiescāt in pace*, vnà cum *Acolytho* cū debitis reuerētijs ante crucē accedēs, præcedendo ipsū, reuertitur ordine, quo venerat, ac tādem reposito thuribulo in Sacristia, vnà cum Acolytho extinguit cereos in Altari, atq; omnia suis locis bene dispositis reponit.

5 In exequijs eodē modo procedit, & si non adsit Diac. ipse thuribulum ministrat sine osculis, & ante crucem transiēs, cū celebrans se inclinat, ipse genuflectit. Rit. Mis. XIII. 4.

De officio Thuriferarij ad Vesperas solemnes. Cap. VIII.

1 *Altare disponit, cereos in eo accendit.*
2 *Celebrantē ad Chorū procedentē ducit.*
3 *Ad Altaris incensationem ad Magnificat quomodo procedit.*
4 *Thuribulum pro incensatione Altaris quomodo ministrat.*
5 *Celebrātem in incensatione Altaris quomodo adiuuat.*
6 *Celebrantem, & reliquos de Choro quomodo incensat.*
7 *Populum quomodo incensabit.*
8 *Post Vesperas cereos in Altari extinguit.*

1 THuriferarius ministraturus ad Vesperas, dato primo signo, accedit ad Sacristiam, ibiq; locis, ac tersis manibus, superpelliceo indutus, antequam vltimum detur signum, ad Altare cū debitis reuerētijs accedēs: stās in medio supra gradus, cereos accendit, primo quidē à latere Epistolæ faciens initium ab ijs, qui sunt prope crucem; mox eodem ordine à latere Euangelij.

2 Celebrantem in Choro procedentem vnà cum Acolytho præcedit, ante ostium Sacristiæ genuflexus aspergitur, & in medio peractis reuerēijs Altari, atq; adstantibus, in locum sui ordinis recedit. Confue. Cl. Reg. Theat.

3 Dum cantatur quintus Psalmus, accipit thuribulum cum prunis accensis, modo, quo dictum est supra, & ad finem hymni procedēs ad mediū Choti cū debitis reuerētijs, dextera tenet thuribulū p annulū maiorē apertū, sinistra verò nauiculā, & stans à dextris *Acolythi*, ibidē expectat, donec celebrās descēdat, & tūc cū Acolyt. capite illū reuerēter salutādo, Cærem. Episc. lib. 1. c. 11.

Can-

Cantoribus incohantibus *Magnificat*, ad incensandum Altare dum proceditur, à dextris Acolythi omnes alios pcedit.

4 Ante Altare, cum aliis peracta reuerentia thuribulũ ministrat, vt sup. ad Missam diximus. *Et* nisi adsit assistens, ipse dicit: *Benedicite Reuerende Pater*: & benedicto incẽso, thuribulum clausum tradit celebranti, tenens manubrium dextera: quo prius osculato, sumitatem catenularum ponit in sinistra celebrantis; thuribulum verò sinistra tenens, dexteræ celebrãtis, ipsam osculando, porrigit; ita tamen vt ipsius sinistra, qua thuribulum porrigit; celebrantis illud accipientis dexteræ inferiorem partem, & locum obtineat: quod si adsit assistens, non celebrãti, sed assistenti per manubrium tradet, & ille celebranti cum osculis porriget.

Sup. c. 6. nu. 7.

5 Dum incensatur Altare, stans à dextris celebrantis post primum gradum, eleuat dextera anteriorẽ partem Pluuialis, sinistra verò posteriorem: & cum celebrans transiens in medium facit reuerentiam, ipse cum Acolytho genuflectet, Altarique thurificato, à latere Epistolæ in secundo gradu supponendo dexteram dexteræ celebrantis, illamque osculãdo, accipit thuribulum, & sinistra manubriũ, ipsum pariter osculando. Quam disciplinam semper teneat, cum à manu celebrantis thuribulũ accipit. Si verò adsint Assistentes, dum incensatur Altare, vna cum Acolytho stabit post ipsos.

6 Altari incensato, cum celebrante, & aliis Ministris reuertitur ordine, quo venerant, atque in Choro perueniens cum debitis reuerentiis, primo celebrantem, mox alios incensat, ordine præscripto.

7 Thurificatis omnibus in Choro, ad circumstantem populum conuersus, cum debitis reuerentiis, ter ducens thuribulũ, incensat omnes simul, ac postea loco parato proiectis prunis, thuribulũ reponit.

8 Completo officio *V*esperarum, vnà cum Acolytho, cum debitis reuerentiis, ad Altare accedens extinguit cereos, omniaq; in Altari, & in Sacristia adaptat.

De Ceroferarijs, seu Acolythis cereos deferentibus. Cap. IX.

1 Acolythi duo, statura, quoad fieri potest, æquali, qui candelabra æqualiter teneant, ac deferant, eligantur; cumque capturi sũt candelabra, ita accipiant, vt qui à parte dextera incedit, ponat quidem dexteram in medio candelabri globo, sinistram verò in pede; & qui ad sinistram incedit, è contra accipiat sinistra globum, dextera verò pedẽ teneat. Cærem. Episc. li. 1. c. 11. Cærem. Pari. de Crass. lib. 1. c. 14.

2 Eodem modo deferentes intortitia accensa, is, qui est à dextris, illud dextera, sinistram sub pectore tenebit, è contra, qui à sinistris sinistra, dexteram sub pectore statuit.

3 Genuflexiones, & inclinationes æqualiter, & eodẽ tempore, alter alterũ mutuò obseruas, sẽper faciant. Similiter stando,

eundo, ac redeundo in omnibus actibus se conforment, corpore; dũ stant, sint firmi oculis ad terram demissis, ac si duo mormorea simulacra essent, propterea nec genuflectere debẽt in principio hymni Spiritus sancti, dum dicitur *Veni creator Spiritus*, &c. nec Beatæ Virginis, dum dicitur *Aue maris stella*, &c. nec ad vers. *Veni Sancte Spiritus*, nec ad verba Euangelij, in quibus alij genuflectunt, sed aliis genuflectentibus, ipsi immobiles stabũt; euntes verò, & redeuntes pari passu, incessu graui, ac modesto sẽper procedant.

Cõsuet. Cleric. Regul. Theat. 4 Ad Matutinum diebus solemnibus, quando celebrans Pluuiali indutus procedit, ipsi cum candelabris accensis procedunt post Acolythos, & ante Altare facta prius reuerentia vnà cum aliis, celebrãte ad locum suæ sedis relicto, se ei inclinando, recedunt. Ad vltimam lectionem rursus accedunt, ipsique celebranti, dum illam cantat, hinc inde assistunt; qua finita, & inchoato *Te Deũ laudamus*, inclinantes se, vt moris est, proficiscuntur. Si verò celebrans non suo loco, sed ante Altare lectionem cantauerit, non prius recedant, quàm ipsum ad locum suum, præcedendo eum, duxerint. Ad laudes assistunt, sicut ad Vesperas.

Rit. Mis. II. 1. 5 Ad Missam solemnem post Tertiã ante Subdiaconum procedunt, & ante gradus Altaris, facta cum aliis reuerentia, candelabra super credentiam reponunt.

Ritus Miss. 6. 1. 6 Cantata Epistola, accedentes cãdelabra à credentia accipiunt, & cum debitis reuerentiis in mediũ accedẽtes, æqualiter ibidem inter se distantes expectant, donec procedendum sit ad cantandum Euangelium; nam tũc cum Diacono, & aliis Ministris simul genuflectentes, accedunt ad latus Euangelii, vbi medium habentes Subdiaconum, assistunt vsque in finem, cãtato postmodum Euang. redeũt in medium, nec recedunt, donec à celebrante dicatur *Credo*, vel *Dominus vobiscum*, & tunc, peractis reuerentiis, recedẽtes reponunt cãdelabra supra credẽtiã.

7 In Missis Defũnctorum, & Sabbato sancto ad Euangelium, nec non ad illam partem Passionis, quæ dicitur in tono Euangelii, assistunt sine candelabris, iunctas tenentes manus. Rit. Mis. XIV. 2.

8 Ad eleuationem Sanctissimi Sacramenti, præcedẽte Thuriferario cum facibus, seu intortitiis accensis, ac cũ debitis reuerentiis, in plano ante gradus Altaris æqualiter inter se distantes genuflectũt, vsque ad eleuationem sanguinis; præcipuis autem festiuitatibus maximè in Ecclesiis maioribus, quatuor Acolythi, vel etiam plures intortitia accensa deferunt, stantq; post Subdiaconum, hinc inde ante Altare. Quòd si intra Missam facienda sit communio, non discedunt, donec communicatis omnibus Sacramentum in cibario reponatur. Interim, dum fit communio, stant hinc inde à lateribus, faciebus ad inuicem conuersis, ita vt celebrantem, ac Ministros non impediant. Rit. Mis. VIII. 8 Cærem. Episcop lib. 2. c. 8.

9 In fine Missæ, dum dicitur Euang. S. Ioannis, accipientes candelabra à credentia, cum debitis reuerentiis recedunt cum aliis ordine) quo venerant: in Sacristia repositis candelabris, adiuuant ministros, dum deponunt sacras vestes.

10 Ad Vesperas, antequã vltimũ signũ detur, superpelliceis induti accẽdunt cereos in duobus candelabris, & ante ostiũ Sacristiæ expectãt celebrãtem, quò cum ille peruenerit, caput inclinãt, mox genu flexi cum aliis aspergũtur; procedẽtes verò post Acolythos ad medium, facta cum aliis Altari, & celebrãti reuerentia cãdelabra supra credentiam, vel Altare reponũt, ipsi verò in locũ sui ordinis recedũt. Cærem. Episcop. li. c. 3. Consu. Cl. Reg. Theat.

11 Notãdum tamen, quod in cæremoniali Episcopori ũ habetur, quod cerei extincti super gradus, vel plano inferiori depo nãtur: laudabilis tamẽ nostra videtur cõsuetudo reponendi nõ in plano, sed supra Altare, quod est in parte interiori Chori, vel supra credentiam, ita tamẽ vt in festis per annũ extinguantur, in solemnioribus verò diebus semper maneant accensi. Cõsuet. Cl. Reg. Theat.

12 Cõpleto Hymno, si Altare à Choro distet, celebrãte ad incẽsãdũ pcedẽte

more

more ſolito cum cereis accenſis præcedent, ibique cum debitis reuerentijs per uenientes aſſiſtunt in plano, hinc inde æqualiter inter ſe diſtantes, & incenſato Altari cum debitis reuerentiis celebrantem ad ſuam ſedem ducunt, deinde candelabra deponunt.

13 Ad orationem, vel orationes, ſi plures ſint dicendæ accedentes aſſiſtunt hinc inde ante Celebrantem faciebus ſibi inuicem conuerſis.

14 Completo officio Veſperarum, verſus celebrantē ſe inclinant, atq; eum præcedendo in Sacriſtiam redeunt, ſi immediatè poſt dicendum ſit Completorium. Quòd ſi officium terminetur ad Veſperas, reponunt cādelabra, & poſtea, completa Antiphona B. Virginis, reducunt celebrantem in Sacriſtiam.

Cærem. Epiſ. l. 2. c. 10. 15 In officio Defunctorum, quod ſolemniter celebratur, dum dicitur oratio tam ad Veſperas, quàm ad laudes, cum candelabris accenſis ſtantes aſſiſtere debent.

16 In proceſſionibus omnibus, ſiue ſolemnibus, ſiue ferialibus, nec non etiā in exequiis defunctorum ſemper mediū habentes Subdiaconum pararum in ſolemnioribus, in reliquis verò ſuperpelliceo indutum, ſiue Subdiaconum, ſiue Acolythum crucem deferentem, ipſi cū candelabris accenſis hinc inde procedūt, quòd ſi locus, per quem tranſeundum eſt, ſit anguſtior, Ceroferarii ſemper Crucem deferentem præcedant; & ſi alteri tantum aditus pateat, iunior regulariter præcedat, ſubſequatur ſenior.

SECTIO QVINTA.

De inferioris ordinis Miniſtris Epiſcopo celebrante.

De Acolythis, ſeu Capellanis Epiſcopo ſolemniter celebranti inſeruientibus. Cap. I.

1 *Numerus Acolythorum Epiſcopo celebrante neceſſarius.*
2 *Acolythi ſuum munus diligenter exequantur.*
3 *Acolythi, cum Epiſcopus manus lauat, genuflectunt.*
4 *Eorum locus, & modus ſedendi.*
5 *Eorum minor numerus.*
6 *Numerus Acolythorum miniſtrantium Epiſcopo celebranti extra ſuam Diœceſim.*

1 EPiſcopo ſolemniter celebrante ſiue Veſperas, ſiue Miſſam, plures Acolythi, ſiue Capellani ſuper pelliceis induti, vt ei inſeruiant, aſſiſtere debent, plura enim exerceri contingit, ſingulis ſuo ordine diſtribuenda, idcirco non incongruè ſingulorum munera hoc loco explicabuntur. Cærem. Epiſ. l. 1. c. 11.

2 Paramenta Pontificalia, cum ipſis indui debet Epiſcopus, ordine ſibi præſcripto, ſingulis vnus poſt alium deferant miniſtris porrigenda; in reliquis quiſque ſuum alacriter exequatur munus. Cærem. Epiſ. l. 1. c. 8.

3 Cum Epiſcopus lauat manus, omnes circumcirca aſtantes genuflectant; niſi forte aliquis illo ſuperior adſit; nam tunc ab huiuſmodi genuflexionibus abſtenendum erit.

4 Eorum ſedendi locus erit, maximè tempore concionis, vel in gradibus ſedis Epiſcopalis, vel in gradibus Altaris; cum verò ſedendum, vel ſurgendum erit, ſemper vltimi ſedeant, & primi ſurgant.

5 Ad minus in Miſſa erunt numero nouē, & ad Verſperas ſeptem, & quanto plures, fuerint eo decentius diuina miniſteria perficientur. Cærem. Epiſc. l. 1 c. 11.

6 Epiſcopo extra ſuam Eccleſiam celebrante iidem Capellani deſeruire debent in faldiſtorio à latere Epiſtolæ parato, & ſedebunt cum opus eſt in gradibus Altaris.

De Acolytho de libro inſeruiente, Cap. II.

1 *Munus inſeruientis de libro, quomodo videli-*

videlicet ipsum disponere ac tenere debet.
2 *Librum tenens Presbyterum assistentem adiuuat.*
3 *Episcopo celebrante quo tempore librum sustinebit.*
4 *Episcopo non celebrante, quomodo librum sustinet.*
5 *Præsente Cardinali, Episcopo assistenti ad Missam non defertur liber.*
6 *In omnibus Pontificalibus liber sustinetur.*
7 *Acolyto candelam ministranti semper adhæreat.*

1 EPiscopo celebrante siue in Missa solemni, siue ad Vesperas, is, qui de libro inseruit, superpelliceo mundo indutus, primùm omnium curabit, vt liber, quem ipse custodire debet, cooper tus inregumento coloris reliquorum pa ramentorum, signaculis rite disponatur, tum illum loco congruo reponet: tempore, quo celebrandum est, clausum ipse tenebit, cum verò eo vtendũ erit, vna cũ Acolytho, qui candelã tenet, reuerentia facta Altari, & Episcopo, ad ipsũ Pontificẽ accedens librum aperiũ ante eius faciem ambabus manibus super caput ab inferiori parte sustinebit, genuflexus quidem, cum Episcopus sedet, vel stans ipso stãte, prout legentis commoditas postulauerit, regulariter tamẽ stans suum munus implere debet, aduertens, ne vnquã se loco moueat, & licet alii genuflectant, vel caput inclinent, ipse tamen immobilis semper manebit; repræsentat namq; legile immobile: cum verò recedẽndum erit, prius librum claudit, mox reuerentia exhibita Episcopo, ad locum sui ordinis cum libro clauso redibit. (Cærem. Epis. l. 1. c. 11.) (Cærem. Parif. de Crass. l. 1 c. 10.)

2 Cum librum tenere debet super caput Presbyter assistens, & ipse stans à sinistris Episcopi adiuuat ipsum assistentem in substentatione libri: videlicet in oratione Tertiæ, & in Missa, cum dicitur *Gloria in excelsis, Credo, & oratio.*

3 Dum Episcopus dicit orationem ad Tertiam, & cum in solio intonat Hymnum *Gloria in Excelsis, & Credo*, & cum dicit orationem, vel orationes; ad Vesperas verò, cum intonat primã antiphonam, Hymnum, & Antiphonam ad *Magnificat*, nec non cum dicit orationem, vel orationes, Presbytero assistente librũ sustinente, ipsum adiuuabit à sinistris. Episcopi stans. Cum verò inchoatur officiũ Tertiæ ante Missam, & cum recitat psalmos, vt sacris se induat vestibus, & in ipsa missa, dum Episcopus sedens legit submissa voce *Introitum, Epistolam, Graduale, Euangelium, & Offertorium*, ipse genuflexus librum sustinebit.

4 Episcopo non celebrante, sed assistente ad Vesperas, vel Missam, semper ipse superpelliceo indutus librũ ministrabit, ipsum super caput apertum tenens, primò in principio Missæ, dum legit *Introitum*: secundò ad *Epistolam, Graduale, Sequentiam*, siue *Tractum*, vsque ad Euãgelium inclusiuè: tertiò ad *Offertorium*: quartò *ad post Communionem*. (Cærem. Epis. l. 1. c. 10.)

5 Aduertendo, quòd si in Missa adsit Cardinalis, vel Metropolitanus, ob reuerentiam Prælati superioris Episcopus nõ debet vti libro.

6 In sacris ordinationibus, & omnino in omnibus Pontificalibus, quando Episcopus aliquid ex libro extra Altare conuersus ad ordinandos legere debet, eodẽ modo, atque disciplina, qua supra, librum super caput sustinebit.

7 Accedendo, & recedendo semper cum altero Acolytho de candela inseruiente, vt infra dicetur, pari disciplina procedet.

De Acolytho candelam Episcopo Ministrante. Cap. III.

1 *Habitus Acolythi inseruientis de candela.*
2 *Candelula quando sit adhibenda.*
3 *Candelula ad Vesperas vtendum, & quomodo.*
4 *Ordo, quo Acolythus de candelula deseruiens*

uiens procedere debeat.
5 *Reuerentia Episcopo exhibenda ab ipso Acolytho.*
6 *Episcopo concelebranti, sed assistenti ad Missam, quando candelula sit ministranda.*
7 *Episcopo priuatè celebranti quomodo Acolythi de libro, & candelula inseruiant.*
8 *Quomodo calicem ministrabunt, item in lotione manuum, ac reliquis quomodo inseruient.*

1 Acolythus candelam accensam ex instrumento argenteo, quod Bugiam dicunt, Episcopo ministraturus superpelliceo mundo indutus, vnà cum Acolytho de libro inseruiente, pari disciplina ad Ecclesiam accedit.

Cærem. Episc.l.1. c.20. 2 Episcopo, dum legit in Missa Pontificali psalmos ante celebrationē, *Orationem ad Tertiam*, item *Introitum*, *Orationem*, *Epistolam*, cum *Graduali*, *Euangelium*, *Offertorium*, *Canonem*, *Orationem*, *& post Communionē*, semper à dextris alterius librum tenentis, lumen ministrabit, etiamsi aer sit lucidus, & clarus, ita ut non sit necessarium lumen ad legendum.

3 Item ad Vesperas Episcopo intonante Antiphonam, cum intonat Hymnum, vel dicit Orationem; item aliquid ex Pontificali lecturo, & omnino, quoties aliquid ex libro legendum erit, ipse suum implebit munus.

4 Cum Episcopus à sua sede descendit ad faldistorium ante Altare, semper illum sequitur, cum ministro de libro, & post eum genuflectit: Episcopo pariter ad sedem redeunte, ipsum ambo sequuntur, deinde ad locum suum redeunt, & ibi Canonicis assistentibus sedentibus, & ipsi sedent, & illis surgētibus surgunt.

5 Ad Episcopum cum est accedendum, prius ante ipsum genuflectunt, deinde suum exequuntur munus.

6 Episcopo non celebrante, sed assistente ad Missam, siue cum pluuiali, & Mitra, siue tantùm cum cappa, semper, dum legit ex libro *Introitum*, *Epistolam*, *Euangelium*, *Offertorium*, & post *Communionem*, pari disciplina lumen ministrabit.

7 Episcopo priuatè celebrante, idem qui inseruit de libro, lumen ministrabit, cum opus est, videlicet dum legit *Introitum*, *Gloria*, *Orationem*, *Epistolam*, *Euāgelium*, *Symbolum*, *Offertorium*, *Orationes*, *Canonem*, *& post Communionem* &c.

8 Alter verò ministrabit ampullas, & calicem aptabit, cooperiendo, & discooperiendo, cum res postulauerit, Ambo adiuuabunt, cum manus lauat, mantile hinc inde sustinendo, cum sacris induitur, vel exuitur vestibus. Item cum genuflectit hinc inde, vt surgat, manum præbendo, adiuuabunt, pariter ascendentis ad Altare vestimentorum anteriores fimbrias eleuabunt, depositisque sacris vestibus, communes præbebunt, & adiuuabunt, cum eas accipit. Cærem. Episc.l.1. c.8.

De officio Acolythi Mitram ministrantis. Cap. IV.

1 *Mitram ministrans quando inseruire debeat, & quo habitu.*
2 *Mitram quomodo tenere debeat, & quo loco.*
3 *Locus Mitram tenenti designatus.*
4 *Locus quo Mitra praparari debet.*
5 *Agnoscat Mitras quibus, & quando vtendum sit.*
6 *Mitra pretiosa quando vtendum ad Vesperas.*
7 *Quando ad Missam.*
8 *Mitra auriphrygiata quando vtendū.*
9 *Mitra simplici quando vtendum in Missa.*
10 *Item quando ea vtendum in alijs functionibus.*
11 *In sermone, dum fit ab Episcopo, qua Mitra vtendum.*
12 *Mitra vsus in processionibus.*
13 *Vsus pileoli cum Mitra.*
14 *Mitra à quo ministranda Papa.*
15 *Tiara Romani Pontificis.*

1 Quo-

Cærem. Episc. li. 1. c. 11.

1 Quoties Episcopus est solemniter celebraturus, vel ad Missam, vel etiam ad Vesperas, cum Pluuiali, & Mitra assistere debet; cũ verò ordines conferre, vel aliquam Pontificalem functionem exercere voluerit sẽper Acolythus, qui de Mitra inseruire debet, superpelliceo mundo indutus, mappulam sericeam oblongam de collo pendentem habebit, qua Mitram capiet, & sustinebit, ne illam nudis manibus tangat.

2 Cum Mitram recipit, vel eam reddit, aduertat, vt infulas, seu vittas ipsius versus se habeat, & cum illam deponit siue supra Altare, siue supra credentiam, vittæ semper exterius pendeant; cum verò illam præbere debet Diacono assistenti, vt eam Episcopo imponat, aduertat, vt tali modo præbeat, quò illam facilè possit Episcopo imponere: similiter aduertat modum, quo ab eodem, cum ipsam amouet, eam recipere debeat; semper eius lateri adhærendo, vt, cum res postulauerit, facilè eam præbere, vel recipere possit.

3 Statim, ac Mitram à Diacono receperit, redit ad locum suum, eam ambabus manibus eleuatam, vsque ad oculos tenens; quòd si breui spatio esset Episcopo reponenda, tunc non descendit ad locum suum, sed paulisper se retrahens expectat, donec Mitra sit imponenda, locus autem eius erit in inferiori gradu sedis Episcopalis à sinistris Capellani baculum sustinentis, vel si sit in Altari, infra gradus.

4 Regulariter locus, quo Mitra præparari debet, est super Altare à latere Epistolæ, vel si plures sint, hinc inde à lateribus Altaris, vel supra mensam pro loci opportunitate.

5 Vt autem ritè suum impleat munus, sciat oportet, quòd Mitra triplex est pretiosa videlicet ex serico, auro intexata, ac gemmis, & margaritis ornata; secunda pariter ex serico, auro intexta, quæ dicitur auriphrygiata; tertia ex serico albo damasceno cum lacinijs, ex serico rubeo in infulis ex vittis pendentibus, quæ dicitur simplex, qua vtuntur DD. Cardinales in Capella; reliqui verò Prælati vtuntur etiam mitra simplici non ex serico, sed ex lino purissimo, atque tenuissimo, albi tamen coloris, pariter cum lacinijs rubris ex vittis pendentibus.

6 Episcopo in solemnioribus accedẽti ad Ecclesiam, vel redeunti imponitur Mitra pretiosa, qua etiam vtitur ad Vesperas in principio vsque ad primum psalmum exclusiuè, & ad *Magnificat*, & *Benedictionem*, in fine, & cum redit. Cærem. Episc. lib. 1. c. 17.

7 In Missa solemni à principio vsque ad Hymnum Angelicum; item cum lauat manus, & ad benedictionem, & cum recedit, eadem vtitur Mitra. Inter Vesperas autem, & Missam potius ad commoditatem, ne nimis grauetur, in huiusmodi solemnitaribus vti potest ad libitum auriphrygiata, seu etiam simplici.

8 Mitra auriphrygiata vtitur Episc. in Dominicis Aduentus, & Quadragesimæ, hoc est à Dominica Septuagesimæ, vsque ad feriam quartam maioris hebdomadæ exclusiuè, exceptis Dominica tertia Aduentus, in qua dicitur Introitus *Gaudete*, &c. & quarta Quadragesimę, in qua dicitur Introitus, *Lætare*; nam tunc in signum lætitiæ vtitur prætiosa. Item vtitur Mitra auriphrygiata in omnibus vigilijs, quæ ieiunantur, in quatuor temporibus, in Rogationibus, in litanijs, & processionibus, quę ex causa pœnitentię fiunt. In festo Innocentium, nisi venerit in Dominica, & in benedictionibus, & consecrationibus, quæ priuatè fiunt, quibus diebus abstinere debet Episcopus ab vsu Mitræ prætiosæ.

9 Cum Episcopus supradictis diebus vtitur Mitra auriphrygiata, inter celebrãdum, ne nimis grauetur, vti poterit Mitra simplici, eodem modo, quo de Mitra pretiosa, & auriphrygiata dictum est.

10 Simplici item Mitra vtitur Episcopus feria sexta in Parasceuè, & in omnibus officijs, & Missis defunctorum; item

cum

cum assistit consecrationi Episcoporum; pariter in Capella Papæ Episcopi vtuntur Mitra simplici ex purissimo, ac tenuissimo lino.

11 Episcopo sermonem habenti ad populum imponi poterit, si fortè vti noluerit auriphrygiata, Mitra simplex; interim verò si sermo habeatur in pulpito, Acolythus illam teneat supra ambonē, ita vt vittæ versus populum pendeant.

12 In processionibus, quibus Episcopus interest, à sinistris deferentis baculū, vel ante eum Acolythus de Mitra inseruiens auriphrygiatam defert, quòd si Episcopus sit sola cappa indutus, tunc simplicem deferre debet.

13 Idem Capellanus pileoli, seū subiretti mitralis curam habebit, ipsum Diacono assistēti prius porrigens; erit autem ex serico tenui nigri coloris: pro Cardinalibus verò erit rubei.

14 Mitra ab Auditore Rotę Decano Papæ ministratur, qui immediatè post Pontificem inter duos Cubicularios secretos procedet, ac prope eum in supremo gradu solii assistet, Pontifice verò apud Altare existente, à latere prope Diaconum stabit, velum sericeum supra cappam, vel superpelliceum habens: & cū Mitra Pontifici imponi debet, illam dabit Diacono ministranti à dextris; cum verò est remouenda, accedit ad Diaconum à sinistris, ex cuius manibus ipsam accipit cum debitis reuerentiis.

15 Singulariter Romanus Pontifex vtitur Tiara, triplici corona ornata, in maioribus videlicet solemnitatibus eundo, & redeundo cùm ipsa coronatur: Regnumque dicitur ratione supremæ dignitatis, quam repræsentat.

De Acolytho baculum Pastoralem sustinente. Cap. V.

1 *Baculus, & Mitra sunt correlatiua.*
2 *Deferentis baculum habitus.*
3 *Baculus semper ante Episcopum paratum deferendus.*
4 *In processionibus solemnibus semper deferendus baculus.*
5 *In breuioribus processionibus Episcopus ipse baculum deferet.*
6 *Ad Vesperas quomodo baculo sit vtendum.*
7 *In Missa quoties sit vtendum baculo.*
8 *In alijs Pontificalibus quando baculo sit vtendum.*
9 *In litanijs, quæ ad benedictiones, & cōsecrationes adhibentur, quando, & quomodo baculo sit vtendum.*

1 EPiscopus quandocumque vtitur Mitra in propria Diœcesi, atque etiam alibi, cum consecrationes, aut ordinationes, seu etiam benedictiones auctoritate Apostolica personaliter facere debet, etiam baculo vtitur. Cærem. Episc. l. 1. c. 21. Paris. de Crassi. li. 1. c. 8.

2 Is igitur, qui baculum custodire, atque deferre debet, superpelliceo mundo indutus, atque etiam Pluuiali, vbi talis est consuetudo, quoties ipsum deferret, manu dextera extremitate cottę cooperta, ipsum tenebit, nulloque panno, seu velo ab ipso pendente, nudum, cum opus fuerit, Episcopo offeret, parte curua baculi ad populum versa. Cærem. Episc. l. 1. c. 17. Cærem. Episc. lib. 1. c. 8.

3 Semper cum Episcopus Pontificaliter paratus procedit siue à Sacristia, siue à faldistorio ad Altare, vel reuertitur, præcedit Minister baculum deferens ambabus manibus eleuatum, nisi fortè celebrandum sit pro defunctis; in huiusmodi namque officijs, atque Missis, cessat vsus baculi.

4 In processionibus solemnibus, Episcopo Pontificaliter parato, minister Pluuiali indutus ante ipsum defert baculum vtraque manu eleuatum, & vbi est consuetudo, vt aliqua Dignitas baculum deferat, seruanda est.

5 Si processionis via fuerit breuis, Episcopus sinistra manu ipsum baculum deferre poterit.

6 Defertur etiam baculus ab Episcopo ad Vesperas; primò cum paratus ad eas celebrandas accedit; secundò quo-

ries à sede ad Altare, vel ab Altari da se dem paratus procedit;tertio cum dicitur *Magnificat*,procedens ad incēsandū Altare,& inde ad suam sedem redi&s; quartò cum in fine dat benedictionem.

7 In Missa verò solemni, vtitur baculo,cum Pontificaliter indutus procedit è sacrario ad Altare, vel à sede ad Altare, & quando ad eundem locum reuertitur: secūdò accedens ad Altare in principio Missæ,ipsum deferens baculum, dum fit Confessio, à sinistris celebrantis sustinebit,& dum dicitur *Indulgentiam.* &c. Sinistra Episcopo tenendum porriget: tertiò incensato Altari, dum Episcopus ad suam sedem reuertitur,deferri debet baculus:quartò dum cantatur Euangelium, sinistra baculum tenebit: quintò si Episcopus sermonem habeat,vel alius ad eius præsentiam intra Missarum solemnia concionetur,semper minister cum baculo à sinistris Episcopi adesse debet:sextò Episcopo à sede ad Altare pro oblatione accedente, baculum deferri oportet:septimò in bedictione,quæ datur,vel post sermonem, vel in fine Missę, minister cum baculo adesse debet, ipsumque Episcopo tunc porriget, cum incipiet producere signum crucis, & non prius.

8 Denique adhiberi debet baculus in locis propriæ Iurisdictionis, in Ordinibus conferendis,in benedictionibus,in consecrationibus, & omnino in omni actu Pontificali,in quo Episcopus si paratus Pluuiali,& Mitra,vel saltem Mitra,& stola.

9 In ordinibus conferendis ad Litanias dum dicitur: *Et hunc Electum benedicere*, baculum Episcopo in sinistra tenendum porrigit, quod etiam præstabit in omnibus consecrationibus,& benedictionibus,dum in Litanijs verba benedictionis, vel consecrationis, super personas,ac loca benedicenda,ac consecranda proferuntur.

De Acolytho ministrante Gremiale.
Cap. VI.

1 *Gremiale quando sit vtendum.*
2 *Quomodo eo vtendum.*
3 *Mappa ad manuum lotionem subministranda.*
4 *Gremiale Papæ à quo ministrandum.*

1 Episcopus in Missa Pontificali, & in conferendis Ordinibus regulariter,cum sedet, casula indutus vtitur Gremiali; & ideo tantùm id Missa requirit minister de Gremiali ei inseruiens; Ad Vesperas, & ad processiones nunquā adhibetur. Cærem. Episco. l.1. c.11.

2 Acolythus igitur de Gremiali inseruiens, ipsum ambabus manibus Subdiacono, cum opus est,deferet, & ille Episc.sedenti imponet,aduertens,vt surrecturo Episcopo, priusquam Mitra de eius capite deponatur, Gremiale à Subdiacono de gremio Episcopi sumptum accipiat,reuerenter ipsum osculando, illudque plicatum tenebit ambabus manibus ante pectus,& quoties illud dat Subdiacono,vel accipit ab eodem,semper ipsum osculando,id facit,aduertens diligēter, quando eo vtendum erit: præcipuè in conferendis Ordinibus sæpisimè eo vti oportet: Episcopo sedente,& omnino in omni consecratione, maximè cum sedens inungit consecratum;regulariter in Missa solemni post lectum Offertorium, & acceptis oblatis,si quando offerri contingit, ipsum cum osculis, vt supra, recipiendo,supra credentiam asportabit,cū amplius eo vti non oporteat. Cærem. Pari. de Craf.lib. 1.c.12.

3 Cum Episcopus manus lauat, ipse reuerenter mappam de credentia acceptam subministrabit ijs, qui hinc inde eam tenere debent, & post lotionem ad locum, vnde acceperat, reportat, ipsam credentiariis complicandum tradens.

4 Papa celebrante,Gremiale ministratur ab aliquo ex Auditoribus Rotę,à quo etiam mappa in manuū lotione defertur. Cærem. Rom. li. 2.c.14.

De Acolytho Chirotecas, & Annulum ministrante. Cap. VII.

1 *Chirotecæ à quo subministrandæ.*
2 *Quando, & quomodo porrigendæ.*
3 *Quando extrahantur, quomodo recipiendæ.*
4 *In ordinum collatione quando deponuntur.*
5 *In consecratione Episcopi quando extrahi debeant.*
6 *In consecratione Calicis, et in collatione Ordinis Confirmationis, si fiant in principio Missæ, quando extrahendæ.*

1 IDem Acolythus, vel alius, prout videbitur Magistro cæremoniarũ, poterit ministrare Chirotecas, quę erunt coloris paramentorum, & præparabuntur in peluicula argentea supra credentiam vnà cum Annulo Pontificali.

Cærem. Ep l.lib. 2.c.8. 2 Episcopo Dalmarica induto, antequam Casula ei imponatur, ipse accedẽs cum reuerentijs, & osculis, Chirotecas ministris tradet, dexteram scilicet Diacono, sinistram verò Subdiacono.

3 Lecto Offertorio, antequam Episcopus manus lauet, adhuc in sede sua stanti extrahuntur Chirotecę à Diaconibus assistentibus, easque accipit Acolythus in eadem peluicula argentea, quam manu sustinebit, & in qua reponi etiam poterit Annulus, dum Episcopus manus lauat, rursumque reassumpto Annulo, ipse cum debitis reuerentijs recedens, Chirotecas supra credentiam, vnde à principio eas sumpserat, reponit.

Pontif. Rom. p. 1. tit. de ord. Presbyt. pag. 66. 4 In Ordinibus, cum solemniter conferuntur, in ipso actu consecrationis presbyteri, dicto primo versiculo Hymni: *Veni creator Spiritus*, &c. antequam Ordinandum vngat, extrahi debent Chirotecæ de manu Episcopi consecrantis, & Annuli, statimque extractis Chirotecis, reponitur Annulus, & Gremiale.

Pontif. Rom. p. 1. tit. de consecr. 5 Idem obseruandum in consecratione Episcopi, non enim tunc post Offertorium, sed ante Euangelium, & omnino immediatè dicto primo versiculo Hymni: *Veni creator Spiritus*, extrahuntur Chirotecæ ante sacram vnctionem. electi in Episc. pag. 95.

3 In solemni Ordinum collatione, si prius cõsecrandi sint Calices, vel aliquis confirmandus, antequam inungatur Calix, vel Confirmatus, extrahuntur Chirotecæ, & post consecrationem Calicis, vel Confirmati, lotis manibus, reponuntur, a que cum ipsis prosequitur officium Missæ, & collationem Ordinum, si facienda sit vsque ad consecrationem Presbyteri, si sint ordinandi Presbyteri, sin minus vsque ad post Offertorium. Pontif. Rom. p. 1. tit. de ord. conferendis, pag. 13.

De Acolytho ministrante Ampullas in Pontificalibus. Cap. VIII.

1 *Acolythi munus in principio officij, dum Pontifex induitur.*
2 *Ad Offertorium quo ordine Ampullas ministrabit.*
3 *Post Communionem quomodo ministrabit.*
4 *Vas aquæ benedictæ ipse ministrabit.*
5 *Velum Altaris à quibus amouendum pro incensatione.*
6. *In Capella Papæ à quo amouendum.*

1 ACoIythi ministrantis Ampullas proprium munus erit, assistere Episcopo, dum sacris induitur vestibus, & vnà cum alijs adstantibus paramenta, quibus indui debet, suo ordine, ac tempore porrigere, & in omnibus, nutu Magistri cęremoniarum, circa Altare, quæ necessaria sunt disponere. Paris. de Grassis lib. 1. c. 13.

2 Præcipuè lecto Offertorio, Subdiaconum ad credentiam accedentem prosequitur, indeque vrceolis vini, & aquæ supra paruam peluiculam argenteam dispositis, atque velo coopertis, facta prius à Credentiarijs prægustatione, acceptis, post eum procedens ad Altare ad latus Epistolæ accedit, vbi easdem Ampullas opportunè Subdiacono subministrabit; primo vini, mox aquæ, quas ab eodem receptas, cum debitis reue-

rentijs supra credentiam reponet.

3 Post Communionem, easdem dè credentia accipit, & in cornu Epistolæ opportunè eas Subdiacono ministrat, & pariter ad abacum reportat.

4 Cum opus est, vas aquæ benedictæ cum aspersorio ministrabit.

Cærem. Episc. li. 2.c.1. 5 Idem Acolythus, qui ministrat ampullas cum altero, qui chirotecas, & annulum ministrauit, si ita videbitur, vel duo alij, arbitrio Magistri cæremoniarum, designentur, qui quoties Episcopus ad incensandum Altare procedere debet, præuenientes cum debitis reuerentijs hinc inde eleuant anteriorem partem mappę, seu veli super Altare positi, illamque conduplicāt vsque ad medium Altaris, deinde hinc inde genuflexi expectant, donec incensetur Altare, & mox Episcopo redeunte ad sedem suam, videlicet completa incensatione, ipsam reducunt, vt priùs, & in locum suum redeunt.

Cærem. Rom. l. 3.sect.3. c.21. 6 Papa celebrante, hoc munus pręstant duo Auditores Rotæ; ipsi namque Acolythorum munus in Capella exercent, vnde & Pluuialis fimbrias, cum Pontifex incedit in Capellam, hinc inde eleuant.

De Acolytho ministrante Thuribulum in Pontificalibus. Cap. IX.

1 *Incensum ab Episcopo suo loco imponendum.*
2 *Nauicula à quo ministratur.*
3 *Quomodo ministratur ad Vesperas.*
4 *In processionibus quomodo.*
5 *Ad Missam quando, & quomodo ministrandum sit.*
6 *In absolutione ad tumulum quomodo.*
7 *Episcopo assistente ad Missam, quando, & quomodo ministretur.*
8 *Quando thuribulum traditur assistēti.*
9 *Thuriferarius quando accipit thuribulum ab Assistente, & quinam ab eo incensentur.*
10 *Principes ab Assistente incensādi, quales esse debeant.*
11 *Dignitatum ordo in incensatione seruandus.*
12 *Acolythus quosnam incensare debet.*
13 *Ante Episcopum quinam incensandi, & à quo.*
14 *Quinam Principes immediatè post Episcopum ab Assistente incensandi.*
15 *Magistratus minores quando, & à quo incensandi.*
16 *Barones quando incensandi, & quomodo.*
17 *Regina, ac Principissa ex maioribus quo loco incensari debeat.*

1 PRæter ea, quę in proprio loco de officio Thuriferarij supra sunt dicta, specialiter hoc loco obseruandum erit, quòd, Episcopo celebrante, incensum ministratur in sede, si in propria Ecclesia celebret, vel in faldistorio, si pontificaliter extra Diœcesim sit celebrandum. Cærem. Episc. lib. 1.c.23.

2 Semper nauicula in solio ministratur à Canonico Presbytero assistente; in Altari verò à Diacono Euangelij. Cærem. Epis. lib. 1.c.6.

3 Incensum ministratur ad Vesperas, siue in solio, siue in faldistorio, in principio Cantici, *Magnificat*.

4 Item in Processionibus in principio, antequam procedatur.

5 Ad Missam in principio ante *Introitum*; item ante *Euangelium*, ad *Offertorium* verò ministratur ad Altare.

6 In absolutione ad tumulum incensum ministratur in solio, vel in faldistorio semper ab Assistente.

7 Episcopo assistente ad Missam, vel ad Vesperas, semper incensum ministratur in solio à Presbytero assistente.

8 Incensato Altari Thuriferarius accipit thuribulum de manu Assistentis, deinde Episcopo accedente ad solium, ipsum porrigit Assistenti, à quo Episcopus incensatur. Cærem. Episc. lib. 1.c.23. Paris. lib. 1.c.47.

9 Thuriferarius, incensato Episcopo ab Assistente, thuribulum accipit, & si

solemniter celebretur, ipsum Subdiacono parato porrigit, à quo incensantur Assistentes, Dignitates, & Canonici parati. Incensatis Dignitatibus, & Canonicis paratis, ipse Thuriferarius reliquos more solito incensabit.

10 Si adesset Legatus, Rex, aut Princeps magnus, idem assistens, vel Diaconus, qui Episcopum incensauit, eos thurificabit.

11 Pluribus in ecclesiastica dignitate constitutis præsentibus, primò incensatur ab Assistente, vel Diacono Episcopus celebrans, secundò Cardinalis, tertiò Archiepiscopus Metropolitanus, quartò Episcopus loci nō celebrans, sed pręsens, post ipsum alij Episcopi suo ordine.

12 Post Episcopos thurificantur ab Acolytho Prothonotarij participantes, deinde Dignitates, posteà Canonici per ordinem, tum, si aderunt, Abbates benedicti, post eos Prothonotarij supernumerarij, & Generales Ordinum; deinde Vicarius Episc. seruata tamen loci consuetudine.

13 Quoad laicos verò, Imperator, & Reges indistinctè ante Episcopum, semper thurificantur ab Assistente.

14 Proreges, & Gubernatores Regnorum, ac Prouinciarum immediatè post Episcopum ab Assistente, pariter & Magistratus maiores perpetui ante Canonicos non paratos incensantur.

15 Magistratus Ciuitatum, nisi fint de maioribus, ac perpetui, incensantur post Canonicos non paratos.

16 Barones sine titulo post Canonicos, & Magistratus incensantur.

17 Regina, vel Principissa eodē loco, & modo, quo vir eius incensari debet.

De Acolythis deferentibus Cereos Episcopo celebrante. Cap. X.

1 *Acolythi quando, & vbi ad Vesperas assistunt cum cereis.*
2 *Ad Tertiam, & Missam quando, & quomodo ministrant.*
3 *Acolythi Apostolici Papa quomodo assistunt.*
4 *Septem Candelabra Papa celebrante quomodo deferantur.*
5 *Quando, & quomodo duo candelabra deferenda, Papa celebrante.*

1 Episcopo celebrante, Ceroferarij cum cereis accensis assistunt ante gradus solij, dum dicitur Oratio, vel Orationes ad Vesperas solemnes. Cærem. Episc. lib. 1. c. 11.

2 Item dum dicitur Oratio ad Tertiā; & Episcopo procedēte ad Missam; ipsum prçcedunt, & omnino quoties processionaliter procedēdum est, medium habentes Subdiaconum Crucem deferentem, vt suo loco dictū est. Ad Euangelium pariter accedunt, modo supra prçscripto.

3 Papa celebrante, Acolythi Sedis Apostolicç ordinarij superpelliceo induti circa Pontificem, semper assistunt.

4 Ante ipsum processionaliter procedentem septem candelabra cum cereis accensis deferunt, pariter ad Euāgelium, Sup. sect. 4. c. 7. quod à Diacono Cardinali latinè cantatur, septem cereos accensos cum suis candelabris deferunt. Cærem. Rom. li. 1. c. 14. & lib. 3. sect. 2. c. 24.

5 Duo ex ipsis, cum Papa dicit Orationem ad Vesperas, & Tertiam, ante gradus solij cum candelabris, & cereis accensis assistunt. Ad Euangelium, quod grçcè cantatur, pariter duo cum candelabris, ac cereis accensis accedunt.

De Acolytho ministrante Pallium Archiepiscopi. Cap. XI.

1 *Pallium quomodo asseruari debeat.*
2 *Quomodo praparandum diebus, quibus eo vtendum erit.*
3 *Quo loco disponi debeat.*
4 *Quomodo deferendum.*
5 *Spilla Pallio affigenda quomodo ministris tradantur.*
6 *Completa Missa, quomodo Pallium asportetur.*
7 *Quomodo custodiatur.*
8 *Palliū PP. à Subdiacono Apost. deferēdū.*

erem. (cut) ... if.l.1. 16.

1 PAllium Archiepiſcopi, ſeu Patriarchæ aſſeruabitur ſerico velo obuolutum in aliqua decenti capſula, quę etiam extra erit pulchrè ornata.

2 Diebus, quibus eo vti licet, iuxta regulas in cæremoniali Epiſcoporum traditas, cum alijs Pontificalibus ipſum pręparabit cum tribus ſpillis.

3 Cum paramenta ſuper Altare aptantur, ita diſponantur omnia, vt vltimo loco inueniatur Pallium.

arem. pif. lib. .c.8.

4 Acolythus Palljum ſubminiſtrans, velo aliquo ſuppoſito, ex Altari ipſum accipit, & ambabus manibus eleuatum Diacono aſſiſtenti taliter defert, vt pars duplex Pallij ſiniſtræ manui Diaconi imponatur, ſimplex verò dexteræ, ita vt Diaconus ipſum accipiēs, facilè Archiepiſcopo in poſteriori cruce oſculandum offerre poſſit, duplicem partem ſiniſtro humero ipſius imponens.

5 Tres ſpillas eidem offert, primo pulchriorem infigiēdam cruci anteriori Pallij, deinde ſecundam ſiniſtro humero, ac tandem tertiam tradit Subdiacono, qui ipſam infiget cruci poſteriori, & tūc cum debitis reuerentijs recedens, velum cum peluicula, in qua ipſum detulit, ſupra credentiam Epiſcopi reponet.

6 Completa Miſſa, cum eodem velo ante Archiepiſcopum ad Altare accedēs, accipit à miniſtris ſpillas, atque Pallium ipſum, quod reportabit ad locum paramentorum.

7 In ſua capſula velo ſerico decenter obuolutum obſerabit, fideliterque cuſtodiet aduertens, quòd licet alia paramenta deponantur in faldiſtorio, ſemper tamen Pallium ad Altare deponitur.

Cærem. Rom. li. 2. c. 15.

8 Papa celebrante Pallium ex Altari defertur velo coopertum, per Subdiaconum Apoſtolicum, qui ipſum Diacono Euangelij tradit, qui rurſus, completa Miſſa, idem ex Altari, vbi à Papa deponitur, ſuo loco reponendum accipit.

De Acolytho, ſeu Capellano deferente crucem ante Archiepiſcopum. Cap. XII.

1 *Crux quomodo ante Archiepiſcopum deferenda.*
2 *Quo loco Crux procedere debeat.*
3 *Imago Crucifixi ad Archiepiſcopū quando conuerti debeat.*
4 *Crux quando deponenda.*
5 *Ad benedictionem quando eſt adhibenda Crux.*
6 *Quomodo recedendo Crux procedit.*
7 *Quomodo Crux ante Papam deferenda.*

1 CVm Archiepiſcopus in loco ſuæ Iuriſdictionis publicè procedit, non ſolùm ad diuina officia, verùm etiam ad alia negotia, ſemper ipſum præcedit deferens Crucem, Clericali habitu indutus, & ſi Archiepiſcopus fuerit Cardinalis, deferens crucem violaceis vtetur veſtibus, Archiepiſcopo parato, deferens crucem ſuperpelliceo induitur. Cærem Epiſ.lib. 1.c.1. Cærem. Rom. li. 3.lect.1. c.20.

2 Inter Archiepiſcopum, & crucem tantùm Canonici, ac Dignitates incedant.

3 Item cum Archiepiſcopus immediatè ſequitur, Crucifixi imago erit verſus Archiepiſcopum, cum autem non immediatè ſequitur erit à parte anteriori.

4 Cum Archiepiſcopus peruenerit ad Eccleſiam, vel Capellam; ipſe deponet Crucem loco congruo, atque ad locum ſuum cum alijs ſe recipiet.

5 Cum Archiepiſcopus, vel poſt ſermonem, vel in fine Miſſæ, ſeu officii ad Veſperas daturus eſt ſolemnem benedictionem, deferens Crucem ante Archiepiſcopum, ipſam tenebit, Crucifixi imaginem verſus Archiepiſcopum conuertens, & illo incipiente benedictionem, cū aliis genuflectit.

6 Data benedictione, ſurgit, & reponit Crucem in loco ſuo, & ſi ſit recedendum,

dum, incipit procedere ante ipsum vsque ad locum suę habitationis, & in loco solito Cameræ sub Baldachino crucem reponit ligneo, vel lapideo suppedaneo innixam.

7 Crux ante Summum Pontificem defertur à Subdiacono Apostolico.

De officio Caudatarij. Cap. XIII.

Cæræm. Ambr. lib. ..tit. de offic Capell. Caudata ij p. 177.

1 CAudatarius decentibus vestibus Clericalis ordinis indutus, sine superpelliceo tamen, quoties Episcopus ad Ecclesiam procedit, talaris vestis, quã subtanam dicunt, caudam sustinet, atque defert.

2 Cum Episcopus cappam induere debet, ipsam ante cubiculum præparari curabit, quò opportuno tempore ea indui possit.

3 Cum ipsam induere voluerit, Capellanus ad id deputatus eam accipit, & caudam super brachium sinistrum reuoluit, ipsam sic deferens, vt extremitates faldę anterioris Episcopum incedentem impedire non possint.

4 Episcopo genuflectente cappæ caudam protinus ad terram extendit, interim verò ipse post extremitates ipsius caudę genuflectit, & Episcopo surgente, promptè eam colligit, atque super brachia reuoluit, vt prius.

5 Episcopo in sede manente, caudam supra ipsam sedem collocat.

6 Cũm Episcopus cappa indutus diuinis intereſt officijs, ipse stat, vel sedet in inferiori gradu sedis Episcopi à parte dextera ipsius Episcopi, vltimò sedens, primòque surgens.

7 Aduertat, quòd cappa vti ur Episcopus, cum diuinis intereſt officijs sine Pluuiali, hæcque duplex est, altera cum pellibus de Armellino, altera verò serico rubeo ornata, illa à primis Vesperis Omnium Sanctorũ vsque ad Sabbatum Sanctum Paschæ, vel etiam Pentecostes, iuxta consuetudinem locorum, quo die fit mutatio capparum in benedictione fontium; altera vero in reliquo tempore. Omnes autem hæ cappę erunt laneæ coloris violacei, exceptis eorum, qui ex Monachorum ordinibus ad Episcopatum fuerint assumpti, qui cappa coloris suę religionis conuenientis vti debent: Omnes autem in solemnitatibus primę classis, excepto triduò maioris hebdomadæ, vti possunt cappa ex camelotto. Cæræm. Episco. l. 1. c. 3.

8 Si Episcopus fuerit S. R. E. Cardinalis, Capellanus caudam deferens, cum ad Ecclesiam, vel ad Capellam procedendum est, induit vestem violacei coloris cum manicis latioribus, caputiumque super humerum defert, extremitates vestis, & caputij serico Panno contectas habens.

9 Obseruet, quando DD. Cardinales vti debeant cappa rubea, & quando violacea, item quando lanea, & quando ex camelotto.

10 In capella Caudatarius superpelliceo indutus suo Cardinali ministrabit, & reliquis sedentibus, ipse in gradu ad pedes Domini sui, detecto tamen capite, semper sedebit.

De Acolytho ministrante faldistorium Cap. XIV.

1 Acolythus, qui faldistorium deferre, seu trāsferre, ac ministrare debet pre cæteris robustior, ac diligēs eligi debet. Act. Eccles. Mediol. p. 1. instr. Eccles. lib. 2.

2 Is sedis humilioris, quæ Episcopali cathedra depressior est, cum ea in Altari Episcopus vti debeat ad sedendum solerti diligentia curam habebit.

3 Faldistorium integumento coloris aliorum paramentorum, quod vndequaque vsque ad pauimentum pendeat, decenter tegatur, cū duobus puluinis eiusdem coloris, altero ad sedendum, altero verò ad genuflectendum paratis.

4 Aduertat diligenter, quando Episcopus in Altari sedere debeat, vt opportunè ipsum deferat, & quando eo amplius non est vtendum, vt suo loco reponat.

5 Item quandocunque genuflectendum est, pura in ordinarionibus, & consecrationibus ad Litanias, & Hymnum *Veni Creator spiritus*, puluinum alterum pro genuflexionibus designatum ante faldistorium ad procumbēdum in eo opportunè supponat.

6 Regulariter ad Vesperas, & Missas solemnes Pontificales faldistorium erit à latere Epistolæ, infra gradus Altaris; ita vt collocetur intra Altare, & Abacum, in ipso plano presbyterij, habens ad dexteram ipsum Altare, vt illam partem Ecclesiæ respiciat Episcopus in eo sedens, quam respicit Altare; sub ipso verò erunt strati panni viridis coloris; vel tapetum: sed si Altare haberet plures gradus, ita vt faldistorium in pauimento positum remaneret nimis depressum, posset in eo supponi aliqua bradella æqualis altitudinis cum infimo gradu Altaris, maximè si super eo sessurus sit proprius Episcopus, nunquam autem ab eo loco amoueatur, nisi quando eo vtendum est in Altari, vt modo dicemus. Cærem. Epis. lib. 1. c. 12. Paris. de Crass. li. 1. c. 3.

7 Episcopus celebraturus in faldistorio sedet, cum sacris induitur vestibus, dicens Psalmos designatos in prin-

cipio

cipio Miſſæ,& cum eas exuit in fine.Intra Miſſam verò,ſi ſit in propria Eccleſia, in ſolio parato,atque piſpoſito,gradibuſque eleuato à dextris Altaris ſemper ſedebit:cum verò ſermonem eſt habiturus poſt Euangelium in Altari,in faldiſtorio in medio poſito ſupra gradus Altaris ſedebit.

8 Si verò Epiſcopus extra ſuam Eccleſiam celebret tam in *Miſſa*, quàm ad Veſperas,in faldiſtorio à latere *Epiſtolæ* modo præſcripto aptato ſedebit.

Pót.Roma. p.r. tit.de ordin. cóf. pag. 12. 9 In collatione Ordinum faldiſtorium à principio præparabitur,modo præſcripto,à latere Epiſtolæ,vbi Epiſcopus paramenta ſumpturus ſedebit.

10 Facta confeſſione, & ea parte *Miſſę* completa,quæ ante collationem ſingulorum ordinum dici debet,miniſter deputatus ipſum ad Altare opportunè defe tēs,in medio ſupra ſupremū gradū collocabit,completiſque iis , quæ ad ordinis collationem ſpectant,cum procedendum eſt ad *Miſſam*,ipſum in eodem loco,quo prius erat à latere Epiſtolę reponet.

11 Semper in *Miſſa*,in qua conferuntur Ordines,ſiue vnus,ſiue plures ordinētur,dicto Offertorio,faldiſtorium deferri debet ante medium Altaris, vt ibi Epiſcopus ſedens accipiat ab ordinatis cereos accenſos, ac tandem ſingulorum Offertorio accepto , ſurgente Epiſcopo tolli debet ipſum faldiſtorium.

Pót.Roma.p. 1. tit.de ordi. preſby.p.73. 12 In eadem Miſſa,ſi in ea ſit ordinatus Sacerdos , ſumpta ſacra communione, dictoque *Credo*,defertur faldiſtorium ante medium *Altaris* , vt ibi Pontifex ſedeat,dum imponit manus ordinato , explicat caſulam , vſque dum proſequi debeat Miſſa , nam tunc amouetur faldiſtorium .

Pót.Roma.p.1. ti.de cólec. cle. in Epū pag. 17. 13 In fine eiuſdem Miſſæ , dicto *Placeat*,&c.iterum defertur faldiſtorium, in quo Pontifex ſedens exhortationem facit ordinatis, ſtatimque illo ſurgente defertur in locum ſuum .

14 In conſecratione Epiſcopi , poſtquam Conſecrator paramenta ſumpſerit à latere Epiſtolæ; ad Altare defertur faldiſtorium in medio , vbi ſedet, donec legatur mandatum , & per Electum præſtetur iuramentum,& fiant interrogationes, ac expleto examine,ante confeſſionem amouetur faldiſtorium.

15 In eadem Miſſa dicto *Graduali* vſque ad *Alleluia* , vel vſque ad vltimum verſum *Tractus* Excluſiuè, defertur faldiſtoriū ante medium *Altaris*,vbi Conſecrator ſedens Electum conſecrabit,vſque dum procedendum eſt ad Miſſam, & tūc antequam dicatur *Alleluia*, vel *Tractus*, amouetur faldiſtorium. Ibidem pag. 87.

16 Lecto *Offertorio* rurſum defertur faldiſtorium, vt ibi Epiſcopus ſedens accipiat intortitia accenſa.panis,& barrilia vini,ac ſtatim remouetur . Ibidem pa. 107.

17 In fine Miſſę data benedictione à conſecratore, ſtatim reponitur faldiſtorium ante medium *Altaris*, nec amouetur,donec Conſerratus daturus eſt benedictionem,tunc enim in locum ſuum,vbi erat à principio,defertur. Ibidem pa. 110.

18 Cum Epiſcopus ad Eccleſiam accedere debet,ſemper intra Presbyterium in medio plani præparetur faldiſtorium cum puluinis ad procumbendum , vt ibi accedens,& recedens genuflexus oret, & quotieſcumque in aſſiſtentia ad Miſſam genuflectendum eſt,à ſolio deſcendens , in ipſo faldiſtorio,vel genuflexorio ibidē præparato genuflectit, & ſi Sanctiſſimum Sacramentum in alio *Altari* ſit , ibidem ſuum erit genuflexorium cum puluinis, nam ibi prius ad adornandum procedere debet;deinde ad Altare maius. Cærem. Epiſc.li. 1.c.1.

19 In omnibus benedictionibus , & conſecrationibus, præcipuè dum dicuntur Litaniæ , præparetur faldiſtorium cū ſuo puluino.

20 Item in Synodo,& in omni exhortatione , & ſermone faciendo ab *Epiſcopo*;in benedictione primarii lapidis , in conſecratione *Eccleſię*, vel cæmeterii; & in reconciliatione pœnitentium,faldiſtorium adhibebitur ante fores Eccleſiæ.

21 In exequiis ſolemnibus defuncto-

rum

tum, pro Episcopo celebrante faldistoriũ, pro alijs scabella præparentur.

De Scutiferis, seu familiaribus Episcopi. Cap. XV.

1 *Numerus, & habitus familiarium Episcopi credentiæ inseruientium.*
2 *Ad manuum lotionem quo ordine procedant.*
3 *Aquam lotionis in terram ne proijciant.*

1 Assistere etiam debent maximè Episcopo celebranti cubicularij, seu familiares eius modestè induti, sine cottis tamen credentiæ ministrantes, qui ad minus duo, ad summum quatuor adstare semper debent circa credentiam, detecto capite, facie ad Episcopum conuersa, nec inde discedunt, nisi quando Episcopum exuunt, & calceant, aut excalceant communibus indumentis, & calceamentis.

Cærem. Epis lib. 1. c. 11. Pari. de Crat. lib. 2. c. 16.

2 Cum aquam ad lotionem manuum ministrant, quia quater hoc præstare debent, quatuor esse poterunt, singulis lotionibus singuli ministrantes, prius minus digni, mox digniores per ordinem, primò antequam Episcopus capiat paramenta; secundò ante offertorium in sua sede; tertiò post incensationem oblatorum, & Altaris; quartò post communionem. Antequam è credentia recedant, primò genuflexo reuerentiam faciunt: secũdò ante Altare versus crucem ibi manentes; tertiò ante celebrantem, & sic permanẽtes aquam infundendo, ipsam ante prægustando, & facta lotione cum iisdem reuerentijs recedunt.

3 Aduertant, ne aquam lotionis in terram proijciant, sed in pelui prope credentiam ad id præparata: omnia pro vt suo loco sunt adnotata, diligenter seruantes.

Infr. lib. 2. sect. 1. cap. 1.

SECTIO SEXTA.

De ministris Choro inseruientibus.

De officio Cantorum. Cap. I.

1 *Cantores per hebdomadas mutantur.*
2 *Cantores Psalmos, Hymnos, & Versus intonant.*
3 *Cantor ad Completorium quid præstabit.*
4 *Ad inuitatorium Cantorum munus.*
5 *Ad Horas diurnas Cantoris munus.*
6 *Ad officium Primæ quomodo, & quo loco Martyrologiũ legitur, vel cantatur.*
7 *Cantores quomodo suum munus implẽt.*
8 *Cantores aptiores in solemnioribus designandi, & quomodo suum munus implent.*
9 *Cantores ad Tertiam solemnem.*
10 *Cantorum munus ad Psalmos Graduales.*
11 *Ad septem Psalmos Pœnitentiales.*
12 *Ad Litanias.*
13 *Ad Processiones.*
14 *In Missa solemni.*
15 *Ad Hymnum Angelicum.*
16 *Ad Graduale.*
17 *Ad Sequentiam, vel Tractum.*
18 *Ad Symbolum.*
19 *Ad officium Defunctorum.*
20 *Item in absolutione ad tumulum.*
21 *Denique in Exequijs Defunctorum.*

1 Cantores in Choro per Hebdomadas, quę incipiunt à Sabbato ad Vesperas, vicissim mutentur, ita vt alter sit in Choro, in quo est Hebdomadarius ea vice, cui è regione in altero Choro respondeat, cum opus est; alter Subcantor, qui in præcedenti Hebdomada Cantoris munere functus fuerit.

2 Postquam celebrans primam intonabit Antiphonam, intonabit Psalmum, & successiuè alios Psalmos à parte sui Chori, cum Versibus, Hymnis, & Canti-

cis,

cis; in duplicibus verò Psalmi, Hymni, & Versus ad Matutinum, Vesperas, & Laudes à duobus in primis sedibus Chori inferioris adstantibus, tota decantata Antiphona, in medium cum debitis reuerentiis, & inclinationibus conuenientibus, intonantur. Similiter diebus Dominicis, atque etiam Sabbato ad Vesperas, quibus diebus dicunt etiam in fine, vers. *Benedicamus Domino*. Ad reliquas verò Horas semper Psalmi, & Hymni ab vno tantùm incohantur: Versus his diebus à duobus cantantur. Et cum intonant, semper habeant librum apertum ante oculos.

Cærem. Episco. l. 1. c. 2.

3 Ad Completorium solus Cantor in medio Chori dicet in principio versus celebrantem inclinatus: *Iube Domne benedicere*, & Capitulum, in cuius fine, dum dicit *Tu autem Domine*, &c. genuflectens recedet ad suam sedem, ibique Psalmos, & in fine Versus in medio Chori intonabit, vbi pariter inchoabit Canticum *Nūc dimittis*, &c.

Cærem. Episco. ib. 1. c. 2.

4 Ad Matutinum semper Inuitatoriū cantabit in medio Chori, ex libro, super legile ante se posito; in duplicibus quidē cum socio, in alijs solus. Post Inuitatoriū, si solemniter celebretur, præintonabit Hymnū celebranti, & similiter Antiphonam ante primum Psalmum, & Hymnum *Te Deum laudamus*, post Nonam lectionem. Quando verò non solemniter celebratur, vnà cum socio Hymnum, & Psalmorum principia intonabit; Antiphonā verò, si officium non sit solemne, Hebdomadarius per se intonabit.

Direct. Chor. titul. de vsu, & modo tendi direct..

5 Ad horas diurnas inchoabit Hymnos, & Psalmos, & dicet Versus tam in officio diuino, quàm in officio paruo Beatæ Virginis.

Direct. Chori ibidem.

6 Ad Primam stans capite aperto legit Martyrologium ex legili in medio Chori, in tono in Directorio Chori designato, & in fine dicturus Capitulum, cōuertens, & inclinans se Sacerdoti celebranti, dicet *Iube Domne benedicere*, benedictioneque accepta, legit ibidem stans lectionem pro absolutione capituli.

7 Cantores Psalmos, Hymnos, ac Versus intonantes, semper stant detecto capite, accedentes verò, & redeuntes ad intonandum, factis prius Altari, vel cruci reuerentiis, mutuis inclinationibus honore se præuenient.

8 in diebus festis, quibus solemniter celebratur, designentur à Magistro Cęremoniarum duo Cantores ex aptioribus, qui in primis sedibus Chori inferioris collocati, accedentes simul in medium cum inclinationibus inchoant Psalmos, & Versus ad Matutinum, Laudes, & Vesperas, nec non etiam Versus, qui dicuntur ad Respōsoria post lectiones. Hymni his diebus ad Vesperas, Laudes, & Nocturnum à celebrante inchoantur, qui etiam Hymnū *Te Deum laudamus* inchoare debet, ipso primo Cantore præintonante. Cōsuet. cle. reg. Theat.

9 Ad Tertiam, quę ante Missam solēnem cantatur, stantes in primis sedibus Chori inferiorir, Hymnum, & Psalmos, ac Versus, & in fine Vers. *Benedicamus Domino* dicturi, in medium, cum debitis reuerentiis, & inclinationibus accedunt. Idipsum ad reliquas Horas, cum solemniter celebrantur, obseruent.

10 Cum dicuntur Psalmi Gradules, primus quidem à celebrante inchoatur, reliqui quatuor primi, in quorum fine non dicitur Vers. *Gloria Patri*, non intonantur, sed Chorus eos prosequitur absque vlla distinctione, ac si esset vnus Psalmus, & in fine vltimi dicitur Vers. *Requiem æternam*. Alii decem sequentes à Cantoribus in ea parte Chori, cui contingit, intonantur.

11 Septem Psalmi pęnitentiales quādo dicuntur, postquam Hebdomadarius inchoauit Antiphonam, *Ne reminiscaris*, Cantor illius Chori incipit Psalmum, *Domine ne in furore tuo*, &c. reliqui verò ex ordine à Cantoribus pariter inchoantur.

12 Litaniæ solemnes, cuiusmodi sunt, quæ dicuntur Sabbato sancto, & Vigilia Pentecostes ad Missam, in processionibus die Sancti Marci, & diebus Rogationum,

vel

vel quando, pro re graui, & publica Ecclesiæ causa, sunt dicēdæ, in medio Chori à duobus Cantoribus dicuntur.

13 In omnibus Processionibus solemnibus duo Cantores cantant Litanias, inchoāt Hymnos, Psalmos, Antiphonas, Responsoria, &c. iuxta formam traditam in proprio libro Processionum.

14 In Missa cantata dicto, dum dicendum est à celebrante *Asperges me*, &c. Cantores in medio Chori prosequuntur *Domine hyssopo, & mundabor*; Chorus verò *Lauabis me*, &c. iidem inchoant Vers. *Miserere mei Deus*, &c. quem Chorus complet, & ipsi subdunt *Gloria Patri*, &c. Deinde repetunt principium Antiphonæ *Asperges me*, &c. Et Chorus prosequitur. Eodem modo intonant Introitum Missę.

15 Celebrante inchoante Hymnum, *Gloria in excelsis Deo*, ipsi eodem tono, subdunt; *Et in terra pax*: Chorus prosequitur *Hominibus bonæ voluntatis*.

16 Post Epistolam, inchoant *Graduale*, vel tempore Paschali *Alleluia*; Versus sequentes cantantur ab alijs duobus Cātoribus assignatis à Magistro cęremoniarum, vel Chori Præfecto, quòd si non fuerint designati; iidem Cantores illos prosequuntur.

17 *Sequentia*, quando dicenda est, inchoatur quidem à Cantoribus, eam tamen prosequitur illa pars Chori, in qua fit hebdomada; vtroque Choro alternatim prosequente; eodem quoque modo cantatur Tractus.

18 Post Euangelium, cum celebrans dicit *Credo in vnum Deum*, Cantores subdunt *Patrem omnipotentem factorem cœli, & terræ*, & Chorus prosequitur, *Visibilium omnium*, &c. Inchoabunt etiam Cātores *Offertorium*, & post eleuationem calicis inchoant, Choro prosequente, *Benedictus qui venit*, &c. ac tandem inchoant communionem.

19 Ad officium mortuorum Cantores quoque Psalmos, ac Versus intonabunt; quòd si officium fuerit solemne, intonant Inuitatorium in medio Chori; Psalmos verò, & Versus, etiam eos, qui ad Responsoria post lectiones dicuntur, cō ueniendo in medium inter ipsas duas primas sedes Chori inferioris intonabunt; pariter ad Vesperas, & Laudes intonabūt Psalm. & in fine, dicent Vers. *Requiescant in pace*, semper cum Psalmos, & Versus intonant, stant detecto capite.

20 In absolutione ad tumulum, quæ fit post Missam, Cantores à parte celebrātis inchoant Responsorium *Libera me Domine*, &c. qui verò sunt ex altera parte Chori dicunt Vers. *Tremens factus sū ego*, &c. Primo Cantores subdunt ℣. *Dies illa dies iræ*, &c. Cantores è regione, vel duo ex senioribus dicunt ℣. *Requiem æternam*, &c. In fine Cantores ex celebrātis parte dicunt ℣. *Requiescant in pace*.

21 In exequiis dicto à celebrante *Non intres*, &c. Cantores vtriusque Chori alternatim intonant Responsoria, eodem modo, quo supra, prout in Rituali Romano, quando verò procedendum est ad sepulturam, inchoant, ac repetunt, *In Paradisum*, & *Chorus Angelorum*; inchoant quoque, cum opus est, Psalmos, & tandem Canticum *Benedictus*, & in fine *Requiescant in pace*, pro vt in Rituali. Rit. Roma. tit. de exe.

De officio Organistę, & Musicorum, Cap. II.

1 *Organista qualis eligendus.*
2 *Organa quomodo pulsari debeant.*
3 *Organa quomodo custodienda.*
4 *Dies, quibus non adhibentur, obseruandi.*
5 *Ad Vesperas quando, & quomodo pulsentur.*
6 *Obseruanda in ipsa pulsatione organorum.*
7 *Ad Matutinum quando, & quomodo adhibeantur.*
8 *Ad Horas non adhibentur, sed tantùm ad Tertiam, & Completorium in solemnioribus.*
9 *In Missa solemni quomodo adhibentur.*

10 Ob-

10 *Obſeruanda ab Organiſta.*
11 *Item in ingreſſu Cardinalis, vel magni Principis.*
12 *Quanam muſica inſtrumenta in Eccleſijs ſint adhibenda.*
13 *Organiſta ad nutum Magiſtri cæremoniarum incipiat, & deſinat, cum datur ſignum.*

1 ORganiſta bonis moribus præditus, pulſandi arte peritus, ad hoc opus admittatur, &, vbi Eccleſiaſtici periti inueniantur, laicis præferantur; ſi tamen Eccleſiaſticus aptus non reperiatur, laicus modeſtia, ac grauitate præditus eligatur, qui ſemper habitu decenti, detecto capite, & qua decet reuerentia, ac modeſtia ſuum exequatur munus, caueus, ne Organi ſonus ſit laſciuus, aut prophanus, aut ludicrus, nulla alia inſtrumẽta prophana admittens.

Cærem. Epiſc. lib. 1. c. 28.

2 In omnibus diebus Dominicis, & feſtis per annum occurrentibus, in quibus à ſeruilibus operibus abſtinendum eſt, decet, vt in Collegiatis, ac præcipuè in Cathedralibus Eccleſijs Organum, & Muſicorum cantus adhibeatur, exceptis tamen Dominicis Aduentus, & Quadrageſimæ; cum his temporibus nõ niſi Dominica tertia Aduentus, & quarta Quadrageſimæ, quę ſunt dies lętitiæ, organa adhiberi debeant.

3 Vt Organum concinnè ornatum bene cuſtodiatur, ac clauſum maneat, nec niſi diebus feſtis, quibus eo vtendum eſt, aperiatur, ad eius ſpectabit munus.

4 In Miſſis, & officiis defunctorum non adhibentur Organa: Item & in feſtis, quæ tempore Aduentus, & Quadrageſimæ occurrunt, niſi fortè aliqua ſolemnis feſtiuitas celebranda ſit; præcipuè, cum feſtum Annunciationis in Quadrageſima celebratur. In ipſa autem feria quinta in Cœna Domini, & Sabbato ſancto ad Miſſam tantùm tanguntur Organa.

5 In Eccleſiis igitur, in quibus eſt vſus Organi, tangitur ad Veſperas ſolemnes tàm primas, quàm ſecundas; & tunc regulariter pulſari debet in fine cuiuſlibet Pſalmi, & alternatim in Verſiculis Hymnorum, & Cantici *Magnificat*, ita vt primus verſus Hymni, & Cantici cantetur à Choro in tono intelligibili, non autem ab Organo, quod etiam ſeruandũ eſt in omni verſu Hymnorum, quo genu flectendum eſt; ac pariter in Verſiculo *Gloria Patri*, etiam ſi verſiculus immediatè præcedens fuerit decãtatus à Choro, quod etiam obſeruandum eſt in vltimis verſibus Hymnorum.

6 Notandum inſuper eſt, quòd quandocumque per Organũ Verſiculis Hymnorum, aut Canticorum reſpondebitur, ſemper ab aliquo de Choro intelligibili voce pronunciari debet id, quod per Organum figuratur cantari.

7 In Matutinis quoque, quę ſolemniter celebrantur in feſtis maioribus, pulſantur Organa ab Hymno *Te Deum laudamus*, in quo verſus *Te ergo quæſumus*, quo genuflectendum eſt; cantabitur à Choro tono intelligibili, non autem ab Organo.

8 In reliquis horis regulariter non adhibentur Organa in ſolemnioribus tamen ad Tertiam, & Completorium, ſi vti placuerit, poterunt tangi: Ad Tertiam quidem, dum Epiſcopus ſacris inducitur; Ad Completorium vero ad Hymnum, *Te lucis ante terminum*, & ad Canticum, *Nunc dimittis*.

9 In Miſſa ſolemni adhibentur Organa, cum dicitur *Kyrie*, & *Gloria in excelſis*; item finita Epiſtola, Symbolum verò ſine Organo per Chorũ intelligibili voce cantari debet; item ad *Offertorium*, & ad *Sanctus* alternatim. Dum vero eleuatur Sacramentum grauiori, & dulciori ſono pulſantur. Ad *Agnus Dei* alternatim cantantibus, Organum adhibetur. Dum fit communio, ſi fortè aliqui ſint in Miſſa communicandi, & in fine poſt communionem pariter tanguntur Organa: item dum ſolemniter conferuntur ordines Romano more Organa adhibentur: Antiphonas inter Pſalmos ſingulis ordinibus

Cærem. Epiſc. lib. 1. c. 8.

Cõſuet. Eccleſ. Later.

con-

congruos intercalando.

10 Organista cum Magistro Capellę, & cum Magistro cæremoniarum conueniat, & vbi sunt duo Organa, ex illius pręcepto adhibeantur in præcipuis solemnitatibus, & in aduentu alicuius magni Principis, & quotiescumque videbitur: Episcopo cum Capitulo adueniente, vbi primùm pre Basilicæ foribus fuerit, graui modulatione Organa pulsantur, nec desistendum, donec ad Altare flexis genibus orauerit, locoque suo sederit.

11 Quoties in Altari Episcopus sacras vestes recipit, pro officiis solemnibus celebrandis, vel aliquid inter ipsa officia agit, eo tempore, quó nihil à Choro canendum est, dummodo sit extra tempus Quadragesimæ, Organum pulsatur. Item cum peractis officiis cum Capitulo discedit, pariter pulsanda sunt Organa. Idem etiam obseruari poterit, ingrediente Ecclesiam aliquo Cardinali, vel etiã aliquo magno Principe.

12 Cum Organis etiam Cantorum musicæ in solemnitatibus, arbitrio Magistri capellæ adhiberi debent cum Tibiis, Tubis, & Corneis, excludendo reliqua profana instrumenta; pariter leuia, ac minus decentia motecta, caueant, ne admisceantur in fine Psalmorum.

13 Cum in diuinis officiis Organa tãgunt, ne nimis protrahant sacras functiones, vel nimis celeriter finiãt, attentè obseruent tintilum campanulæ, quo admonentur, quando sit inchoandum, quãdoue finiendum, ac neminem supra Organa præter Cantores admittant.

De Officio Lectorum. Cap. III.

1 *Lectores ad Matutinum per vices lectiones quomodo legere debeant.*

2 *Ordo procedendi ad lectiones.*

3 *Lectiones in solemnibus quomodo cantentur.*

4 *Lectiones officij defunctorum quomodo cantandæ.*

1 POstquam Cantores vtriusque Chori suum munus expleuerint, per duas sequentes hebdomadas lectiones in Choro legent, is quidem diebus ferialibus, & cum officium est trium lectionum, qui ex ea parte Chori est, in qua fit officium; in duplicibus verò, ac semiduplicibus, quando officium erit nouem lectionem, iunior primi, senior secundi, & Hebdomadarius tertii nocturni lectiones leget, aut etiam, prout in præcipuis aliquibus Ecclesiis fieri consueuit, Clerici primi nocturni lectiones singuli singulas per ordinem; Sacerdotes verò gradatim reliquas sex secundi, ac tertii nocturni: & omnino obseruandę sunt laudabiles locorum consuetudines, semper tamen certus, ac præfinitus ordo seruetur. Cōsuet. Cl. Reg. Theat.

2 Lector cum debitis reuerentiis in medio Chori accedens, conuersus ad celebrantem inclinatus, dicit *Iube Domne benedicere*, sicque permanet, donec ille benedictionis verba compleat. Deinde conuersus ad librum, manus hinc inde supra illum, vel supra legile tenens, vel si opus sit, nocturnis horis cãdelulam dextera teneat instrumento, quod bugia dicitur, sinistra verò librum, lectiones clara, & intelligibili voce, distinctè legat. Titulos earum, modo in rubricis præscripto, legat eo modo, quo in Breuiario literis nigris notantur. Cum verò nona lectio est alicuius Sancti simplicis, sine titulo legitur; quod enim in Breuiario notatur literis rubeis (pro S.N.) non est titulus, sed rubrica, in fine cuiusque lectionis, cum dicturus est, *Tu autem Domine*, &c si recedendum erit, genuflectit; cum verò legũtur plures, videlicet ab eodem lectore; tunc tantùm profundè se inclinat, & in fine discessurus genuflectit. Cærem. Epis. lib. 2.c.6.

3 In festis, quibus solemniter celebratur in medio Chori cantantur à designatis à Magistro cæremoniarum, & tũc singuli singulas cantabunt, semper tamen vltima à Superiore parato in suo loco, assistentibus ceroferariis, vel in legili in medio Chori cantabitur. Cō suet. Cl. Reg. Theat.

4 Ad

4 Ad Officium Defunctorum cum tantùm tres lectiones leguntur, à lectoribus legi debent. Cum verò officium est nouem lectionum, siue in commemoratione omnium Defunctorum, siue cum pro defunctis solemniter celebratur, singulæ cantantur à designatis à Magistro Cæremoniarum.

SECTIO SEPTIMA.

De Ministris Sacri ordinis.

De officiò Subdiaconi in Missa solemni. Cap. I.

1 *Subdiaconi ministerium antiquissimum, & de eius munere.*
2 *Ante Missam, quid, quando, & quomodo præparare debeat.*
3 *Ad Altare quomodo procedat.*
4 *In aspersione aquæ benedictæ quomodo ministrat.*
5 *Qua corporis dispositione ministret.*
6 *Ad Confessionem quomodo assistit.*
7 *Altare cum celebrāte quomodo ascēdat.*
8 *In principio Missæ quo loco se assistit.*
9 *Ad Orationē vbi assistit, & quid agat.*
10 *Epistolam quo loco, & quomodo cantabit.*
11 *Librum celebrantis transfert ad locū Euangelij.*
12 *Ad Euangelium vbi, & quomodo assistit.*
13 *Librum Euangeliorum celebranti osculandum defert.*
14 *Ad Symbolum vbi assistit.*
15 *Calicē ad Altare velo coopertū defert.*
16 *Patenam velo coopertam vbi, & quomodo teneat.*
17 *Ad Sanctus quomodo ad Altare ascendat.*
18 *Patenam Diacono vbi, & quomodo tradat.*
19 *Ad Agnus Dei quomodo Altare ascēdat.*
20 *Pacem quomodo accipit, alijsque defert.*
21 *Acolythis pacem dat, & ad purificationem ministrat.*
22 *Ad communionem, cum fit, quo loco assistit.*
23 *Calicem adaptat, & quo loco ipsum reponat.*
24 *Ad Euangelium in fine, quando librum transfert.*
25 *Ad benedictionē vbi, & quomodo erit.*
26 *In Sacristia celebrantem adiuuat, & calicem reponit.*

1 EX antiquissima institutione, inter maiores Ecclesiæ ministros, illos adnumeramus, quos Græci ὑποδιακόνους, nos verò Subdiaconos dicimus: Hi in solemni Missarum celebratione sacris induti vestibus, Altari adstantes, Diaconis vasa sacra, & reliqua subministrant, & ideo quia sacra pertractant mysteria, Deo sacrati, animæ pariter, ac corporis puritate sincerè inseruire debent, nō solùm Epistolam legendo in Missa, verùm & calicem cum patena, & corporali Diacono ad Altare offerēdo; quapropter ait Hugo de Sancto Victore Subdiaconus dicitur, quia sub Diacono est. Hug. de S. Vict. lib. 1. c. 37. de Sac.

2 Ministraturus igitur in ordine Subdiaconatus, dato signo campanarum pro Missa solemni, primus omnium in Sacristiam veniens, lotis prius, ac tersis manibus calicem adaptabit, linteolumq; mundum, quem purificatorium dicunt, & Hostiam in Missa consecrandā, cum reliquis necessariis præparabit: Amictum, Albam, ac Cingulum induens Orationes in Missali assignatas secretò dicet: Celebrantē, cum sacris se vestibus induit, vnà cum Diacono adiuuabit; & induto celebrante, & non prius Tunicellam accipiet. Cærem. Episcop. libr. 3. c. 10.

3 Post Tertiam ad Altare cum procedit, & ipse iunctis manibus ante pectus, Diaconum immediatè præcedit. Rit. Mis. 11. 3.

4 In aspersione aquæ benedictæ diebus Dñicis, à sinistris celebrantis ministrat ordine suo pprio loco infr. pscripto.

5 Dū ministrat nihil aduertat, nisi vt ministerium suum impleat, manus ante pectus ita tenens, vt cum ipsis neq; Altare, neque Tunicellam tangat, maximè Infr. lib. 2. cap. 1. Paris. de Crass. li. 1. c. 5.

cauens, ne vnquã sub illa manus teneat.

6 Facta aspersione, antequã fiat confessio, vnà cum celebranre, si in Altari sit Sanctissimũ Sacramentũ, genuflectit à sinistris, & vnà cũ Diacono, qui est à dextris, submissa voce respondet celebranti; cum dicit *In nomine Patris*, &c. & quoties se celebrans signabir, videlicet ad *Adiutorium nostrum*, & in principio *Introitus*, & in fine Hymni, *Gloria in excelsis*, &c. & *Symboli*, atque etiam *Præfationis*, se ipsum signabit. Ad Vers *Gloria Patri*, & quoties celebrans se inclinat, & ipse inclinabitur. Ad Confessionem dicens *Tibi Pater*, & *Te Pater*, conuersus ad celebrantem se inclinat: Dicens *Mea culpa*, ter dextera percutit pectus, sinistram infra pectus renendo: Dum dicitur *Misereatur*, & *Indulgentiam*, & *Versus*, stat inclinatus versus Altare.

Rit. Mis. III. 9.

7 Dicto *Oremus*, celebranti ascendẽti ad Altare, ne implicetur, anteriores vestium fimbrias à sinistris eleuabit, & dum ministratur incensum, stat post Diaconũ: cum verò Altare incensatur, à sinistris eleuat posteriorem partem Planetæ cum eo; dum per medium transeunt, genuflectit, ac tandem, cum per Diaconum celebrans thurificatur, stat post eum manibus iunctis.

Rit. Mis. IV. 4.

8 Dũ legitur *Introitus*, à dextris Diaconi iunctis manibus assistit, & ad *Kyrie eleyson*, alternatim respondet; deinde recedit post Diaconum in cornu Epistolæ; & cum celebrans accedit in medium, vt dicat, *Gloria in excelsis Deo*, & ipse pariter accedens stat ibidem post Diaconum, & præintonato Hymno à celebrante, statim ascendit ad Altare, vbi facta debita reuerentia, à sinistris celebrantis submissa voce vnà cum eo, & Diacono stans iũctis manibus recitat Hymnum totum vsque ad finem, non præueniendo, sed potius subsequendo vocem celebrantis, semper, cum inclinandum est, cum aliis id præstans: Hymno dicto, facta cruci reuerentia, recedit post Diaconum, ibique stans iunctis manibus, se inclinat, quãdo in Choro cantantur verba, ad quæ inclinari sancitum est; vbi verò est consuetudo sedendi, recedens cum Diacono, sedet à sinistris celebrantis capite cooperto.

Rit. Mis. IV. 7.

Rub. gene. Mis. XVII. 6.

9 Dicto à celebrante *Dominus vobiscum*, accedens ad cornu Epistolæ stat post Diacouum, ibiq; quando dicitur *Flectamus genua*, cum aliis statim genuflectẽs, & primus omnium surgens, eadem voce, eodemque tono subdit *Leuate*.

Rit. Mis. VI. 4.

10 In fine Orõnis, seu Orõnũ accipit ambabus manibus dè manu Acolythi librũ Epistolarum, deferẽs illum vtraq; manu supra pectus, & facta genuflexione in medio, accedit ad partem Epistolæ cõtra Altare, vbi manibus tenẽs sibi librũ, incipit alta, & sonora voce cantare Epistolã; qua completa facit rursus versus Altare genuflexionẽ in medio, & rediens ad celebrantẽ à latere Epistolæ supra gradus genuflexus, ejus dexteram supra librum positam osculatur; capiteque inclinato stabir, cum ab eo benedicitur; tradit deinde librum Diacono, vel si sit dicenda *Sequentia*, Acolytho, & recedens in mediũ ante infimum gradum stat; donec sit procedendum ad cantandum Euangelium.

11 Si non sit delatus liber celebrãtis, maximè si cantanda sit *Sequentia*, tunc osculata manu celebrantis, libroq; Epistolarum Acolytho tradito, ipse eum defert ad latus Euangelii: quando verò non dicitur *Sequentia*, in Ecclesiis, in quibus nõ est vsus cãrus; & organi, ne inter Graduale, & Euangelium interponatur mora, liber, vt suo loco dictum est, transferri poterit ab Acolytho, atque celebranti, dum illud legit, assistet Diaconus.

Consul. Mag. Rom.

Su. sect. 4. cap. 2. num...

12 Ad Euangelium facta cum Diacono genuflexione, à sinistris eius procedit manibus iunctis, & ad locum, vbi cantari deber, perueniens, accipit librum à Diacono, eumque ambabus manibus apertum tenet ante pectus, nec vnquam se inclinat, neque mouet, cum immobile legile repræsentet.

Rit. Mis. VI. 5.

13 Finito Euãgelio tenẽs adhuc librũ apertum, nulli se inclinando, celebranti

oscu-

osculandum in loco, vbi est principium Euangelii cantati, offert, & clauso libro, tunc versus celebrantem reuerenter se inclinat, atq; in medium ante infimum gradum reuersus, facta ibi Altari genuflexione, reddit librum Acolytho.

14 Intonato *Credo*, si dicendum sit, ascendit ad Altare, à sinistris celebrãtis, ibique facta reuerentia, submissa voce prosequitur totum Symbolum, se inclinans, & genuflectens, quando opus est simul cum celebrante, & in fine se signãs genuflectit, & post Diaconum retrocedit. Cum verò in Choro cantatur *Et incarnatus est*, &c. à sinistris celebrantis supra gradum Altaris genuflectens, eius planetę fimbriam adaptat, dictoq; *Et homo factus est*, recedit in medium, ibique stat iunctis manibus: vbi verò est consuetudo sedendi, vnà cum Diacono recedẽs, sedet à sinistris celebrantis, & cum in Choro cantatur *Et homo factus est*, detecto capite, profundè se inclinat: In die verò Natiuitatis Domini, & Annunciationis genuflectit.

Rub. gene Mis. XVII. 3. & 6. Cærem. Episco. li. 2. c. 8.

15 Cum celebrans conuertens se ad populum dicit *Dominus vobiscum*, ante Offertorium, genuflectens, præcedente Acolytho, accedit ad credentiam, & ab eodem super eius humeros velo serico, seu auriphrygiato imposito, accipit sinistra calicem cum suo velo, dextera super illum apposita, cautè aduertens, ne aliquid fortè decidat, & accedens ad cornu sinistrum Altaris, detecto calice à Diacono, acceptaque patena cum Hostia, ipse purificatorio calicem abstergit, ampullamque vini ab Acolytho sibi traditam Diacono porrigit: ipse verò, dum Diaconus vinum infundit, ampullam aquæ dextera aliquantulum eleuatam versus celebrantem benedicẽdam tenet, atque se inclinans submissa voce dicit *Benedicite Pater Reuerende*, qua benedicta, ex ea infundit paucas guttas in calicem: si verò non sit dicendum *Credo*, dicto *Dominus vobiscum*, accipit calicem, ac bursam corporalium.

Rit. Mis. VII. 9.

16 Tecto per Diaconum calice post oblationem, ipse stans in cornu Epistolę, dextera velo ab humeris, pendente, accipit à Diacono patenam, quam ille velo contegit; deinde post celebrantem stans in medio plani, ipsam eleuatam ob oculos habens, sinistram sub brachio dextero tenet, & cum celebrans dicit, *Orate fratres*, &c. respondet *Suscipiat*, &c. & cum à Diacono incensatur, conuersus ad illum caput inclinat.

17 Sub Præfationis finem ascendens ad Altare, à sinistris celebrantis cum Diacono dicit *Sanctus*, & quæ sequuntur, & statim recedit cum debitis reuerentiis, in accessu, & recessu; cum eleuatur Sacramentum, genuflectit supra gradus Altaris à sinistris celebrantis, & statim eleuato Sacramento redit ad medium ante infimum gradum. Rit. Mis. VII. 2.

18 Quando in Oratione Dominica celebrans dicit; *Et dimitte nobis debita nostra*, &c. ascendens cum debitis reuerentijs ad Altare in cornu Epistolæ patenam Diacono offert, quam ille prius detegens accipit; ipse verò dimisso velo in manus Acolythi, cum reuerentijs ad locum suum in medio redit. Rit. Mis. X. 8.

19 Cum dicitur *Pax Domini*, &c. à sinistris celebrantis accedens, cum debitis genuflexionibus, dicit ter submissa voce *Agnus Dei*, &c. dextera pectus percutiens, & iterum facta genuflexione recedit post celebrantem. Rit. Mis. X. 8.

20 Pacem à Diacono accipit, sinistris genis mutuo amplexu sibi inuicem appropinquantibus, eique dicenti *Pax tecũ*, respondet, *Et cum spiritu tuo*, & procedẽs in Chorum, adhibitis consuetis reuerentijs, defert Pacẽ ordine infra præscripto. Infr. lib. 1. ct. 2. c. 3.

21 Ad Altare rediẽs facta prius genuflexione in medio, Acolytho, qui eũ deduxerat, dat Pacẽ, mox ad dexterã celebrãtis accedẽs, si opus sit, detegit calicẽ, deinde accepta ampulla ab Acolytho, vinum pro purificatione ministrat. Rit. Mis. X. 8.

22 Si faciẽda sit cõmunio, q̃ dieb' Dñicis, & festis sẽper fieri debet, genuflectit Concil. Tri sess. 13 c. 13. de refo.

in gradu medio, atque à finistris Diaconi ante omnes alios communionem sumit, & purificatione accepta, assistit genuflexus à latere Epistolæ, donec perficiatur communio. Vbi Clerici de manu sui Prelati sacram communionem accipiunt in Missa priuata, quæ ab eo ante Tertiam celebratur, vt apud nos fieri cõsueuit, nõ est necessarium, vt Ministri in Missa solẽni communionem sumant; satisfaciunt namque Concilii præcepto per præcedẽtem communionem: maximè enim decet, si à proprio Pastore pascantur.

Cõsuet. Cl. Reg. Theat. Dec. sac. Congr.

23 Post purificationem detergit calicem, omnibusque suis ornamentis aptatum, cum debitis reuerentiis, præcedente Acolytho ad credentiã reportat, rediẽsque stat post Diaconum, dum dicuntur Orationes, in cornu Epistolæ, & in fine cũ dicendum est *Dominus vobiscum*, in medium pariter cum Diacono accedit.

24 Si aliquod peculiare Euangelium sit legendum, dicto *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, ipse librum transfert, facitque dum transit, post Diac. genuflexionem in medio Altaris.

Rit. Mis. XII. 7.

25 Ad benedictionem à sinistris celebrãtis supra gradus genuflectit, ibiq; stat, donec legatur Euangeliũ; quo lecto, respondet *Deogratias*, & cũ celebrante ante infimũ gradũ descendens genuflectit, & rediens, procedit ordine, quo venerat.

26 Ingressus Sacristiam, facta celebrãti debita reuerentia, cum adiuuat cum exuit paramenta, sacrisq; vestibus depositis, superpelliceo indutus, calicem ex credentia accipit, ac bene tersum, suo loco reponit, ac tandem breui facta oratione, lotisque manibus, recedit.

De officio Subdiaconi in Missa solemni pro Defunctis. Cap. II.

1 *Post Epistolam Subdiaconus non osculatur manum celebrantis.*
2 *Post Euangelium non defert librũ osculandum.*
3 *Post Offertorium, nec velum, nec patenam tenet.*
4 *Aquã infundens non petit benedictionẽ.*
5 *Nõ ipse, sed Subdiaconus dicit Suscipiat.*
6 *Sacramentum, dum eleuatur, incensat quomodo, & vbi.*
7 *Ad Agnus Dei non percutit pectus.*
8 *Celebrantem, dum exuit casulam, adiuuat.*
9 *In absolutione ad tumulum, quomodo crucem deferat, & quo loco, & quomodo stabit.*
10 *In exequijs solemnibus eius munus.*
11 *In Missis defunctorum, quæ cantantur sine ministris, quomodo suũ impleat munus.*

1 IN Missis Defunctorum, cantata Epistola, Subdiaconus manum celebrantis non osculatur, nec librum Diacono tradit, sed Acolytho. Rit. Mis. XIII. 2.

2 Post Euangelium librum celebranti osculandum non præbet, sed statim clausum Acolytho tradit.

3 Ad Offertorium calicem cum omnibus ornamentis ex credentia accipit, nec eius humeris velum imponitur, neq; Patenam tenet.

4 Infundens aquam in calicem non petit benedictionem.

5 Stat post celebrantem iunctis manibus sine velo, & sine patena, nec, illo dicente *Orate fratres*, ipse respondebit *Suscipiat*, sed Diaconus.

6 Ad eleuationem in cornu Epistolæ genuflexus, debitis peractis inclinationibus, Sacramentum thurificat.

7 Ad *Agnus Dei* non percutit pectus, sed facta genuflexione, Diacono assistẽte ad librum, ipse stat à dextris celebrantis, & calicem, cum opus est, detegit: cum verò dicitur *Domine non sum dignus*, post eum à sinistris profundè inclinatus, pectus sibi percutit.

8 Si facienda sit absolutio in fine Missæ, adiuuat celebrantem stantem ad latus Epistolæ, dum exuit casulam, quam reponit cum Manipulo supra Altare à latere Euangelij, vel tradit Acolytho. Rit. Mis. XIII. 4.

9 Ad tumulum deferens crucem procedit

cedit post Thuriferariũ medius inter Ceroferarios,& perueniens ad pedes tumuli contra Altare,stat ibi semper immobilis, donec à Cantoribus in fine dicatur Vers.*Requiescant in pace*,& tunc reuertitur ordine,quo venerat;transiens ante Altare reuerentiam facit;ingressus Sacristiam crucem deponit,ibique celebrantẽ, dum se sacris vestibus exuit, adiuuat, & reliqua, vt supra, præstat.

10 Si faciendæ sint exequiæ,eodem ordine procedit post Thuriferarium, & sistit se ad pedes lecti contra Altare, ibique immobilis perseuerat,donec inchoetur Antiphona *In Paradisum*, & tunc post Thuriferarium procedit ad locum sepulturæ,vbi stabit ad caput loci,in quo defunctus deponi debet, vsque in finem, & recedentes præcedit alios ordine, quo venerat.

Rit.Mis. VI.8. 11 In Missis defunctorum, quæ dicuntur sine Ministris, cantat Epistolã super pelliceo indutus,& in fine non osculatur celebrantis manum.

De officio Subdiaconi in Processionibus.
Cap. III.

1 *Subdiaconus in solemnioribus sacris indutus defert crucem,& quomodo.*
2 *Color paramentorum in Processionibus Sanctissimi Sacramenti.*
3 *Color,& qualitas paramentorum in singulis processionibus.*
4 *In Processionibus, quæ fiunt diebus Dominicis,& festis per annum.*
5 *In processionibus Sanctissimi Sacramenti,quomodo celebranti assistens ministrabit.*

1 IN omnibus Processionibus solemnibus Subdiaconus deferens crucẽ procedit indutus paramenti sui ordinis, coloris conuenientis,eritque alius ab eo, qui ad Altare ministrat, semper medius inter Acolythos candelabra accensa deferẽtes, & vbi loci angustia simul eos esse nõ sint,pcedãt Ceroferarii,ipse sequatur.

2 In Processionibus Sanctissimi Sacramenti,excepta feria VI.in Parasceue, quando vtitur planeta plicata nigra,semper deferentis crucem paramenta erunt alba,sicut,& in Processionibus,quæ fiunt pro gratiarum actione, vel in translatione Reliquiarum Sanctorum, quæ erunt rubea, si Reliquiæ fuerint Sanctorum Martyrum,

3 In Processionibus Litaniarum maiorum, & Rogationum, & pro qualibet Ecclesiæ necessitate,Tunicella violacea vtitur, at in Processionibus candelarum die Purificationis, Palmarum, & Sabbati sancti planeta plicata violacea vtetur. Rit.Mis. XIX 6.

4 In Processionibus Litaniarum, quæ indicuntur à Summo Pontifice, vel Episcopo loci, faciendis diebus festiuis, pro qualibet Ecclesiæ necessitate,ante Missã solemnem Ex consuetudine Vrbis,Ministri vtuntur paramentis coloris conuenientis officio currenti: semper autem Sacerdos celebrans in eis vtitur Pluuiali. Cõsuet. Vrbis.

5 Ministrans in Processionibus Sanctissimi Sacramenti, dum celebrans immittit incensum in Thuribulum, assistit, eleuans fimbriam Pluuialis: Cum verò thurificat,genuflexus à sinistris fimbriam anteriorem Pluuialis vtraque manu eleuat, cum eo, dum opus est, se inclinans; post thurificationẽ, velum oblongum ab Acolytho accipiens eius humeris imponit,ac firmat acillis: Statim autem ac ille recepit Sacramentum, surgens à sinistris eius anteriorem fimbriam Pluuialis vtraque manu eleuat, vel altera manu celebrantis brachium, altera verò Tabernaculi pedem substinebit. Procedens alternatim cum celebrante,Psalmos,& Hymnos submissa voce recitabit: cum verò reuersi fuerint,statim ac ille Sacramentũ in manus Diaconi tradiderit, velum recipiẽs,Acholytho tradit, & dum iterũ thurificatur Sacramentũ,assistit,vt supra. Ad Orationẽ vnà cũ Diacono librũ apertum tenet, & si dãda sit benedictio cũ Sacramẽto, genuflectit supra gradus Altaris, à latere fimbriã Pluuialis eleuatã tenens. Cærem. Episco. lib.2. c. 33.

De officio Subdiaconi in Missa Pontificali solemni. Cap. IV.

1 *Subdiaconus quando sua paramenta accipere debeat.*
2 *Sandalia Episcopo quomodo deferet.*
3 *Episcopum adiuuat, Diacono ministrando sacras vestes.*
4 *Capitulum Tertiæ quomodo cantet.*
5 *Ad Altare quomodo procedat.*
6 *Ad Confessionem quomodo assistat.*
7 *Manipulum Episcopo quando, & quomodo porrigat.*
8 *Librum Euangeliorum Episcopo, quando, vbi, & quomdo osculandum porrigit.*
9 *Episcopum, cum Altare thurificatur, quomodo adiuuat.*
10 *Post thurificationem quo loco, & quomodo stabit.*
11 *Ad Epistolam cantandam quando, & quomodo procedit.*
12 *Ad Euangelium quomodo ministrat.*
13 *Post Euangelium quo ordine librum Episcopo porrigat.*
14 *Calicem, & Ampullas ministrat.*
15 *Celebranti à dextris assistens quomodo ministrabit.*
16 *Communionem ab Episcopo vnà cum Diacono quomodo accipit.*
17 *Vinum pro purificatione quomodo ministrabit.*
18 *Calicem purificatum cum suis ornamentis ad credentiam reportabit, & quomodo.*

1 SVbdiaconus ministraturus Episcopo, illo ad Ecclesiam pro celebratione Missarum accedente, accipit paramenta sibi conuenientia; non autē Manipulum; nā illum in fine est accepturus. Cærem Epis.lib. 1.c 10.

2 Cum Episcopus incipit legere Psalmos *Quam dilecta*, &c. accedens ad credentiam sumit inde sandalia, portans illa ambabus manibus vsque ad oculos eleuata cooperta velo serico, & ad Episcopum veniēs, genuflexus sub cappa illius, adiuuantibus duobus Scutiferis, induit primò tibiam, & pedem dextrum Episcopi, mox sinistram.

3 A sinistris Episcopi stans Diaconū, qui erit à dextris, adiuuabit, dum Episcopum sacris vestibus induit: & statim parato Episcopo, & nō prius, suum accipiet Manipulum.

4 In fine Tertiarum sacris indutus cātabit Capitulum in loco, vbi legi solet Epistola, dummodò nec Altari, nec Episcopo terga vertat.

5 Ad Altare cum procedat, immediatè post crucem librum Euangeliorum, in quo erit Manipulus Episcopi inclusus, clausum ante pectus portabit.

6 Ad Confessionem stans parum retro apud Diaconū, qui erit à sinistris Episcopi, respondebit vnà cum eo, interim deponens librum Euangeliorum in manibus Cęremoniarii, seu Acolythi.

7 Cum Episcopus dicit *Indulgentiam*, &c. accipiens ex libro *M*anipulum, illum à latere osculatur, & *E*piscopo, vbi est signum crucis, osculandum porrigit, mox illum apponens sinistro brachio Episcopi, eius osculatur manum. Cærem. Epis.lib. 1.c.10.

8 Episcopo ascendente ad Altare, ascendit & ipse ad cornu *E*uangelii, eique statim ac Altare in medio fuerit osculatus, librum Euangeliorum apertum, vbi est principiū Euangelii illius Missę, Pręsbytero assistente adiuuante, osculandum porrigit, ipsum verò librum in manibus Assistentis Presbyteri relinquet.

9 Dum thurificatur Altare, Diacono adiuuante à dextris, & ipse à sinistris *E*piscopi, illum in ipso actu thurificationis adiuuabit.

10 Thurificato *A*ltari, cum Episcopus redit ad suam sedem, ipse cum Diacono remanet apud *A*ltare ad latus Epistolæ infra gradus, ibique stans, cum Episcopus dicit cum *A*ssistentibus *Kyrie eleison*, ipse pariter cum Diacono stans idem dicet, similiter cum dicitur *Gloria in excelsis*, & *Credo*, illo sedente, & ipse à sinistris Diaconi sedet in scamno eodem loco, videlicet à latere *E*pistolæ preparato; & dum

dicitur

dicitur Oratio, ſurgens ibidem ſtat.

11 Circa finem Orationis,ſeu Orationum, accipit de manu cęremoniarij, ſiue Acolythi librũ Epiſtolarum, & factis reuerentijs primò Altari,deinde Epiſcopo, comitante Cęremoniario,loco conſueto cantabit Epiſtolam; qua completa, cum debitis reuerentijs accedens ad Epiſcopum, profundè inclinatus librum ſuper eius genibus ponit, & eius manum ſupra librum poſitam oſculatur, atque ad locum ſuum ad latus Epiſtolæ rediens, ex pectat, donec miniſtretur incenſum.

12 Ad Euangelium immediatè ante Diaconum procedit, & dum cãtatur, vel librum, more ſolito, ambabus manibus tenebit ante pectus apertum,vel ſi in legili cantetur, manibus ipſum legile tenebit, & ſi Diaconus proferẽdo aliqua verba Euãgelij,inclinabit ſe,vel genuflectet, ipſe,ſiue librum,ſiue legile teneat,nullatenus mouebitur, cum legile immobile repræſentet. At ſi Euangeliũ cantetur in ambone,vel pulpito,tunc aſſiſtet,& miniſtrabit Diacono ſtãs à latere eius dextero, videlicet ei thuribulum porrigens,& ver rens fólia libri,cũ opus eſt,&,vbi res poſtulauerit,ſe inclinabit, vel genuflectet.

Cærem: Epiſ. lib. 2.c.8.

13 Finito Euangelio,librum,nulli facta reuerentia,nec Altari, apertũ Epiſcopo oſculãdum offert in loco,vbi eſt principium Euangelij cantati, quo oſculato, & clauſo libro, facit Epiſcopo reuerentiam; atque ad locum ſuum in ſcamno ad latus Epiſtolæ rediens expectat Diaconum, & cũ eo recitat *Symbolum* vſque in finem, & Epiſcopo ſedente, ipſe pariter cum Diacono ſuo loco ſedebit.

14 Lecto Offertorio, dum Epiſcopus manus lauat,calicem ex credentia, more ſolito,ad Altare ad latus Epiſtolæ defert, ibique ampullas miniſtrat, ac reliqua, modo ſupra explicato, præſtat.

Sup.c.1. nu.23.

15 Cum Diaconus locum Aſſiſtentis ſupplet à ſiniſtris Epiſcopi, & ipſe à dextris pro Diacono ſupplens,diſcooperit calicem,cum opus eſt,vſque ad Communionem.

16 Communicato Epiſcopo, & ipſe poſt Diaconum accipit Communionem, Epiſcopi prius manum dexteram oſculando, deinde pacem accipiens reſpõdet, *Et cum ſpiritu tuo.*

17 Si Presbyter aſſiſtens nondum fuerit ad librum reuerſus, ſed adhuc per Diaconum eius vices ſupplerentur, debet ipſe vinum purificationis infundere in calicem, ſtans à latere Epiſtolæ.

18 Accepta per Epiſcopum purificatione, dum ille lauat manus, ipſe tergit calicem,plicat corporalia, & omnia cum debitis reuerentijs ad Abacum reportat, ac reliqua more ſolito perficit: tandem Miſſa completa, vnà cum Diacono, Epiſcopum ſacras veſtes deponentem adiuuat.

De officio Diaconi in Miſſa ſolemni. Cap. V.

1 *Diaconi dignitas, & nominis ratio.*
2 *Neceſſaria pro eius officio diſponenda in Sacriſtia.*
3 *Ad Miſſam ſolemnem quomodo cum alijs procedit.*
4 *Ad confeſſionem quomodo miniſtrabit.*
5 *Celebrantem Altare aſcendentem adiuuat,& incenſum miniſtrat.*
6 *Thuribulũ celebranti quomodo porrigit.*
7 *Thuribulum poſt incenſationem quomodo à celebrante accipit, ipſumque thurificat.*
8 *Ad Introitum vbi aſſiſtit, & quomodo.*
9 *Ad Orationem eius locus.*
10 *Celebranti, dum legit Epiſtolam aſſiſtit.*
11 *Ad Euangelium quomodo miniſtrat, & benedictionem accipit.*
12 *Euangelium vbi,& quomodo cantat.*
13 *Poſt Euangelium quomodo celebrantem incenſat.*
14 *Burſam corporalium ad Altare quomodo defert.*
15 *Ad Offertorium Hoſtiam, & Calicem miniſtrabit.*

16 *Incensum, & thuribulum ad oblata ministrat.*
17 *Reliquos de Choro quomodo incenset.*
18 *Ad Præfationem, & Canonem quo loco assistit.*
19 *Post eleuationem eius munus.*
20 *Patenam celebranti porrigens assistit.*
21 *Pacem quomodo accipit.*
22 *Ad librum quomodo assistit.*
23 *Ad Cõmunionem quomodo ministrabit.*
24 *Post Communionem ornamenta calicis disponit, & librum transfert.*
25 *Post Orationes quomodo dicat Ite missa est.*
26 *Ad benedictionem, & Euangelium in fine, quo loco, & quomodo stabit.*
27 *Ordo in recedendo seruandus.*

1 PRæcipuum munus inter eos, qui Presbytero celebranti ministrãt, Diacono tribuitur; sicut enim, quos olim legatos mittebant Principes, dicebant ἀγγέλους, καὶ διακόνους, eadem metaphora Ecclesiæ ministros verbi Dei Diaconos dicere consueuit, idẽ enim sonat διάκονος, ac ministet: vt igitur Diaconus Christi Domini minister rite suum impleat munus, diligenter aduertat.

Cærem. Epist.lib. 1.c.9. 2 Dato itaque primo signo campanę, pro celebratione Missæ solemnis, accedat ad Sacristiam, & lotis, ac tersis manibus perquirat Missam, atque signacula suis locis disponat, deinde paramenta sui ordinis accipiat, videlicet Amictum, Albam, Cingulum, ac Stolam transuersalem coloris conuenientis, quam, deosculata prius Cruce in medio existente, sibi imponit super humerum sinistrum, & sub brachio dextero, eam Acolytho vitta ligãdo, interim dicens Orationes in Missali assignatas, sic paratus adiuuat celebrantem, dum sacras accipit vestes.

Rub.gene. Miss. XIX 5. & 6. Rit. Miss. II. 6. 3 Circa finem Tertiæ Dalmaticam induit, ac Manipulum accipit, vel etiam Planetam plicatam, quando illa vti oporret, & manibus iunctis post Subdiaconũ immediatè ante celebrantem procedit ad Altare, quò cum peruenerit, ante infimum gradum à dextris celebrantis, eius biretum acceptum, illud osculãdo, Acolytho tradit, & cum alijs genuflectit. Diebus Dominicis ministrat ad aspersionem aquæ, modo infra prescripto.

Inf. l.2. sect. 2. c.1. Rit. Miss. III. 6. Cærem. Epist.lib. 1. c. 19. & lib. 2. c.8. 4 Ad Confessionem stat iunctis manibus ante pectus, submissa voce respondẽs: cum dicitur Vers. *Gloria Patri*, caput inclinat, dicens, *Tibi Pater*, & *Te Pater*, conuersus ad celebrantem se inclinat, dicens, *Mea culpa*, &c. ter percutit pectus: ad *Indulgentiam*, & Versus sequentes stat inclinatus versus Altare, & cum eodem, cum opus est, se signabit.

Rit. Miss. IV. 4. 5 Celebrantem ascendentem ad Altare, dicto *Oremus*, aliquantulum eleuando partem anteriorem fimbriæ vestimẽtorum adiuuat; & stans in secũdo gradu à dextris eius, nauiculam apertam ante ipsum tenens, incensum ei ministrat cum osculis cochlearis, & manus: dum verò ille incensum ponit, aliquantulum ad illum inclinatus dicit, *Benedicite Reuerende Pater*, factaque benedictione, eiusque manu, & cochleari rursum osculatis, nauiculam clausam Acolytho tradit.

6 Thuribulum à Thuriferario accipiens, celebranti tradit cum osculis, & dum Altare incensatur, à dextris ipsius aliquantulum retro stans, posteriorem Planetæ partem eleuatam tenet, & vnà cum ipso reuerentias Cruci, per medium transiens, facit.

7 Altari thurificato, thuribulum à latere Epistolæ de manu celebrantis cum osculis accipit, ipsumque triplici ductu cum debitis inclinationibus incensat, ac tandem thuribulum ipsi Thuriferario reddit.

8 A dextris celebrantis à latere Epistolę, dum legit Introitum, stans, respondet alternatim submissa voce ad *Kyrie eleyson*, & in mediũ procedente celebrante, vt intonet Hymnũ *Gloria in excelsis*, stat post tergum ipsius, deinde ad Altare ascendens, cum debitis reuerẽtijs, ac submissa voce Hymnum cum eo prosequitur vsque in finem, semper, cũ inclinan-

dum

dum est, cum eo id agens, & lecto Hymno, se signans, facta Cruci reuerentia, recedit post tergum celebrantis, ibique
Rubr. gener. Miss. XVII. 6. stat vsque in finem, se inclinans, cum in Choro verba, ad quæ inclinari oportet, cantantur, & in fine se signat: Vbi verò est consuetudo sedendi, à dextris celebrantis, tecto capite, sedet.

9 Dicto *Dominus vobiscum*, ad cornu Epistolæ post tergum celebrantis stat,
Rit. Miss. V. 5. donec dicatur Oratio, vel Orationes, si plures sint dicendæ, voluensque, cum opus est, folia, seu paginas, statim retrocedit; quando verò dicendum est, *Flectamus genua*; post celebrantem in tono Orationis primus omnium genuflectendo illud intonat.

10 Dum Subdiaconus cantat Epistolam, celebranti submissa voce illam le-
Rit. Miss. VI. 4. genti à dextris assistit, donec illam compleat cum *Graduali*, seu *Tractu*, vel *Sequentia*; & lecta Epistola, post celebrantē stabit, deinde transiens ad latus Euangelij, à sinistris eius assistit, atque, cum opus est, respondet, dum illud legit.

11 Cantata Epistola, dum in Choro cantatur *Graduale*, vel *Tractus*, vel circa finem *Sequentiæ*, acceptum à Subdiacono librum Euangeliorum clausum amba-
Cærem. Ep. s. lib. 1. c. 1. bus manibus tenens ante pectus collocat in medio Altaris, deinde accipiens nauiculam ab Acolytho, ministrat incensum, vt supra; mox genuflectens supra gradum superiorem Altaris, dicit, *Munda cor meum*, surgensque accipit ambabus manibus librum ab Altari, ac petit benedictionem à celebrante, similiter genuflectens in superiori gradu, facie tamē conuersa, dicens, *Iube Domne benedicere*; qua accepta, eius dexteram osculatur, portansque, vt supra, ante pectus librum Euangeliorum clausum, descendit ante gradus Altaris, & in plano cum alijs facta Cruci reuerentia, Subdiacono à sinistris Assistente, vltimus omnium procedit ad cantandum Euangelium.

Rit. Miss. VI. 5. 12 Ad locum Euangelij perueniens, in manibus Subdiaconi aperit librum, iunctisque ante pectus manibus, dicit cantando voce sonora *Dominus vobiscum*, & cum dicit *Initium*, vel *Sequentia sancti Euangelij*, signat pollice dextero librum in principio Euangelij, ac seipsum in fronte, ore, & pectore; & dum respondetur à Choro *Gloria tibi Domine*, accipit thuribulum à Thuriferario, librumque triplici ductu thurificat, primò in medio, tum à parte dextera libri, & mox à sinistra, redditoque Thuriferario thuribulo, iunctis manibus, incipit, atque prosequitur Euangelium. Ad nomen *Iesus*, caput inclinat, & si sit genuflectendum, versus librum genuflectit.

13 Finito Euangelio, si principium textus, quod osculari debet à celebrante, in præcedenti folio est, voluit folium, & ante infimum gradum, cum debitis inclinationibus, statim ac celebrans librum fuerit osculatus, triplici ductu ipsum thurificat; redditoque thuribulo Thuriferario, post eum stabit, donec intonet, si dicendum sit *Credo*, & tunc accedens Rub. gene. Miss. XIII. 6.
à dextris celebrantis, submissa voce prosequitur Symbolum eodem modo, quo dictum est ad Hymnum Angelicum, & vbi est consuetudo sedendi, sedet à dextris celebrantis.

14 Cum in Choro cantatum fuerit, Rit. Miss. VII. 7.
Et homo factus est, accedens ad credentiam, accipit bursam cū corporali, quam ad oculos vsque eleuatam ambabus manibus portat, ita vt eius pars aperta ipsum respiciat, & ad Altare ascendens, facit primò Cruci reuerentiam, mox capitis inclinationem celebranti; extrahit deinde ex bursa corporale, quod explicat, & extendit in medio Altaris, collocans à parte Euangelij bursam, ita vt Altare non impediat, & redit ad locum, vbi prius erat.

15 Finito *Symbolo*, vel, si nō sit dicendū, dicto *Oremus*, ante *Offertorium* ascendit ad Altare à sinistris celebrātis, eique, Rit. Miss. VII. 9.
dum legit Offertorium, assistit: quo lecto, transiens ad cornu Epistolæ, acceptum calicem à Subdiacono detegit, Pallaque

depo-

deposita, Patenam cum Hostia dat celebranti, osculando eius manum. Quòd si aliç Hostię pro communione populi sint consecrandæ, detegit, atque aliquantulum eleuat Pyxidem, & facta oblatione, rursum cooperit: accepta deinde ampulla vini à Subdiacono, infundit vinum in Calicem; posteà admixtas illi per Subdiaconum paucas guttas aquæ, Calicem celebranti, eius manus osculando, porrigit, tangensque dextera Calicis pedem, sinistra verò brachium celebrantis sustentans, cũ ipso dicit, *Offerimus tibi Domine*, &c. Et Calicem super corporale à celebrante positum palla cooperit; Subdiacono deinde stanti in cornu Epistolæ, Patenam in dextera manu collocans, velo cooperit.

Rit.Mis. VII. 10. 16 Accedente Thuriferario, nauiculam ministrat, & thuribulum celebranti tradit, vt supra; dum verò incensantur oblata, stans à dextris celebrantis, sinistra eleuat fimbriam casulæ, dextera verò pedem Calicis tenet, & cum thurificanda erit Crux, Calicem è medio remouet à latere Altaris, extra corporalia ipsum collocans, rursumque thurificata Cruce, in medio corporalium reponit. Deinde incensato Altari, celebrantem triplici ductu, vt supra, incensat.

Cærem. Epi.lib. 1.c.11. Sup. lib. 1.sect.2. c.2. 17 Ad Chorum accedens, omnes, modo in proprio loco præscripto, thurificabit, ac rediens ad Altare cum debitis inclinationibus thurificabit Subdiaconum, semel ducens thuribulum, ac postremò reddito thuribulo Thuriferario, ab eo & ipse semel thurificabitur, interim stans iunctis manibus ante pectus.

Rit. Mis. VII. 10. 18 Dum dicitur *Præfatio*, stat post celebrantem, & in fine accedens à dextris, cum eo dicit *Sanctus*, &c. Deinde ad sinistram celebrantis transiens, assistit, dum dicitur *Canon*: cum celebrans dicit,

Rit. Mis. VIII. 8. *Quam oblationem*, &c. ad eius dexteram in superiori gradu Altaris genuflectit, & cum Sacramentum eleuatur, fimbriam Planetæ eleuat, repositaque Hostia supra corporale, surgens Calicem detegit, ac statim genuflectens, iterum in eleuatione Calicis posteriorem partem Planetæ subleuat, statimque depositum Calicem super Altare Palla cooperit.

19 Post eleuationem Calicis, cum reuerentijs, à sinistris celebrantis accedens, libro assistit, vsque dum dicat, *Per quem hæc omnia*, &c. & tunc cum genuflexionibus ad dexteram veniens, cum opus est, Calicem discooperit, & vnà cum celebrante genuflectit; ipsum dextera eleuando, quod semper in omnibus genuflexionibus obseruabit. Cum verò ille deponit Hostiam super Corporale, ipse Calicem cooperit. Post eleuationẽ eius munus.

20 Cum incipit *Pater noster*, &c. facta genuflexione, recedit post celebrantem, ibique stat; & dum dicit, *Et dimitte nobis debita nostra*, ascẽdit ad cornu Epistolę, cum reuerentijs, repositoque velo super Altare, Patenam à Subdiacono accipit, ipsamque Purificatorio detergens, dat celebranti, illius manum osculando, & in fine submissa voce respondet, *Sed libera nos à malo*. Imposita postmodum Hostia super Patenam, discooperit Calicem, & cum celebrante adorat, eique dicenti, *Pax Domini*, &c. respondet, *Et cum spiritu tuo*; iterumque cooperiens Calicem, genuflectit, dicitque ter *Agnus Dei*, percutiens interim dextera ter pectus, sinistram infra pectus habens. Rit.Mis. IX. 4.

21 Dum celebrans dicit orationem, *Domine Iesu Christe, qui dixisti*, &c. à dextris eius genuflexus expectat Pacem, & cum ille Altare osculatur, ipse se erigens, osculatur illud extra Corporale, & à celebrante dicente, *Pax tecum*, complexus accipit Pacem, sinistris genis sibi inuicem appropinquantibus, & ei respondet, *Et cum spiritu tuo*: tum iterum Sacramento adorato, vertit se ad Subdiaconum, & similiter dat ei Pacem. Rit. Mis. X. 8.

22 Post datam Pacem Subdiacono, vadit ad librum, & cum celebrans se communicat, & dicit, *Domine, non sum dignus*, &c. profundè inclinatus, ter pectus percutit, assumptaque Hostia à celebran- Rit. Mis. X. 8.

lebran-

lebrante, si Subdiaconus non adsit, discooperit Calicem cum debitis genuflexionibus.

Rit.Mis. X. 9. 23 Si facienda sit Communio, & Hostiæ nō sint super Altare, aperit ostiolum tabernaculi, genuflectit, & reuerenter acceptam Pyxidem sanctissimi Sacramenti, reponit supra Corporale, remotoque ab eo paruo conopeo, tursum genuflectit, & ad latus Epistolæ accedens, profundè inclinatus dicit, *Confiteor*, &c. Deinde dicto, *Misereatur*, & *Indulgentiam*, &c. à dextris Subdiaconi, in medium genuflectēs, ante omnes Communionem sumit; post acceptam Communionem, vel purificationem, ministrat, vel assistit à latere Altaris, donec perficiatur Communio, qua finita, accedens ad Altare cum genuflexionibus cooperit Pyxidem, quam intra tabernaculum reponit, rursumque genuflectens, claudit ostiolum.

Rit.Mis. XI. 9. 24 Post Communionem defert velum Calicis ad cornu Euangelij, indeque Missale cum puluino ad cornu Epistolæ, vbi celebranti, dum legit versum, assistit à dextris, cum dicit, *Dominus vobiscum*, stat post eum; similiter cum dicit Orationem, vel Orationes, & quando opus est, vertit folia libri. Ferijs Quadragesimæ ante Orationem super populum, vertens se ad illum, iunctis manibus, dicit, *Humiliate capita vestra Deo*; quo dicto, vertit se ad Altare à tergo celebrantis.

Rit.Mis. XI. 3. 25 Dicto post vltimam Orationem Vers. *Dominus vobiscum*, ipse conuertens se ad populum à sinistro latere ad dexterum cantat in tono competenti, *Ite missa est*, vel *Benedicamus Domino*, quod quando dicit, non vertit se ad populum.

26 Ad benedictionem genuflectit supra gradus Altaris à latere Epistolæ, &, dum legitur Euangelium S. Ioannis, stat in eodem gradu; & cum dicitur, *Et Verbum caro factum est*, genuflectit, ibidem conuersus ad Crucem, & in fine respondet, *Deo gratias*.

27 Descendens tandē cum celebrante, & alijs ministris ante infimū gradum Altaris genuflectit, biretum exosculans, celebranti porrigit, procedensque post Subdiaconum ante celebrantem recedit ordine, quo venerat, ac demum depositis paramentis in Sacristia, aliquantulum genuflexus orat, lotisque manibus, recedit in pace.

De officio Diaconi in Missis solemnibus pro defunctis. Cap. VI.

1 *Omittenda in Missis defunctorum.*
2 *Ad Euangelium quomodo procedit.*
3 *Ad Offertorium quomodo ministrat.*
4 *In absolutione ad tumulum quomodo procedat.*
5 *Celebrantem in aspersione, & incensatione quomodo adiuuat.*
6 *Ordo recedendi.*

1 Diaconus in Missis defunctorum ministrans, nunquam celebrantis manus, nec aliquid ei porrigens, osculatur: non ministrat incensum in principio Missæ: non petit benedictionem ad Euangelium: neque incensat librum ante Euangelium, nec postea celebrantem; neque alios post incensationem oblatorum incensat, sed tantùm celebrantem; ad *Agnus Dei* non percutit pectus; neque accipit pacem. Rit.Mis. XIII. 1.

2 Dum dicitur *Sequentia*, circa finem, cum dicitur, *Oro supplex, & acclinis*, &c. accipiens Missale super Altare reponit, ac genuflectēs supra gradus dicit, *Munda cor meum*, &c.

3 Dicto Offertorio, cum Subdiaconus defert à latere Epistolæ Calicem, accipit bursam, extrahensque corporalia explicat, Hostiam supra patenam celebranti porrigit, deinde vinum ministrat, & incensum, & thurificato Altari, tantùm celebrantem incensat; & cum celebrans conuertens se dicit, *Orate fratres*, ipse respondet, *Suscipiat Dominus*, &c. & in fine Missæ, dicens, *Requiescant in pace*, non se conuertit ad populum.

4 Si facienda sit absolutio, adiuuat celebrantem, dum exuit casulam, & imponit illi Pluuiale; ad tumulum à sinistris eius paulò ante procedit, quò cum peruenerit, aliquantulum retro à latere stat; dum dicitur Responsorium, Cantoribusq; dicentibus Vers. *Requiem æternam*, &c. ministrat nauiculam sine osculis, ac petit benedictionem more solito.

5 Celebranti post Responsorium, & *Kyrie eleyson*, dicenti *Pater noster*, porrigit aspersorium, eleuansque fimbriam Pluuialis, procedit à dextris eius, primum si trãseundum sit ante sanctissimum Sacramentum, in medio genuflectens, & transiens ante Crucem, cum celebrans se inclinat, ipse genuflectit, completoque circulo, thuribulum à Thuriferario acceptum, sine osculis celebrãti porrigit, eleuansque fimbriam à dextris eius, circuit tumulum, vt supra, redditoque Thuriferario thuribulo, librum accipit ab Acolytho, quem tenet apertũ ante celebrantem, dum dicit Versus, & Orationem, post cuius conclusionem Acolytho clausum reddit. Et cum celebrans dicendo Vers. *Requiem æternam*, &c. format signũ Crucis super tumulum, ipse à dextris eleuat fimbriam Pluuialis. Rit.Miss. XIII. 4.

6 Dicto à Cantoribus *Requiescant in pace*, dum omnes recedunt, à sinistris celebrantis, ordine, quo venerat, procedit; eodem modo ministrat ad exequias.

De officio Diaconi in Processionibus sanctissimi Sacramenti.
Cap. VII.

1 *Celebrantem adiuuat.*
2 *Incensum quando, & quomodo ministret.*
3 *Sacram Hostiam celebranti quomodo porrigat.*
4 *A dextris celebrantis quomodo procedat.*
5 *Post Processionem sacram Hostiam à celebrante quomodo accipit, atque reponit.*
6 *Librum, dum dicitur Oratio, quomodo sustinebit.*
7 *Ad benedictionẽ vbi, & quomodo stabit.*
8 *Sacram Hostiam reponit.*

1 QVando in festo sanctissimi Corporis Christi, in celebratione quadraginta horarum, & similibus processionibus à Diacono ministratur, ipsius partes erunt adiuuare celebrantem, cum Sacramentum intra tabernaculum portatile, vel intra Calicem recondit. Cærem. Episc. lib. 1.c.23.

2 Incensum ministrat stans à dextris celebrantis sine osculis, neque benedictionem petit. Dum verò Sacramentum thurificatur, genuflexus à dextris celebrantis, Pluuialis fimbriam vtraque manu eleuat.

3 Porrecturus sanctissimũ Sacramentum celebranti, antequam ex Altari illud accipiat, vtroque genuflectit, & postquã celebranti tradiderit, genuflexus rursus reuerenter illud adorat: & feria V. & VI. maioris hebdomadæ extremitatibus veli Calicem cooperit. Cærem. Episc lib. 1.c.21.

4 Dum defertur Sacramẽtum, à dextris celebrantis vtraque manu fimbriam Pluuialis eleuat; vel altera eleuat fimbriam Pluuialis, altera verò tenet pedem tabernaculi; vel in VI. feria Parasceue, quando celebrans Pluuiali non vtitur, altera manu celebrantis brachium, altera verò pedem Calicis sustentat; & sic procedentes, alternatim submissa voce recitabunt Psalmos, & Hymnos. Cærem. Episc.lib. 1.c.23.

5 Ad locum, vbi reponendum est Sacramentum, perueniens, tabernaculum à celebrante accepturus genuflectit, deinde erigens se, stat, donec celebrans & ipse adoret; mox super Altare reposito tabernaculo, iterum genuflectens, ministrat incensum, & adiuuat celebrantem, dum Sacramentum incensat, vt supra.

6 Cum dicenda est Oratio, à dextris celebrantis tenet librum apertum, quem clausum postmodum reddit Acolytho.

7 Si danda est benedictio, accepto

Sacra-

Sacramento cum debitis reuerẽtijs, vt supra, ipsũ porrigit celebranti, vt benedicat populo, & à latere genuflexus supra gradus Altaris fimbriam Pluuialis eleuabit.

8 Sacram Hostiam iuxta Tabernaculum consuetis reuerentiis reponit, clauibusque obserans ostiolum, ante celebrãtem ordinatè procedendo recedit.

De officio Diaconi ministrantis Episcopo, cum solemniter celebrat. Cap. VIII.

1 *Diaconus, quando, vbi, & quomodo sacris induitur vestibus.*
2 *Epum sacris induit vestibus, qñ, & quõ.*
3 *Ad Altare quomodo procedat.*
4 *Confessionẽ quo loco, & quomodo facit.*
5 *Incensum quomodo ministrat.*
6 *Eius locus, & munus post incensationem vsque ad Euangelium.*
7 *Post Epistolam librum Euangeliorum ad Altare defert.*
8 *Ad Euangelium quomodo procedit.*
9 *Post sermonem, si fiat, facit confessionem, vbi, & quomodo.*
10 *Ad Symbolum quo loco stabit.*
11 *Bursam Corporalium quando, & quomodo ex credentia deferi.*
12 *Hostia, ac vini pregustationem prabet Sacristia, & quomodo.*
13 *Ad oblata quomodo ministret incẽsum.*
14 *Ante communionem supplet vices Assistentis procedentis ad pacem.*
15 *Ab Episcopo qũo communionem sumat.*
16 *Post communionem librum transfert, & Mitram Episcopo imponit.*
17 *Ad benedictionem Mitrã Episcopo imponit, secus si sit Archiepiscopus.*
18 *Pallium post benedictionem Archiepiscopi reponit.*
19 *Episcopum, dũ sacris exuitur vestibus, adiuuat.*
20 *Quid, si Episcopus non in Sede, sed in faldistorio sit, praestare debeat.*

Cærem. Epis. lib. 1.c.9. 1 Diaconus, qui Euangelium cantaturus est in Missa Pontificali, dũ alii Canonici sacris induuntur, & ipse sua accipiet paramenta, non tamen Manipulum, & sic paratus vnà cum Subdiacono erit apud Episcopum.

2 Finita Tertia, ac lotis manibus Episcopi, ipse ad eius dexteram adiuuante Subdiacono induet Episcopum Pontificalibus indumentis, & si fuerit Archiepiscopus, ei Pallium imponet, modo infra praescripto, & illo parato suum accipiet Manipulũ, sicut sup. de Subdia. diximus. Inf. sec. X. c. 1 nu. 15.

3 Cum proceditur ad Altare, ad sinistram Presbyteri assistentis immediatè ante ipsum procedet.

4 Ad Altare stans faciet confessionem à sinistris Episcopi celebrantis.

5 Incensum ad Altare ministrat, thuribulũ celebrãti cũ osculis porrigit, & dũ Episcopus incensat Altare, ipse à dextris illũ adiuuat, & post incensationẽ Altaris profundè ante, & post se inclinans Episcopum celebrantem ter thurificabit.

6 Episcopo recedente, remanet ipse à latere Epistolæ ad Altare, & à dextris stans Subdiaconi cum eo submissa voce dicit *Kyrie eleison*, facie interim conuersa ad Altare, & cum Episcopus in sua sede sedet, & ipse pariter in suo scãno ibi praeparato sedebit, & cum Episcopus intonauerit Hymnum *Gloria in Excelsis Deo*, vnà cum Subdiacono ipsum vsque ad finem submissa voce, prosequetur.

7 Cantata per Subdiaconũ *Epistola*, librum Euangeliorũ clausum ad Altare deferet, ipsumq; cũ debitis reuerenriis in medio Altaris collocabit; ante Episcopũ factis debitis reuerentiis accedens illius manum osculatur: ad Altare rediens genuflexus in infimo gradu in medio, dicit secretò *Munda cor meum*, & statim surgens resumit de Altari librum, & ad Episcopum rediens inclinatus, si fuerit Canonicus, vel si non fuerit Canonicus, genuflectens, petit ab eo benedictionem, dicens *Iube Domne benedicere*, & hoc, si Episcopus sit in solio, nam si esset in faldistorio, praestaret omnia more solito.

8 Accepta benedictione, procedit ad cantandum *Euangelium*, omnia modo suo loco praescripto obseruãs: sed si Episcopus erit in solio in ppria Ecclesia, non Supr. c. 5.nu.12.

ab ipso, sed ab Assistente post Euangelium incensabitur.

9 Si fiat sermo per Epum sedentē in faldistorio apud Altare;statim finito sermone,ipse stās ad eius sinistrā.parū inclinatus recitabit confessionē,& cū dicit *Tibi Pater*,& *Te Pater* profundè se inclinabit. Si autē sermo per aliū habeatur,tūc Episcopo sedente in solio, ipse stās apud infimum gradum solij facit confessionem.

10 Cum per Epum dicitur *Credo in vnum Deum* ,ipse suo loco ad Altare cū Subdiacono submissa voce prosequetur vsq; in finem,& Episcopo sedente, & ipse pariter cum Subdiacono in scamno sedebit: cum à Cantoribus dicetur:*Et incarnatus est*,ipse cum aliis profundè se inclinat , exceptis diebus Annunciationis B. V. & Natiuitaris Domini , nam tunc vnà cum aliis genuflectit .

Cærem. Epis. lib. .c.8.

11 Cantato *Et homo factus est* , accedit ad abacum , & inde bursam corporalium accipiens , vtraque manu vsque ad oculos eleuatā ad Altare portabit,vt su.

...p.c.5. ...um.14.

12 Redeunte Epo ad Altare ad eius dexterā stans adiuuat ascendentem, Mitram abstrahit,atq; imponit,cū opus est, deinde accedens ad cornu Epistolæ, ex duabus Hostiis, quas inuenit à Sacrista in patena paratas,vnam accipiens cum ea primò tangit alteram,deinde patenam,& calicem circumcirca intus,& foris, & dat illā prægustandā Sacristæ ; similiter & vinum,& aquā in patenā ad id paratam infundens illi porrigit;Et facta prægustatione, patenā vnà cum Hostia pro sacrificio Episcopo offert,& dum ille dicit; *Suscipe*, &c.absterso prius calice,vinum infundit, & admixtis per Subdiaconum paucis aquæ per Episcopum benedictę guttis, calicem Episcopo offert,& super corporale repositum palla tegit .

13 Ad oblata ministrat incensum more solito , & Epo celebrante in propria Ecclesia , medius inter duos Diaconos assistentes stans incensātur. Reliqua vsq; ad communionem præstabit, more solito;ad librum tamen non assistit,cum hoc specter ad munus Presbiteri assistentis.

14 Cum Episcopus dicit Orationes ante communionem,supplet vicem Presbiteri assistentis ad librum .

15 Ante alios communionem accipit à celebrante, à dextris Subdiaconi Episcopi manum prius osculando , & ab eodem postea accipiens osculum pacis respondet *Et cum spiritu tuo* ; deinde vinum in calicem pro purificatione celebrantis infundit,& si faciēda sit communio aliorum,antequam celebrans digitos abluat, stans in cornu Epistolæ inclinatus confessionem alta voce cātat, postea ad eius dexteram tenet pyxidem cum particulis consecratis.

Cærem. Epis. lib. 2.c.29.

16 Postquā Episcopus digitos abluerit, Diaconus translato libro cum puluino ad cornu Epistolæ eius capiti Mitram pretiosam imponit , quam lotis, ac tersis manibus, rursum aufert, & post eum recedit, reliqua more solito præstans.

17 Cum celebrans daturus est benedictionem, imponit ei Mitrā pretiosam , nisi sit Archiepiscopus,nam,ob reuerentiam crucis,sine Mitra benedicere debet, & ipse ad benedictionem genuflectet.

18 Si celebrās sit Archiepiscopus,data benedictione,& publica is Indulg. extrahit illi pallium, & super Altare reponit.

19 Epū redeūtē comitatur, & cū sacras vestes deponit,adiuuat vnà cum Subdiac. & illo exuto,ēt ipse suas deponet vestes.

20 Hæc omnia obseruātur,si Epus celebrans sit in sua sede,nā si in faldistorio sederet,& non in sede,sine assistētia Diaconorum,tunc Diaconus, & Subdiac. ei assisterēt, & Mitra à Diacono imponeretur, prout fit, Episcopo existente ad Altare, nam tunc semper à Diacono ei Mitra imponitur,& aufertur.

De officio Assistentium ad Vesperas solemes in Collegiatis. Cap. IX.

1 *Assistentiū num. & paramēta ad Vesp.*
2 *Assistentium locus ad Vesperas .*
3 *Primus Assistens celebranti Antiphonā præintonat, similiter & aliis.*

5 Ad

4 *Ad incensationem Altaris quomodo Assistentes procedunt, atq; ministrant.*
5 *Primus Assistēs celebrātē qūo thurificat.*
6 *Si adsint Prælati ab eodē thurificantur.*
7 *Assistentes ante omnes alios incensantur post celebrantem.*
8 *Ad Orationem librum qūo ministrant.*
9 *Quomodo redeunt.*

Cæem. Epis. lib. 2. c. 3 in prin. & fin. cap.

1 CVm solemniter celebratur in Collegiatis Ecclesijs, adhiberi solēt Assistentes, ad Vesperas quidem duo, vel etiam quatuor in præcipuis solemnitatibus, & ad summum sex pro qualitate festorum, ac celebrātium, ex aptioribus, & in Ecclesiasticis functionibus peritis, ad assistendum Prælato celebraturo desig- gnentur, qui supra superpelliceum Pluuialibus, coloris officio conuenientis, æqualibus inter se induantur.

2 Hi celebrantē præcedētes, post Ceroferarios ad Chorum accedunt, quorū duo vltimi, cum proceditur, medium habentes ipsum celebrantē, fimbrias anteriores Pluuialis ipsius parū eleuant, ibiq; cum debitis reuerentiis in primis sedibus Chori inferioris ad totas Vesperas assistunt, non tamē cātoris munus exercent.

3 Primus suo tēpore, facta prius Altari reuerentia, Antiphonā celebrāti præintonabit: Idē tertiā Antiphonā post celebrantē, ac Vicarium, quorum alter primam, alter verò secundā intonabit; secūdus vero assistens quartam; post Capitulū primus Assistens præintonat celebranti Hymnum; ambo verò hinc inde celebranti, cum inchoat Antiphonā, & Hymnum, nec non dicit Capitulum, vel Orationem, librum apertum tenent.

4 Ad *Magnificat* ambo immediatè ante celebrantē procedunt post Ceroferarios, simulq; genuflectunt, & cum opus est, se inclinant. Eorum primus ministrat nauiculam, alter verò fimbrias Pluuialis Eleuatas tenet, impositoq; thure dicit: *Benedicite admodū Reuerende Pater.* Et accepto thuribulo ab Acolytho, celebranti cum osculis manus, ac manubrii porrigit: Mox ambo eleuando fimbrias Pluuialis, hinc inde, cū incensatur, celebrantem adiuuant; cū eodē genuflectendo, vel inclinando, completaq; Altaris incensatione, primus accipit thuribulū in latere Epistolę pariter cū osculis; Acolytoq; tradit; alter verò Pluuiale celebranti accōmodat, simulq; ante infimum gradū descendentes genuflectunt, & ad Chorum ordine, quo venerant, redeunt, vbi primus Assistēs thuribulum accipit ab Acolytho, eo demq; tenente fimbriam Pluuialis ad eius dexteram, cū debitis reuerentiis celebrātem triplici ductu incensat; & si ibidē aliquis Prælatus adsit, ab eodem pariter incensatur; deinde reddit thuribulum Acolytho, à quo ipse à dextris celebrātis Assistens, alter verò à sinistris immediatè duplici ductu incensantur.

5 Ad Orationem primus ostendit celebranti Orationem; & si facienda sit aliqua commemoratio, folia voluit, & locū ostendit; ambo verò librum ante ipsum apertum tenēt, dictoq; à Cantoribus *Benedicamus Domino*, & à celebrante *Fidelium animæ*, &c. cum debitis reuerentiis ordine, quo venerant, recedunt; & in Sacristia paramenta deponunt: quòd si ibi terminandum sit officium, in Choro assistunt, donec dicatur Antiphona B. Virginis cum Oratione, & cum celebrante post Ceroferarios recedunt.

6 Cæteri verò, si plures Pluuialibus induti assistant, in scamnis ante sedes inferioris Chori sedebunt, & cum ad incēsandum Altare proceditur, bini incedēt, factaq; Altari reuerentia ante gradus Altaris recta linea assistant, deinde ordine, quo venerant, reuertētur, & in Choro in suis locis stantes vsq; in finē assistēt, nūquam Cantorū munus implentes, sed cōpletis omnibus eodem ordine recedent.

De officio Presbyteri assistentis in Missa solemni. Cap. X.

1 *Assistētis ad Missā habitus, & munus.*
2 *Quo ordine ad Confessionem procedat.*
3 *Eius munus in incensatione Altaris, & principio Missæ.*

4 *Ad Orationem, & Euangelium eius locus, & munus.*
5 *Item ad Symbolum.*
6 *Ad incensationem eius partes.*
7 *Ad librum in Canone quomodo assistat.*
8 *Ad Pacem quomodo ministret.*
9 *Ad Postcommunionem vsque ad finem quomodo consistat.*

1 LIcet, iuxta præscripta in Cæremoniali Episcoporum, solis Prælatis detur assistentia in Missa solemni, quia tamen, vt Sacra Congregatio declarauit, etiam Canonicis, aliisque non Prælatis, vbi adest consuetudo, dari potest assistentia, idcirco, quæ eius sunt muneris, declarabimus. In Missa itaque quæ solẽniter celebratur, præter Diaconum, & Subdiaconum, vnus tantùm Presbiter assistet, supra superpelliceum Pluuiali coloris conuenientis indutus, quod assumet, postquam celebrãs fuerit casula indutus, cuius præcipua cura erit, Missam præuidere, & signacula in Missalli celebrantis locis congruis disponere. (Cærem. Episc. lib. 1. c. 1.)

2 Ad Missam celebrandam procedẽs, post celebrantem à dextris eius stans, facit Confessionem, & tunc Diaconus stabit à sinistris celebrantis, Subdiaconus verò post Diaconum, dicensque *Tibi Pater*, & *Te Pater*, caput celebranti inclinat.

3 Peracta Confessione, celebrante ascẽdente ad Altare ad incensationem amouet librum ab Altari, & post incensationẽ reponit, stansque post celebrantem à sinistris Diaconi, præostendit celebranti principium Missæ, nec discedit, sed cum celebrans in medium Altaris cum Ministris accedit, ipse stat in cornu Epistolæ ad librum, donec ab eodem celebrante sub missa voce cum Ministris dicatur totus Hymnus *Gloria in excelsis Deo*, &c. Cum verò celebrans ad sedendum accedit, sedebit & ipse supra scabellum nudũ, capite cooperto, facieq; ad Altare conuersa.

4 cum celebrans redit ad Altare, & ipse post eum cum debitis reuerentijs à latere Epistolæ ad Altare ascendet, ibique ostendet celebranti *Orationem*, vel *Orationes* dicendas, necnon *Epistolam* cũ *Graduali*, & *Tractu*, vel *Sequentia*. Cantata Epistola transibit ad cornu euangelij cum debitis reuerentijs, ibique Subdiaconum librum deferentem expectabit, & celebranti Euangelii textum demonstrabit, eique assistet, folia, cum opus fuerit, vertens; Subdiaconus verò post eum stabit. Lecto Euangelio, descendit ad posteriorem partem eiusdem lateris Euangelii, ibique stat iunctis manibus, facie ad Diaconum conuersa, donec ille Euangelium cantet.

5 Post Euangelium accedit ad Altare cum debitis reuerentiis, ibique à sinistris celebrantis præmonet, si dicendum sit *Credo*, vel *Dominus vobiscum*; & Ministris accedentibus, vt dicant submissa voce *Symbolum*, ipse retrahit se ad cornu Euãgelii, vbi stans, cum opus est, se inclinat, & genuflectit vnà cum celebrante, &, si sit sedendum, sedet ad scabellũ suũ, vt supra. Symbolo completo, reuertitur cum celebrante paulò post eum, neq; amplius recedit à libro vsq; ad cõmunionẽ.

6 Ad incensationem Altaris remouet librum, & reponit, cum opus est; item à Diacono ante Subdiaconum incensatur.

7 Symbolo completo, post celebrantem ad Altare accedit, libroq; assistit vsque ad communionem, & vnà cum celebrante caput inclinat, ac genuflectit, & cũ opus est, folia vertit, neq; genuflexus manebit, nisi ad eleuationem tantùm, cum proferuntur verba consecrationis, & cũ eleuatur Sanctissimum Sacramentum, statim post eleuationem surgendo.

8 Si Episcopo assistat, ipse dat Pacem. ordine suo loco præscripto; si verò simplici Sacerdoti, defertur Pax per Subdiaconum, qui, data Pace in Choro, dat etiã Assistenti, & si facienda sit communio, genuflectit à latere Euangelii. (Infr. lib. 2. sect. 2. cap. 3.)

9 Delato libro per Diaconũ ad cornu Epistolæ, cum debitis reuerentiis, ad illud

acce-

accedit, præmonstratis celebranti, quæ dicenda sunt, & dicto *Ite missa est*, accedit ad cornu Euangelij, ibique genuflectit ad benedictionem, deinde assistit, donec celebrans ex libro legat Euangelium, cum opus est, folia vertens; ac tandem reposito libro supra credentiam, post celebrantem recedit, & primus omnium paramenta deponit.

De officio Presbyteri Hebdomadarij per vices celebrantis. Cap. XI.

1 *Hebdomadarius quis dicatur.*
2 *Hebdomadarij habitus.*
3 *Hebdomadarij locus in Choro.*
4 *Quo ordine in principio Horarum procedat.*
5 *Eius partes ad Vesperas.*
6 *Ad Completorium.*
7 *Ad Matutinum.*
8 *Ad Primam.*
9 *Ad reliquas Horas.*
10 *Ad Officium defunctorum.*
11 *Ad Psalmos Graduales.*
12 *Ad Psalmos Pœnitentiales.*

Inf. l. 2. ferè per totum.

1 CVm Sacerdotis munus latius pateat, pluraque complectatur, infra suis locis pertractāda, hic tantum de Ministris agentes, ea adnotare intendimus, quæ ad Sacerdotis Hebdomadarij munus in Choro exercendum spectare videntur: Cum enim hebdomadarum repetitione ecclesiastica tempora distinguantur, ipsas ex antiquissima traditione ita ordinatas summo studio obseruare debent illi præsertim, quibus incumbit; idcirco qui per vices in Choro, dum diuina celebrantur officia, tali munere funguntur, Hebdomadarij dicuntur.

2 In qualibet hebdomada, incipiendo à Sabbato ad Vesperas, vsque ad Nonam Sabbati sequentis inclusiuè, Sacerdos, cui per vices diuina officia celebrare contigerit, superpelliceo mūdo indutus, ac stola coloris officio, quod celebratur, congruentis, & si sit Canonicus, vel Beneficiatus cum habitu Chorali, puta cappa, vel almutio, aut aliquo alio signo ordini, & gradui conueniente, suum exequetur munus.

3 Is in Choro, cū diuina celebrantur, oēs sui ordinis præcedēs, excepto loci Superiore, in prima sede sui Chori, si fuerit Canonicus, supra alios Canonicos, & si fuerit Beneficiatus, supra alios Beneficiatos, habita tamē ratione cōsuetudinis locorum, cui plurimū in hoc tribui oportet, dū suo fungitur munere, decēter assistet.

4 Ad *Vesperas* igitur dato signo, surgētibus omnibus, dicit secretò *Pater noster*, & *Aue Maria*, deinde, si adsit Prælatus, seu loci Superior, petita ab eo, capitis inclinatione, inchoādi licentia, sinistram ante pectus tenens, dexteraque aperta se signans à fronte ad pectus, dicens conuenienti tono, pro dierum, ac temporū qualitate, iuxta præscripta in Direct. Chori Romano de Tonis, *Deus in adiutorium*, ad vnumquodque verbū tangit manu primò frontē, deinde pectus, mox humerum sinistrum, vltimò dexterum, quod semper in principio Horarum obseruare debet. Cærem. epis. lib. 1. c. 1. Direct. Chori vbi sup.

5 Idem ad *Vesperas* inchoat primam Antiphonam primi Psalmi, dicit Capitulum, intonat Antiphonā ad Magnificat, & post Canticum, repetita Antiph. dicit, *Dominus vobiscum*, & Orationē, vel Orationes, & post ipsas, *Dominus vobiscum*, & nisi fuerit officiū duplex, vel dies Dominicus, subdet ℣. *Benedicamus Domino*, & tādē humiliori voce ℣. *Fideliū animę*, &c. Et si præmittendum sit officium paruum B. *Virginis*, eodem modo procedens ipse Antiphonas inchoabit, dicet Capitulū, Orationem, seu Orationes, & dicto *Benedicamus Domino*, prosequetur officium *Vesperarum* diei currentis.

6 Ad Completorium, ante lectionem, profert verba benedictionis, videlicet, *Noctē quietā*, & expleta lectione, eodem tono subdēs ℣. *Adiutoriū nostrum*, signat se signo crucis, postmodum dicto secretò *Pater noster*, humili voce facit cōfessionē, qua cōpleta, incipit clara, & sonora voce ℣. *Cōuerte nos Deus*, interim pollice signās

pectus, postmodum subdens, *Deus in adiutorium*, signat se signo crucis, dictoque *Alleluia*, vel *Laus tibi Domine*, inchoat Antiphonam: post Hymnum verò dicit Capitulum, inchoat Antiphonam ante Canticum, & repetita Antiphona, si sint dicendæ Preces, dicit earum Versus, & in fine Vers. *Dominus vobiscum*, cum Oratione *Visita*, &c. qua dicta, rursum repetit Vers. *Dominus vobiscum*, & *Benedicamus Domino*, ac tandem humiliori voce subdit, *Benedicat, & custodiat nos omnipotens, & misericors Dominus*, & cum dicit, *Pater, & Filius, & Spiritus sanctus*, se signat, & eodem tono genuflexus dicit Antiphonam cum suo Vers. post quem subdens Orationem surgit. Et si dicendum sit officium paruum B. Virginis, dicto *Benedicamus Domino*, eodem modo ipsum prosequitur, & in fine dicit Orationem, ac tandem Antiphonam B. Virginis, vt sup.

Direct. Chori. 7 Ad Matutinum eodem modo, quo supra, Chorali suo habitu indutus, dato signo, dictoque secretò *Pater noster*, *Aue Maria*, & *Credo*, dicet signans dexteræ pollice os, *Domine, labia mea aperies*, subdẽs postmodum, *Deus in adiutorium*, signabit se à fronte ad pectus, & dicto Hymno, intonat primam Antiphonam, & dicto per Cantores versu, qui dicitur in fine Nocturni, dicet *Pater noster*, & in fine, *Et ne nos*, cum Absolutione, subdens benedictiones præmittendas suo ordine ante singulas lectiones. Ad Laudes procedet eodem modo, quo ad Vesperas; & si dicendum sit officium paruum B. Virginis, præmittitur ante officium diei, ipse verò eadem respectiuè obseruabit.

8 Ad Primam pariter dato signo, dictoque secretò *Pater noster*, *Aue Maria*, & *Credo*, dicet more solito Vers. *Deus in adiutorium*, Inchoabit Antiphonam, subdet post ipsam in fine Capitulum, & in diebus ferialibus, quando dicendæ sunt Preces, dicet Versus, ac tandem *Dominus vobiscum*, cum *Oratione*, ac *Dominus vobiscum*, cum ℣. *Benedicamus Domino*, & si dicendũ sit officium paruum B. Virginis subdet Primam illius eodem modo, & post ℣. *Benedicamus Domino*, dum legitur Martyrologium, cum alijs sedet. Lecto Martyrologio, subdet clara, & sonora voce, *Pretiosa*, &c. *Sancta Maria*, &c. ac ter dicet, *Deus in adiutorium*, non tamen se signat, nam hoc tantùm fieri debet, cum in principio Horarum dicitur, subdit deinde Versus, & Orationem *Dirigere, & sanctificare*, deinde ad benedictionem profert verba benedictionis, & in fine subdens Vers. *Dominus nos benedicat*, eodem tono etiam subdit, *Et fidelium animæ*, &c.

9 Eodem modo ad reliquas Horas Tertiam, Sextam, & Nonam, dicto prius secretò *Pater noster*, & *Aue Maria*, dicet Vers. *Deus in adiutorium*, inchoabit Antiphonam, cantabit Capitulum, & si dicendæ sint Preces feriales in diebus ieiuniorum, dicet earum Versus, & in fine Orationem, cũ Vers. *Dominus vobiscum*, *Benedicamus Domino*, & humiliori voce in fine semper subdet Vers. *Fidelium*, &c. Quando dicitur officium paruum B. Virginis post quamlibet Horam dicto Vers. *Benedicamus Domino*, eodem modo eius officij partes recitabit.

10 In officio defunctorum ad Vesperas inchoabit primã Antiphonam, atque etiam ad *Magnificat*, subdet Preces, & Orationem, vel Orationes cum suis Versibus. Ad Matutinum inchoat primam Antiphonam, & legit vltimã lectionem; & ad Laudes procedit eodem modo, quo ad *Vesperas*.

11 Quando dicendi sunt Psalmi Graduales, inchoat primum Psalmum *Ad Dominum*, &c. & in fine dicit *Pater noster*, *Versus*, & *Orationes*.

12 Cum dicuntur Psalmi Pœnitentiales inchoat Antiphonam, *Ne reminiscaris*, &c. & in fine Litanias cum *Versibus*, & Orationibus.

SECTIO

SECTIO OCTAVA.

De Canonicis, & Dignitatibus, Cathedralium Ecclesiarum.

De Nomine, dignitate, & Habitu Canonicorum. Cap. I.

1 *Canonici Nominis, & dignitatis origo.*
2 *Canonici quinam dicantur.*
3 *Canonicorum quinam habitus in Ecclesia.*
4 *Cappis quando, & quomodo vtantur?*
5 *Ecclesiam semper Canonicali habitu ingrediuntur.*
6 *Episcopum in Ecclesia quando, & quomodo associent.*
7 *Ad Vesperas, & Missam quando, & quomodo erunt parati.*
8 *In Processionibus Candelarum, & Palmarum, & impositione cinerum quo habitu vtentur.*
9 *Item Feria V. in Cœna Domini ad processionem.*
10 *In festo Corporis Christi.*
11 *In Missis, & Exequijs Defunctorum eorum habitus.*

1 CAnonici Cathedralium Ecclesiarum, qui meritò Ecclesiæ Senatus dicuntur, vt dignitate, ita & moribus reliquos de Clero præcellere tenentur. Religiosam olim vitam ducebant; & ideo dicuntur Canonici; hoc est Regulares κανονικοὶ enim Græcè, Latinè Regularis dicitur: priscis namque temporibus Episcopi perfectioni suo statui valdè cōgruè ritè vocantes, religiosam vitam cum suis Canonicis ducebant, arctissimoque voto adstricti loco Cathedrali Ecclesiæ proximo in vnum habitabant, prout ad hæc vsque tempora aliquibus in locis Canonica, hoc est, Canonicorum habitatio Cathedralibus Ecclesiis coniuncta conspicitur. Concil. Tri. sess. 24. c. 12. Io. Tru. li. 2. Ca. Re. c. 3.

2 Præsentis itaque temporis Canonici ab illis, qui antiquitus religiosè viuebant, sui ordinis ritus agnoscant oportet; religiosorum námque more, ad illorum imitationem, quibus in gradu, & ordine successerunt, in Capitulo conueniunt; ita vt illi Canonici dicantur, qui vocem habent in Capitulo, quæ nulli concedi debet, iuxta Tridentini Concilij decreta, qui non fuerit in Sacerdotali gradu promotus, vel Diaconali, aut saltem Subdiaconali sacro ordine insignitus, suo loco, Deo dante, fusius explicandis, quę nostri sunt instituti ad cæremoniarum praxim spectantia, hoc loco tractabimus. Concil. Tri. sess. 22. ca. 4 de refor & sess. 24. c. 12

3 Canonici licet in habitu communi vestibus vsualibus nigri coloris, vsque ad talos demissis, sicut & reliqui Clerici, vti debeant; In Ecclesia tamen ad diuina Officia conuenientes proprium habent habitum ab alijs distinctum, iuxta locorum consuetudinem: aliquibus namque conceditur vsus Rochetti; aliquibus vsus Almutij; aliis Cappa violacea, hyemali quidem tempore pellibus armellinis; æstiuali verò Holoserico rubei coloris subtecta: aliis etiam in aliquibus præcipuis Ecclesiis ex singulari priuilegio certis temporibus, ac diebus conceduntur Cappæ rubeæ, aliaque insignia, qui bus non nisi Apostolica concessione vti licet. Cærém. Amb. li. 1. Tabel. de vsu, & colore Cappæ pag. 48.

4 Habentes vsum Cappæ obseruent quando, & quomodo ipsis vti debeant, in Ecclesia videlicet, & in Processionibus. In hyeme pelliculis albis circa collum, & pectus consutis; æstate verò, vel serico rubeo subtectæ adhibeantur; vel vbi est consuetudo, cùm fit mutatio Capparum, videlicet in Vigilia Pentecostes, seu etiam citius, aut tardius, prout Episcopo videbitur, loco Capparum supra Rochettum vti possunt superpelliceo mundo.

5 Nunquam in Ecclesia sine suo Canonicali habitu esse debent: primùm enim Rochetto, & Cappa, seu alio habitu iuxta locorum vsum sibi congruo, loco, ad id designato induantur; mox Ec-

clesiam

clesiam ingredientes ante Sanctissimum Sacramentum genuflexo orabunt; deinde ad Altare maius in Choro suo loco accedant. Romæ apud Sanctum Petrum Canonici, & Beneficiati stricto iure obseruant, vt prius per ostium Sacristiæ ingredientes, in eo loco suo induantur habitu, Ecclesiam deinde ingrediantur: quam laudabilem consuetudinem reliquos quoque per vrbem Canonicos imitari decet.

Cōsuet. Eccl. S. Petri.

6 Quoties Episcopus ad diuina officia celebranda ad Ecclesiam accedit, Canonici omnes suo Canonicali habitu induti eum ducere, & recedentem reducere tenentur. Et si eius domus sit iuncta Ecclesiæ, vel non longè ab illa distans, vsque ad locum suæ habitationis ipsum adire debent, hoc est vsque ad aulam, seu Cameram, quam ad hoc deputauerit: Quòd si longè distet, ad Ecclesiæ ianuam ipsum aduenientem excipere tenentur; recedentem verò saltem vsque ad fores deducant suo ordine procedentes bini; ita vt Episcopo cappa induto ipsum sequantur primo digniores, deinde reliqui ordinatè: Episcopo verò Pluuiali, ac Mitra induto, ipsum præcedat primò iuniores, deindè seniores, & ita suo Episcopo adhærebunt, vt inter ipsos, & Episcopum nullus omninò intercedat, nam vnum cum ipso constituunt corpus.

Cærem. Epic. li. 1. c. 15.

7 Episcopo solemniter celebraturo tàm ad Vesperas, quàm in Missa solemni. Canonici postquam eum fuerint associati, suo habitu Canonicali induti, vt supra, dùm ille genuflexus ante Altare maius orabit, vel in sua sede cum duobus Diaconis sibi assistentibus sedebit, ipsi extra illum locum accipiunt paramenta quilibet sui ordinis, videlicet prius Amictum circa collum aptantes, postmodum Dignitates accipiunt Pluuialia, Presbyteri Casulas, Diaconi verò, ac Subdiaconi Dalmaticas, & Tunicellas coloris officio congruentis; & primi Diaconalis Ordinis induti ad Episcopum accedunt, & tunc vltimi, qui apud eum in assistentia manserunt, suis induentur paramentis: & vbi haberi fortè non poterunt paramenta pro omnibus, præter assistentes, & ministros, de quibus infra dicetur, qui semper debent esse parati, saltem quatuor, aut sex primi habeant Pluuialia. In fine verò officij dum Episcopus in sua sede deponit paramenta, & ipsi pariter sua paramenta deponant, & Episcopum recedentem, habitu canonicali induti associabunt, vt supra.

Cærem. Epil. lib. 1. c. 15. & lib. 2. c. 1. & 8. Paril. de Craff. li. 1. c. 18.

8 In festo Purificationis Episcopo accedente ad Ecclesiam, Canonici paramentis sui Ordinis violacei coloris induuntur ad benedictionem, & distributionem cādelarum, atque ad Processionem, qua Completa Chorum ingressi deponūt paramenta, nisi fortè Episcopus vellet Missam celebrare; nam tunc depositis paramentis violaceis accipiunt alba, illa retinentes ad totam Missam. Idem seruatur in benedictione, & Processione Palmarum. Pariter fer. IV. Cinerum ad benedictionem parati violaceis assistunt, & ita parati accipiunt Cineres, & omnibus Orationibus completis, si Episcopus non sit ipse celebraturus, antequàm inchoetur Missa solemnis, deponunt paramenta, & accipiunt cappas.

Cærem. Epic. li. 2. c. 16.

Ibid. c. 21.

Cærem. Epil. lib. 1. c. 18.

9 Feria V. in Cœna Domini Episcopo solemniter celebrante omnes parati sacram Communionem ex eius manibus accipientes manum celebrantis exosculando, vltimus Canonicorum Dalmatica, seu Tunicella indutus eisdem Canonicis purificationis vasculum subministrabit. Pariter ad Processionem parati omnes procedere debent. Et si Episcopus aliquo necessario impedimento detentus non celebraret, sed Missæ solemni ab alio celebratæ paratus interesset, saltem Sacramētum in Processione deferre debet paratus; & tunc Canonici paramenta accipiunt in fine Missę, & Processione Completa deponunt.

Cærem. Epil. lib. 2. c. 23.

10 Idem prorsus seruandum in Processione Corporis Christi, in qua omnes Canonici debent esse parati paramentis

Cærem. Episc. li. 2. c. 33.

albis

albis, quilibet sui Ordinis.

11 In Missis pro Defunctis quantumuis solemnibus etiam à proprio Episcopo celebrãtis nunquam parantur Canonici, sed tantum in Absolutione ad tumulum quatuor ex ipsis induunrur Amictu, Stola, ac Pluuiali nigri coloris; & qui ex priuilegio habenr vsum Mitræ, eam ex lino albo tenuissimo cum lacineis rubeis in infulis habebunt; sin minus, vtuntur bireto.

De ordine, quo Canonicus nouiter promotus ad possessionem admitti debeat. Cap. II.

1 *Canonicus nouiter prouisus ad possessionem admittendus.*
2 *At quo admitti debeat.*
3 *Quo ordine.*
4 *Iuramentum quomodo præstabit.*
5 *Professionem fidei quomodo faciet.*
6 *Beneficiatus quomodo ad possessionem admittatur.*
7 *Loci superiores quibus ceremoniis ad possessionem admittantur.*

1 AD Canonicatum digniores præcipuè Cathedralibus Ecclesiis admitti debent ad conseruandam, augendamque Ecclesiasticam disciplinam; ac proptereà seruatis omnibus, quæ iuxta Tridentini Concilii decreta in huiusmodi obtinendis requiruntur, quomodocũque aliquis fuerit prouisus, siue à Romano Pontific. siuè à proprio Episcopo iuxta facultatem, quam habet; quamprimùm expeditis litteris suç prouisionis, vt ad possessionem admittatur procurare debet.

Concil. Trident. sess. 24. c. 12. de Ref.

2 Statuta die conuenientibus omnibus Canonicis ad Ecclesiam, litteras in primis præsentabit, ipsisque à Capitulo recognitis, à Canonico deputato, iuxta locorum consuetudinem, qui regulariter, si Canonicus fuerit Diaconus, vltimus Diaconorum erit; si verò presbyter, vltimus Presbyterorum; quod si prouisus fuerit Dignitas, à primo Canonico, qui post ipsum sequitur, in possessionem induci debet. Quòd si possessio sit capienda per Procuratorem, ab ipso prouiso constitutum; semper ab vltimo Canonico de Capitulo ad possessionem inducitur, etiam si possessio sit danda alicui ex Dignitatibus.

Cærem. Ambros. lib. 1. cit. de modo admittẽdi Canonicum p. 267.

3 Cùm igitur aliquis ad possessionem admitti debet, Canonicus deputatus adhibito Notario Curiæ Episcopalis, tribus, vel saltem duobus testibus præsentibus, quò instrumentum postmodum adeptæ possessionis confici possit, prouisum ducit ad Ecclesiam, vbi lectis litteris idem Deputatus coràm Notario, & testibus vt supra prouisum ad Altare ducit in medium, atque in vtroque cornu ipsum osculatur, deinde in Choro eodem ordine ipsum ducit ad sedendum in suo stallo, vbi aliquantisper dum sedet, Deputatus, aliis Canonicis in Capitulo expectantibus, relationem facit de adepta possessione.

4 Ad Capitulum postmodum ab eodem Canonico Prouisus ductus petit, vt in eorum numerum ipsum velint tanquã legitimè promotum admittere. Cui Præfectus benignè respondens, ipsum destatutis, & consuetudinibus illius Ecclesiæ, ac de obseruantia ipsorum admonebit. Tunc Promotus, (si talis laudabilis consuetudo illius loci fuerit) coram Præfecto habente antè se librum Euangeliorum genuflexus, tactisque scripturis, per sancta Dei Euangelia iurabit se statuta, & laudabiles illius Ecclesiæ consuetudines obseruaturum.

Cærem. Ambros. vbi sup.

5 Et quia iuxta Tridentini Conc. decreta Prouisi de Canonicatibus, seu Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus non solùm coram Episcopo, seu eius Officiali, sed etiam in Capitulo Orrhodoxæ fidei publicam professionem facere, & in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansuros iurare tenentur: Idcirco statim ac Canonicus fuerit ad possessionẽ, vt supra, admissus, permanens adhuc co-

Concil. Trident. sess. 24. c. 12. de Refor.

ram

ram Præfecto Capituli genuflexus professionem fidei iuxta formam à Pio IV. præscriptam de verbo ad verbum proferens iuramento firmabit. Quòd si per Procuratorem ad possessionem admittatur; omissis his, quæ ad Capitulum spectant, taliter prouisus, & in possessionem eo modo inductus, iuxta Trid. Conc. decreta tenetur intra duos menses ad minus à die adeptæ possessionis in manibus Episcopi, vel eo impedito coram Generali eius Vicario, seu Officiali, Ortodoxæ fidei publicam professionem facere, ac pariter, cùm primum ad Ecclesiā personaliter venerit, huiusmodi professionem in Capitulo in manibus Præfecti, vt supra facere. Iuramento professionis præstito, à Præfecto, & aliis de Capitulo ad osculum pacis recipitur, & ad locum sui Ordinis ad sedendum ab eodem Canonico deputato ducitur.

a Conc. Tridēt. vbi sup.

6 Eadem respectiuè obseruari debent in aliorum Beneficiorum collatione, & in eorum possessione capienda; siue sint beneficia curata, siue sine cura; cum hoc tamen discrimine, quòd semper in curatis Beneficiis, iuxta Concilii Tridentini Decreta, prouisus debet pręstare iuramētum professionis fidei.

Concil. Trident. vbi sup.

7 Cùm autem alicuius Collegiatæ Ecclesiæ, seu loci Superior nouiter prouisus, puta Abbas, Prior, Præpositus, seu quouis alio titulo iuxta locorum, & Ordinum consuetudinem denominetur, ad possessionem est admittendus; primùm omnium præsentari debent literę suę prouisionis, publicèque legi per Notarium, seu etiam Cancellarium, aut aliquem de Collegio iuxta loci consuetudinem: & si prouisio fuerit facta in publicis Comitiis, aut viuæ vocis oraculo innotescat, sufficit publicatio; maximè si ab iisdem Collegialibus præsentibus fuerit electus. Lectis literis, vel quomodolibet publicata prouisione, ipse Promotus à dignioribus illius Collegii in prima sede, loco videlicet suo gradui debito collocabitur, ibique cùm aliquantisper sederit, si dignitas fuerit ex maioribus, Cantores inchoabunt Hymnum *Te Deum laudamus* ipso surgente; omnibusq; stantibus prosequentur Hymnum vsque in finem. Completo Hymno dignior illius Collegii stans propè Altare dicet supra Prælatum electum vers. *Saluum fac*, & reliquos cum Oratione *Omnipotens sempiterne Deus*, &c. prout in Pontificali. Deindè Cantores subdunt Antiphonam cum versu Sancti Patroni illius Ecclesiæ, & Prælatus, seu loci superior surgens ascendit ad Altare, & illud osculatur in medio; Deinde accedens ad cornu Epistolæ stans ad ipsum Altare conuersus cantat Orationem illius Sancti. Oratione cantata sedens in medio Altaris Collegiales recipit ad osculum, videlicet Sacerdotes ad osculum manus, & oris; reliquos tantùm ad osculum manus. Ac demùm, si videbitur, breui sermone omnes benignè alloquendo hortabitur, quæ sui muneris sunt proponens, quid ab aliis desiderandum exponens, præcipuè spiritualia auxilia Orationis, ac virtutum exempla, vt sibi prębeant, rogabit; suamque benedictionem benignè omnibus largietur.

Pontif. Rom. p. 3. tit. de ordine ad recipiēdum Prælatū p. 667.

De Ordine in Capitulis Canonicorum obseruando. Cap. III.

1 *Tempus, quo Canonici in Capitulo conueniunt.*
2 *Habitus, & ordo in Capitulo.*
3 *Obseruanda in Capitulo.*
4 *Capitulo inchoato accedens quomodo excipiendus.*
5 *Defectus in Capitulo commissi à quo, & quomodo corrigendi.*
6 *Tempus congregandi Capitulum.*

1 Canonici omnes ad Capitulum statutis diebus, seu etiam sępius, cùm res postulauerit, ab Episcopo, vel Capituli Pręfecto conuocati tempore, & hora pręscripta conuenire debent. Decet autem iuxta Sancti Caroli Decreta

Concil. tom. 4. Concil. Mediol. 1. d. 13 & Conc. Mediol. 3. cap. 4. tit. d... ijs, quæ

pertinēt ad Capitula Cathed. & Colleg. Eccl.

creta ab omnibus amplectenda, ne huiuſ modi Conuentus habeantur diebus feſtis, neque eo tempore, quo Diuina officia celebrari ſolent; niſi fortè euidens neceſſitas aliter poſtularet.

2 Omnes Canonici ad Capitulū ſēper cum ſuo Canonicali habitu, prout in Choro, modeſtè, ac cū ſilentio accedere debent, quilibet in loco ſibi debito iuxta pręſcriptum ordinem. Omnibuſque congregatis ab oratione ipſi Congregationi principium detur; ac pariter in fine oratione peracta Capitulum dimittatur.

3 Præfectus Capituli pertractanda proponit, reliqui per ordinē quilibet ſuo loco modeſtè ſuam ſententiam dicat, nemo alium dicētem interpellet. Et inchoato Capitulo omnibus cum ſilentio attēdentibus quæ à ſingulis per ordinem dicuntur, nemini diſcedere licet, antequam per Præfectum Capitulum dimittatur, niſi ex legitima cauſa, ab eodem Pręfecto probata, & miſſione ab eo impetrata: Recedens vrbaniter alios capitis inclinatione ſalutat; & omnes detecto capite, atq; inclinato recedentem ſalutant.

4 Si quis inchoato Capitulo aduenerit, oratione prius genuflexo in medio facta, ſurgens Præfecto, & aliis ſe inclinabit: omnes aduenienti aſſurgunt; ipſe verò ad locum ſui ordinis accedens cum aliis ſedebit, & ſuo tempore ſententiam dicet, à Præfecto prius certior factus de his, de quibus tunc agitur. Et ſi aliqua prius fuerint pertractata, atque concluſa, non amplius de ipſis erit agendū; nam tranſeunt in rem iudicatam, & tanquā abſenti nullum ei ius competit, ſuppoſito quod nō interfuerit Perſonæ contemptus.

Concil. Mediol. vbi ſup.

5 Qui non ſuo loco, & ordine ſedere, vel ſententiā dicere, ſeu dicentē interpellare fuerit auſus, à Præfecto corrigatur. In ſuo Prouinciali Concilio S. Carolus pęnam ſtatuit, vt iure ferendi ſuffragia in illo, ac duobus aliis ſequentibus capitulis priuetur. Multò magis ſi quis iurgia, vel contentiones excitauerit, vel contumeliam alicui irrogauerit.

6 Congregantur autem Capitula ſtatutis diebus, quibus iuxta locorū conſuetudinē officiales creari debent. S. Carolus ſæpiùs congregari ſuis actibus Synodalibus præcepit, videlicet per ſingulas hebdomadas poſt Completorium.

De ordine, quo Canonici in Choro ad Diuina officia celebranda, accedere, & adeſſe debent. Cap. IV.

1 *Canonici munus, & ordo in Choro.*
2 *Ordo reuerentia in Choro exhibenda.*
3 *Ac edens incboato officio quo ordine procedat.*
4 *Canonici quibus aſſurgunt.*
5 *Inter pſallendum quando, & quomodo inclinant.*
6 *Canonicus ſermonem habiturus quo ordine procedat.*
7 *Canonicus Veſperas ſolemnes quomodo celebrabit.*
8 *Ad matutinū ſolēne quomodo procedet.*
9 *Miſſam ſolemnem quando, & quomodo celebret.*
10 *In Metropolitanis quo ordine cum Archiepiſcopo procedant.*
11 *An eorum pedes ſint lauandi ad Mandatum.*
12 *An Prophetias Sabbato Sancto cantare debeant.*

1 CAnonici omnes per ſe, non per ſubſtitutos Diuinis inſeruiant, atq; in Choro Canonicali habitu induti Diuina officia celebrantes Pſalmis, Hymnis, & Canticis Dei nomen diſtinctè, reuerenter, deuotèq; laudent, vnà cum Beneficiatis, & reliquis Clericis Cathedrali Eccleſię deſignatis, in tono, & cantu Gregoriano cantantes, atque pſallentes.

Concil. Trident. ſeſſ. 24. c. 12. de Refor. Cærem. Epiſc. li. 1.c.1.

2 Epiſcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti adsiſtere, & inſeruire tenentur: vnde Epiſcopum ad Eccleſiam venientem ducunt, &, vbi ante Altare maius peruenerint, profundè inclinant; & ſtatim ad locum ſui ordinis quilibet accedens genuflectit, & ſic orantes per-

Concil. Trident. vbi ſup. Cærem. Epiſc. lib. 1. c. 18.

manent,

manent, donec Episcopus in suo faldistorio procumbens orauerit; illo surgente, & ipsi consurgunt, & cùm Episcopus ipsos salutat, detecto capite profundè se inclinabunt, & regulariter quoties ante Altare, vel ante Episcopum transeunt, caput, & humeros profundè inclinant, cùm cæteri de Clero genuflexo reuerentiam facere debeant, illud memoria tenentes, quod quando pluribus reuerentiam facere debent, non eius, cui reuerentia fieri debet, ratio habenda est, sed tantùm attendenda est commoditas gradientis: & regulariter primùm ei, à quo discedit, deinde vnde transire contingit, reuerentiã facere debet: puta si discedit ab Episcopo, primò illi, deinde Altari reuerentiam facit; & è contra ab Altari discedens primò Altari, deinde Episcopo, ante quẽ transit, reuerentiam facit.

3 Si quis Canonicus superuenerit in choato officio, vel Missa; prius versus Altare genuflexus aliquãtisper orabit; mox surgens facit profundam reuerentiam inclinatione capitis, & humerorum Altari, deinde Episcopo, ac postmodum salutat Canonicos, & reliquos in Choro adstantes; qui tunc, & non prius Canonico aduenienti assurgentes eum cõsalutant: quòd si diceretur Versus *Gloria Patri*, seu vltimus versus *Hymni*, vel in Missa *Oratio*, aut *Euangelium*; expectet donec perficiatur, deinde completo cantu, & non prius, accedit ad locum suum.

Parif. de Craff. li. 1. c. 23. 4 Canonici tãtùm Canonicis superuenientibus, vel Prælatis, Principibus, ac Magistratibus assurgunt, non autem reliquis. Beneficiati verò, & Mansionarij, omnibus assurgunt: & qui vtuntur Almutijs, cùm assurgunt, à scapulis ad brachia eas dimittunt.

Cærem. Epis. lib. 1. c. 8. 5 Cum inter psallendum dicitur *Versus Gloria Patri*, sedentes vt reperiuntur, omnes simul detecto capite profundè inclinant. Similiter dum Symbolũ cantatur, ad Versum *Et Incarnatus est*, reliquis omnibus genuflectentibus, ipsi sedentes detecto capite profundè inclinant: excepris diebus Natiuitatis D. N. & Annunciationis; nam tunc omnes, etiam Episcopus genuflectere debent.

6 Si Canonicus sermonem sit habiturus, cappa supra rochettũ indutus, vel eo habitu, quo in ea Ecclesia Canonici vti cõsueuerũt, per Cæremoniarũ Magistrum ad Episc. ductus, stans profundè inclinatus prius eius manum osculatur, deinde benedictionem petet, dicens *Iube Domne benedicere*, reliqui inferiores genuflectunt, mox ab eo petit Indulgẽtias, quas in fine Missæ, peracta à Diacono confessione, publicabit. Cærem. Episc. li. 1. c. 7. & 21.

7 Canonici in aliquibus præcipuis solẽnitatibus iuxta locorũ consuetudinẽ ordine præscripto Diuina officia celebrabunt: Episc. verò impedito, vel absente, ipsi quoq; in solemnioribus celebrabũt. Canonicus igitur celebraturus ad Vesp. induitur Amictu, Alba, Cingulo, Stola, ac Pluuiali coloris officio congruentis, & cũ eo parantur alij quatuor, aut sex eiusdem Ecclesiæ Presbyteri, nõ Canonici, Pluuialibus eiusdem coloris, quorũ duo vltimi mediũ ipsũ celebrantẽ habẽtes, fimbrias Pluuialis ipsius hinc inde parumper eleuant, & ad Vesperas solẽnes celebrandas procedunt ordine suo loco præscripto. Cærem. Epis. lib. 1. c. 3. Infr. lib. 2. sect. 5. c. 5.

8 Canonicus celebrans ad Matutinũ, Canonicali habitu, quo in Ecclesia vti cõsueuit, indutus, præcedẽte Magistro cæremoniarũ cũ reliquis Acolythis, atq; Cãtoribus, vbi aliquantisper ante Altare genuflexus orauerit, surgẽs, factaq; Episc. si adsit, prius, deinde Canonicis adstãtibus reuerẽtia, ascẽdit in Chorũ in primo stallo, seu prima sede ex ea parte, cui Hebdomada est assignata, & adstãte propè ipsũ Magistro cæremoniarum, duobusq; Cantoribus antè ipsũ, recedẽtibus aliis ad loca sui ordinis, inchoabit, ac prosequetur officiũ Matutinum, ordine, ac modo suo proprio loco infra præscripto. Episc. in præcipuis festiuitatibus celebrante, atque etiam in off. Defunctorũ, vbi est cõsuetudo singuli per ordinẽ cantabunt lectiones, primò seniores, deinde iuniores. Cærem. Epis. lib. 2. c. 6. Infr. lib. 2. sect. 5. c. 13. Cærem. Episc. li. 2. c. 5. & 10.

9 Ca-

9 Canonicus Missam solemnem celebraturus obseruabit omnia in proprio loco de Missa solemni in Collegiatis infra præscripta. Et insuper, prout Sacra Rituum Congregatio declarauit, concedi ei poterit Presbyter assistens, ex gremio eiusdem Ecclesiæ, qui tamen non erit Canonicus, & omnia supra adnotata in proprio de officio Assistentis ad Missam obseruabuntur.

Declar. Congr. sac. Rituum. 9u. sec. 9. c. 10.

10 In Ecclesijs Metropolitanis Canonici procedentes cum suo Archiepiscopo, vel Patriarcha parato, incedunt ante ipsum paratum, immediatè post crucem, reliquis de Cleto ante crucem procedentibus, ipsi namque cum suo Archiepiscopo, cui crux defertur, vnum constituunt corpus.

11 Feria V. in Cœna Domini ad mãdatum Canonicis paratis lauãtur pedes ab Episcopo, si in eo loco talis vigeat cõsuetudo, ad maiorem tamen charitatem, & humilitatem exercendam lauari potius debẽt pedes pauperum, quod magis decet, ac propterea satis laudabiliter etiam in locis, vbi est consuetudo lauandi Canonicos, introduci debet, vt lauentur pedes pauperum.

Cerem. Epis. li. 2. c. 24.

12 Sabbato sancto, vbi talis viget cõsuetudo, Canonici cantant quatuor vltimas Prophetias; in his tamen nihil innouandum, sed standum est consuetudini locorum.

Cerem. Epis. li. 2. c. 28.

De distinctione ordinum Canonicorum in Choro, & obseruandis ab eis in thurificatione, & circulis. C. V.

1 *Canonicorum ordines in Ecclesia.*
2 *Eorum ordines in Choro distinguendi.*
3 *Ordo in surrectionibus, sessionibus, & incensationibus seruandus.*
4 *Quando Principibus præferuntur.*
5 *Ad circulum quando, & quo ordine accedant.*
6 *Quando non debent fieri circuli.*
7 *Cùm Episcopus sacris induitur, quo ordine assistant.*

1 CAnonicorum ordines iuxta Tridentini Concilij decreta distinguuntur in Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, prçter Dignitates, qui omnes suo loco ad Diuina officia celebranda quotidie conuenire debent, & Episcopo celebrante siue ad Diuina officia præsente, Presbyter, & duo Diaconi parati, vel canonicali habitu induti, modo infra præscribendo, assistere tenentur.

Concil. Tri. sess. 24. c. 12 de Ref. Cerem. Epis. li. 1. c. 16.

2 Semper in Cathedralibus dum Diuina celebrantur officia, diuersa ministrorum corpora obseruantur, qui diuersos inter se constituunt Choros. Nam primus Chorus est Episcopi cum Presbytero, & Diaconis ei assistentibus. Secundus Chorus est Canonicorum in suis subsellijs circumstantium. Tertius Beneficiatorum, ac reliquorum Clericorum. Si adsint Prælati exteri, alium cõstituunt Chorum, videlicet quartum; Magistratus item, ac nobiles laici suum perficiunt Chorum, seu ordinem ab alijs distinctum. Episcopus item exterus in Cathedrali celebrans, suum constituit Chorum cum suis ministris.

Cerem. Epis. li. 1. c. 18

3 Cùm aliquis ex assistentibus Episcopo surgit ad intonandam Antiphonam, vel vt aliquid agat ad suæ assistentiæ officium spectans, alij quoque coassistentes, atque Capellani circumstantes, ac ministrantes surgere debent, non tamen Episcopus; & ita perseuerare, donec ille sedeat; alij verò Canonici in Choro existentes, quia faciunt distinctum Chorum, non surgunt; pariter cùm aliquis ex Canonicis in Choro existens, surgit ad intonandam Antiphonam, vel ad aliud simile, quod ad commune Chori spectet, omnes alij Canonici, atque etiam Beneficiati, & Clerici assurgunt, exceptis Assistentibus. Idem obseruatur in incensatione; nam cùm vnus incensatur, omnes assurgunt.

4 Thurificantur Canonici post Episcopos, & Prothonotarios, primò Presbyter assistens, deinde Diaconi assisten-

Cerem. Epis. li. 1. c. 23.

tes, postea Dignitates, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, omnes duplici ductu; ad Vesperas quidem ab Acolytho, in Missa verò à Diacono. Si adsint magni Principes, vel Proreges, seu Gubernatores Regnorum, incensantur immediatè post Episcopum, ante Canonicos. Magistratus perpetui, Canonicis existẽtibus in habitu Canonicali, incensantur post Episcopum, ante Canonicos; cùm verò Canonici fuerint parati, post ipsos incensantur: Reliqui Magistratus inferiores, ac temporales semper post Canonicos incensantur. Si adsit Cardinalis, quia tunc Episcopus duplici ductu incensatur, Canonici semel tantùm incensantur.

Cerem. Epis. li. 2. c. 15. & 25. 5 Canonici licet incensentur post Principes, & Magistratus perpetuos, vt diximus; tamen feria IV. Cinerum eos præcedunt; & omnes Clerici præcedunt reliquos officiales. Quod pariter ex antiqua laudabili consuetudine obseruatur fer. VI. in Parasceue in adoratione crucis, propter humilitatem namque, quæ in huiusmodi repręsentatur, laici Ecclesiasticis deferre debent.

Cerem. Epis. li. 1. c. 21. Paris. de Cras. li. 1. c. 20. 6 Episcopo proprio assistente Missę solemni, Canonici suo habitu canonicali induti conuenire debent ad circulos, primò in principio Missę dum Episcopus dicit *Kyrię eleyson*, & cõsequenter cùm dicitur Hymnus *Gloria in excelsis Deo*. Secundò ad Symbolum, in quo dicentes *Et incarnatus est*, &c. simul cum Episcopo genuflectunt, donec perficiatur articulus. Tertiò in fine Præfationis vnà cum Episcopo dicunt *Sanctus*, nec percutiunt pectus, recedũt autem facto ab Episcopo signo crucis super eos cum debitis reuerentijs Episcopo, & Altari. Quartò pariter ad circulum accedunt antequam celebrans dicat *Per omnia sæcula*, &c. ante *Pax Domini*, & tunc dicunt cum Episcopo *Agnus Dei*, &c. & accedentes, ac recedentes ratione Sacramenti vtrumque genu flectunt, quod semper seruari debet cum Sanctissimum Sacramentum est expositum extra ciborum. Ad circulum accedentes, si sedes Episcopi sit à dextris Altaris, scilicet à latere Euangelii, quod tunc contigérit, cùm Altare parieti adhęret; Vltimus Canonicus primùm accedere debet ante faciem Episcopi à sinistris eius, reliqui verò per ordinem successiuè, primò iuniores, sequẽtibus gradatim senioribus, ita vt senior modicum à sua sede recedens sit à dextris Episcopi: Recedentes verò è contra, primùm recedunt seniores, deinde iuniores, & prius Episcopo, deinde Altari reuerentiam faciunt.

7 Circuli tantùm proprio Episcopo assistenti ad Missam solemnem fiunt, nulli prorsus alii, etiam si fuerit Cardinalis, Legatus, vel Metropolitanus: fiunt autem in propria Ecclesia tantùm: Insuper pręsente superioris ordinis Prelato, puta Metropolitano, Legato, vel Cardinali ob eorum reuerentiam non fiunt. Neque Episcopo solemniter celebrante; nam tunc Canonici parati in locis suis stantes faciunt confessionem, dicunt *Kyrie eleyson*, *Gloria*, *Credo*, *Sanctus*, & *Agnus Dei*. Item in Missis defunctorum, & in Parasceue nõ fiunt circuli. Cerem. Episc. l. 1. c. 21. Episcopo solemniter celebraturo siue ad Vesperas, siue ad Missam, seu etiam ad Processionem solemnem, dum sacris se induit, Canonici circa illum detecto capite assistere debent; semel tamen, atque iterum ab Episcopo inuitati vt caput tegant, reuerenter obtemperantes, tecto capite stabunt ad circulum, ordine retrogrado; cum enim regulariter dignior à dextris esse debeat, & iunior à sinistris; in isto casu iunior erit à dextris, vt commodior sit exitus, cùm vltimus, qui est à dextris, debeat esse primus in egressu.

De aſſiſtentia, quam Canonici proprio Epiſcopo facere debent, & de ſupplendis vicibus. Cap. VI.

1 *Presbyteri Aſsiſtentis munus cuinam ſpectet.*
2 *Diaconorum Aſsiſtentium munus.*
3 *Canonicus Epiſcopo celebrante Euangelium cantat.*
4 *Vices à quibus, & quomodo ſupplenda.*
5 *Presbyter Diaconi munus quando, & quomodo ſuppleat.*
6 *Deficientibus Presbyteris quis ſupplere debeat.*

Cærem. Epiſ. li. 1. c. 7. 1 CAnonici omnes, modo à nobis explicato, Epiſcopo, dum Diuina celebrantur officia, in propria Eccleſia aſsiſtere debent: ſingulariter tamen aſsiſtunt Presbyter, & duo Diaconi; nam primus omnium Canonicorum, qui cum alijs in Choro ſedere ſolent, in Sacerdotio conſtitutus, quocunque nomine nuncupetur, ſiue ſit Archipresbyter, ſiue Archidiaconus, ſiue Decanus, & omnino primus in ordine Epiſcopo ſolemniter celebraturo, tàm ad Veſperam, quàm ad Miſſam Pluuiali indutus aſſiſtet modo paulò infra præſcribendo. Inf. c. 8.

2 Vbi ſunt ordines diſtincti duo primi Diaconi hinc inde, à dextris videlicet, & à ſiniſtris aſsiſtere debent: & vbi talis ordinum diſtinctio non fuerit, duo primi Canonici, vel Dignitates ſedentes immediatè poſt primam Dignitatem, vel primum Canonicum iam dictum, tali munere fungi debēt forma ſuo loco præſcribenda. Inf. c. 11 Cærem. Epiſ. li. 1. c. 10.

3 Cum Epiſcopus Miſſam Pontificalem in ſua Eccleſia celebrat, Canonicus Diaconus, cui per vices, vel aliter iuxta locorum conſuetudinem, ſeu etiam arbitrio Epiſcopi cōrigerit, Euangeliū cātabit ſeruatis omnibus, quæ de Diacono Euangelij in Miſſa Pontificali ſupra ſunt dicta: addendo hoc loco, quòd Canonicus cantaturus Euangelium, inclinatus petit benedictionem, reliqui genuflexo. Et cū Epiſcopus in ſolio dicit *Kyrie*, *Gloria*, & *Credo*, ipſe apud Altare vnà cum Subdiacono eadem dicet: & Epiſcopo ſedente in ſcabello ſibi parato, apud Altare cum Subdiacono ſedebit. Su. ſec. 5 c. 9. Rit. miſ. VI. 5. Sup. ſec. 7. c. 8.

4 Regulariter deficiente aliquo eorum, qui, dum Diuina officia peraguntur, miniſtrare ſolent, inferiores ſuperiorum vices ſupplent; deficiente enim primo Presbytero Canonico, ſubintrat is, qui proximè poſt eum ſuccedit; deficiente verò Diacono aſſiſtente, vel etiam ſi ambo deficiant, ſequentes Diaconi ſupplent; quòd ſi non adſint Diaconi, vel Subdiaconi, tunc ex neceſsitate ſupplet vltimus Presbyterorum. Cærem. Epiſ. li. 1. c. 23.

5 Quando Canonici Epiſcopo celebrante ſunt parati, vltimus Presbyterorum Diaconi vices ſupplens indui debet Dalmatica, & à ſiniſtris aſsiſtere; & Diacono aſſiſtente à dextris, Mitram inponente, & deponente, Epiſcopo ipſe à ſiniſtris aſſiſtens eum adiuuabit.

6 Si nullus Presbyter Canonicus adeſſet, tunc aliquis ex Dignitatibus ſuppleret locum Diaconi deficientis; in quo caſu Dignitas à dextris, & Diaconus à ſiniſtris Epiſcopi aſsiſteret, & Diaconus ibi manens, & non Dignitas deſeruiret in miniſterio imponendi Mitram Epiſcopo.

De Dignitatibus Cathedralium Eccleſiarum. Cap. VII.

1 *Dignitatis nomine quinam comprebendantur.*
2 *Religioſorum Superiores an Dignitates ſint.*
3 *Archidiaconi dignitas, & munus.*
4 *Archipresbyteri dignitas, & munus.*
5 *Archipresbyteri munus Epiſcopo celebrante.*

6 *Decani, atque Præpositi dignitas, & munus.*
7 *Prioris dignitas.*
8 *Prima Dignitatis priuilegium.*

1 Dignitatis nomine, lato sumpto vocabulo, nulli dubium, quin Episcopi, ipsisque superiori gradu præeminentes Archiepiscopi, Primates, Patriarchæ, Cardinales, omnium supremus Romanus Pontifex comprehendantur; nibilominus tamen iuxta sacros Canones, vt babetur ex Hostiensi, Io. Andrea Abbate, & alijs, illi Beneficiati sub Dignitatis nomine comprehenduntur, qui vel rerum Ecclesiasticarum administrationem, vel iurisdictionem aliquam in Clericos babẽt. Hi honorificum locum, & sedem in Choro, in Comitijs, & in Conuentu obtinent. Hi in publicis supplicationibus cęteros antecellunt, cuiusmodi esse dicuntur; Abbas, Præpositus, Prior, Decanus, Archidiaconus, Primicerius, Archipresbyter, Thesaurarius, put fusius, iuxta communem opinionem, explicat Io. Silua.

Host. in sum. li. 1. Rub. de off. Archid.

Io. Silua trac. de ben. p. 1. q. 2 nu. 25.

2 Sub Dignitatis quoque nomine comprehẽduntur omnes Religiosorum Conuentuum, seu Collegiorum, ac Domorum superiores, quocumque nomine appellentur, illi nimirum, qui toti Conuentui præsunt, (non autem eorum Vicarii, seu Vicepræpositi, vel subministri,) licet enim non habeant beneficium, habent tamen administrationem, ac iurisdictionem. Nos autem hoc loco de illis Dignitatibus, quæ sunt beneficio annexę, & locum habent in Capitulis Cathedralium, verba facere intendimus, de quibus loquuntur Doctores in titulo de præbendis.

3 In quotum numero primum omnium Doctores constituunt Archidiaconum, qui quasi Diaconorum omnium Princeps Leuitis omnibus, atque Subdiaconis imperat, qui etiam Vicarius, & oculus Episcopi dicitur. Eius munus est, Episcopo solemniter celebranti, vel etiam ad Missam solemnem, & Vesperas assistenti à dextris, modo suo loco præscripto, assistere, ordinandos examinare, & Episcopo præsentare, in Choro, in Synodo, in processionibus, & publicis actionibus reliquos omnes præcedere, nisi ex consuetudine post aliam Dignitatem stare oporteat: regulariter tamẽ, vt notat Hostiensis, Archidiaconus ratione Iurisdictionis maior est alijs Presbyteris, licet ratione ordinis minor sit.

Host. in sum. vt sup. Sylu. in verb. Archid. Ca. off. de off. Archid.

4 Sequitur deinde Archipresbyter, quasi Presbyterorum primus, atque pręfectus, iure communi Archidiacono erat subiectus ratione iurisdictionis, non ordinis, cum Archidiaconus tãtùm Diaconus sit, prout in c. 1. de offic. Archipresbyteri. Is de iure cõmuni dignitatẽ habet, cum in iure inter eos, qui dignitatem habent, connumeretur; sicut & de iure communi ratione sui muneris iurisdictionem & circa curam animarum ministerium habeat super omnes Presbyteros; in absentia Episcopi Missarum solemnia celebrare ad ipsum spectat, & plura alia, quæ in sacris Canonibus habentur.

Cap. 1. de offic. Archip.

C. 1. de off. ind. deleg.

5 Archipresbyter, Episcopo celebrãte, solemniter Pluuiali indutus assistere debet ad Vesperas, & Missam, modo prę scripto, nisi fortè ex loci consuetudine alia sit Dignitas ipso superior; hoc enim spectat ad primã Dignitatem totius Capituli. Ipse feria IV. Cinerum, cum pœnitentes ab Ecclesia expelluntur, eorum capitibus cineres imponere debet. Item feria V. in cœna Domini, cum reconciliantur, in ingressu Ecclesiæ eos Episcopo repræsentat. In reliquis verò standum est consuetudini locorum. Inter cæteros Beneficiatos Dignitatem de iure habet etiam Primicerius, sic fortè dictus, quam primum locum in ordine obtinet: Primicerius nãq; vbicumq; reperitur, videlicet in Choro, in Comitijs, & in omni cõsensu Canonicorũ, gradũ, & honorifi cũ habebit locũ, de quo plura Doctores: eius

c. offic. de off. Archip. c. grem. Episc. li. 1. c. 7.

Põt Roma. p. 2. tit de expulſ publ. pœn. fer. IV. Cin. pa. 543.

Põt. Roma. p. 2. ti. de rec̃oc. pœn. in v. fer. cœn. Do. pa 551.

Host in sum. li. 1. ru. de off. Pri.

eius tamen Dignitatis locus, iuxta locorum cõsuetudinem, diuersimodè statuitur, ac propterea consuetudini stare oportet.

6 Consuetudine etiam inter Dignitates enumeratur Decanus, nã, vt ait Hostiensis in c. Dilecti de appellat. in omnibus ferè Ecclesijs Franciæ, & Hispaniæ cõsuetudine receptum est, vt is, qui pręest toti Canonicorum Collegio in Choro, in Consessu, in Comitijs, & suffragijs ferendis, Decanus vocetur. Cum tamen in quibusdam Ecclesiis, qui toti Canonicorum Collegio præficitur, nõ Decanus, sed Præpositus dicatur; licet in Iure Canonico nullus reperiatur specialis titulus de officio Præpositi, sicut nec de officio Decani, eius tamen non rarò fit mentio in Responsis Romanorum Pontificum, quia in aliquibus Ecclesijs Germaniæ, Polonię, Angliæ, & Flandrię Prępositi dicuntur, qui toti Canonicorum Collegio pręsunt, vbi igitur tales reperiuntur Dignitates, iuxta locorum consuetudinem, honorarium locum obtinẽt in Choro, & pręcipuè cum Diuina celebrantur officia.

Host. c. dilecti de app.

7 Sunt etiam inter Beneficiarios pręter Priores regulares, de quibus modò non loquimur, in quibusdam Ecclesiis Collegiatis Priores, qui toti Collegio pręsunt. Talis igitur Prior, habens iurisdictionem ordinariam in suos Clericos cum cura animarum, iuxta consuetudinem locorum inter Dignitates Ecclesiasticas enumeratur.

8 Prima Dignitas Episcopo semper ministrat, ac Presbyteri assistentis ad Vesperas, & Missam solemnem munere fungitur. Episcopo ingredienti Ecclesiam aspersorium cum osculis porrigit, In ingressu Episcopi ad Ciuitatem, solemniterque prima vice equitanti, ante Portã Ciuitatis Pluuiali indutus crucem osculandam offert. Idem in ingressu Ecclesię pariter Pluuiali indutus ei aspersorium porrigit, deinde ministrat incensum, & accepto thuribulo, ter ipsum incensat, & ad Altare vbi orauit, Versiculos, & Orationes dicet, prout in Pontificali. Idẽ pręstabit, cum Episcopus solemniter ad visitãdam Ecclesiã Cathedralẽ accedit.

Cęrem. Episc. li. 1. c. 8.

Pōt Ro. p. 2. Tit. ord. rec. pręl. vel leg. pag. 662.

De Canonico Presbyteri assistentis munus exercente. Cap. VIII.

1 *Quisnam Episcopo assistere debeat.*
2 *Presbyteri assistentis ad Vesperas munus, & habitus.*
3 *Eius locus.*
4 *Librum quando, & quomodo sustinebit.*
5 *Antiphonam quando, & quomodo intonabit.*
6 *Incensum quomodo ministrabit.*
7 *Episcopum quomodo incẽnsabit.*
8 *Ipse quomodo incensatur.*
9 *Ad Orationem ministrat librum.*
10 *Episcopo ante Missam associato dispomit Missale.*
11 *Episcopo Psalmos recitanti assistẽs respondet.*
12 *Ad manuum lotionem eius munus.*
13 *Pluuiali quando induitur.*
14 *Annulum Episcopo imponit.*
15 *Librum ad Orationem sustinet.*
16 *Nauiculam ministrat.*
17 *Ad Confessionem eius locus.*
18 *Librum sibi à Subdiacono porrectum, dum incensatur Altare, quomodo custodiat.*
19 *Eius locus Episcopo in sede existente.*
20 *Ad Gloria, & Credo librum sustinebit.*
21 *Eius locus, Episcopo sermonem habente.*
22 *Librum ad Altare defert, & assistit.*
23 *Dum incensatur Altare, librum amouet.*
24 *Ad Præfationem, Sanctus, & eleuationem eius munus.*
25 *Pacem accipit, & defert.*
26 *Librum transfert.*
27 *Indulgentias publicat.*
28 *Deposito Pluuiali quomodo recedit.*

29 *Episcopo non celebranti, sed assistenti, quo habitu ministrabit.*
30 *Incensum quomodo ministrat.*
31 *Pacem quomodo dabit.*
32 *Presbyteri assistentis locus.*

Cęrem. Epis. li. 1.c.7. 1 IN Cathedralibus Episcopo solemniter celebrante ad Vesperas, & Missam assistit Archipresbyter, si id loci consuetudo requirat, vel dignior ex Presbyteris tàm Canonicis, quàm Dignitatibus ex his, qui cum aliis in Choro sedere solent, quocumque nomine appelletur, dummodò sit in ordine Sacerdotali.

2 Ad Vesperas assistet indutus supra Rochettum, seu superpelliceum, si eo nõ vtatur, Amictu, ac pluuiali coloris officio conuenientis sine pectorali, siue formalio ad pectus, nam illo Episcopus tãtùm vti debet. Episcopo, vbi omnibus pontificalibus indumentis fuerit à Diaconis assistentibus decenter ornatus; ipse annulum in digito annulari dexteræ manus imponit, ipsum prius exosculando.

3 Eius locus, nisi aliter situs ratio requirat, regulariter erit ante faciem Episcopi ad eius dexteram semiuersus, ita vt non terga vertat Altari, neque Episcopo, ibique, quando sedendum erit, supra scabellum sedebit.

4 Episcopo intonante primam Antiphonam, ipse librum super caput apertum sustinebit, aliis ministris de libro, & de candela inseruientibus, atque Diaconibus, hinc inde manu ipsum librum tenentibus, idem præstabit, cum intonabit Hymnum, item Antiphonam ad *Magnificat*, & cum dicet Orationem, vel Orationes.

Cęrem. Episc. li. 1. c. 7. 5 Tertiam Antiphonam sibi à Subdiacono, vel alio, iuxta consuetudinem loci, præintonatam clara, & sonora voce intonabit stans, interim etiam Diaconis assistentibus stantibus, quod ipse pariter obseruabit, cum Assistentes Chorum ab aliis distinctum, vt dictum est constituant.

6 Ad *Magnificat* ipse incensum ministrabit cum osculis, & Episcopum ad Altare procedentem sequens thuribulum ei cum osculis tradet, anteriorem partem Pluuialis in ipso incensationis actu à dextris eleuans, & incensatione completa thuribulum in cornu Epistolæ Altaris acceptum Thuriferario tradit. Cęrem. Epis. li 1.c.7.

7 Episcopum redeuntem ad solium subsequetur, & ante gradus consistens, accepto thuribulo à Thuriferario, eum debitis inclinationibus stantem cum Mitra triplici ductu incensabit, & benedictione ab eo accepta reddit thuribulum Acolytho.

8 Incensato Episcopo ad locum suæ assistentiæ rediens, videlicet supra gradus solii à dextris Episcopi, ibique stans thurificabitur à Subdiacono, vel Acolytho duplici ductu, ipse verò caput versus primum Diaconum inclinando eundem ad incensum accipiendum reuerenter inuitabit.

9 Ad Orationem sustinet librum, & post benedictionem expletis Vesperis, deposito Pluuiali, Cappa indutus cum aliis Episcopum comitabitur. In Missa solemni Episcopo celebraturo, eius muneris erit, præuidendo in Missali signacula suis locis disponere.

10 Hora congrua Canonicali habitu indutus Episcopum ad Ecclesiam venientem vnà cum aliis associabit, Missalisque signacula suis locis disponet.

11 Dum dicitur Tertia, à sinistris Episcopi vnà cum Diaconibus assistentibus alternatim recitabit Psalmos *Quam dilecta*, &c.

12 Ad manuum lotionem, antequã Episcopus sacris se induat vestibus, porrigit ei mantile ad tergendum, & eius digitis annulos ordinarios, si quos ante lotionem deposuerat, cum debitis osculis reponit.

13 Circa finem Tertiæ induit se Amictu, & Pluuiali coloris officio congruentis sine formalio. Cęrem. Epis. li. 1. c. 8.

14 Epifcopo omnibus facris veftibus induto fedenti Annulum Pontificalem digito annulari dexteræ manus, illum prius, deinde manum ofculando, imponit.

15 Ad Orationem librum fuper caput fuftinebit, adiuuantibus inferuiente de libro, & de candela.

16 Completa Tertia nauiculam miniftrabit, prout fupra dictum eft ad Vefperas, ad Altare cum Proceditur, ipfe à dextris Diaconi Euangelii incedet.

17 Ad Confeffionem ftans à dextris Epifcopi refpondebit, Diacono à finiftris aftante.

18 Poft Confeffionem Epifcopo accedente ad Altare, ipfe Pariter cum eo afcendit, & ofculato ab eo Altari, cum Subdiaconus ei porrigit librum Euãgeliorum ofculandum, ipfe adiuuat manũ ad librum apponendo, & dum Altare thurificatur, retrahit fe cum libro extra cornu Euangelii.

19 Thurificato Altari, Epifcopo redeunte ad fedem fuam, ipfe eum fequitur, & apud eum ftat; & cum dicit *Kyrie eleyfon*, cum eo, & duobus Diaconis affiftentibus idem dicet; & fedente Epifcopo, ipfe pariter fedet fuper fcabellum à dextris, vt fupra, ad Vefperas. Si verò Epifcopus non in fede fua, fed in faldiftorio federet, tunc ipfe fedebit in fcamno pro pè Altare verfus cornu Epiftolæ.

20 Cum Epifcopus dicit *Gloria in excelfis Deo*, librum fuper caput fuftinet, vt fupra, deinde reddito libro Acolytho, profequitur Hymnum, ipfum cum Epifcopo, & Diaconibus affiftentibus fub miffa voce recitando. Idem præftabit, cũ dicendum eft *Symbolum*.

Cærem. Epif. li. 2.c.in fi. 21 Si habendus fit fermo, fedebit in fcabello, vel fede fuæ affiftentiæ, & poft Confeffionem, quam Diaconus facere debet, promulgabit, fi fortè conciona tor id non præftiterit, Indulgentias, iuxta formam præfcriptam.

22 Lecto ab Epifcopo Offertorio, ac lotis manibus in fede fua, ipfe librum cũ puluino, præcedente Magiftro Cæremoniarum ad Altare defert, & Epifcopo ad Altare afcendente, ipfe à finiftris eum adiuuabit, ac deinceps libro affiftens dicenda indicabit.

23 Dum Oblata, & Altare thurificantur, ne impediatur incenfatio, ipfe cum libro, & puluino ad cornu Euangelij fe retrahit, & thurificatione completa, librum in eodem loco à latere Euangelij reponit.

24 Ad Præfationem Epifcopo affiftens à finiftris cum eo fubmiffa voce, dicit *Sanctus*, deinde fuo tempore idem præftabit ad *Agnus Dei*, tantùm ad eleuationem genuflectens, nunquam à libro recedens, nifi quando danda erit Pax.

25 Dicto *Agnus Dei*, accedit ad dexteram Epifcopi celebrantis, & genuflectit ante Sanctiffimum Sacramentum, ac furgẽs ofculatur Altare fimul cum celebrante, mox appropinquans finiftram genam finiftræ celebrãtis accipit ab eodem celebrante dicẽte *Pax tecum*, ofculum pacis, refpõdens, *Et cum fpiritu tuo*, ipfamq; defert aliis modo fuo loco præfcripto. Cærem Epifc. li 1.c.24.

26 Data pace rediens ad librum, ipfum à latere Euangelii ad cornu Epiftolæ transfert; & ad lotionem manuum miniftrata mappa libro afsiftit. Infr. li. 2.fect.2. cap.3.

27 Ad benedictionem, fi fortè non fit habitus fermo, nec prius publicatæ Indulgentiæ, petita ab Epifcopo licẽtia, eas publicabit forma præfcripta. Cærem. Epifc. in fin.

28 Tandem depofito Pluuiali, & Amictu, in habitu Canonicali vnà cũ alijs Epifcopum redeuntem ad locũ fuæ habitationis comitabitur.

29 Quotiefcumque Epifcopum Diuinis officijs, quæ folemniter in Ecclefia celebrantur, adeffe contigerit, quocumque alio celebrante, tunc fupradictus Canonicus alijs omnibus dignitate prior, Canonicali habitu fine paramentis fuo loco propè Epifcopum Afsiftentis munus exercere debet. Cærem. Epif.li. 1.c.7.

30 Is nauiculam incensi,quoties erit benedicendum,& Imponendum, cum osculis ministrabit,& Episcopum incensabit ad Vesperas, nec non in Missa post Euangelium,& Oblata.

31 Post *Agnus Dei* ad Altare accedens pacem à celebrãte accipit, defertq; Episcopo, qui eam statim dat duobus Diaconis assistentibus; ipse verò in loco suo illam dabit Subdiacono,qui eam cęteris deferat: quod si celebraret ante Episcopum loci aliquis Prælatus habens suum proprium Assistentem; in eo casu Canonicus assistens, data pace proprio Episcopo,eam dabit Presbytero assistenti,qui eã cæteris deferat:non enim Subdiaconus hoc pręstare debet.

32 Locus Presbyteri assistentis erit in scabello propè Episcopum,vt supra, ibique assistens stabit, donec inchoetur Præfatio, nam tunc recedit in locum sui ordinis in Choro,neque inde recedit,nisi cum fiunt circuli,ad quos ipse accedit cum alijs.

Obseruanda à Diaconis Episcopo assistentibus. Cap. IX.

1 *Episcopo quinam ex Diaconis assistunt.*
2 *Mitra à quo imponenda, vel auferenda, & quomodo.*
3 *Pluuialis fimbrias quomodo sustinent.*
4 *Dum eleuat manus, fimbrias eleuant.*
5 *Legentem quomodo adiuuant.*

Cęrem. Epis. li. 1.c.8.

1 DVo Canonici primi,ordinis Diaconalis,vel si non sint distincti ordines,qui immediatè post primam Dignitatem,seu Canonicum, proprio Episcopo in solio sedenti, non alibi, & in propria Ecclesia, nullique alteri assistunt.

Parif.de cæref.li.1 cap.9.

2 Hi Episcopo in solio existenti Mitram imponunt,& auferunt; nam in Altari ad Missam hoc munus spectat ad Diaconum Euangelij; imponitur autem à Diacono existenti à dextris, osculato prius,& imposito bireto,altero à sinistris Assistente adiuuante,atque vittas à tergo defluẽtes aptante; cum autem auferri debet,Diaconus à sinistris assistẽs hoc munus præstabit, qui illam dat Capellano seruienti de Mitra,& tunc, qui est à dextris, biretum aufert leuiter complicando capillos, semper autẽ sedenti in solio Mitram ipsam imponere, & auferre debent;& cum ad genuflectendum in faldistorio procedit, genuflexo aufertur, atque surgenti stanti imponitur.

3 Episcopum Pluuiali indutum ad Altare procedentem hinc inde associãt, fimbrias Pluuialis eleuaras tenentes, & cum ante Altare supra faldistorium genuflectit,& ipsi decenter latera Pluuialis super eo adaptant.

4 Quoties Episcopus eleuat dexteram se signando,aut alios,vel aliquid signo crucis benedicendo. is,qui à dextris est, Pluuialis fimbriam eleuabit;cum verò Episcopus,vel ad Altare procedens, vel aliquid acturus ambas manus, prout res postulauerit,eleuabit, ipsi hinc inde fimbrias ambas eleuabunt.

5 Episcopo aliquid ex libro legente, seu cantante,& ipsi manum super librũ imponunt,& is,qui à dextris est, folia voluet, qui verò à sinistris textum, qui legi debet,digito indicabit.

De duobus Diaconis Episcopo ad Vesperas assistentibus. Cap. X.

1 *Episcopum associant,& adiuuant.*
2 *Fimbriam Pluuialis eleuant,& Mitrã imponunt.*
3 *Ad Psalmos vbi,& quomodo stant.*
4 *Antiphonas intonant quando, & quomodo.*
5 *Ad Capitulum surgunt, & Mitram auferunt.*
6 *Episc opum ad Altare quomodo ducunt.*
7 *Mitram in Altari post incensationem reponunt.*
8 *Mitram Episcopo in solio auferunt.*
9 *Quo ordine ipsi incensantur.*

10 *Epi-*

10 Epiſcopo ſedenti Mitram imponunt.
11 Ad Orationem quomodo aſsiſtunt.
12 Ad benedictionem quando Mitram imponant.
13 Paramenta deponentem adiuuant.

Cęrem. Epiſc. li. 1. c. 8.

1 AD Veſperas Epiſcopum ad Eccleſiam procedentem cum aliis in habitu Canonicali aſſociant, & dum ſacris induitur veſtibus, ipſi Dalmaticis induti eum adiuuant, & poſt omnia paramenta Mitram eius capiti imponunt.

2 Epiſcopo dicēte *Deus in adiutoriū*, is, qui eſt à dextris, dum ille ſe ſignat, fimbriam Pluuialis eleuat, & inchoato primo Pſalmo, ei ambo Mitram leuiorem imponunt modo præſcripto.

3 Dum cantantur Pſalmi, tecto capite ſedent hinc inde à lateribus Epiſcopi in ſcabellis, & cum dicitur *Gloria Patri*, &c. in fine Pſalmi detecto capite ſe inclinant.

Cęrem. Epiſ. li. 2. c. 1.

4 Diaconus à dextris Epiſcopi aſſiſtens intonabit ſecundam Antiphonam, qui verò à ſiniſtris eſt, quintam.

5 Ad Capitulum accedente Subdiacono, vt illud cantet, detecto capite ſurgunt, & reſponſo per Cātores *Deo gratias* poſt Capitulū Epiſcopo ſtanti auferūt Mitrā leuiorē: poſt Hymnū verò proceſſuro ad incēſandum, cum dicitur *Magnificat*, intonata Antiphona, ſedenti in ſede ſua Mitram pretioſam imponunt.

6 Epiſcopum ad Altare accedentem comitantur, fimbrias Pluuialis hinc inde eleuando, & ante infimum gradum Mitram ei auferunt, & dum Altare incenſat, adiuuant, eleuando Pluuiale.

7 Incenſato Altari, Mitram ei ibidem imponunt, & ad ſolium redeuntem, eodem modo, quo venerant, comitantur.

8 Poſteaquam ab Aſſiſtente Presbytero fuerit Epiſcopus in ſolio thurificatus, ſtatim ei Mitram auferunt.

9 Thurificato Presbytero aſſiſtente immediatè poſt celebrantem, incenſatur ſtatim primus Diaconus, mox ſecundus, deinde alii de Choro; ipſi interim inclinationibus ſe inuitabunt ad incenſationem, videlicet antequam incenſum accipiant, Presbyter aſſiſtens verſus primum Diaconum caput inclinando; iſte verò deinde ſuo tempore erga eum, qui eſt à ſiniſtris, qui nullum inuitat.

10 Cum per Chorum reperitur Antiphona, Epiſcopo ſedenti Mitram imponunt, qua Completa, & Organo ſilente eidem pariter ſedenti eam auferunt. Cęrem. Rom. li. 1. ſect. 1. c. 2.

11 Dum dicitur Oratio, hinc inde aſſiſtentes, qui eſt à dextris, cū opus eſt, folia vertit, & qui à ſiniſtris cantanda oſtendit.

12 Dicto *Benedicamus Domino*, cum per Chorum reſpondetur, *Deo gratias*, Epiſcopo Mitram imponunt, cum qua in ſua ſede, ipſis hinc inde aſtantibus, benedicit populo; & ſi fuerit Archiepiſcopus, accedente Cruce Mitrā ei auferunt.

13 Poſt Veſperarum celebrationem, dum Epiſcopus paramenta deponit in ſua ſede, ipſum adiuuant, deinde depoſitis Dalmaticis, in habitu canonicali eū redeuntem aſſociant.

De Officio duorum Diaconorum Miſſæ ſolemni aſſiſtentium. Cap. XI.

1 Diaconi Epiſcopum aſſociant.
2 Eorum locus in procedendo.
3 Item dum fit Confeſsio.
4 Pariter dum incenſatur Altare, & de impoſitione Mitræ.
5 Epiſcopum ad Solium aſſociant, eique miniſtrant.
6 Mitram miniſtrant, & Hymnum cum Epiſcopo dicunt.
7 Poſt Orationem quando ſtare, vel ſedere debeant.
8 Eorum munus ad Euangelium, & Symbolum.
9 Poſt Symbolum eorum munus.
10 Ad Altare quomodo aſsiſtant.
11 Poſt incenſationem Mitram miniſtrant.
12 Quando, & quomodo incenſantur.

13 *Pacem quando, & quomodo accipiunt.*
14 *Episcopum sacras vestes deponentem adiuuant.*
15 *Eorum habitus Episcopo non celebrante, sed tantùm assistente.*

1 Diaconi, qui Episcopo solemniter celebraturo assistere debent, prius ipsum ad Ecclesiam procedentem cum alijs de Capitulo in habitu Canonicali associant, &, cum facta ante Altare oratione Episcopus ad suam sedem accesserit, sua paramenta accipiunt, videlicet Amictum, & Dalmaticam, deinde Episcopo hinc inde assistunt, & cum sacris induitur vestibus, illum adiuuant, eique Mitram post omnia paramenta imponunt.

2 Ad Altare cum proceditur, prope Episcopum post Diaconum Euangelij, & Subdiaconum eorum locus erit. Et ante gradus Altatis Episcopo genuflexo Mitram auferunt.

3 Cum fit confessio, locum dantes Presbytero assistenti, qui erit à dextris, & Diacono Euangelij, cuius locus à sinistris erit, aliquãtulum retro & ipsi hinc inde stabunt.

4 Dum incensatur Altare, à lateribus hinc inde assistunt, quod vbi fuerit incẽsatum, ipsi in cornu Epistolæ Mitram Episcopo imponunt, & licet regulariter Episcopo ministrare de Mitra tantùm in solio debeant, tamen in incensatione hoc præstabit Diaconus assistens, cum Diaconus Euangelij circa thurificationẽ tunc temporis occupetur.

5 Post incensationem Episcopum ad solium ex Altari procedentem comitantur; ibique illi Mitram auferunt, legenti Introitum assistunt, & ad *Kyrie eleyson*, alternatim cum Presbytero assistente respondent, deinde ei Mitram imponũt; & Episcopo sedente, ipsi pariter in suis scabellis recto capite sedent.

6 Cantatis *Kyrie* surgunt, Episcopo Mitram auferunt, & dum dicitur *Gloria in excelsis*, hinc inde vnà cum eo submissa voce totum complent Hymnum, deinde ei Mitram imponunt, illoque sedẽte, & ipsi pariter sedebunt: completo à cantoribus Hymno surgunt, Mitramq; Episcopo auferunt, atque hinc inde, dũ dicit Orationem, astantes ostendunt dicenda.

7 Post Orationem Episcopo Mitram imponunt, & dum ille submissa voce in solio sedens legit *Epistolam*, *Graduale*, & *Euangelium*, ipsi detecto capite stabunt, deinde dum cantatur *Epistola*, & *Graduale* sedent; cum incensum ministratur, stant derecto capite.

8 Episcopo ad *Euangelium* surrecturo, prius sedenti Mitram deponunt: *Ad symbolum* assistentes eodem modo procedunt, quo supra ad *Gloria in excelsis*: cum Episcopo genuflectunt, & sedent, cum res postulauerit, eodem modo, quo dictum est supra de Diacono Euangelij. Supra sect. 7. c. 8.

9 Cantato symbolo surgentes, antequam Episcopus surgat, ei auferunt Mitram, lectoque Offertorio, sedenti pretiosam imponunt, Annulum verò, & Chirotecas ex eius manibus auferunt, dum manus lauat, assistunt: lotis manibus Annulum in eius digito annulari in dextera reponunt.

10 Descendentem Episcopum ad Altare associant, & hinc inde à lateribus Altaris, dum incensatur, & reliqua omnia perficiuntur, assistunt, nõ tamen ministrant, hoc enim in Altari Diaconi Euangelij munus est.

11 Post incensationem oblatorum, & Altaris, quia Diaconus Euangelij est impeditus, Mitra pretiosa ab assistente Diacono imponitur.

12 Ad incensationem, quæ fieri debet à Diacono Euangelii, incensato Episcopo, & Presbytero assistente, immediatè ante omnes alios incẽsantur ipsi Diaconi assistentes.

13 Postquam Presbyter assistens pacem accepit, ipsi pariter ad dexteram Episcopi accedentes pacem accipiunt ante, & postea genuflectentes, non tamen Cærem. Episc. li. 1. c. 24.

men

men osculantes Altare.

14 Completa Missa, Episcopo ad sedem procedente, ipsum comitantur, sacrasque vestes deponentem adiuuant, & tunc ipsi Dalmaticas deponunt, & Episcopum recedentem vnà cum alijs in habitu Canonicali associant.

15 Episcopo non celebrante, sed assistente siue ad Missam, siue ad Vesperas solemnes, & ipsi in habitu Canonicali ei assistentes omnia, vt supra, præstabunt.

De officio Canonicorum in infirmitate, & obitu sui Episcopi.

Cap. XII.

1 *Canonicorum Episcopo ægrotante munus.*
2 *Sacramenta suscipienti assistunt.*
3 *In extremis laborantem orationibus adiuuant.*
4 *Vicarium Capitularem eligunt.*
5 *Funus curabunt.*
6 *Exequias solemnes celebrant.*
7 *Supplicationes pro eligendo Episcopo ordinant.*

1 Canonici vnà cum Episcopo vnũ corpus, vt sæpè iam diximus, constituunt, ac propterea tanquam præcipua mystici corporis membra immediatè suo capiti inhærentia, ægrotante Episcopo, condolentes preces frequenter pro ipso ad Deum fundere debent: quòd si infirmitas diuturnior fuerit, etiã publicas supplicationes celebrari, & in Sacrificio Missæ Orationem pro infirmo Episcopo dici curabunt; ipsumque frequenter inuisendo debitum præstabunt obsequium.

2 Ingrauescente morbo cum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pro viatico sumere debet, primam dignitatem illud ministrare debet, quem alij prosequentur, nisi fortè ipsi Episcopo aliter visum fuerit; similiter in Extremę Vnctionis Sacramento ministrando proceditur; in extremis verò laboranti semper assistent.

3 Vbi exiguum vitę spatium superesse videbitur, cum aliis Religiosis, ac piis Viris adstantes, sanctis precibus eius animam commendabunt, Psalmos, & alias pias orationes, donec expiret, recitantes. Postquam spiritum emiserit, singuli Canonici pręsentes dicent super eum *Vers.* cum Oratione *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes*, &c. Cęrem. Episc. lib. 1. c. 38.

4 Ad ipsos spectat, iuxta Sacros Canones, Vicarium infra octo dies eligere, qui Sede vacante Ecclesię curam gerat. Concil. Trident. sess. 24. c. 16. de Refor.

5 Defuncti Episcopi funus curabunt, & si aliquis non adsit Episcopus, viciniorem ad exequias inuitabunt. Vesperis, ac Vigiliis in aula Palatij cantandis assistent, quibus completis deducetur funus à Religiosis, & Clericis, Sacerdotibus cottis indutis feretrum deferentibus, Magistratus verò cum reliquis sequuntur, ipsis Canonicis feretrum immediatè pręcedentibus. Si non adsit aliquis Episcopus, prima Dignitas officium celebrabit, pariter, & Missã solẽnem; corpus verò vel immediatè post Missam, vel opportuno tempore sepulturę tradi curabunt.

5 Exequię solemnes celebrari poterunt die septimo, vel quando executoribus, seu etiam hęredibus defuncti visum fuerit; interim curabunt Canonici castrum doloris, & reliqua necessaria, eligendo aliquem, qui sermonem habeat de laudibus Episcopi defuncti, tem si ad sint quatuor Episcopi absoluentes, sin minus, quatuor ex dignioribus Capituli hoc munus pręstabunt.

7 Sepulto Episcopo, donec de Successore fuerit prouisum, vnà cum Clero processiones celebrabunt, assiduèque preces ad Deum fundi curabunt pro electione noui Pastoris. Concil. Trident. sess. 24. c. 1.

De obitu, & exequijs Canonicorum.
Cap. XIII.

1 *Canonicus ægrotans quomodo visitandus.*
2 *Sacramenta quomodo ei ministranda.*
3 *Signum Campanæ, cum expirauerit, dandum.*
4 *Defuncti corpus quomodo induendum.*
5 *Vigiliæ celebrandæ.*
6 *Funus quomodo, & à quibus deferendum.*
7 *Officium sepulturæ in Ecclesia quomodo celebrandum.*
8 *Anniuersaria dies pro defunctis Canonicis Celebranda.*
9 *Seruanda in exequijs aliarum Collegialium.*
10 *Defuncti graduati exequiæ.*
11 *Exequiæ solemnes si transferantur, quomodo fieri debeant.*

1 CAnonico ægrotante, decet, vt reliqui de Capitulo ipsum visitent, atque in infirmitate corporis laborantem consolentur, omnesque pro eo Deum exorent, tunc maximè, cum grauescente morbo periculum imminere persenserint.

2 Sacramenta omnia à Præfecto Capituli eidem ministrari opportuno tempore debent, & cum Sacratissima Eucharistia à maiore Collegij defertur, omnes illius Ecclesiæ Collegiales cum luminibus accensis procedere debent; ipse verò ægrotus suo Canonicali habitu indutus, & Stolam insuper circa collum habens Sacram Communionem sumet. Quòd si ab alio Sacramenta ministrari debeant, seruetur locorum consuetudo; omnino tamen Canonici, ac reliqui Collegiales charitatis officia præstare ne desint, ac præcipuè animam agenti orantes semper assistant.

Ritual. Ro. tit. Ordo comēd. animæ.

3 Cum expirauerit, statim dabitur signum Campanæ, prout ad Salutationem Angelicam fieri solet, quò omnes pro defuncti anima orent, deinde omnium campanarum sono per aliquod spatium dabitur signum, prout fit in obitu Sacerdotum.

4 Loto corpore, supra communes vestes sacris induitur, puta, si fuerit Sacerdos, Sacerdotalibus, si verò Diaconus, vel Subdiaconus, Diaconalibus, vel Subdiaconalibus violacei coloris cum bireto in capite, & parua Crucifixi imagine inter manus. Ad pedes apponi debet Almutium, vel cappa, si ea vtatur, vel aliud sui Ordinis insigne, quo vti solebar, puta Galerus, si fuerat Prothonotarius.

5 Cadauer supra pannum nigrum stratum ponatur cum luminibus: Canonici verò bini vicissim pro eo vigilias celebrabunt.

6 Die, atque hora constituta, dato Campanarū signo, conuenientibus Canonicis cum alijs de Capitulo, atque Clero illius Ecclesiæ, præcedente Cruce, accedunt ad locum, vbi iacet cadauer, vt funus ad Ecclesiam deferant. Defuncti Canonici corpus ab ijsdem Canonicis ita deferrur, vt digniores sint prope caput defuncti, reliqui per ordinem sequantur, & si longior fuerit via, mutentur, ita vt omnes vicissim deferant. Vbi est præbendarum distinctio Sacerdos à Sacerdotibus, Diaconus à Diaconis defeτetur.

7 Delato corpore in Ecclesiam, cantantur Vigiliæ, & Missa solemnis celebrabitur à Præfecto Capituli, qui etiam ad officium sepulturæ Pluuiali indutus cum ministris celebrabit, omnes pariter Canonici pro defuncto, si dies non fuerit impedita, celebrabunt.

8 Quotannis die tertia Nouembris post commemorationem omnium fidelium defunctorum; officium pro defunctis cum Missa solemni celebrabitur pro Canonicis, & alijs Sacerdotibus, atque etiam Clericis Ecclesiæ defunctis, & si illa dies fuerit impedita, in aliam

non impediiam hoc pietatis opus transferatur.

9 Eadem respectiuè seruari debent in aliis Collegiatis tàm sæcularium, quàm Regularium in obitu alicuius Collegialis.

10 Si defunctus fuerit Sacræ Theologiæ Magister, vbi est Theologorum Collegium; vel in ipso funere, vel alio die, in quem transferantur exequiæ, constituantur sedes, seu scamna cum postergali, & paruo gradu ad pedes circumcirca feretrum panno nigro contecta pro ipsis Theologis, qui in habitu suæ dignitatis, ac gradus funeri assistant.

11 Si alio die solemnes exequiæ fieri debeant, vel si absens Canonicus diem obierit, constituatur in medio Ecclesiæ Lectica mortuorum nigro pãno cooperta, officia verò, & Missa celebrentur, vt supra: & si facienda sit Oratio, celebrandæque Laudes defuncti, post Missam immediatè fiat, nec Oraturus benedictionẽ petat; deinde completo sermone proceditur ad absolutionem.

SECTIO NONA.

De Abbatibus, & alijs Prælatis Episcopis inferioribus.

De nomine, ac dignitate Abbatis. Cap. I.

1 *Abbatis nomen satis honorificum.*
2 *Abbates, & Prælati Episcopo inferiores Cæremoniale Episcoporum obseruare debent.*
3 *Abbates Congregationis Cassinensis, ex priuilegio Sedis Apostolicæ Pontificalia exercentes, regulas Pontificalis Episcoporum seruare tenentur.*
4 *Non tantùm Abbates, sed Priores, & alij quocumque nomine Pontificalia exercentes, Cæremoniale obseruare tenentur.*

1 ABbatis nomen dignitatis est, atque auctoritatis, idemque significat, ac Pater, illis primariò competens, qui paterna auctoritate, ac potestate, subditas sibi Congregationes regere, ac moderare debent; vnde Patres, ac Christi Domini Vicarij in suis Monasteriis dicuntur; nam sicut Christus sponsus, & Pastor est Ecclesiæ; ita & Abbates suorum Monasteriorum sponsi, & Patres dici possunt; habent enim titulum Prælati, & iura Pontificalia cum iurisdictione in illis locis, in quibus ordinariam sedem habent, prout passim Doctores docent. Concil. Tri. sess. 25. de regu. c. 11. c. fin. de regul.

2 Et quia Clemens VIII. fel. mem. in sua Constitut. 69. ann. Iubilei 1600. Pontificales præscripsit cæremonias non solùm ab Episcopis, verùm etiam ab aliis Prælatis Episcopis inferioribus obseruandas, inter quos communi omnium consensu enumerantur Abbates, quibus vti licet Pontificalibus, idcirco, cum etiam Abbates ipsas emendatas, iuxta præscriptam formam obseruare teneantur, quomodo peragi debeant, non incongruè hoc loco explicabimus. Cõst. 69. Cl. VIII. cũ nouissimè bullar. to. 3. pag. 99.

3 Abbatibus præcipuè Congregationis Cassinensis Ordinis Sancti Benedicti, aliisque etiam Abbatibus, Sedis Apostolicæ benignitate, ex speciali priuilegio à Summis Pontificibus ius esse concessum Pontificalibus vtendi, & benedicendi populum post diuina officia, omnibus compertum est: ac propterea cum huiusmodi Abbates inter Prælatos Episcopo inferiores computentur, quinimmo in sacris generalibus Conciliis immediatè post Episcopos ipsis, deinde aliis etiam Prælatis, vt docent Doctores, locus debeatur; cum Cæremonialia, atque Pontificalia exercent, omnia, ac singula, iuxta Cæremonialis Episcoporum regulas, pro modulo suo obseruare debent, cum Pontifex ipsum approbans, ab omnibus, & singulis personis in vniuersali Ec- Cõs. Pij IV. 97. Sedis Apost. bullar. to. 2. pa. 152. Pano. c. 2. de iudic. nu. 2. & in c. ex ore de priu. num. 3. Capeg. de Coe. c. 15. nu. 17.

clesia obseruandum præcipiat; non abrogando antiqua Cæremonialia in his, quæ huic nouo non contradicunt: cum autem ab his, quæ hic expressè habentur, recedere non liceat, illis tantùm retentis ex antiquioribus, quæ nouiter emendatis conuenire videntur, eorum partes explicando, nostro muneri satisfacere curabimus.

4 Et licet in aliquibus Ecclesijs loci Superior alio Dignitatis titulo decoretur, puta Prioris, vel Præpositi, dummodo auctoritate Apostolica exercendi Pōtificalia ius habeat cum Baculo, Mitra, &c. Semper inter huiusmodi Prælatos connumerari debet, & ipsa Pontificalia exercens, regulas in Cæremoniali traditas rite obseruare tenetur.

De benedictione Abbatis. Cap. II.

1 *Mandatum Apostolicum ante benedictionem necessariam.*
2 *Dies quo Abbas benedici potest.*
3 *Capella quomodo præparandæ.*
4 *Maioris Capellæ ornatus.*
5 *Credentia Episcopi quomodo præparanda cum paramentis Pontificalibus.*
6 *Minoris Capellæ ornatus, & paramenta Electi.*
7 *Credentia pro Electo præparanda.*
8 *Vestes Electi.*
9 *Assistentium paramenta.*
10 *Ordo accedendi ad Missam.*
11 *Ordo emittendi professionem Monasticam.*
12 *Electus in Capella paratus ad Episcopum ducitur.*
13 *Abbatis benedictio quomodo petenda.*
14 *Iuramentum, & examen Electi.*
15 *Confessio quomodo facienda.*
16 *Electus induitur in Capella, & Missam prosequitur.*
17 *Septem Psalmi, & Litania super Electum dicuntur.*
18 *Præfatio super Electum dicenda.*
19 *Traditio Regulæ, Baculi, & Annuli.*
20 *Missa prosequenda cum oblationibus.*
21 *Pax quomodo danda.*
22 *Communio quomodo fiat.*
23 *Mitra, & Annulus Abbati imponuntur, & quomodo.*
24 *Abbas quomodo intronizatur.*
25 *Te Deum dicitur, benedicit populo, & recipit Monachos ad osculum.*
26 *Populo solemniter benedicit, & Episcopo gratias agit.*

1 Antequam Abbas auctoritate Apostolica benedicatur, prouideat oporteat, de mandato Apostolico, quo benedictio sibi impendenda Episcopo committatur. Pōt. Ro. p. 1. rub. de ben. Ab. 121.

2 Ipsa benedictio fit ab Episcopo, assistentibus duobus Abbatibus, non nisi in die Dominico, vel festiuo; die præcedenti conuenit, vt Pontifex, & ipse Electus ieiunent.

3 In Ecclesia, in qua fieri debet benedictio, parentur duæ Capellæ, maior pro Pontifice, minor pro Electo.

4 In maiori sit crux cum sex, vel ad minus quatuor candelabris cum cereis, & reliquis ornamentis, ante gradus sternantur tapeta.

5 Credentia Episcopi cum omnibus ornamentis, & necessariis, pro solemni Missarum celebratione: more solito è latere Epistolæ disponatur. Paramenta Pōtificalia, quæ officio Missæ conueniunt, præparentur; faldistorium pro Pontifice, & tria scabella pro Electo, & Assistentibus.

6 In Capella minori paretur Altare cum cruce; quatuor, vel saltem duo candelabra cum cereis, ita vt semper numerus cereorum minoris Capellæ minor sit, quàm in maiori, si ibi fuerit sex, hic quatuor, si ibi quatuor, hic duo apponantur. Disponatur pro Electo Missale, & Pontificale; paramenta item Pontificalia, & pluuiale.

7 Credentia pro Electo prope Altare ipsius disponatur cum vasis ad abluēdas manus, & quinque mappulę æqualis

men-

mẽfuræ factæ ex vna canna cum dimidia panni linei fubtilis.

8 Item præparentur veftes *Monafticę*,duo intortitia, duo barrilia vini,& panes,omnia ornata auro, & argento cum infignibus Pontificis, & *Monafterii*, vel Electi.

9 Pro duobus Abbatibus afsiftentibus præparentur duo fuperpellicea, Stolæ,Pluuialia, & duæ *Mitræ* fimplices albæ.

10 Ipfo die hora congrua,Põtifex facta oratione ante Altare afcendit ad fedem,vel faldiftorium,fi non fuerit in propria Ecclefia, fibi à latere Epiftolæ prę paratum, ibique *Pontificalibus* induitur. Electus in fuo habitu quotidiano medius inter Abbates afsiftentes paratos, & mitratos ducitur ad Pontificem paratum iam, & fedentem fuper faldiftorium fibi ante medium Altaris difpofitum, eique reuerenter tradunt mandatum Apoftolicum, quod per Notarium Pontificis publicè legitur.

11 Si Electus non fuerit profeffus,facit prius folemnem profefsionem coram Pontifice, hoc ordine: Electus genuflectit ante Pontificem, qui furgens depofita *Mitra* dicit fuper eũ Orationes, prout in Pontificali: benedicens deinde veftes, ipfis eum induit. Sedente Pontifice cum *Mitra* profefsionem emiffurus iam indutus iunctis ante pectus manibus, dicit *Sufcipe me Domine*,&c. Circumftantibus refpondentibus *Sufcepimus*, &c. quod ter per Electum, & circumftantes repetitur. Electus in terram profternitur,& cãtãtur *Pfalmi Magnus Dominus*, &c. *Miferere*, & *Ecce nunc*, &c. quibus completis Pontifex depofita *Mitra* furgit, & dicit *Verfus*, & Orationem *Deus qui non vis*, &c. Dicta Oratione fedet Pontifex cũ *Mitra*, & Electus emittit profefsionem,legẽs ex carta fcripta,quam in manu tenet,& ipfa lecta ponit chartam fuper Altare, rurfumque genuflecti coram Pontifice, qui inchoat Antiphonam *Confirma hoc Deus*, &c. Pontifex adhuc fedens cũ *Mitra* accipit Electum in Congregationem aliorum *Monacorum* dicens *Omnes quamuis*,&c. Pontifex,& omnes *Monachi* pręfentes recipiunt profeffum ad ofculũ pacis,& hoc fi *Monachus* non fuerit profeffus,quod raró contingit.

Põt. Ro. vbi fup. pa. 124.

Põt. Ro. vbi fup. pa. 126.

Põt. Ro. vbi fup. pa. 138.

12 Lecto mandato,vel profefsione emiffa Electus in fua Capella paratur *Amictu*,*Alba*,Cingulo, Stola in modum *Presbyteri*,ac *Pluuiali*,& fi videbitur,poteft accipere Sandalia dicendo *Pfalmos* confuetos. Abbates afsiftentes induti fuperpelliceo,Stola,*Pluuiali*,& *Mitra*,fimplici Electum medium habentes ducunt ad *Pontificem* in faldiftorio ante *Altare* fedentem,cui depofito bireto Electus fe humiliter inclinans reuerentiam facit, & *Afsiftentes* pariter detectis capitibus fe inclinant.

13 Sedẽtibus omnibus fenior *Afsiftẽ*tiũ furgens detecto capite petit à *Pontifice*, vt Electum velit ordinare in *Abba*tem, & illo interrogante, fi habeant mãdatum *Apoftolicum*, refpõdet *Habemus*. Tunc *Pontifex* dicit,*Legatur*, & per Notarium *Pontificis* dum legitur, omnes tecto capite fedent, & in fine totaliter perlecto Pontifex dicit *Deo gratias*. Põt. Ro. vbi fup. pa. 169.

14 Electus lecto mandato furgẽs coram *Pontifice* genuflexus legit iuramentum: Poft iuramentũ *Pontifex* profequitur examen, & ad fingulas interrogationes Electus affurgens detecto capite refpõdet, *Volo*. Completo examine Electus ante *Pontificem* genuflexus ofculatur eius manum.

15 *Pontifex* furgens depofita *Mitra* ante Altare facit confefsionem cum Electo, qui à finiftris ei refpondet. Et ad *Al*tare afcendens procedit ad *Miffam* vfq; ad *Alleluia*, vel, fi non dicatur, vfque ad vltimum Verfum *Tractus*, vel *Sequentiæ* exclufiuè.

16 Electus cũ *Afsiftentibus* procedẽs ad Capellã depofito *Pluuiali*, fi fortè in principio non acceperit, accipit Sãndalia dicens *Pfalmos* cõfuetos,& accepta cruce pectorali aptatur ei Stola, deinde ac-

cipit Tunicellam, Dalmaticã, Planetam, & Manipulum, & medius inter suos *Assistentes* in *Altari* minori sibi parato prosequitur Missam pariter vsque ad *Alleluia*, si sit dicendum, vel vltimum Versum *Tractus*, vel *Sequentia* exclusiuè, dicens *Dominus vobiscum* non se vertit. Missa erit de die, cũ Collecta pro Electo dicenda sub vno *per Dominũ* cũ Collecta diei.

17 Accedente Electo surgit Pontifex, & genuflexus cum Mitra procumbit in faldistorio suo; *Electus* verò prosternit se ad sinistram Pontificis, & dicuntur septẽ Psalmi pœnitentiales, & Litaniæ, in quibus dicto *Vt omnibus fidelibus defunctis*, surgens Pontifex cum Baculo conuersus ad Electum dicit *Vt hunc præsentem Electum*, semel, atque iterum producens super Electum manu dextera signũ crucis, & iterum redit ad occubitũ, donec perficiantur Litaniæ. Post Litanias Pontifex surgens, stansque sine Mitra dicit super Electum prostratum Versus, & Orationes, prout in Pontificali.

Pôt. Ro. vbi sup. pa. 147.

18 Electo surgente, & ante Pontificẽ genuflectente Pontifex extensis manibus ante pectus dicit *Præfationem*; in qua cũ peruenerit ad §. *Vt quisper nostra*, imponit ambas manus extensas, digitis non disiũctis, super caput Electi eas sic tenẽs, donec perueniat ad §. *Suscipiat te*, &c. nam tunc eas amouens de capite Electi ante pectus extensas tenebit vsque ad finem Præfationis; qua completa subdet Orationes *Deus cui*, &c.

Pôt. Ro. vbi sup. pa. 154.

19 Completis Orationibus Pontifex sedens cum *Mitra* tradit Electo regulã, dicens *Accipe*, &c. illo ambabus manibus eam tangente, & recipiente, qua tradita si Baculus non fuerit benedictus, Pontifex surgens sine Mitra illum benedicit, & sedens cum Mitra tradit Baculum *Abbati* coram se genuflexo ambabus manibus illum capiẽti dicens *Accipe Baculum*, &c. *Ac* deinde surgens sine *Mitra* benedicit Annulũ, si forte non sit benedictus. Sedẽs cũ *Mitra* Annulũ in digito annulari dexteræ manus Abbatis immittit dicẽs *Accipe Annulũ*, &c. Pôtifex surgẽs, stansq; sine Mitra dicit versus *Abbatẽ* corã se genuflexũ Orõnẽ: *Te omnipotens*; deinde completa Orõne accipit *Abbatẽ* ad osculum pacis, quod pariter faciunt *Assistentes*.

Pôt. Ro. vbi sup. pa. 111.

20 Pontifex, in Altari si *Missa* legatur, vel si cantetur in faldistorio, prosequitur *Missam* vsq; ad Offertoriũ inclusiuè: *Abbas* verò cũ suis *Assistentibus* ad Capellã procedens pariter in suo *Altari* procedit ad Offertoriũ. Post Offertoriũ *Abbas* medius inter *Assistẽtes* ducitur ad *Pontificẽ* sedentem ante *Altare* in faldistorio, cum *Mitra*, & corã eo genuflexus offert ei duo intortia accẽsa, duos panes, & duo barrilia vino plena, manũ recipientis reuerenter osculãdo. Pontifex lotis manibus procedit ad *Missam* in *Altari*, in qua dicitur secreta pro *Abbate* cũ secreta de die sub vno *Per Dominũ*, &c. *Abbas* vero in scabello sibi loco congruo parato medius inter suos *Assistentes* habẽs ante se *Missale* genuflexus legit totam *Missam* exceptis verbis consecrationis.

21 Dicta Oratione *Domine Iesu Christe*, &c. *Abbas* accedens ad *Altare* ad dexteram *Pontificis* cum illo osculatur Altare, & accipit ab eo pacem, cui dicenti *Pax tecum*, respondet *Et cum spiritu tuo*, & ad suum scabellum rediens eodẽ modo dat pacem suis *Assistentibus*.

22 Pontifex assumpto toto sanguine *Abbatẽ* ante se genuflexũ cõmunicat de corpore tãtũ, deinde lauat manus, & prosequitur *Missam* vsq; ad finẽ, dicens cum *Post* communione diei propriam pro *Abbate* sub vno *Per Dominum*, &c. & in fine dat solemnem benedictionem. *Abbas* etiam in scabello suo perficit *Missam*. Completa *Missa* reponitur faldistorium ante medium Altaris, & Pontifex cum *Mitra* in eo sedet: *Abbas* verò cum bireto in capite coram eo genuflectit.

23 Deinde Pontifex imponit eius capiti Mitram dicens *Imponimus*, &c. & si non sit benedicta, stans sine *Mitra* eam prius benedicit. Deinde extracto Annulo de manu *Abbatis* imponit eius manibus

Pôt. Ro. vbi sup. pa. 161.

Chi-

Chirothecas, & iterum Annulum, & si nō sit benedictus, prius illum benedicit.

24 Si Abbas benedictus sit in proprio Monasterio, pulsantibus campanis Pontifex ducit eum ad Chorum, & statuens eum in sede sui prædecessoris, dat ei Baculum Pastoralem in manu sinistra, dicens *Accipe plenam*, &c. Si verò benedictio fiat extra Monasterium, Pontifex statuit illum in faldistorio, quo ipse vsus est, dicens, *Sta in iustitia*, &c.

25 Abbate sedente, Pontifex stans à dextris eius, conuersusque ad Altare, deposita Mitra, inchoant Hymnum *Te Deum laudamus*, Cantoribus prosequentibus vsque in finem, dictoque primo versu surgit Abbas, & ab Assistentibus cum Mitris associatus circuiens Ecclesiam benedicit populo; Pontifex verò manet sine Mitra apud sedem. Quòd si Abbas fuerit in suo Monasterio rediens ad sedē suam, ibique sedens recipit omnes *Monachos* suos ad manus, & oris osculum, ipsis ei reuerentiam exhibentibus; & cōpleto Hymno, Pontifex stans sine *Mitra* à dextris Abbatis sedentis cum *Mitra* dicit *Versus*, & Orationem *Exaudi*, &c. qua Oratione completa, Pontifex accipit *Mitram*, & procedit ad cornu Euangelij Altaris, adstantibus Assistentibus sine *Mitris*.

Pōt. Ro. vbi sup. pa. 164.

26 Abbas cum *Mitra*, & Baculo ante medium *Altaris* solemniter benedicit populo; deinde ad cornu Epistolæ Altaris cum *Mitra*, & Baculo genuflexus versus Pontificem dicit cantando *Ad multos annos*, & Pontifex recipit eum surgentem ad osculum pacis; idem faciunt Assistentes, ac deinde recedens cum Assistentibus dicit Euangelium S. Ioannis *In principio*, &c. Pontifex verò in Altari ipsum dicit submissa voce, & apud sedem, vel faldistorium deponit sacras vestes. Abbas, in sua capella sacris vestibus depositis, Pontifici, & Assistentibus gratias agit, & omnes in pace recedunt.

De obseruandis in ipsa Abbatis benedictione. Cap. III.

1 *Differentia inter Capellam Episcopi, & Abbatis, necnon ornatum vtriusque.*
2 *Prætermittenda si Abbas fuerit professus.*
3 *In Missis priuatis quænam omittenda.*
4 *Differentia in benedictione, quæ fit in propria Ecclesia Electi, vel in aliena.*
5 *Differentia obseruanda in benedictione Abbatis habentis vsum Mitræ, vel non habentis.*
6 *Mutanda, cum Abbas non auctoritate Apostolica, sed ordinaria benedicitur.*

1 Primùm obseruandum hoc loco est, quòd Capella Pontificis in omnibus debet solemnius ornari, quàm Capella Electi, & si in illa maiori fuerint sex cerei, in minori apponantur quatuor, si verò in maiori fuerint quatuor, tātum duo in minori collocentur, ita vt minor semper sit numerus candelarum Capellę minoris, quàm maioris, & in omnibus minor sit ornatus minoris, quàm maioris, pariter & in credentiis ornandis eadē differentia sit; decet etiam vt paramenta pro Pontifice celebrante sint pretiosiora, pro Abbate verò minus ornata, prout gradus, ac personarum distinctio requirere videtur.

2 Secundò si electus Abbas fuerit professus, prout regulariter non nisi professus eligi solet, omnia, quæ circa ordinē professionis sunt adnotata, prætermitti debent.

3 Tertio si *Missa* cantetur, Pontifex in principio osculabitur librum, & incensabit *Altare*, deinde in sede sua, si sit in propria Ecclesia, vel in faldistorio ad latus Epistolæ in aliena *Diœcesi* cum suis ministris dicet *Introitum*, & reliqua vsque ad *Alleluia*: ibidem adstabit dum

cantatur Euangelium,& in fine osculabitur librum,& incensabitur. Item post offertorium thurificabit Oblata,& Altare,& incensabitur. Si verò Missa legatur, omittuntur incensationes, neque Pontifex osculabitur librum,& omnia,quæ ad Missæ celebrationem spectant, in Altari leget.

4 Quartò si Electus in proprio Monasterio benedicitur, inthronizatur in Choro in sede sui prædecessoris, si verò extra Monasterium in faldistorio, quo vsus est Pontifex.Item in proprio Monasterio, dum dicitur *Te Deum laudamus*, postquam Ecclesiam introierit,benedicēdo,accedentibus Monachis suis, eique reuerentiam exhibentibus,recipit eos ad osculum oris.

5 Quintò si Electus Abbas non habeat vsum mitræ, non assistunt ei Abbates Mitrati, sed duo seniores sui Monasterii,vel alterius superpelliceo,& Pluuiali induti. Peracto examine, antequam Missa inchoetur,dum sacris induitur,non accipit sandalia, neque crucem pectoralem,neque Tunicellam, & Dalmaticam, sed deposito Pluuiali, & retenta Stola in modum Presbyteri, accipit tantùm Casulam, & ei assistunt duo seniores superpelliceo,& Pluuiali induti sine Mitra: in fine Missæ non datur Abbati Mitra, neque Chirotecæ, neque Annulus,& cū in sede constituitur, stat cum bireto,non tamen circuit Ecclesiam benedicens, populo, sed dum dicitur Hymnus *Te Deum laudamus*,manet sedens in sede,seu faldistorio cooperto capite à principio Hymni vsque ad finem illius,& recipit Monachos,si sit in suo Monasterio,ad osculum oris.Similiter dum dicuntur Versus cum Oratione à Pontifice post Hymnum, sedet in faldistorio cum bireto: in fine non dat benedictionem solemnem populo, sed dicit *Ad multos annos*, tamen sine Mitra.

Pōt Ro. p.1. Tit. de ben. Abb.aucto. ord. pa. 165.

6 Sextò si Abbas sit benedicendus auctoritate Ordinaria,fiunt omnia,vt supra, & insuper Electus ab Assistentibus suis ante Pontificem ductus prosternit se in terram ante medium Altaris,& Pontifex,deposita Mitra,surgens inchoat Antiphonam *Confirma hoc Deus*,quam Chorus prosequitur: deinde sedens cum Mitra dicit cum Assistentibus Psalmum *Exurgat Deus*, &c. & repetita Antiphona surgit;deposita Mitra, & dicit supra Electum Versus cum Orationibus *Omnipotens*,& *Actiones*,quibus completis Electus surgit, & coram Pōtifice genuflectit, & non legitur mandatum, sed prior Assistentium postulat Pontificem,vt Electum ordinare dignetur, &c. & factis interrogationibus à Pontifice de meritis Electi, & Canonica Electione cum responsionibus, quibus assistens Electum approbat, fit examen, quo completo Electus coram Pontifice genuflexus ante se tenens cedulam scriptam, & suo pendenti sigillo sigillatam debitæ fidelitatis iuramentum Pontifici Ordinario præstat, prout in Pontificali,& tandem cedulam ipsam Pontifici tradit. Præstito iuramento surgens Pontifex sine Mitra facit confessionem cum Electo, & reliqua prosequuntur, vt supra. Pōt. Ro. vbi sup. pag.169

De conuenientiis, ac differentiis inter Abbatis benedictionem, & Episcopi Consecrationem.

Cap. IV.

1 *Conueniunt in aliquibus, in aliis differunt.*
2 *Conuenientia in præcedentibus benedictionem.*
3 *Præstanda in actu benedictionis ante Missam, Mandatum, Iuramentum, & examen.*
4 *Missa principium vsque ad Alleluia.*
5 *Ordo, ac tempus benedictionis, & procedendi ad Missam.*
6 *Præstanda in fine Missæ.*
7 *Differentia inter consecrationem Episcopi, & benedictionem Abbatis.*
8 *Differentia in celebratione vtriusque Missæ.*

9 Diffe

9 *Differentia in fine Missæ consideranda.*

10 *Summa, ac ratio harum differentiarum.*

1 QVia inter Episcopi consecrationem, & Abbatis benedictionẽ prima facie nulla ferè apparet differentia; in quo conueniant prius, ac deinde, in quo differant, satis congruè hoc loco adnotabimus.

2 In primis tàm Episcopi consecratio, quàm Abbatis benedictio fieri debet die Dominico, vel festiuo. Vtraque actio requirit præcedentis diei ieiunium. Pro vtraque actione in Ecclesia duæ capellæ pręparari debent, duæ item credentiæ; vtrobique paramenta Pontificalia pro Pontifice, & faldistorium, Pontificalia pariter, & insuper Pluuiale pro Electo, & scabella pro Electo, & Assistentibus; vtraque actio requirit Assistentes cum paramentis, illa Episcopos, ista Abbates.

3 Vterque Electus, Episcopus videlicet, & Abbas, à priore Assistentium postulatur, ille vt consecretur in ordine Episcopatus, iste vt benedicatur; vtrobique legitur mandatum Apostolicum de prouisione Electi; vtrobique ab Electo præstatur iuramentum post professionẽ, vtrobique fit examen Electi, licet diuersimodè.

4 Vtrobique post examen ante consecrationem, vel benedictionem Episcopus celebrans facit confessionem cum Electo; vtrobique Electus accipit paramenta Pontificalia in minori Capella sibi parata; vtrobique dum Episcopus in Altari procedit ad Missam, Electus cum suis Assistentibus in sua Capella eodem modo procedit vsque ad *Alleluia*, vel vltimum versum exclusiuè.

5 Vtrobique Electo prostrato à sinistris Episcopi, dicuntur Litaniæ, sed in benedictione Abbatis etiam adduntur Septem Psalmi pęnitentiales dicendi ante Litanias. In Episcopi consecratione, proceditur ad Missam vsque ad Offertorium: Sic peracta benedictione, eodem modo proceditur; vtrobique eodem modo offeruntur intortitia, panes, & vinum; vtrobique eodem modo proceditur post Offertorium ad Missam, tamen cum aliqua differentia.

6 Vtrobique à Pontifice datur Pax Electo, & ab illo Assistentibus; vtrobique imponuntur Electo Mitra, & Chirotecę; vtrobique intronizatur Electus, ducitur per Ecclesiam, & dat benedictionem populo; vtrobique datur benedictio solemnis in fine Missæ ab Electo; vtrobique dicitur *Ad multos annos*, & in fine consecratus, siue benedictus gratias agit Pōtifici, & Assistentibus, & in his quidem conueniunt.

7 Differunt autem in primis, nam quia Episcopus consecratur, vngitur in capite, & manibus: eodemque tempore, quo consecratur, traditur ei Baculus, Annulus, atque etiam liber Euangeliorum, cum pluribus aliis cęremonijs illius supremi gradus mysteria continentibus; Abbas verò minoribus cęremonijs benedicitur, non consecratur, ac propterea ipsius etiam examen minora continet, atque diuersa ab examine Episcopi, & monastico habitu indutus inferioris gradus, atque status professionem emittit, si fortè professus prius non fuerit; & ante Litanias dum benedicitur; in ordine proficientium existens, dicuntur Septem Psalmi pœnitentiales, qui in consecratione Episcopi in ordine perfectorum constituti, omittuntur.

8 Item Episcopus consecratus concelebrans prosequitur Missam, cum dicitur Canon in Altari stans: Abbas verò in scabello genuflexus, legit quidem Missā, non tamen profert verba consecrationis, neque communicat sub vtraque specie, sed tantùm de Corpore Christi. Consecratus Episcopus prosequitur Missam post communionem in cornu Euangelii, Abbas non prosequitur.

9 Abbas intronizatus recipit Mona-

chos

chos ad osculum oris; Episcopus Canonicos non recipit: Vltimò consecratus Episcopus ter eleuando per singulas vices vocem dicit *Ad multos annos*: Abbas verò semel tantùm.

10 Ex quibus colligitur maxima differentia ratione status, & cæremoniarum essentialium, & accidentalium; essentialium quidem; nam ille consecratur, iste benedicitur; ille est concelebrans; iste nō; ille profert verba consecrationis, in quibus ratio sacrificij maximè constat, iste verò non profert: ille vtramque speciem assumit, quod est de integritate sacrificij, iste alteram tantùm: reliqua verò sunt accidentalia, consequentia essentialia: vnde colligitur, quòd licet prima facie vtraque functio inter se conuenire videatur, maximè tamen differt.

De præparandis Abbate solemniter celebraturo. Cap. V.

1 *Abbatis locus in Ecclesia.*
2 *Sedes Abbatis solemniter celebrantis qualis.*
3 *Altare, & in ipso, faldistorium praeparandum.*
4 *Sanctissimum Sacramentum transferendum.*
5 *Credentia quomodo præparanda.*
6 *Paramenta Abbatis quo loco disponenda.*
7 *Paramenta pro Canonicis, seu Monachis præparanda.*
8 *Paramenta Assistentium, ac Ministrorum.*

1 Abbas in sua Ecclesia primam obtinet sedem, itemque in Processionibus primus inter Canonicos suos, vel Monachos ei locus debetur, pariter in omnibus publicis actionibus.

2 Abbati solemniter celebranti siue ad Vesperas, siue ad Missam Solium præparari debet formæ rotundæ, coloris cæterorum paramentorum pannis ornatū, cum duobus nudis scabellis à lateribus pro Assistentibus; ad ipsum autē per gradus ascendatur, qui panno viridis coloris cooperiantur, pariter & pauimentum Presbiterij vel panno, vel tapeto per totū cooperiri decet, & circumcirca scamna pro Canonicis, qui parati assistre debent, panno viridi cooperiantur.

3 Altare solemniter ornabitur, prout suo loco dictum est: ante ipsum in plano erit faldistorium cum suis inregumētis coloris reliquorum paramentorum vsque ad terram vndique defluentibus, additis puluinis duobus eiusdem coloris. Su. sect. 3.c.1. & inf.lib.2. sect. 1.c. 1.

4 Sanctissimum Sacramētum in aliud facellum loco congruo decenter ornatum transferatur, & ante ipsum pariter genuflexorium cum panno strato, & puluinis ad procumbendum præparetur.

5 Credentia pro Abbate à latere Epistolæ paretur: supra quam nullæ Sanctorum imagines, vel Reliquię apponantur, sed duo tantùm candelabra cum cādelis accensis: In medio autem omnia necessaria pro solemni Missarum celebratione accommodentur, insuper & vasa ad abluendas manus, Mitra auriphrygiata & simplex, Bugia argentea cum candelula, instrumentum ad deferendam Pacem Viris nobilibus, Gremiale, & Sandalia, omnibusque rite dispositis, velum sericeum, quo omnia cooperiantur, desuper extendatur: Prope credentiam parieti inhæreat Baculus Pastoralis, & loco cōgruo in tripode prunis accensis vnà cum forcipibus erit ignis in thuribulum immittendus.

6 Celebrantis paramenta supra Altare sternantur, puta Casula, Dalmatica, Tunicella, Stola, Crux pectoralis, Cingulus, Alba, Amictus; Manipulus verò intra *Missale* in ipsa credentia erit.

7 Pro Canonicis, seu Monachis, qui parati assistere debent, prępare ntur omnia paramenta necessaria, non in ipso Presbyterio, sed in sacristia, vel alio loco congruo, & si inter ipsos fuerint ordines distincti, præparentur pro Subdiaconis Cærem. Epis. lib. 1.c.10.

Tuni-

Tunicellæ, pro Diaconis Dalmaticæ, pro Presbyteris Planetę, pro Dignitatibus verò Pluuialia.

8 Vbi non fuerint ordines distincti, præparentur ad minus quatuor; aut sex Pluuialia, quibus primi cum Amictu circa collum supra superpelliceum indui debent: paramenta pariter duorum Diaconorum assistentium, & Diaconi Euangelij, atque Subdiaconi Epistolam cantaturi, necnon Presbiteri assistentis, qui Pluuiali semper indui debet, omnino præparari oportet.

De ordine, quo Abbas solemniter celebraturus procedere debet.
Cap. VI.

1 *Ordo quo Abbas cum suis Canonicis, seu Monachis Ad Ecclesiam accedit.*
2 *Canonici, seu Monachi vbi, & quomodo parandi.*
3 *Canonici accedunt ad circulum, & quomodo.*
4 *Abbas quomodo parandus.*
5 *Ad Missam quomodo procedendum.*
6 *Choros distinguere oportet.*
7 *Canonici, & Ministri Altaris quomodo faciunt Confessionem, &c.*
8 *Ordo in incensatione seruandus.*
9 *Pax quomodo danda.*
10 *Benedictionem solemnem dare potest Abbas.*
11 *Ordo recedendi.*

1 OPportuno tempore omnibus in Ecclesia suo ordine bene dispositis, Magister cæremoniarum superpelliceo mundo indutus cum Canonicis, vel Monachis in habitu Chorali Abbatem ex loco suæ habitationis excipit, & ad Ecclesiam accedentem omnes associant, senioribus immediatè post Abbatem procedentibus sequuntur iuniores; ante ostiũ Ecclesiæ Magister cæremoniarum aspersoriũ accipit ab Acolytho, datq; digniori cũ osculis Abbatis porrigendũ, qui se, & omnes aspergit; deinde ante Altare Sãctissimi Sacramenti accedentes, hinc inde per gyrum genuflectunt omnes, ipse verò Abbas in medium peruenienss primum Sanctissimo Sacramẽto genuflexo vsque ad terram reuerentiam facit, dein de supra puluinum sibi paratum genuflexus orat, & post aliquam morulam surgens pariter genuflexo, vt supra, iterum Sanctissimo Sacramento reuerentiã facit, & tunc omnes Canonici, vel Monachi surgentes, facta Sanctissimo Sacramento reuerentia ad Altare maius procedunt, & interim Organa tanguntur: Monachi iuxta Presbyterium circumcirca genuflectunt, Abbas vero supra faldistorium ibidem paratum procumbit, & mox ab oratione surgens, facta cruci profunda reuerentia, ad solium accedens medius inter Assistentes sedet, donec Canonici, seu Monachi parentur.

2 Canonici, seu Monachi statim ad Sacristiam, vel alium congruum locum accedentes sacris induuntur vestibus supra Rochettum, vel superpelliceum, & Amictum, pariter & Ministri Altaris, quibus accedentibus ad Abbatem, illi, qui prius ei assistebant, sua paramenta accipiunt.

3 Canonici, seu Monachi parati ante Abbatem faciũt circulum eodem modo, quo supra dictum est de Canonicis Cathedralium, ipsosque detecto capite adstantes Abbas semel, atque iterum inuitabit, vt caput tegant, & tunc reuerenter obtemperantes se cooperiunt.

4 Abbas lotis manibus, sacris induitur supra Rochettum, si eo vtatur, vel si fuerit Regularis supra superpelliceum, accedentibus Acolythis cum paramentis, singulis singula deferentibus, adiuuantibus Assistentibus cum Ministris eodem modo induitur, quo dictum est de Episcopo: Decet autem, vt ad Missam non in Altari, sed in Sacristia, vel in alio sacello prope ostium Ecclesiæ parentur, dum ibi cantatur Tertia, deinde verò processionaliter ad Altare accedant eo- Cærem. Epis. lib. 1. c. 24.

dem

dem modo, quo Episcopus.

5 Ad Missam procedenres omnia obseruabunt, sicut de Missa Pontificali suo loco, Episcopo celebrante, habetur.

6 Choros in ipsa celebratione distinguant oportet, nam alium ordinem faciunt tres Assistentes, videlicet Presbyter, ac duo Diaconi parati; alium Canonici, seu Monachi parati circumcirca adstantes; alium Ministri inferiores, qui superpelliceis induti in gradibus Altaris, ac sedis adstare, atque cum alij sedent, & ipsi sedere debent; alium Canonici, seu Monachi in suo habitu Chorali consueto circumstantes in Choro; alium Magnates, Magistratus, ac Viri nobiles, & propterea vno surgente, omnes, qui sunt eiusdem Chori, surgunt; surgente verò Abbate assurgunt omnes. Cærem. Epis. lib. 1. c. 18.

7 Canonici, seu Monachi parati in suis locis bini faciunt *Confessionem*, dicunt *Kyrie eleyson, Gloria in excelsis, Credo, Sanctus*, & *Agnus Dei*: Ministri verò Altaris, videlicet Diaconus, & Subdiaconus in suis scabellis propè Altare idem faciunt.

8 Canonici parati primò Assistentes, deinde alij incensantur à Thuriferario ad Vesperas, & à Diacono ad Missam duplici ductu cum inclinationibus, quæ antea, & postea singulis fieri debent, notando, quòd huiusmodi Canonici, seu Monachi parati incensantur immediatè post Abbatem ante Magistratus, & reliquos de Choro, etiam si ibi Monachi maioris gradus intersint, decet tamen semper digniores parari. Si verò intersit aliquis Prælatus, ante Canonicos semper incensari debet immediatè post Abbatem celebrantem.

9 Pax defertur primo cuiuslibet ordinis ex Canonicis paratis à Presbytero Assistente; reliquis de Choro ab Acolytho per osculum; Laicis verò cum instrumento, modo, suo loco præscripto.

c. Abb. de priu. in 6. 10 Benedictionem in fine Missæ, Vesperarum, & Processionum solemnium populo elargiri possunt Abbates in eorũ Ecclesiis, quę pleno iure ad eos pertinẽt.

11 Completo officio Missæ, vel Vesperarum, Abbas in sua sede sacras vestes deponit, Canonici, vel Monachi in locis suis, & facta oratione in faldistorio, surgente Abbate ipsum associant vsque ad locum suæ habitationis, induti vestibus Choralibus ordine, quo venerant.

Ordo seruandus, cum Episcopus loci ad Ecclesiam Abbatilem accedens Diuinis interesse debet. Cap. VII.

1 *Episcopi locus etiam in Ecclesia exempta super omnes.*
2 *Circuli ante Episcopum, & Abbatem quomodo faciendi.*
3 *In incensatione quo ordine precedẽdũ.*
4 *Locus Cardinalis, vel Legati.*
5 *Ordo quo Episcopus ordinarius, vel Cardinalis, seu Legatus in Ecclesia Abbatiali excipitur.*
6 *Ordo quo Episcopi exteri excipiuntur, & eorum locus.*

1 CVm in domo Domini nihil sit inordinatum, nihilq; præposterũ, Episcopis super omnes gradus constitutis is tribuatur honor, oportet, qui eorum dignitati par sit, ac propterea si aliquando contingat, vt Episcopus loci in Ecclesiã Abbatialem accedat etiam exemptã, eius Solium cum suo Baldachino à dextris præparetur, ac prope ipsum erunt scamna Canonicorum Cathedralis viridi panno cooperta, genuflexorium etiam cum suo panno in medio pro Episcopo erit præparatum: Abbatis verò sedes è regione loco, & gradu inferiori simpliciter ornata ponetur, post se habens scamna suorum Collegialium. Concil. Tri. sess. 24. c. 1. de Ref. Concil. Tri. sess. 25. c. 6. de Ref. Declar. Congr.

2 Episcopo faciente circulos ad Missam cum suis Canonicis, Abbas è regione stans idẽ cũ suis præstabit, his accedẽtibus ad ipsum eodem modo, & ordine, quo Cathedralis Ecclesiæ Canonici ante suum Episcopum accedunt.

3 In incensatione prius thurificatur

Epis-

Episcopus triplici ductu,& quia Canonici cum Episcopo vnum efficiunt corpus, immediatè post ipsum ijdē incensantur. Deinde Abbas loci superior duplici ductu; Canonici verò, seu Monachi post Abbatem semel tantùm;eodem ordine Pax deferri debet.

4 Si verò accedat Cardinalis, vel Sedis Apostolicæ Legatus,eundem obtinebunt locum, quem Episcopus ordinarius loci,tamen sine Capitulo,& sine assistentia.

5 Accedentem Episcopum loci, Cardinalem, seu Sedis Apostolicæ Legatum Abbas cum suis Canonicis, vel Monachis ante ostium Ecclesiæ excipit, porrigens aspersorium; deinde à sinistris Episcopi Abbas procedit, Canonici verò Collegiatæ, seu Monachi post Canonicos Cathedralis sequuntur; eodem ordine pariter recedentem vsque ad ostium associant.

6 Alijs Episcopis, ac superioris Ordinis Prælatis ad Ecclesiam exemptam accendentibus seniores occurrunt,semperque à dextris erit eorum locus, Abbatis verò à sinistris, ita vt Ecclesiasticæ Hierarchiæ ordo,vt decet,congruè seruetur: ipsis tamen non præparatur Solium, & ad incensationem tàm ipsi, quàm Abbas triplici ductu incensantur; & cum recedunt, Seniores ipsos deducunt, & si Abbas solemniter celebret, in sua sede erit; ipsis verò locus congruus super omnes alios præparabitur.

De Ordine, & loco Abbatum in Concilio. Cap. VIII.

1 *Habitus Abbatum in Synodo Diœcesana, & alijs Concilijs.*
2 *Locus eorum in sessionibus publicis Concilij.*
3 *Eorum locus in Ecclesia,& publicis functionibus.*
4 *Ad Processiones Pontificalibus induti accedunt.*

1 Quia Abbates in Synodis,& Cōcilijs Generalibus de iure vocē habent decisiuam, obseruare hoc loco oportet, quòd in publica sessione Pluuiali rubeo induti cum Mitra simplici accedere debent. Cærem. Rom. l. 1. sect. 14.c.3.

2 Eorum locus tàm in Concilio Prouinciali, quàm Generali erit immediatè post Episcopos: Diœcesanæ verò Synodo si intersint, cum capitulariter Canonici cum Episcopo conueniunt,quia vnū cum eo corpus efficiunt, existente Episcopo cum suis Canonicis à latere dextero, Abbates à latere sinistro ante omnes sedebunt. Cærem. Epis. lib. 1. c. 31.

3 In reliquis publicis functionibus olim Abbates sedere consueuerunt immediatè post Episcopos, immo Abbates Vrbis in die Coronationis Summi Pontificis præcedebant Episcopos,& Archiepiscopos, sedentes inter assistentes Episcopos:modò iuxta emendatì cæremonialis regulas eorum locus est post Prothonotarios participantes ante alios Prothonotarios,& Generales Ordinum,qui omnes alios Prælatos Apostolicos præcedunt:hoc autem dicimus de illis Abbatibus, qui habent vsum Mitræ,& Baculi cum iurisdictione ordinaria. Cærem. Episc. li. 1.c. 13.

4 In Processionibus Abbates Pluuialibus induti cum Mitris procedunt,& ita etiam parati Sanctorum corpora, ac reliquias deferre consueuerunt, prout in processione solemni à S. Carolo Archiepiscopo Mediolanensi celebrata, Abbates Cassinenses corpus S. Simpliciani solemniter vnà cum ipso Archiepiscopo transtulisse legimus. Gusan. in vit. S. Caroli.

De obitu, & exequijs Abbatis. Cap. IX.

1 *Habitus Abbatis defuncti.*
2 *Ordo sepeliendi Abbatem.*
3 *Exequiæ defuncti Abbatis quomodo celebrandæ.*
4 *Absolutio ad tumulum quomodo facienda.*

1 Ab-

1 Abbas defunctus induitur Pontificalibus codē modo, quo Episcopus, cum Baculo, & aliis insignibus.

2 Defuncti corpus defertur à dignioribus sui Collegii; Officium autem celebrabitur, si haberi poterit, ab aliquo Abbate ex vicinioribus, sin minus, à dignioti illius Collegii, & sepelietur in propria sepultura Abbatum seorsum ab aliis.

3 Exequiæ pro defuncto Abbate solemniter celebrantur ab alio Abbate, cum Oratione funebri ab aliquo Theologo ad hoc vocato in fine Missæ ante Absolutionem facienda,

4 Absolutio in fine circa Lecticam fieri debet ab Abbate celebrante cum Mitra, & si videbitur; quatuor ex dignioribus illius Collegii Pluuialibus induti absoluent. Si defunctus sit Abbas Generalis, pręter celebrantem quatuor etiam Abbates cum Mitra, & Pluuiali absoluere poterunt, quod etiam in solemnioribus exequiis seruari poterit.

De Prothonotariis. Cap. X.

1 *Collegij Prothonotariorum origo.*
2 *Prothonotariorum Participantium numerus.*
3 *Eorum habitus, & dignitas.*
4 *Eorum locus in Capella, Consistorijs, & alibi.*
5 *Eorum munus in Canonizatione Sanctorum.*
6 *In publicis Rom. Pontificis gestis.*
7 *Item in Capella Papali.*
8 *Eorum locus, & ordo extra Vrbem.*

1 Prothonotarii Apostolici à Summis Pontificibus Clemente I. Anthero I. & Iulio I. ad Sanctorum Martyrum gesta perquirenda, atque conscribēda vnà cum aliis ad Ecclesiam pertinentibus antiquitus instituti, septem ordinarii Participantes, qui expediebant Bullas Ecclesiarum, ac Monasteriorum, olim connumerabantur.

2 Sixtus V. fel. rec. ad Romæ Ecclesię decorem, & ornatum, quinque alios addendo, duodecim officia in vnum corpus, & Collegium integrum duodecim Notariorum indistinctum æqualis potestatis, iurisdictionis, & auctoritatis instituit: omnes eisdem gratiis, ac priuilegiis pariformiter exornans, annuum redditum æqualem singulis assignauit; eisdē facultatem doctorandi, necnon Tabelliones creandi, atque spurios legitimandi concessit, aliisque gratiis, ac priuilegiis eos exornauit. Constit. Sixti V. XII. quæ incipit. Romanus Pontifex.

3 Hi inter Prælatos connumerantur, violaceisque induuntur vestibus, atque rochetto cum mantelletto: eorum Pileus cordula serica violacei coloris, sicut & extrema circumferentiæ eiusdem Pilei serico violaceo ornantur. In Capella vtuntur cappa, sicut & Episcopi.

4 Olim supra Episcopos locum habebant; at Pius II. anno 1459 constituit, vt tàm in Curia, quàm extra vbique terrarum omnibus Episcopis cedant, & in Capella in banco, seu scamno secundo post Episcopus seorsum sedeant. In Consistoriis, publicis, vbi de rebus, quæ geruntur, authentica documenta rogati conficere debent, quatuor ex eis iuxta gradus Apostolici Solii honorabiliorem tenent locum, Sanctæ Sedi proximiores. Constit. Pij II. quæ incipit cū seruare.

5 In Canonizatione Sanctorum ad ipsos præcipuè spectat, vt ibidem intersint, ac rogati publicum de ea conficiant documentum.

6 In omnibus publicis functionibus Romano Pontifici adhærentes, eius gesta scriptis memorię tradunt, in suis scriniis recondenda, &, cum res postulauerit, à Procuratore Fiscali rogati publicum etiā conficiunt documentum.

7 Pontifice in publicum cum Pluuiali, & Mitra procedente, duo Prothonotarii cappa induti supra rochettum, fimbrias Pluuialis hinc inde eleuatas, deferunt.

8 Extra Vrbem post Episcopos locū habent ante alias Dignitates, qui verò

non sunt de Collegio Participantium, sed sunt superenumerarij post Dignitates locum habent, alij à Romano Pontifice, alij à Legatis creati; vnde inter ipsos talis ordo seruabitur, vt semper à Pontifice creati alios præcedant.

SECTIO DECIMA.

De Episcopis, Archiepiscopis, & Patriarchis.

De Habitu Episcoporum. Cap. I.

1 EPiscopi, quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo, Presbyteris omnibus superiores in Apostolorum locum successerunt, vbique se Parres, & Pastores, vt monet Concilium Tridentinum, esse meminerint, quos Principes omnes summo honore, ac debita reuerentia prosequi debent, ipsique supra reliquos gradus constituti, vbique primum obtinent locum; vnde eis in Choro, in Capitulo, in Processionibus, & aliis actibus publicis semper primæ sedes dentur.

Act. Apost. 20.

Concil. Tri. sess. 13. c. 4.

Concil. Tri. sess. 25. c. 17

Concil. Tri. sess. 25. c. 6.

2 Eorum habitus in propria Diœcesi erit vestis talaris violacea, & Mozzetta eiusdem coloris supra Rochettum, bireto verò nigro vtuntur, vel pileo nigro laneo cum cordulis viridis coloris ex serico confectis; extra verò Diœcesim induunt se Mantelletto pariter laneo violacei coloris.

Cæremon. Episc. lib. 1. c. 11.

3 Ex regularibus verò Ordinibus promoti, retinentes colorem habitus suę religionis, vbique possunt deferre Mozzettam eiusdem coloris, qui nūquā Rochetto vtuntur; sed tantùm in diuinis officiis loco Rochetti adhibent super pelliceum; in bireto verò, & pileo cum aliis Episcopis conueniunt.

4 Assumpti ex Ordine Canonicorum Regularium, necnō Clericorum Regularium cuiuscunque Ordinis conueniunt in habitu cum aliis Episcopis, & pariter vtuntur Rochetto; nam illa mutatio vestium non est ratione status, sed ratione habitus suæ Regulæ, quam sunt professi; & ideo cum isti tantùm in statu à Clericis secularibus differant, conueniunt cū illis in habitu.

5 Presbyteri Sancti Spiritus, & ex militarium Religionū Ordinibus assumpti, puta Sancti Ioannis, Sancti Iacobi, &c. tantùm crucem eiusdem Ordinis in collo pendentem deferunt supra habitum Episcopalem.

6 In aliquibus tamen diebus Episcopi vtuntur vestibus laneis nigri coloris, videlicet in Aduentu, & à Septuagesima per totam Quadragesimam, in Vigiliis per annum, quibus ieiunatur, & in omnibus VI. feriis totius anni, excipiuntur tamen dies, qui incidunt à die Natalis Domini vsque ad Octauam Epiphaniæ inclusiuè, & à Dominica Resurrectionis vsque ad Dominicam Sanctissimę Trinitatis: item per Octauas Sanctissimi Sacramenti; Assumptionis B. M. Virginis, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, omnium Sanctorum, ac Sancti Patroni Ciuitatis, ac Dedicationis propriæ Ecclesię; item in Anniuersariis Electionis, & Cōsecrationis eiusdē Episcopi; pariter excipiuntur omnes dies festi duplices, & ipsa dies Octauæ Natiuitatis B.M. Virgi-

Cæremon. Episc. lib. 1. c. 3.

nis, Sancti Ioannis Baptistę, & Sancti Laurentij. Duplex verò per annum occurrens in Aduentu, & à Septuagesima per totam Quadragesimam non excipitur; sed tantum festum Annunciationis, & omnes publicæ celebritates, quæ cum lętitia celebrantur, pręcipuè in ingressu alicuius magni Principis.

Cœrem. Episc. lib. 1. c. 3.

7 Galerus Episcopi duplicis formę erit, alter, quo in solemnibus equitationibus vtitur, eiusdem formę, qua DD. Cardinales Pontificaliter equitantes vti consueuerunt; alter verò simplex; vterque ab exteriori ex lana nigra, ab interiori verò serico coloris viridis suffultus, vterque cordulis viridis coloris exornatur, additis solemniori floccis sericeis viridibus ab eo pendentibus.

Cœrem. Episc. lib. 1. c. 3.

8 Dum iter agunt Episcopi, vtuntur vestibus breuioribus cum manicis sub genu per planum, vel vltra protensis, coloris temporum diuersitati conuenientis; circa collum verò habebunt fasciam sericeam coloris nigri, latitudinis duorum palmorum, vel circa; longitudinis verò ad mensuram vestium pendentium.

Cœrem. Episc. lib. 1. c. 3.

9 Solemniter equitans Episcopus Cappam violaceam de Camelotto supra Rochettum habebit, Pileum Pontificalem in capite gerens; Mula, super quam ascendere debet, Pontificalibus Ephippijs, & stragula violacei coloris ornabitur. Tempore pluuioso Pallio magno, & lato, quod Mantellonum vocant, eiusdem coloris cum ornamentis Mulæ, & Pileo destinato ad pluuiam vtitur.

Cœre. Episc. lib. 1. c. 3.

10 Cappę, quibus Episcopi vtuntur in propria Ecclesia, & in Capella Papali, erunt laneæ violacei coloris; in hyeme pellibus albis suffultæ, in æstate verò serico rubeo; in solemnioribus ex Camelotto: excipiuntur Prælati Regulares, qui semper vtuntur colore sui Ordinis, sicut in reliquo habitu; erũt autem regulariter ex lana, & in solemnioribus ex Camelotto.

11 Episcopi assistentes, sicut reliqui le familia Pontificis viuentis nunquam mutant colorem in habitu, sed semper vtuntur vestibus violaceis. De sacris verò vestibus, quibus celebrantes Episcopi vtuntur, infra suo loco dicetur. Inf. lib. 2 sec. 1. c. 10.

De Electione Episcopi. Cap. II.

1 *Episcopi Electio, & confirmatio.*
2 *Prouisus quando, & quomodo induendus.*
3 *Consecrationis commissio quomodo facienda.*

1 EPiscopi Electio nõ ab alio, quàm à Romano Pontifice fieri potest; quamuis autem in aliquibus Ecclesijs per eandem Sanctam Sedem Regibus, ac Principibus Viris concessum sit Ius præsentandi, non tamen electio ad ipsos spectat, sed ad Romanum Pontificem, qui, si videbitur; præsentatos eligere, atque confirmare potest; Eliguntur autem, cum in Consistorio præconizãtur; confirmantur verò, cum in alio Consistorio, fabricato prius processu de vita, & moribus promouendi, expeditur cedula, quam In Vrbe vocant Consistorialem, super qua literę Apostolicę expediuntur. Concil. Tri. sess. 6. c. 1. & sess. 22. c. 2.

2 Statim ac aliquis certior fit factus, se à Summo Pontifice in Consistorio ad Episcopatum fuisse promotum, siue in Curia degat, siue absens sit, prius amplam coronã sibi in capite decenter formari curabit, statimq; Episcopalibus vestibus violacei coloris induet, modo supra præscripto: & si fuerit pręsens in Curia, quàm primum adibit Summum Pontificem, & ei gratias aget, se ipsum, & Ecclesiam sibi creditam commendabit, & ab eo Rochettũ accipiet; deinde singulos DD. Card. in eorũ domibus visitabit, eis gratias agẽs, & se, suaq; Ecclesiã cõmendans: absens verò per litteras id pręstabit. Cærem. Episc. lib 1. c. 1.

3 Consecratio Episcopi intra tres mẽses à die Cõfirmationis fieri debet extra Vrbẽ p literas Apostolicas Cõsecratori expe- Concil. Tri. sess. 23. de ref. c. 2.

expeditas, si verò fuerit in curia per mãdatum à Camera Apostolica emanatũ, vel si Consecrator fuerit S. R. E. Cardinalis per commissionẽ viuæ vocis oraculo à Summo Pontifice ipsi factam.

De præparandis pro consecratione Episcopi. Cap. III.

1 *Dies Consecrationis qualis eligendus.*
2 *Capella maior pro Consecratore quomodo præparanda.*
3 *Quomodo Capella minor pro Electo.*
4 *Offerenda quæ, & quomodo præparanda.*
5 *Pro Assistentibus quæ præparanda.*
6 *Consecratoris Ministri.*
7 *Electi Ministri.*
8 *Assistentium Ministri.*
9 *Missa in Consecratione Episcopi dicenda.*

Pōt. Ro. p. 1. tit. de consl. Elec. in Episcop. pag. 75.

1 EPiscopi Consecratio regulariter die Dominico fieri debet, vel etiã Si Sum. Pontifex dispensauerit die festiuo, semper præuio ieiunio, decet enim Consecratorem, & Electum pridie ieiunare.

2 Pro Consecratore paretur Capella maior, in qua sex candelabra cum suis cereis mediam habebunt crucem; ipsius verò Altaris ornatus erit solemnis cum flosculis, & in pauimento sternantur tapeta. In credentia Episcopi Consecrantis à latere Epistolæ parata sint duo candelabra cum cereis; vasa ad abluendas manus cum suis mantilibus, medulla panis pro abstergendis manibus in peluicula argentea; Sanctum Chrisma; vas aquæ benedictæ cum aspersorio; Calix cum suis ornamentis; ampullæ cum vino, & aqua; Hostiaria cum Hostijs; item Sandalia, Chirotecæ, Annulus Pontificalis, Mitræ, & prope credentiam sit Baculus Pastoralis; supra Altare verò sternantur reliqua paramenta, videlicet Amictus, Alba, Cingulum, Crux pectoralis, Stola, Tunicella, Dalmatica, Planeta; item Missale, & intra ipsum imponatur Manipulus, similiter Pontificale; parentur etiam faldistorium, & tria scabella pro Electo, & Episcopis assistentibus.

3 Altera Capella minor à latere Euangelij; paranda cum quatuor cereis in medio pariter habebit crucem cum alijs ornamentis, non tamen ita solemnibus, sicut in Capella maiori; supra verò ipsum Altare præter Pontificalia paramenta pro ipso Electo, quæ debent esse albi coloris; præparabitur insuper Pluuiale, nec non Missale, ac Pontificale, & pro Electo, & Episcopis assistentibus tria scabella nuda in ipso plano. Similiter paretur ibidem, & altera credentia cum vasis ad abluendas manus, medulla panis ad fricandum, & extergendum manus, & caput in peluicula argentea præparentur: item & in alia peluicula mappulæ lineæ pro extersione capitis, & manuum Electi; Pecten ebutneus, Annulus cum gemma benedicendus in credentia supra peluiculam præparetur: pariter Chirotecæ, Sandalia, & cætera necessaria.

4 Pro Offertorio in eadem credentia supra bacilia argentea præparentur duo panes magni, alter auratus, alter argento ornatus cum insignibus Consecratoris, & Electi: duo pariter bartilia vini optimi, vnum ex auro, alterum ex argento ornatum, hinc inde habentia arma Consecratoris, & Electi, sint & duo intortitia, quodlibet quatuor librarum. Prope ipsammet credentiam assistere debent Scutiferi Electi, qui illam custodiant; &, cum opus est, Episcopo inseruiant tàm cum manus lauat, quàm ad Offertorium, post eum offerenda deferentes.

5 Pro Episcopis assistentibus præparentur Pluuialia duo eiusdem coloris, quo celebrantis sunt paramenta, qui supra Rochettum, si illo vtantur, vel, si eo non vtantur, supra superpelliceum induantur Amictu, Stola, & Pluuiali cum Mitra simplici alba, &

quilibet habeat ſuum Pontificale.

6 Capellani Conſecrantis ſint ab aliis diſtincti, qui circa Capellã maiorem ſuperpelliceis induti illi inſeruiant, quilibet in ſuo munere.

7 In Capella verò Electi ſint ſui Capellani pariter ſuperpelliceis induti ad minus quatuor, præter Scutiferos, qui aſſiſtere debent ad credentiam.

8 Quilibet Aſsiſtens ad minus duos habeat Capellanos cottis indutos, quorum alter de libro, alter verò de *Mitra* deſeruiat.

9 Olim in veteri Pontificali habebatur propria *Miſſa* dicenda in Conſecratione Epiſcopi, modo ex Rubrica Pontificalis nouiter Clem. VIII. iuſſu æditi habemus, vt nunquam propter Ordinationem mutetur Officium *Miſſæ*, ſed tantũ poſt Orationem diei addatur Collecta pro Electo, dicẽda ſub vno *Per Dominũ*, &c. quæ habetur ad commoditatem celebrantium in fine *Miſſalis* emendati cũ ſua Secreta, Infra actionem, & poſt Communionem; Color tamen paramẽtorum ſemper erit albus.

De Conſecratione Electi Epiſcopi. Cap. IV.

1 *Electus Conſecratorem aſſociat.*
2 *Ad Eccleſiam quo ordine accedendum.*
3 *Electus vbi, & quomodo induendus.*
4 *Quo ordine cum Aſſiſtentibus ad Conſecratorem accedit.*
5 *Quomodo poſtulandus.*
6 *Iuramentum quomodo ab Electo præſtandum.*
7 *Examen quomodo faciendum.*
8 *Ad Confeſſionem in principio Miſſæ quomodo procedendum.*
9 *Miſſa quomodo, & quouſque proſequenda.*
10 *Electus ad Conſecratorem ductus, quomodo monendus, & hortandi adſtantes.*
11 *Litaniæ quomodo dicendæ.*
12 *Liber Euangeliorum ſuper ſcapulas Electi quomodo imponendus, & ſuſtinendus.*
13 *Impoſitio manuum, & Oratio cum Præfatione ſuper Electum à Conſecratore dicenda.*
14 *Hymnus Veni creator dicendus, & neceſſaria pro vnctione Electi diſponenda.*
15 *Vnctio capitis quomodo facienda.*
16 *Item manuum vnctio quomodo.*
17 *Baculi benedictio, atque traditio.*
18 *Benedictio, & impoſitio Annuli.*
19 *Liber Euangeliorum Conſecrato tradendus.*
20 *Capitis abſterſio, & manuum lotio facienda Electo in ſua Capella.*
21 *Ordo procedendi ad Miſſam.*
22 *Ad Oblationem quomodo procedendum.*
23 *Miſſa quomodo in Altari proſequenda.*
24 *Vini quantitas in Calicem immittenda.*
25 *Secreta à Conſecrato ſimul cum Conſecratore dicenda.*
26 *Obſeruanda in prolatione, & actibus.*
27 *Pax quomodo danda.*
28 *Conſecratus ſub vtraq; ſpetie quomodo ſacram communionem ſumat.*
29 *Purificatio, & reliqua vſq; ad benedictionem excluſiuè proſequenda.*
30 *Conſecrator ſolus populo benedicit.*
31 *Mitra Conſecrato imponenda.*
32 *Chirotecæ quomodo imponendæ.*
33 *Conſecratus intronizatur.*
34 *Per Eccleſiam quomodo circumducitur.*
35 *Dicenda à Conſecratore ſupra Conſecratum.*
36 *Solemnis benedictio danda à Conſecrato.*
37 *Acclamationes faciendæ à Conſecrato.*
38 *Miſſa quomodo complenda à Conſecratore, & quomodo à Conſecrato.*
39 *Conſecratus gratias agere debet Conſecratori, & Aſſiſtentibus.*
40 *Habitus nouiter Conſecrati.*
41 *Anniuerſaria dies Conſecrationis Epiſcopi celebranda.*

1 INstante die Consecrationis hora congrua, si Consecrator sit Cardinalis, decet, vt Electus, & Episcopi assistẽtes adeant Consecratorem in domo, quem ad Ecclesiam destinatam, in qua sint omnia, vt supra, parata, comitentur induti violaceis, Mantellettum supra Rochettum habentes.

2 Ad Ecclesiam peruenientes, vbi aliquantisper ante Altare orauerint, Consecrator accedens ad faldistorium in cornu Epistolæ præparatum, ibi, vt moris est, sacris induitur.

3 Electus verò cum Episcopis assistẽtibus ad Capellam suam accedens, eodẽ tempore sacris se induit vestibus, videlicet Amictu, Alba, Cingulo, Stola cum Pluuiali; & si Missa non solemniter cantetur, accipiet etiam Sandalia, interim legens Psalmos, & Orationes; Episcopi verò assistentes eodem tempore accipiunt Pluuialia cum Mitris.

4 Omnibus paratis Consecrator ad Altare accedens in medio sedet super faldistorium, vertens renes Altari: Electus verò cum bireto medius inter assistentes Episcopos paratos, & Mitratos ducitur ad Consecratorem; quò cum peruenerint, ei reuerentiam faciunt, Electus nudato capite; Assistentes verò cum Mitra caput tantũ inclinant: Sedent deinde omnes ante Consecratorem; Electus cõtra faciem Consecratoris, Assistentes senior à dextris; iunior à sinistris faciebus ad alterutrum versis.

5 Vbi aliquantulum quieuerint surgunt, Electus sine bireto, & Assistentes Mitris depositis, senior rogat Consecratorem forma in Pontificali tradita, & si legendum sit mandatum, omnes sedent tectis capitibus. Quòd si non sit legendum, primo Assistente dicente: *Habemus viua vocis oraculum*, Consecrator respondet *Deo gratias*.

Pôt. Ro. vbi sup. tit. for. iur. pa. 79. 6 Electus corã celebrante genuflexus legit de verbo ad verbũ iuramentũ, iuxta formã præscriptam, Assistentibus interim sedentibus cum Mitris; & in fine Electus ambabus manibus textum Euangelij in gremio Consecratoris à Mag. Cæremoniarũ appositũ tãgens, adhuc genuflexus dicit, *Sic me Deus adiuuet*, &c. & Consecrator subdet *Deo gratias*.

7 Præstito iuramento, Electus, & Assistentes in suis locis sedent; Consecrator verò prosequitur examen Conc. Carthaginiensis, quod legi debet semper in singulari, etiãsi plures examinentur: Assistẽtes verò sedentes cũ Mitris eadẽ submissa voce dicent, quæ Consecrator: & Electus ad singulas interrogationes detecto capite respõdens assurgit, & si plures sint Electi; successiuè quisque respondebit. Expleto examine ad Consecratorem ductus ab Episcopis assistentibus genuflexus eius manum osculatur. Concil. Car. 4. c qui epis. ord. dist. 23.

8 Consecrator desedẽs ante gradus Altaris, ibi deposita Mitra, facit more solito cõfessionẽ, Electo à sinistris eius existẽte; Epi verò assistentes in suis scabellis cũ suis ministris pariter faciũt cõfessionẽ.

9 Cõpleta cõfessione, Cõsecrator Altare asc ẽdẽs legit Missã, quæ erit de die cũ Orõne *Adesto*, pro Electo dicendę sub vna cõclusione, quæ habetur in fine Missalis, vel eam cãtat vsq; ad *Alleluia*, vel vltimũ Versũ Tractus exclusiuè; quibus dictis sedet cũ Mitra in faldistorio in medio Altaris sibi præparato: Electus verò cum Assistentibus ad suã Capellã accedẽs deponit Pluuiale, & accipit sandalia recitãdo Psalmos, si fortè prius non acceperit; deinde accipit Crucẽ pectoralẽ, & Stola ei aptatur, postea Tunicella, Dalmatica, & Casula induitur, & sic indutus in suo Altari medius inter Episcopos assistentes eadẽ legit, vt supra, non tamẽ dicens *Dominus vobiscum*, se vertit ad populum.

10 Dicto *Graduali*, vel *Tractu*, vsq; ad vltimũ versiculũ exclusiuè, vt supra, Assistentes ducunt Electum ad Consecratorem in faldistorio sedentem, quò peruenientes, Electus, deposito bireto, caput profundè inclinat; ipsi verò cum Mitris aliquantulum se inclinantes Cõsecratorẽ reuerentur; deinde sedẽtibus omnibus

Consecrator monens Electum de suo munere dicit, *Episcopum oportet*, &c. & surgentibus omnibus, Consecrator stans cum Mitra eos hortatur, vt orent pro Electo, dicens: *Oremus dilectissimi*, &c.

Pōt. Ro. vbi sup. pag. 87.

11 Ad Litanias omnes procumbunt, Consecrator ante faldistorium, Assistentes ante suas sedes, cum Mitris; Electus verò à sinistris Consecratorii prostratus capite super puluino posito, reliqui omnes genuflectunt: Et vbi dictum fuerit. *Vt obsequium seruitutis nostræ*, &c. Consecrator surgens, & ad Electum conuersus Baculum Pastoralem sinistra tenens dicit primò *Vt hunc præsentem Electum benedicere digneris*, &c. Secundò *Vt hunc præsentem Electum benedicere, & sanctificare digneris*, &c. Tertiò *Vt hunc præsentem Electum benedicere, sanctificare, & consecrare digneris*, &c. semper signum crucis super illo producendo, quod etiam facere debent Episcopi assistentes, genuflexi tamen permanētes. Quibus dictis iterum Consecrator procumbit vsque ad finem Litaniarum.

12 Post Litanias surgentibus omnibus, Consecrator cum Assistētibus cum Mitra librum Euangeliorum apertum super ceruicem, & scapulas Electi coram ipsis genuflexi imponunt, Capellano retro post ipsum genuflexo continuè illum sustinente, donec in manus Electi sit tradendus; erit autem inferior pars libri ceruici Electi inhęrens, superior verò ad manus Capellani.

Pōt Ro. vbi sup. pag. 89.

13 Consecrator, & Assistentes manus Consecrando imponunt dicentes; *Accipe Spiritum sanctum*: Deinde Consecrator deposita Mitra, Assistentibus pariter adstantibus sine Mitra, dicit Orationes *Propitiare*, &c. Extensisque manibus subdit Præfationem.

14 Consecrator flexis genibus versus Altare, omnibus pariter genuflexis incipit Hymnum *Veni creator Spiritus*, &c. aliis prosequentibus vsque in finem; dictoque primo versu surgit, & sedet in faldistorio cum Mitra; Assistentibus pariter imponitur Mitra. Interim Electi caput mappula linea ligatur, & Consecratori abstrahuntur Annuli, & Chirotecę, imponitur Gremiale, & Annuli reponuntur.

15 Sancto Chrismate pollice dextero inungit caput Electi coram se genuflexi, formans primò signum crucis per totam coronam, deinde reliquum coronę liniendo dicens *Vnguatur*, &c. tertiò signum crucis super caput Electi producens, & si plures sint consecrandi, hoc idē plures repetitur. Expleta vnctione Consecrator pollicem cum medulla panis abstergit, surgens deinde deposita Mitra, adstantibus pariter Episcopis assistētibus sine Mitra prosequitur Præfationem manibus extensis, vt prius.

Pōt Ro. vbi sup. pag. 96.

Pōt. Ro. vbi sup. pa. 102.

16 Postea Consecrator inchoat Antiphonam *Vnguentum*, quam prosequitur schola vnà cum Psalmo, & inchoata Antiphona imponitur collo Electi alia mappa. Consecrator sedet cum Mitra Episcopis assistentibus pariter cum Mitra. Manus Electi ante se genuflexi inungit cum Chrismate, dicens; *Vnguantur manus*, &c. producens in fine ter signum crucis super manus Electi; deinde subdit Orationem *Deus, & Pater*, &c. qua completa iungit ambas manus Consecrati, & eas imponit mappulę à cullo dependenti: Consecrator verò abstergit paululum medulla panis pollicem.

17 Consecrator surgens sine Mitra benedicit Baculum, si non sit benedictus: deinde sedens cū Mitra adstantibus Episcopis cum Mitra tradit Consecrato coram se genuflexo capienti ipsum inter indices, & medios digitos, manibus non disiunctis, dicens, *Accipe Baculum*, &c.

Pōt. Ro. vbi sup. pa. 105.

18 Surgens deinde benedicit Annulum, si non sit benedictus, & sedens cum Mitra ipsum in digitum annularem dexterę manus Consecrati imponit, dicens *Accipe Annulum*, &c.

19 Tradito Annulo, Cōsecrator accipit librum Euangelii, scapulis Consecrati, & adiuuantibus Episcopis assistentibus

stentibus

stentibus hinc inde cum *Mitris* clausum eum tradit Consecrato tangenti illum sine apertione manuum dicens, *Accipe*, &c. Recipit deinde Consecrator ipsum Consecratum ad osculum Pacis, dicens *Pax tibi*, quod successiuè, ac singillatim fit ab Episcopis assistentibus, ipse verò singulis respondet *Et cum spiritu tuo*, tûc Consecrator in suo faldistorio manus lauat.

20 Consecratus medius inter Assistentes redit ad Capellam suam, ibique sedenti prius medulla panis caput abstergitur, mox panno lineo mundo, deinde pectine mundatur, & complanantur capilli, ac tandem manus lauat.

21 Deinde Consecrator deposita Mitra, & amoto faldistorio stans ad Altare procedit ad Missam vsque ad Offertorium inclusiuè; idem facit Consecratus medius inter Assistentes sine Mitra in sua Capella.

22 Dicto Offertorio, accèduntur duo intortitia, quæ deferuntur à familiaribus Episcopi Consecrati, deferentibus aliis panes, ac barrilia vini; ipse verò Consecratus medius inter Episcopos Assistentes Mitratos procedit ad Côsecratorem sedentem in faldistorio in medio Altaris, & coram ipso genuflexus offert duo intortitia accensa, duos panes, & duo barrilia vini, Consecratoris manus prædicta recipientis reuerenter osculando. Consecrator accepta Oblatione manus lauat in faldistorio, deinde deposita *Mitra* accedit ad Altare prosequuturus in eo Missam.

23 Capellani Consecrati deferunt Missale cum puluino in Altari Consecrâtis ad posterius cornu Epistolæ, ibique procedês Consecratus medius inter Episcopos assistentes sine Mitra in eodem cornu Epistolæ habens ante se Missale suum, simul cum Consecratore dicit, & facit omnia, prout in Missali.

24 Consecrator offert vnam Hostiam pro se, & Consecrato, prout in nouo Pôtificali est additum, & vinum in Calice, quod imponi debet sufficiens pro vtroque.

25 Dicitur secreta *Suscipe Domine*, &c. pro Consecrato cum Oratione diei sub vno *Per Dominum*, &c. & infra actionem propria, prout in fine Missalis emendati. Omnia tamen ita distinctè, & clarè dicet, vt Consecratus prosequi possit.

26 Circa coniunctionem, extensionem, seu eleuationem manuum Consecratus idem seruabit, quod Consecrator, similiter in efformatione crucis super Oblata, nunquam tamen se vertet ad populum, sed omnia, ac singula eodem tempore, atque distinctè cum Consecratore proferet.

27 Dicta Oratione *Domine Iesu Christe*, per Consecratorem, & Consecratum, Consecratus ad dexteram Consecratoris accedens osculatur cum illo Altare, & pacem accipit, quam ille dat Episcopis assistentibus, primò seniori, mox alteri, singulis dicens *Pax tecum*, & illi respondent, *Et cum spiritu tuo*.

28 Consecratus prosequitur cum Consecratore Orationes ante communionem cum illo pariter dicens *Panem cælestem*, & *Domine non sum dignus*, & dû Consecrator corpus, & sanguinem Domini sumit, ipse stat profundè inclinatus. Priusquam Consecrator se purificet, Consecratus ad eius dexteram inclinatus, prius corpus, deinde sanguinem de manu Consecratoris sumit.

29 Sumpta communione Consecrator purificat se postea Consecratum, quibus peractis, Consecratus procedit cum assistentibus Episcopis ad cornu Altaris Euangelii, illucque prius à Capellanis Consecrati liber Euangeliorum cum puluino transfertur. Consecrator verò abluit digitos super calicem, & ablutione assumpta stans cum Mitra lauat manus. Interim eius Ministri Missale transferunt in cornu Epistolæ; ipse verò deposita Mitra legit Communionem, atque Orationem post Communionem, in qua dicitur Oratio pro Consecrato sub

vno *Per Dominum*; Consecrato eadem ad latus Euangelij cum suis Assistentibus dicente, vsque ad *Placeat* exclusiuè.

30 Dicto *Placeat*, & Consecrator solus in medio Altaris cum Mitra benedicit populo, & si fuerit Archiepiscopus in sua Prouincia delata cruce ante ipsum, sine Mitra, id facit.

31 Data benedictione reponitur faldistorium ante medium Altaris, & Consecrator cum Mitra in eo sedet, Cōsecratus verò ante ipsum cum bireto in capite genuflectit. Et Consecrator adiuuantibus Episcopis assistentibus Mitram in capite Consecrati imponit, dicens; *Imponimus*, &c. & si non fuerit prius benedicta, antequam eam imponat, stans sine Mitra, ipsam benedicit.

32 Deinde extracto Annulo de manu Consecrati, imponit ei Chirotecas dicens *Circumda*, &c. & statim imponitur ei Annulus, & si Chirotecæ non fuerint benedictæ, prius benedicantur à Consecratore stante sine Mitra.

33 Tunc surgens Consecrator accipit dexteram manum Consecrati, & primus ex Assistentibus sinistram, & intronizant eum, ponendo ipsum ad sedendum in faldistorio, de quo surrexerat Consecrator, vel si in sua Cathedrali fuerit, intronizant eum in sede Episcopali consueta.

34 Consecrator Baculum tradit in sinistra manu Cōsecrati, & deposita Mitra, conuersus ad Altare incipit Hymnum *Te Deum laudamus* cæteris prosequentibus, & tunc Consecratus ab Assistentibus Mitratis ducitur per Ecclesiam omnibus interim benedicendo, & ad Altare reuersus sedet in faldistorio, donec finiatur Hymnus, Assistentes verò illuc peruenientes depositis Mitris, stant apud Consecratorem à latere Euangelii, sine Mitra à latere dextero faldistorii stantem.

35 Consecrator, Hymno completo, à dextris stans Consecrati inchoat Antiphonam *Firmetur manus tua*, &c. post quam dicit Versiculos cum Oratione *Deus omnium fidelium*, &c. qua finitę stat ibidem, videlicet à latere Euangelii cum Assistentibus, omnes sine Mitra.

36 Consecratus surgens cum Mitra, & Baculo, in medio Altaris dat solemnem benedictionem.

37 Data benedictione, Consecrator, & Assistentes accipiunt Mitras, stantque omnes in cornu Euangelii facie conuersa ad cornu Epistolæ. Ipse verò Consecratus cum Mitra; & Baculo ad cornu Epistolæ Altaris genuflexus versus Consecratorem dicit cantando *Ad multos annos*, deinde ad medium pariter genuflexus altius dicit *Ad multos annos*, ac tertiò ad pedes Consecratoris genuflexus altius dicit *Ad multos annos*, & tunc Consecrator prius, deinde Episcopi assistentes recipiunt ipsum ad osculum pacis nihil dicendo.

38 Consecrator in Altari dicit Euangelium Sancti Ioannis, deinde facta cruci reuerentia, in sede, vel in faldistorio deponit sacras vestes dicens interim *Trium puerorum*, &c. Consecratus accepta pace, facta cruci super Altare reuerentia vnà cum Episcopis assistentibus cum Mitra, & Baculo recedit, dicens Euangelium Sancti Ioannis *In principio erat Verbum*, &c. donec perueniat ad suam Capellam, vbi dicens Antiphonam *Trium puerorum*, cum Cantico, sacris se exuit vestibus, & Episcopi pariter sacras vestes deponunt. Quòd si dicendum fortè occurrat aliquod particulare Euangelium in fine *Missæ*, puta si in die Dominico, occurrente festo duplici, *Missa* fuerit celebrata de Sancto, in fine dicetur Euangelium Dominicæ, tunc illud leget in sua Capella ex *Missali* assistentibus hinc inde Episcopus, & lecto Euangelio deponet sacras vestes, vt supra, & genuflexus ante Altare gratias agens aliquantisper orabit.

39 Omnibus, vt supra, expletis, Consecratus prius Consecratori, mox

Assistentibus suis gratias agit, & recedente Consecratore ipsum associat ad locũ suæ habitationis, maximè si sit Cardinalis, cum Assistentibus, & aliis Prælatis: qui de more nouiter consecrato, tanquã sponso tota illa die primum locum post Consecratorem tribuunt.

40 Nouiter Consecratus per annum non mutat habitum, sed tanquam sponsus, etiam si propinquorum luctus contingat, etiã diebus ieiuniorum, & in omnibus violaceis vtitur vestibus.

Concil. Mediol. 4. 41 Quotannis eadem die, qua quis fuerit Episcopus Consecratus, eius consecrationis dies solemniter celebrabitur, diceturq; ab omnibus in Cathedrali Ecclesia Missa in fine Missalis emendati assignata, vel saltem Oratio pro Episcopo, & Missa solemnis: qua die ipse Episcopus in habitu, & in omnibus procedit sicut in solemnioribus; & vt ab omnibus piè recolatur decet, vt Kalendario adnotetur, & populo denuncietur.

Obseruanda cum plures simul Episcopi consecrantur. Cap. V.

1 Quotannis si plures simul Episcopi ordinentur, singuli habeant suos Episcopos assistentes, & reliquos Ministros distinctos, puta Capellanos, atque scutiferos.

2 Singuli singillatim iuramentũ præstent.

3 Singulis interrogationibus quisq; singillatim respondeat.

4 Ad Litanias omnibus simul datur benedictio, diciturque, *Vt hos præsentes, Electos*; & in Orationibus mutatur numerus singularis in plurali.

5 Singulis suus liber Euangeliorum super scapulas imponitur.

6 Singulis imponuntur manus à Cõsecratore, & Assistentibus, dicendo singulis *Accipe Spiritum sanctum*.

7 Singulis seorsum vnguntur, & verba consecrationis singulis repetuntur tàm in capitis, quã manuũ vnctionibus.

8 Singillatim singulis traditur Baculus, & singillatim pariter imponitur Annulus cum debita verborum prolatione singulis repetita.

9 Singillatim singulis post Consecrationem datur pacis osculum.

10 Ad Offertorium singuli offerunt, primò senior, deinde iunior suo ordine.

11 Ad Altare Consecrati in medio Assistentes à lateribus semper adstant ipsos adiuuantes, primi videlicet Assistentes à dextris, secundi à sinistris.

12 In Communione ex eadem Hostia, & eodem Calice participant primò senior, deinde iunior; similiter eodem ordine sumpta sacra Communione purificant.

13 Singulis sua *Mitra* imponitur, ac pariter Chirotecæ.

14 Vnus post alium intronizatur, vel in eadem sede, vel, quod magis decet, distinctis sedibus.

15 Simul procedunt per Ecclesiam benedicendo omnes, & redeuntes, quilibet sedet in suo faldistorio, vel sede.

16 Singuli vnus post alium dant solemnem benedictionem populo.

17 Singuli quoque acclamationes faciunt vnum post alium genuflexi dicentes *ad Multos annos.*

De Possessione per Procuratorem Capienda ab Episcopo nouiter Electo. Cap. VI.

1 *Gratiæ Deo agendæ in electione Episcopi.*

2 *Ordo seruandus in Possessione capienda.*

1 Cvm primum de electione Episcopi constiterit, decet, vt omnes Campanæ Ciuitatis pulsentur, & sedes Episcopalis paretur, conuenienteque Clero in Ecclesiam, canterur Hymnus *Te Deum laudamus* cum Orationibus pro gratiarum actione: fiatque solemnis Processio Cleri Sæcularis, ac Regularis Cærem. Mediol. li. 1. c. 1. Ritual. Rom. de Process.

cum

Infr. lib. 2. sect. 10. c. 7.

cum Confraternitatibus pro gratiarum actione, iuxta præscriptam formam de processionibus proprio loco.

Cærem. Mediol. li. 1. c. 1.

2 Episcopus Electus adhuc absens alicui, si fieri potest, qui sit in dignitate constitutus, mandatum procuræ transmittet, qui monito Capitulo statuta die cum Notario, & testibus Ecclesiam ingrediens, oratione prius ante Altare facta, omnibus in suis locis sedentibus, ipse pariter consedebit, & literas Apostolicas Notario publicè legendas tradet, qui aperto capite stans eas loco congruo leget alta voce, omnibus audientibus, præcipuè tribus, vel pluribus ex nobilioribus laicis rogatis testibus; quibus lectis, duo ex Capitulo digniores deducunt Procuratorem Episcopi ad possessionem capiēdam prius ad Altare, qui illud in medio, in cornu Epistolæ, & Euangelij osculabitur; deinde deducunt ad sedem Episcopi, quam decet esse panno serico albo paratam cum solita vmbella; is vbi aliquandiù in ea quiescens sederit, per Ecclesiæ ambitum vnà cum Canonicis incedet, ac tandem cum eis ad locum, vbi Capitulariter congregari solent, conueniens, sedens in loco Episcopi, omnibus consedentibus, nomine Episcopi eos alloquitur, singularem ipsius voluntatem in eos exprimens, qui absoluto sermone eundem vsque ad Ecclesiæ ianuas comitantur; ipse verò Procurator ad Episcopale Palatium se conferens, fores aperit, & claudit, singulaque in mandatis contenta exequitur, ac de prædictis omnibus Notarius, adhibitis testibus, publicum conficit instrumentum.

De primo, ac solemni ingressu Episcopi ad suam Ciuitatem, & Ecclesiam Cathedralem. Cap. VII.

1 *Procurando ab Electo pro sua Ecclesia.*
2 *Preparanda pro accessu ad Ecclesiam.*
3 *Itinerarium quando, & quomodo recitandum.*
4 *Episcopi aduentus quomodo denuntiandus.*
5 *Preparanda in Ecclesia Cathedrali.*
6 *Episcopus vbi, & quando cappa induendus.*
7 *Quando, et quomodo Pontificaliter equitabit.*
8 *Crucem quando, & quo ordine osculabitur.*
9 *Vbi, & quomodo sacris indutus processionaliter excipitur.*
10 *Ordo Processionis.*
11 *Episcopus quomodo procedit.*
12 *Ante fores Ecclesiæ quomodo excipitur.*
13 *Incensum à quo, & quomodo ministrādum.*
14 *Ad Altare quomodo deducatur.*
15 *Orationes in Altari dicendæ.*
16 *Canonici ad osculum pacis recipiendi.*
17 *Sermo si habeatur, quomodo procedendum.*
18 *In Altari quid agendum.*
19 *Quo ordine recedendum.*
20 *Instrumentum publicum fabricandum.*
21 *Episcopus in alijs locis suæ Diœcesis quomodo excipiendus.*
22 *Si ante ingressum ad Cathedralem per alia loca transeat, quomodo procedendum.*

1 EPiscopus personaliter accessurus ad suam Diœcesim Indulta, ac Priuilegia à Summo Pontifice obtinere conabitur, præcipuè Indulgentiam Plenariam pro populo suæ primæ Missæ ad futuro.

Cærem. Episc. li. 1. c. 2.

2 Insuper præparabit ea omnia, quæ itineri, & ingressui vsui esse poterunt, nimirum vestes Episcopales ordinarias, Cappam Pontificalem violacei coloris, & si sit Regularis, coloris habitus sui Ordinis, Pileum Pontificalem, Equum, & Mulam cum ornamentis opportunis, libros necessarios, videlicet Pontificale, Cæremoniale, Rituale, ac Missale; paramenta etiam sacra, quę pro ingressu ne-

cessaria erunt, idest Amictum, Albam, & Cingulum, Pluuiale album cum Stola, Mitra pretiosa, & Annulo Pontificali.

3 In discessu recitabit in propinquiori Ecclesia, siue domi, vel in Oratorio, vel alio loco congruo cum suis Clericis Itinerarium, quod pariter obseruabit quotidie mane post Missæ sacrificium, antequam equum ascendat.

Cærem. Episcop. li. 1. c. 12

4 Cum vnius diei, vel bidui spatio suæ Ciuitati appropinquauerit, significabit Vicario, Canonicis, & Capitulo, nec non Magistratui, & Officialibus diē, & horam sui ingressus: Vicarius indicet processionem habendam in huiusmodi ingressu omnibus, ad quos spectat.

5 Ecclesia Cathedralis ornetur, sicut in solemnioribus pridie cum insignibus Episcopi supra ianuas, vespere post salutationem Angelicam, Cathedralis Ecclesiæ Campanę, atque etiam aliarum Ecclesiarum tam sęcularium, quàm Regularium vtriusque sexus pulsentur, sicut in solemnioribus, ac pręcipuis festiuitatibus: Pręfecti Ciuitatis curent vias mundari, ac frondibus, floribus, alijsque ornamentis decenter apparari.

6 Ipsa die hora statuta Episcopus prope Ciuitatem ad duo milliaria in aliquod sacello loco cōgruo pręparato descendens de Mula, vel Equo deponit indumenta itineraria, & ad eum vsque locum Nobiles laici ipsi obuiam procedere debent: Interim in Cathedrali ordinatur processio Clericorum, ac Religiosorum vsque ad Portam Ciuitatis procedentium obuiam Episcopo.

7 Episcopus indutus veste talari cum rochetto, & Cappa Pontificali ascendit Mulam ornatam Pontificalibus Ephippijs, & stragula violacei coloris, *Pileum* quoque Pontificalem in capite gerens; & ità à Nobilibus laicis, qui ei obuiam processerunt, & à suis familiaribus comitatus grauiter procedit, vsque ad Portam Ciuitatis, vbi à Clero, & Religiosorum processione excipiendus expectatur extra *Portam*.

8 Ad Portam Ciuitatis vbi peruenerit Episcopus, descendit de Mula, & in tapeto ibidem strato, & puluino sibi parato genuflexus adorat Crucem, quam dignior de Capitulo Pluuiali indutus ei osculandam offerr.

9 Adorata Cruce, loco congruo ad id pararo, deposita Cappa, sacris induitur vestibus, videlicet *Amictu*, *Alba*, Cingulo, Stola, ac Pluuiali albi coloris, ac denique Mitra pretiosa eius capiti imponitur, & sic paratus conscendit Equum serico albo vndique tectum, & ornatum; Cantores, vbi Episcopum sic dispositum conspexerint, cantabunt *Ecce Sacerdos magnus*, prout in Pontificali.

Pontif. Rom. p. 3. tit. ordo ad recipiendū pag. 618

10 Procedendum autem erit per ordinem, equitantibus primò Ciuibus omnibus; Secundò loco sequentur familiares Episcopi; Tertiò Magistratus, & Officiales Ciuitatis; Quartò Barones, & Principes, si fortè adsint; post hos à Palafrenario ducetur Mula Episcopi Pontificalibus ornata, sequentur processionaliter Confraternitates, & Scholę Disciplinatorum pedibus incedentes, primò Regularium, tum Sęcularium Ecclesiarum cum habitu Chorali cum suis Crucibus ordinarijs in processionibus solemnibus deferri consuetis, cātantes Antiphonas, Psalmos, & Hymnos, prout in Pontificali Rom. & post omnes Clerus Ecclesiæ Cathedralis, ipsis Canonicis immediatè ante Episcopum procedentibus, & interim omnes Campanæ Ciuitatis pulsantur.

Pōt. Ro. vbi sup.

11 Post omnes Episcopus Mitratus equitabit sub Baldachino, quod portabitur primò à Magistratu Ciuitatis, deinde per Nobiles Ciues vsque ad Ecclesiam, vel etiam ab eis, quibus ex consuetudine, seu priuilegio competit. Sequuntur Prælati si adsint, & post eos Togati omnes Equis insidentes. Episcopus per viā frequenter dextera manu extensa formans signum Crucis benedicit populo.

12 Episcopus ante Ecclesiæ ianuas descendens ex Equo, super Tapeto ibi-

dem strato,& extenso, accipit aspersoriũ de manu dignioris de Capitulo Pluuiali, vt supra,induti, quo se, & alios asperget aqua benedicta.

13 Mox eodem ministrante Nauiculam benedicit, & imponit thus in thuribulum,quod Thuriferarius defert: tum idem dignior accepto thuribulo de manu Acholythi,facta Episcopo profunda inclinatione,ipsum stantem cum Mitra triplici ductu incensat.

14 Incensato Episcopo,Cantores inchoant Hymnum *Te Deum laudamus*, & præcedentibus Canonicis, Episcopus Baculum Pastoralem gerens in sinistra, dextera populo semper benedicens, sonora Cantorum,& Organorum modulatione ducitur primùm ad Altare Sanctissimi Sacramenti, ibique deposita Mitra, genuflectit super puluino,& orat;deinde surgit, factaque Sanctissimo Sacramento reuerentia cum genuflexione,accipit Mitram,& ad Altare maius procedens ante infimum gradum deposita Mitra facit Cruci reuerentiam, caput profundè inclinando, deinde in faldistorio sibi parato genuflexus orat.

15 Dignior Pluuiali indutus ad Altare accedens,completo Hymno,cantabit ex libro super Altare posito Versic. *Protector*, &c. & alia, prout in Pontificali.

Pô. Ro. vbi sup. pa. 662

16 Post orationem Episcopus surgens, facta prius Altari reuerentia, ad sedem suam accedens, Canonicos, & reliquos de Capitulo ad osculum manus recipiet; interim Cantores Psalmos, & Antiphonas cantant,vel Organa pulsantur.

17 Si aliquis sermonem est habiturus de beneficio recepti Pastoris nomine Ciuitatis,atque Capituli, grauiter,ac breui sermone hoc tempore concedi potest,cui Episcopus gratias agens breuiter respondere poterit, & si placuerit, suggestum ascendens graui sermone populum de sua electione monebit, de Pastorali cura,& sollicitudine Episcopo necessaria, & quomodo tenetur Pastor bonus animam pro commisso sibi grege ponere, operam suam omnibus promittens, obedientiam exigens ab ipsis, quò ad viam salutis, & optatum portum cunctos dirigere possit,se ipsum, & Ecclesiã eorum tandem orationibus commendans.

18 His peractis, Episcopus ad Altare accedens, deposita Mitra ante infimum gradum,& facta Cruci reuerentia,ipsum in medio osculatur: Cantores interim cantant Antiphonam S. Patroni Ciuitatis cum suis Versiculis;deinde Episcopus in cornu Epistolæ stans dicit Orationem eiusdem Sancti, qua completa,acceptaque Mitra,ad medium Altaris reuertens solemni ritu adstantes benedicit, & promulgantur Indulgentiæ sub præscripta forma verborum.

19 Deinde Episcopus facta prius debita Cruci reuerentia, atque depositis sacris vestibus; assumpta Cappa,recedit, quem Canonici comitantur habitu Canonicali, vsque ad locum suę habitationis, si sit Ecclesiæ proximus, si verò distantior, vsque ad Portam ipsius Ecclesiæ.

20 Horum autem omnium Notarius Curiæ Episcopalis publicum fabricabit instrumentum, adhibitis testibus, asseruandum in Archiuio Curię Episcopalis.

21 Quando Episcopus post ingressum in Ciuitatem propriam prima vice alia loca insignia suæ Diœcesis ingredi voluerit, decet, vt cum sacra Cleri sæcularis, pariter,ac Regularis Processione recipiatur: ipse verò non erit cum Mitra,& Pluuiali, sed cum Cappa equitabit Mulam Pontificalibus Ephippijs ornatam,habebitque in capite Pileum Pontificalem. In Porta Ciuitatis offeretur ei ab Archipresbytero Pluuiali induto Crux exosculanda,& alia omnia,prout in ingressu Ciuitatis iam dictum est. Cærem. Episc.lib. 1.c.2.

22 Antequam Episcopus in Cathedrali solemniter prima vice suscipiatur,

non

non debet solemniter ingredi alia loca suæ Diœcesis, & si fortè, dum ad suam Ciuitatem procedit, transire, per aliquem locum insignem suæ Diœcesis contingat, Magistratus eius loci ei obuiam ire debent, ipsumque cum honore suscipere, comitantes vsque ad Ecclesiam primariam eius loci, ibique facta oratione, procedet ad locum, vbi hospitaturus est, nulla tamē fieri debet processio, neq; ipse mutabit habitū itinerariū.

De accessu Episcopi ad visitandas Ecclesias, & loca suæ Diœcesis.
Cap. VIII.

1 *Visitatio proprium Episcopi munus.*
2 *Clerus statuta die Visitationis congregandus.*
3 *Episcopi habitus, & ordo procedendi.*
4 *Missa quomodo celebranda.*
5 *Sermo ab Episcopo habendus cum benedictione, & absolutione.*
6 *In locis forensibus quomodo procedendum.*

1 INter Pastorales curas præcipuum locum obtinet solicitudo visitādi Diœcesim; quoniam Pastor per omnes suæ Diœcesis Parochias discurrendo, est quasi Sol terram suis illustrans splendoribus, omnes hierarchico ordine purgans, illuminans, atque perficiens exhortando, prædicando, arguens, increpans, obsecrans: explorando de vita, & moribus Clericorum, quomodo Sacramenta administrentur, qua reuerentia Missæ Sacrificium celebretur; adultos Sacro Crismate confirmando, lugentes, atque egentes consolando, spiritualibus pariter, ac temporalibus reficiendo, non solis pœnis errantes corrigendo, verùm etiam verbo, & exemplo omnibus proficiendo.

2 In dicta die Visitationis, Ecclesia in primis ornabitur, sicut in solemnioribus, pridie ad Vesperum post Salutationem Angelicam pulsantur Campanæ omnes sono harmonico, vt in præcipuis Festiuitatibus; ipsa vero die hora congrua congregentur in Cathedrali Clerus sæcularis, pariter ac Regularis cum suis Crucibus processionalibus, qui omnes per ordinē ex Ecclesia ad domū Episcopi se cōferunt, vt eum processionaliter ducant.

3 Episcopus Cappa Pōtificali supra rochettū indutus è domo descendens in atriū, siue cortile sub Baldachino à quatuor Pluuialibus rubeis indutis delato ad Ecclesiā se cōfert, præcedente Clero processionaliter, atq; Musicis, seu Cātoribus Cantantibus Hymnū *Veni Creator Spiritus*; & vbi ad Portam Ecclesiæ peruenerint, excipitur cum cantu Antiph. *Sacerdos, & Pontifex*, &c. & à prima Dignitate Pluuiali induto offertur Episcopo genuflexo Crux, quā ipse osculatur, mox surgenti porrigitur ab eodē aspersorium, deinde ministratur, & imponitur incensum in thuribulo, & incensatur triplici ductu; deinde ad Altare ascendens, vbi aliquantisper genuflexus orauerit, dicitur Oratio, prout in Pontificali. Pō. Ro. p. 1 tit. de or. dine re. cipiēdi Præla. tū pag. 661. Direct. Visit. P. 1. c. 4.

4 Postea proceditur ad Missam solēnē de Spiritusancto cantandā ab Episcopo, vel prima Dignitate; quòd si non cātetur, saltē legatur cū assistentia quatuor de Capitulo paramētis rubeis indutorū. Si non sit cantāda Missa, vbi Episc. orauerit, ascēdit ad Altare, illudq; osculatur.

5 Post hęc sedens in faldistorio, vel aliqua sede, sermonē habens ad populū, breuiter obligationē visitandi, causā, & tēpus explicans, singula proponit; deinde publicantur Indulgentiæ, & in fine, data solēni benedictione populo, fit generalis absolutio mortuorum, prout in Pontificali, ac tandem cum designatis Officialibus proceditur ad Visitationē. Pōt. Ro. p. 3. tit. Ordo ad visitandas Paroch. p. 665.

6 Eodē ordine procedit ad reliquas Parochias, & Ecclesias, ac loca Ciuitaris, & extra; & cū peregrè procedendū est, transeundo per Castella, & loca foranea equitans primū in Ecclesia maiori processionaliter à Clero recipitur eodem modo, quo supra.

De officio Episcopi in Synodo.
Cap. IX.

Cærem. Epis. li. 1. c. 31.

1 Die inchoationis Concilii per publica documenta omnibus denunciata, ipso videlicet die Epiphaniæ intra Missarum solemnia, cum festa Mobilia publicantur in Cathedrali, & per mensem ante prædictam diem schedula subscripta manu Notarii Ecclesiæ Cathedralis valuis affixa, prout in Cæremoniali Episcoporum explicatur: ac tribus proximis diebus Dominicis ante prædictam diem in Cathedrali per Concionatorem, & in singulis Parochialibus per Parochos moneatur populus.

Cærem. Epis. li. 1. c. 12.

2 Appropinquante iam die, ornetur Ecclesia, prout in maioribus solemnitatibus, sedilia disponantur pro Dignitatibus, & Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, qui hinc inde debent esse parati à latere Episcopi, vel ante ipsum semicirculum facientes. Item è regione aptentur sedes Abbatum, qui interesse debēt parati; Theologorum etiam, atq; Iuris Doctorum loca disponantur.

3 Pridie à primis Vesperis per totam diem, & ipsa die sequenti, quousque Episcopus ingressus fuerit Ecclesiam, pulsantur Campanæ Ecclesiæ Cathedralis, & aliarum Ecclesiarum ritu solemni.

4 Ipsa die Episcopus sacris indutus vestibus, videlicet supra rochettum Amictu, Pluuiali rubei coloris, & Mitra aurifrigiata; Abbates omnes, si intersint, habentes vsum Mitræ, Pluuialibus pariter rubeis, & Mitris induti, Dignitates, & Canonici Pluuialibus, Planetis, & Dalmaticis, pro qualitate Ordinis eorum rubei coloris induti procedunt processionaliter psallentes, campanis, & Organo in Ecclesia continuò pulsantibus, præcedunt ordines Regularium, ac Secularium, si adsint, sequuntur Procuratores Ecclesiarum Collegiatarum; deinde Abbates, ac post ipsos propè Episcopum Dignitates, & Canonici Ecclesiæ Cathedralis: cum enim Capitulariter procedunt, aut stant, præferuntur cæteris omnibus, cum aliàs Abbates habentes vsum Mitræ præcedere debeant, & eodem ordine, cum sedendum est, semper in Synodo sedent; huiusmodi autem solemnis supplicatio fit tantùm prima vice hac prima die.

5 Ad Ecclesiam peruenientes ante ianuam à prima Dignitate Pluuiali induto offertur Episcopo primò Crux osculanda, mox aspersorium, ac tandem ministrato incenso triplici ductu incensatur.

6 Vbi Episcopus aliquantisper orauerit, cantabitur Missa de Spiritu sancto in paramentis rubeis, in qua Clerus ab Episcopo sacra Cōmunione reficitur.

7 Post Missam Episcopus Pontificaliter indutus, Mitram pretiosam in capite tenens, & Baculum Pastoralem manu deferens, à Ministris paratis Dalmatica & Tunicella rubei coloris associatus, ante faldistorium in medio ante gradus Altaris paratū genuflexus deposita Pōt. Ro p. 3. tit. ordo ad Synodū p. 595.

Mitra

Mitra inchoat Antiph. *Exaudi nos Domine*, quam schola prosequitur cũ psalmo *Saluum me fac Deus*, quo inchoato Episcopus sedet cum Mitra in eodem faldistorio, donec finiatur Psalmus, & Antiphona repetatur. Repetita antiphona Episcopus surgens deposita Mitra conuersus ad Altare dicit Orationes, prout in Pontificali *Adsumus Domine*, &c. & *Omnipotens sempiterne Deus*.

Pontif. vbi sup. p. 598.

8 Post Orationes dicuntur Litaniç, in quibus Episcopus super faldistorium procumbit cum Mitra, omnibus alijs genuflectentibus. Ad litanias dicto *Vt omnibus fidelibus Defunctis*, &c. Episcopus surgens, & Baculum Pastoralem sinistra tenens conuersus ad Synodum illi, signum Crucis super omnes faciens, benedicit dicens: *Vt hanc præsentem Synodum visitare, disponere, & benedicere digneris, Te rogamus audi nos*, & iterum procumbit, Cantoribus litanias prosequentibus.

9 Completis litanijs, surgũt omnes, & Episcopus deposita Mitra versus Altare dicit *Oremus*; ministri verò *Flectamus genua*, & *Leuate* postea ipse subdit Orationem *Da quæsumus*, &c.

10 Oratione cõpleta, Episcopus Altare ascendens, in sede in plano Altaris parata, terga vertens Altari, dum sedet, imponit incensum in thuribulum, & benedicit. Diaconus more solito, prout fit ad Euãgelium, genuflexus petit ab Episcopo benedictionem, ipsamque accepta, procedit cũ Thuriferario, Ceroferarijs, ac Subdiacono more solito ad cantandum Euangelium, librum in principio incensando, & cantato Euangelio, per Subdiaconum defertur liber osculandus Episcopo, qui & more solito incensabitur.

11 Episcopus vbi fuerit à Diacono thurificatus, deposita Mitra versus ad Altare, omnibus suis locis genuflectentibus, intonat & ipse pariter genuflectens Hymnum *Veni Creator Spiritus*, &c. quem schola Cantorum prosequitur vsque in finem, Episcopus verò completo primo versiculo surgit, & omnes alij similiter surgunt, sicque stat sine Mitra, donec totus Hymnus compleatur.

12 Expleto Hymno, Episcopus sedens cum Mitra, omnibus pariter silentio consedentibus, hortatur omnes breui, ac graui sermone per se ipsum, vel per aliquem idoneum, ad disciplinam Ecclesiasticam amplectendam, diuina Mysteria ritè pertractanda, & Ecclesiasticorum mores iuxta Sacrorum Canonum, atque Conciliorum decreta corrigendos, ac propterea, vt quisque sine scrupulo quę magis expedire videbitur, liberè conferat.

Concil. Tri. ses. 23. de ref. c. 1.

13 Hortatione iam facta, Archidiaconus ex suggesto alta voce legit decreta Sacri Concilij Tridentini de Residentia, & de Professione fidei; item & de eligendis examinatoribus, & Iudicibus causarum, qui statim propositi, & approbari tenentur, iuxta formam in Pontificali positam, in manus Episcopi professionem fidei emittere.

Concil. Tri. ses. 24. de ref. c. 12 & 18. & sess. 25. de ref. c. 10.

14 Quibus omnibus expletis, Episcopus surgens solemniter adstantibus benedicit, dicens, *Sit nomen Domini benedictum*.

Põ. Ro. p. 3. tit. de ordine ad Synodũ p. 605.

15 Secunda die Episcopus procedit ad Ecclesiam cum Cappa associatus à Canonicis, non tamen processione solemni, vt pridie, sed more solito: in Ecclesia Missæ assistit, qua celebrata, paratur Amictu, Alba, Cingulo, Stola, ac Pluuiali rubei coloris, & ita assistentibus Diacono, & Subdiacono paratis, vt pridie, Baculum sinistra tenens inchoat Antiphonam cum Psalmo, dicit Orationes, cantatur Euangeliũ, & Hymnus *Veni creator Spiritus*, & facit exhortationem, addito, si videbitur, sermone per aliquem Concionatorem faciendo; tandem leguntur Constitutiones per Synodum approbandæ, & in fine datur solemnis benedictio.

16 Eodem modo proceditur tertia

Cærem. Episc. li. 1. c. 31.

die, & si plures sessiones fieri debent, repetuntur eadem Euangelia, quæ his tribus diebus in Pontificali sunt assignata.

17 In fine terminatis omnibus, Episcopus sedens cum Mitra, breuiter omnes alloquendo, eorum se orationibus commendat; deinde per Notarium leguntur nomina eorum, qui Synodo interesse debent, & omnes præsentes, cum nominantur, respondent *Adsum* absentes verò notantur, ab Episcopo corrigendi; ac denique præmissa exhortatione, dictaque oratione, prout in Pontificali, datur omnibus solemnis benedictio ab Episcopo; promulgantur Indulgentiæ, Archidiaconus stans apud Episcopum pro dimissione Synodi dicit alta voce *Recedamus cum pace*, & omnes respondent *In nomine Christi*. Episcopus depositis paramentis sacris, Cappa indutus à Canonicis in suo habitu Canonicali associatus domum reuertitur.

De Archiepiscopis, seu Metropolitanis. Cap. X.

1 *Archiepiscopi quinam dicantur, & eorum dignitas.*
2 *Omnia, quæ Episcopis tribuuntur, pariter ad Archiepiscopos spectant.*
3 *Archiepiscopi potestas per traditionem Pallij.*
4 *Pallium plenitudinis potestatis cur dicatur accipi de corpore Sancti Petri.*
5 *Pallium à Romano Pontifice quomodo mittatur.*
6 *Pallium ad Altare à quo, & quomodo deferendum.*
7 *Deputati quo habitu Pallium tradant, & quomodo iuramentum ab Electo requirant.*
8 *Pallium quomodo Electo inponendum.*
9 *Quomodo asseruandum.*
10 *Quo loco, & tempore eo vtendum.*
11 *Translato Archiepiscopo non transfertur Pallium.*
12 *Non potest accommodari, neque alteri relinqui.*
13 *Renuntians Archiepiscopatui non potest vti Pallio.*
14 *Plura Pallia successiuè obtenta sepulturæ quomodo tradenda.*
15 *Pallium quomodo humeris Archiepiscopi aptandum.*
16 *In fine Missæ ad quem locum deferendum.*
17 *Crux ante Archiepiscopum quando, & quomodo deferenda.*
18 *Habitus Archiepiscopi in sua Prouincia.*
19 *Iurisdictio Archiepiscopi in tota Prouincia.*
20 *Archiepiscopi ius congregandi Prouinciale Concilium.*
21 *Obseruanda in Concilio Prouinciali.*
22 *Tempus celebrandi Concilium Prouinciale, & ordo in eo seruandus.*
23 *Habitus Episcoporum in Concilio Prouinciali.*
24 *Sedes Episcoporum, & Abbatum.*
25 *Tempus durationis Concilij.*
26 *Finis Concilij.*

1 Archiepiscopi dicũtur quasi Principes Episcoporum, qui pluribus præsunt Diœcesibus, seu Episcopis, qui suffraganei dicuntur; Vnde Summus Pontifex Pelagius II. Epistola ad omnes Episcopos asserit Prouinciam esse, cui præest Archiepiscopus, qui habet sub se decem, vel vndecim Ciuitates, & totidem Episcopos, & hoc quidem, vt notat Petrus Gregorius, olim obseruabatur, annorum verò decursu, Principum arbitrio, numerus Episcoporum suffraganeorum in vnaquaque Prouincia ad libitum fuit constitutus: simpliciter tamen Archiepiscopalis dignitas maioris censetur honoris, ac gradus Episcopali, quę vt suffraganea, est sub iurisdictione, & potestate Archiepis-

Isidor. d. 21 c. Cleros vers. Archiepiscopus. c. Scitote 6. q. 3.

Petrus Greg. Syntagma lib. 15. c. 11. nu. 3.

2 Quò

Pō. Ro. p. 1. tit. de consec. Episcopi p. 117.

2 Quò ad cæremonialia, de quibus modò agere indendimus, Archiepiscopis conueniunt omnia, quæ supra de Episcopis diximus, tàm quoad habitum, quàm quoad Electionem, Consecrationē, & reliqua, additis aliquibus.

3 Primò licet Archiepiscopus eodē modo ordinetur, & consecretur, ac Episcopus, non tamen assumit sibi nomen Archiepiscopi, nisi per traditionem Pallij, interim etiamsi sit consecratus, nō dicitur Archiepiscopus, sed Electus, & non licet ei Episcopos consecrare, nec Chrisma conficere, neq; Ecclesias dedicare, neq; Clericos ordinare, nec conuocare Cōcilīū, poterit tamē huiusmodi functiones ante Pallij sūptionē alteri cōmittere, dūmodo nō sit in mora petēdi Pallīū.

Pō. Ro. p. 1. tit. de Pal. lio pag. 121.

4 Statim ac aliquis ad Archiepiscopatū fuerit assūptus, Palliū à sede Apostolica petere debet, nam Pallium à solo Romano Pontifice datur in signum plenitudinis potestatis, quæ à sola sede Apostolica, eiusq; Præside Romano Pontifice, Petri successore in cætera membra Ecclesiastica profluit, & ideo, vt notat Hostiensis, Abbas, & alij, à corpore Petri suscipi dicitur: gloss. tamen in c. significasti scribit, quòd Pallium de corpore B. Petri assumi dicitur, quia Pallia consecrata deferuntur ad Altare sacrum in memoriam corporis B. Petri, & inde traduntur Archiepiscopis præsentibus, vel si absint eorum Procuratoribus, iuxta cap. Quoniam 100. dist. quam glossam communiter sequuntur omnes.

Cap Nisi de auct. & vsu Pallij.

Barbos. de off. Episc. Alleg. 10. n. 4.

Capit. quoniā d. 100.

5 Cum igitur à sede Apostolica per Procuratorem alicui mittitur Pallium, ex Romanæ curiæ immemorabili consuetudine vni, aut duobus Episcopis à Romano Pontifice deputatis committitur, qui statuta die cum Electo, cui tradi debet, conuenient in eius Ecclesiam Metropolitanam, si commodè fieri potest, vel in aliam suæ Diœcesis, vel Prouinciæ magis commodam, vbi Missa celebrabitur.

Cęrem. Epis. li. 1. c. 16. Pō. Ro. p. 1. tit. de Pallio pag. 117.

6 Completa Missa, affertur Pallium serico inuolutum ab aliquo Subdiacono ambabus manibus eleuatū, & super Altare extensum, eodem serico, quo fuerat conuolutum, cooperiri debet.

7 Episcopus, vel Episcopi Commissarij, finita Missa, induuntur Amictu, Stola, & Pluuiali cum Mitra simplici, & ita ante Altare super faldistorijs, aut alijs sedibus sedent, Electus interim omnibus Pontificalibus paramentis, exceptis chirotecis, & Mitra induitur, ac si esset Pontificaliter celebraturus, & ita ante eorum pedes genuflexus iuramentum præstat fidelitatis, iuxta formam literarum Apostolicarum fel. rec. Sixti Papę V. de visitandis liminibus Apostolorum.

Const. XV. Sixti V. quę inc. pit Romanus Pōtif. x. Pontif. vbi sup. p. 120.

8 Pręstito iuramento Episcopus, vel Episcopi surgunt cum Mitris, & accipiūt de Altari Pallium, quorum senior illud super humeros Electi ante se genuflexi imponet, dicens: *Ad honorem Omnipotentis Dei*, &c. Imponitur autem super Planetam, ita ut pars duplex Pallij ponatur supra sinistrum humerum, simplex verò super dexterum, illudque ita aptant, vt humeros Electi æqualiter ambiat, insigunturque spillę, pulchrior cruci anteriori Pallij ante pectus existenti, alia in Cruce sinistri humeri, tertia denique Cruci posteriori, quę ita insigi debent, vt tertiò pertranseant Crucem, non tamen Pallium perforent, neque Planetam tangant, & gemmę spinulis appositę remaneant ad dexteram insigentis. Accepto Pallio surgit Archiepiscopus, & ascendit ad Altare, & si sit in propria Ecclesia, vel in Prouincia Crucem ante se habens, & detecto capite Populo solemniter benedicit; deinde demissis sacris vestibus omnes recedunt.

Cęrem. Epis. li. 1. c. 18.

9 Ipsum itaque Pallium, in quo tanta est antiquitatis veneratio, & auctoritas, dignè, & honorificè asseruari debet serico obuolutum, in capsula intus, & extra pulchrè ornata, vt ipso vti possit temporibus suis.

6.Ro. tit. e Pall. a. 122.

10 Ipso vtitur Archiepiscopus in sua Prouincia tantùm intra Missarum solemnia super Casulam, non in processionibus, nec officijs, & Missis defunctorum, sed in diebus præscriptis videlicet, In die Natiuitatis Domini, S.Stephani, Sancti Ioannis Euangelistæ, Circumcisionis, & Epiphaniæ Domini, Dominica Palmarum, Feria V. in Cœna Domini, Sabbato sancto, Dominica Resurrectionis com duobus sequentibus diebus, Dominica in Albis; in Festo Ascensionis, Pentecostes, & Sanctissimi Corporis Christi, in quatuor Festiuitatibus Beatissimæ Virginis Mariæ, Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, & Natiuitatis, & si qua alia eiusdem Virginis festiuitas in aliquo loco solemniter celebretur puta Conceptionis, Præsentationis, Visitationis, &c. In Natiuitate Sancti Ioannis Baptistæ, in Festo omnium Sanctorum, in Festiuitatibus duodecim Apostolorum, in Dedicationibus Ecclesiarum, in præcipuis Festiuitatibus suæ Ecclesiæ Metropolitanæ, in ordinationibus Clericorum, & consecrationibus Episcoporum, in diebus Anniuersariis Dedicationis Ecclesiæ principalis, & suæ Consecrationis; aliis autem diebus Archiepiscopus, etiam si solemniter celebret, in Pontificalibus vti non debet Pallio.

11 Archiepiscopus ad aliam Ecclesiam translatus vti non potest Pallio prioris Ecclesiæ, neque Pallio sui prædecessoris defuncti, neque translati, sed opus est, vt iterū pro noua Ecclesia petatur, & habeatur nouum Pallium, nec interim in noua Ecclesia, in qua est translatus, potest exercere Pontificalia.

Cærem. Epis. li. 1.c.16.

12 Et quia Pallium est personale, non potest accommodari, neque in morte alicui relinqui, sed cum eo Archiepiscopus sepeliri debet; in sua Prouincia ipsum habebit circa humeros infra Planetam, si verò extra Prouinciam sepeliatur, ponendum erit Pallium sub capite Archiepiscopi defuncti.

13 Archiepiscopus, si renunciauerit Archiepiscopatui, exercens Pontificalia tàm in Prouincia, quàm alibi, permittentibus Episcopis, non tamen potest vti Pallio, etiam si Episcopi permitterent, quia vt notant Doctores, illo Pallio amplius vti non potest, debet tamen illud apud se retinere, & cum eo sepeliri sub capite ipsum tenendo. cap. ad supplic. de ren.

14 Archiepiscopus, qui plura Pallia successiuè est consequutus, illa apud se retinere debet, & cum sepelitur, si in sua Prouincia sit, vltimum supra humeros habebit, reliqua sub capite collocabuntur, & si extra Prouinciam sepeliatur, omnia sub capite defuncti reponentur.

15 Quando Archiepiscopus in Missa Pontificali diebus expressis vti Pallio debet; post Tertiam eo omnibus Pontificalibus indumentis iam parato ipsum, quod super Altare à Magistro Cæremoniarum expandi prius debuit, à Subdiacono velo aliquo supposito ambabus manibus ex Altari acceptum defertur ad Diaconum, qui ipsum accipiens aduertat, vt duplicem partem dextera, simplicem verò sinistra accipiat, deinde Archiepiscopo osculandum in cruce posteriori offert, tum ita imponit, vt pars duplex Pallij imponatur super humerum sinistrum, reliquum verò æqualiter humeros Archiepiscopi ambiat; & Subdiacono manu dextera eam partem, quæ à tergo pendere debet, eleuante, simul vndequaque illud adaptant, & aliquo Acolytho deferente super peluiculam argenteam tres spinulas, idem Diaconus primò pulchriorem affigit cruci anteriori Pallij ante pectus existenti, deinde secundam cruci, quæ erit in humero sinistro, ac tandem tertia infigitur à Subdiacono cruci posteriori, aduertendo, vt infigantur, modo supra præscripto. Cærem. Epis. li. 1. c. 8.

16 Completa Missa solemni, antequā Archiepiscopus ab Altari discedat, Pallium deponit super Altare, & recepta Mitra, Pontificalibus indutus recedit ad sedem, vbi paramenta reponit. Cærem. Epis. li. 1. c. 8.

17 Ante

17 Ante Archiepiscopum in sua Prouincia defertur crux, non tamen ante susceptionem Pallij, sed statim illo accepto, ad benedictionem eleuatur crux. Semper cum Archiepiscopus in sua Prouincia dat solemnem benedictionē, ante ipsum defertur crux, & tunc ipse erit sine Mitra. In ingressu Archiepiscopi ad suam Ecclesiam obseruantur omnia, quæ dicta sunt supra de Episcopo, additis, quòd Archiepiscopus statim ac suam Prouinciam intrauerit, facit ante se deferri crucem per aliquem ex suis Capellanis, imagine Sanctissimi Crucifixi ad se conuersa, & cum in Cathedrali recipitur à Canonicis, Crux præcedit, ita vt inter crucem, & Archiepiscopum nemo sit, nisi Dignitates, & Canonici.

Cęrem. Episc. li 1. c. 25.

Cęrem. Episc. li. 1. c. 11.

18 Archiepiscopus in tota Prouincia Mozzetta violacea supra Rochettum apertum vtetur.

19 Item in tota Prouincia subditos occurrentes benedicit dextera eleuata, & extensa, signum crucis formans.

20 Et quia Archiepiscopus non solū Concilium Diœcesanum quotannis celebrare debet, verùm etiam Prouinciale saltem quolibet triennio, iuxta Tridentini Concilii decreta, idcirco quæ in eo obseruanda erunt circa ritus ac cæremonias, de quibus agimus, hoc loco adnotabimus.

Concil. Tri. sess. 23. de ref. c. 11

21 In primis quòd Archiepiscopus Diœcesanam Synodū celebrans, ea omnia obseruare debet, quæ diximus de Episcopis; additis, quòd Archiepiscopus accedit cum cruce, quæ etiam semper præcedere debet, similiter cum in fine daturus est benedictionem solemnem.

22 Et quia inter cęteras Metropolitani sollicitudines, Cōcilii Prouincialis cōgregandi nequaquam minima cēseri debet; idcirco sciat Archiepiscopus, quòd Concilium Prouinciale, de quo modò loquimur, illud est, quod vniuersę Prouincię Ecclesiam repræsentat, cui Archiepiscopus tamquā Metropolitanus omnium illius Prouincię Pręlatorum, ac Clericorum caput prȩesse dicitur, nec sine eius auctoritate congregari potest. Vnde Nauarrus dicit Concilium Prouinciale esse conuentum Episcoporum, ab habente potestatem coactum, vocatis vocandis de iure, vel cōsuetudine. Archiepiscopus igitur, antequam Concilium Prouinciale celebretur, debet per literas vocare Episcopos Prouinciales, & Abbates, reliquosque, qui de iure, vel ex consuetudine debent interesse, & sufficit vnica citatio quę necessariò requiritur: Vnde si Episcopus citatus moreretur, alius de nouo prouisus ante inchoationem Concilij, si non fuerit noua citatione vocatus, non tenetur: si Episcopus suffraganeus fuerit absens, literę citationis debent cōsignari Capitulo, vt eas Episcopo transmittat & edictum debet affigi ad valuas Ecclesię Cathedralis, vbi debet residere; & si Episcopus suffraganeus subsit duobus Metropolitanis ratione duorum Episcopatuum vnitorum, prout est inter alios Episcopus Campanianensis, & Satrianēsis vniti, qui respectu primi subest Archiepiscopo Salernitano, & respectu secundi recognoscit Archiepiscopum Compsanum, ab vtroque vocatus accedere debet, & si eodem tempore vocetur, ad vnum personaliter, ad alterū per Procuratorem accedere tenetur.

Nauar. cōs. 4. n. 1. de verbis sign.

Car. Iacobat. tract. de Concil. li. 1. ar. 4 quęst. 6.

23 Episcopi omnes ad Synodum accedentes erunt cū Rochetto aperto, & Mozzetta coloris violacei in omnibus congregationibus Synodalibus; eorum autem Pręsidēs erit Archiepiscopus, qui habet iurisdictionem ordinariam vnà cū ipsis suffraganeis, vnde de consensu, & consilio maioris partis Suffraganeorum pronunciare debet; adhibeāntur etiā selectissimi quiq; ex Sacerdotibus viri Theologi, vel Iurisperiti, qui habebunt in Cōcilio vocē consultiuā, & cū consensu omniū Suffraganeorum, etiam decisiuam.

Cęrem. Episc. li. 1. c. 3.

24 Sedes Episcoporū suffraganeorū erunt ante faciē Archiepi per gyrum, & post ipsos erunt Abbates, & alij.

25 In reliquis perficiātur omnia, quę

supra

ſupra ſunt adnotata de Concilio Diœceſano, ſingulis diebus, nec congregati debent morari, niſi paucis diebus, regulariter tribus, & ad ſummum non debet produci vltra hebdomadam: In fine cuiuſque Congregationis, ſiue Seſſionis Archiepiſcopus publicè benedictionē dabit omnibus, habens ante ſe crucem, & ideo depoſita Mitra benedicet.

26 In fine vltimæ Seſſionis approbatis decretis Concilij dicto per Diaconū *Recedamus in pace*, fiunt acclamationes, & omnes Epiſcopi ſurgentes recipiuntur prius ad oſculum pacis ab Archiepiſcopo, atque etiam mutuò ſe amplectentes in oſculo ſancto, mutuam oſtendūt charitatem, animorumque coniunctionem, iuxta decreta Concilij Toletani IV.

Cærem. Epiſc. li. 1. c. 31. in fin.

Concil. Tol. 4.

De Patriarchis, Primatibus, & Epiſcopis. Papæ aſſiſtentibus. Cap. XI.

1 *Patriarchæ nomen, & eorum numerus.*
2 *Patriarcharum dignitas antiquitus, & eorum modò locus.*
3 *Epiſcoporum aſſiſtentium Papæ ordo.*
4 *Aſſiſtentes quomodo de libro, & lumine Papæ inſeruiant.*
5 *Ordo, quo ad Capellam procedunt.*
6 *Modus, quo Papæ celebranti aſſiſtunt.*
7 *Papa non celebrante, quomodo aſſiſtunt.*
8 *Quomodo in Capella celebrant.*

1 Patriarchæ, ſeu Primates nominis tantùm appellatione differūt, cum reuera idem ſint, ſicut & Archiepiſcopus, & Metropolitanus, idem ſignificantes, nomine tantùm differunt; quatuor enim Sacerdotij gradus Patres ex Concilio Tridentino ſelecti in Catechiſmo Romano conſtituerunt, diſtinguentes inter ſimplicem Sacerdotem, Epiſcopum, Archiepiſcopum, & Patriarcham, nullam autem Metropolitani, neque Primatis mentionem fecerunt, cum ille nō diſtinguatur ab Archiepiſcopo, ſicut nec iſte à Patriarcha: Patriarcha igitur, ſi nominis etymologiam ſpectemus, teſte Iſidoro, idem ſignificat, ac Summus, ſeu Princeps Patrum, licet autem omnes Patriarchæ Primates ſint, ſtrictè tamē loquendo non omnes Primates Patriarchę dicuntur: propriè namque Patriarchæ quatuor ſunt, nimirum Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus, prout communiter omnes confitentur: Fuit olim Patriarcha Grandenſis, quo per Nicolaum V. extincto, erectus fuit Patriarcha Venetiarum, vt refert Hieronymus Gigas: eſt & Aquileienſis occaſione cuiuſdā ſchiſmatis, vt notat Baron. circa annum Domini 570. erectus Hi tamen, & ſi qui ſūt alij potius Primates, quàm Patriarchæ dici debent, cum tantùm quatuor prænominatas Eccleſias Patriarchales antiquitas nouerit, prout fuſius ſuo loco explicabimus.

Cathec. Ro. pa. 2. Ti. de ſac. or. n. 26.

c. Cler. 21. diſt.

c. antiq. de priu.

Hie. Gigas tra. de reſid. Ep. c. 18. num. 12. Bar. an. 570.

2 Patriarcharum olim magna erat dignitas, quibus vbique præterquam in Vrbe Pallio vti licebat, & crucem deferre. Hi, vt ex vetuſtiſſimo Codice ante ducentum annos conſcripto habetur, inter Epiſcopos Cardinales ſedebant; ita tamen, vt quilibet Patriarcha ſederet intra duos Epiſcopos Cardinales, &, vt habetur in Cęremoniali Romano, ferebant olim in Curia Romana Cappam, & faciebant ſibi deferre caudam, prout Cardinales: modò verò eorum locus eſt ſupra omnes Archiepiſcopos, & Prælatos non Cardinales, qui etiam vt Aſſiſtentes ſeruiunt Papæ de libro, & lumine, & habent omnia iura Archiepiſcopalia.

c. antiq. de priu. Tit. 23.

Cœrem. Ro. lib. 3. ſect. c. 17.

3 Quò loco obſeruandum occurrit, quòd præter Cardinales, Pōtifici aſſiſtūt alij Prçlati numero circiter decem, plures, vel pauciores, prout Papę placuerit, qui cenſentur de familia Pontificis, & ſemper Cappa ſupra Rochettum induti ſequuntur Pontificem immediatè poſt Cubicularios ſecretos, & quando Cardinales parantur, & ipſi Amictu,

& plu-

& Pluuiali coloris officio, ac tempori congruentis induit; cum Mitra simplici ex lino tenuissimo procedunt immediatè ante Cardinales.

4 Duo digniores ex ipsis, siue sint Patriarchæ, siue Archiepiscopi, inseruiunt Pontifici primus de libro, secundus de lumine: Et cum aliquid Pontifex ex libro legere debet, prior librum super caput sustinebit genuflexus, si Pontifex sedeat, illo verò stante, & ipse stabit; alter à dextris candelulam cum Bugia tenebit accensam, & cum Cardinalis assistit, primus illi dat librum, & recipit, cum opus est. Hi duo cum libro semper præueniunt Pontificem, eum adiuuant accedentem ad Altare, vel Solium, inueniendo, atque signando ea, quæ dicenda sunt, & prior semper manum libro apponit, & præostendit dicenda Cardinali assistenti. Cum Papa solemniter celebrat, adiuuant Cardinalem assistentem, siue Episcopus, siue Presbyter ille sit, præbendo librum, quem tenet ipse Cardinalis assistens super caput: Sed dum dicitur Tertia, ad Orationes, & Psalmos, quos legit Pontifex, liber tenetur non à Cardinali, sed ab Episcopo assistēte; similiter cum in suo Solio sedens Pontifex in Missa legit *Epistolam*, *Graduale*, & *Euangelium*, liber non à Cardinali, sed ab Episcopo assistente genuflexo super caput tenetur.

5 Reliqui omnes Episcopi assistentes Cappa supra Rochettum induti, regulariter ad Capellam procedunt post Pontificē, vel si sint parati cum Pluuiali ante Cardinales, & illò ad orationem ante faldistorium procumbente, ipsi post eum ante Altare genuflectūt, illo surgēte, & ipsi pariter consurgentes; eum ad sedem procedentem sequuntur, & in suis scamnis à sinistris dispositis sedent, vel stant Cardinalibus sedentibus, vel stantibus.

6 Cum Pontifex celebraturus est in sede, vbi accipit paramenta, Pluuialibus induti assistunt ante eius faciem diuisi in duas alas hinc inde: Cum Papa est apud Altare, faciunt semicirculum post illum, senioribus in capitibus semicirculi stantibus.

7 Papa non celebrante, assistunt cum Cappis, & cum aliquid ministrant, dexteram per aperturam Cappæ anteriorem emittunt, sinistram verò per oram inferiorem, conuolutam Cappę caudam sub axilla, & super brachium sinistrum retinētes, quò expeditiùs suum exequantur munus.

8 Ipsi in Cappella celebrant Missam solemnem illis diebus, quibus non celebrant Cardinales per vices cum assistentia, ac ministerio sui Capellani, & aliorum Ministrorum Capellæ.

De infirmitate, Obitu, & Exequijs Episcopi. Cap. XII.

1 *Episcopus agrotans bene paratus mortem securus expectet.*
2 *Ingrauescente morbo pœnitentiæ signis se muniat.*
3 *Viaticum quomodo sumere debeat.*
4 *Canonicos, & Clerum conuocet.*
5 *Cum pijs, ac religiosis Viris tantùm, quę ad vitam æternam spectant, pertractabit.*
6 *Dicenda, & agenda, statim ac Episcopus expirauerit.*
7 *Corpus defuncti quomodo curandum.*
8 *Quomodo induendum.*
9 *Lectus in Aula quomodo aptandus.*
10 *Religiosi quomodo Officium Defunctorum circa corpus dicent.*
11 *Corpus quomodo ad Ecclesiam deferendum.*
12 *Exequiæ solemnes quando, & quomodo celebrandæ.*
13 *Si extra Diœcesim Episcopus obierit, quid agendum.*

Is. 33. 8. 2. Tim. 4. c. Luc 12. 40.

1 EPiscopum super speculam Domus Domini constitutum, opus Euangelistę in omnibus laborando ad implentem, vigilare omnino decet, qua enim hora Dominus venturus sit, nesciens, semper commissi depositi rationem redditurus debet esse paratus, quia diei ignoratio intentam sollicitudinem suspensæ expectationis exagitat: vnde cum iam per ægritudinis molestias mortem vicinam persenserit, de gloria retributionis hilarescens pulsanti confestim aperiat, virtuteque plenus, vt decet, venienti sponso lætus occurrat; & si diuturnior fuerit morbus, sæpe Sacramento Corporis Christi reficiatur, quo deficientibus corporis viribus mens roboretur ad pugnam: Vt enim infirmatur peccator aduersis, ita iustus tentationibus roboratur; sic dimicarunt Sancti; sic & laborando fortiores, & moriendo victores effecti sunt.

D. Hil. in Mat. c. 26.

S. Chry. ser. 1. de Mart.

2 Cum verò extremum diem appropinquare persenserit, suę conscientię consulens, discreto Viro sua peccata confiteatur, pœnitentięque signis pro prię salutis negotium serio pertractet: vt enim Ecclesię Sanctę lumen Episcoporum omnium exemplar D. Augustinus dicere solebat; Nemo & si nullius sceleris sibi conscius sit, committere debet, vt sine pœnitentia migret è vita, vt propterea cum discessum è vita sibi instare intelligeret, Psalmos Dauid, qui ad pęnitentiam pertinent, in conspectu positos profusis lacrymis legeret.

Possid. in vit. S. Aug.

3 Opportuno tempore sacrum sibi deferri Viaticum petat, ac propterea propè lectulum loco congruo paretur credentia linteo mundo cooperta cum flosculis, inter candelabra cum cereis, Crucifixi, vel alicuius Sancti Imaginē faciā in medio habens; tapeto in terram strato, omnibusque, vt decet, ad excipiendum tantum hospitem bene dispositis, Sacramentum per Archipresbyterum, vel primam Dignitatem, si ita Episcopo placuerit, deferatur, Canonicis omnibus cum Clero Ecclesię, ac Episcopi familiaribus cum intortitijs accensis associantibus: ipse verò Prælatus Rochetto, & Mozzetta indutus, Stolam albi coloris circa collum habens, reuerenter detecto capite, & humili, ac pio cordis affectu sacram sumat Eucharistiam, & si videbitur, antequam communicet, vel etiam sumpta communione, coram omnibus fidem Catholicam profiteatur, iuxta formam ab Ecclesia traditam, quæ habetur ex Bulla Pij Quarti, affirmans deinde se semper ea, quæ Ecclesia Catholica docet, firmiter tenuisse, seque in ea, cum Deo placuerit, libenter viuere, ac mori velle; suorumque peccatorum veniam petens à Deo, & adstantibus, si quem fortè læserit; orationum, ac precum auxilia ab omnibus postulans, enixè etiam rogabit, vt opportuno tempore adhuc mente integra extremæ Vnctionis Sacramentum sibi ministretur, sepulturæq; locum sibi eliget.

Pij IV. Cōstit. 88 Bul num. 1. pa. 128.

4 Canonicos deinde, Parochos, & Curatos omnes, cum adhuc corporis sensus integri sunt; conuocans, rursum coram ipsis fidem Catholicam, vt supra. Profiteatur, veniam petens de negligentijs, & imperfectionibus suis, eorum Orationibus se ipsum commendans, Ecclesiam ipsam pauperes, viduas, orphanos, ac loca pia commendabit, & vt precibus à Deo petant Pastorem, qui meliùs, quàm ipse, vberiusque eos pascat, hortabitur; & si testamentum sit peragendum, vel alia negotia pertractanda, ab omnibus quantocius se expediat, familiæ solicitè curam habens, singulos monendo, & qua poterit pietate, maximè emeritos prouidendo.

Cęrem. Episc. li. 2. c. 38.

5 Et quia tempus morti proximum, vt verbo, & exemplo docuit Sanctus Carolus Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus, omnium nostri æui Episcoporum exemplar pretiosissimum est, ac solùm cum Deo agendi valdè opportu-

num;

num; idcirco rebus bene dispositis, omnibus alijs, qui prodesse non possunt, exclusis, cum pijs, ac religiosis viris tantùm ea, quæ ad vitam æternam spectant seriò pertractabit; qui ei semper adstantes precibus, & orationibus egredientem animam adiuuabunt; crucem osculandam sæpius offerētes, Psalmos, Christi Domini Passionem, aliasque pias Orationes, ac preces deuotè recitantes.

6 Postquam Episcopus Creatori spiritum reddiderit, Canonici, ac reliqui Viri religiosi adstantes, singuli super eū recitabunt Vers. *A porta inferi*, cum Oratione *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes*, &c. ipsum corpus aqua benedicta aspergentes, eique oculos claudentes, interim dabitur signum expirationis cum maiori campana, prout fit ad Salutationem Angelicam, omnesque postmodum campanę tàm Cathedralis, quàm aliarum Ecclesiarum pulsabuntur.

7 Cubicularij, ac familiares, exclusis aliis, corpus defuncti cum herbis odoriferis, & aqua feruida lauabunt, & si hęredibus videbitur, poterit aperiri, & aromatibus condi, & tunc eius interiora statim in Ecclesia sepelientur, ac omnino ita corpus curari debet, vt vsque ad præfinitum tempus sepulturę seruari possit.

8 Loto, ac terso corpore, Cubicularij prius vestibus communibus, quibus vt consueuit, vsque ad Rochettum ipsum induent; deinde Sacrista cum Clericis, adiuuante Magistro Cęremoniarum, Pontificalibus vestibus eum induent, videlicet Caligis, & Sandalijs, Amictu, Alba, Cingulo, Stola, Manipulo, Cruce pectorali, Tunicella, Dalmatica, Chirotecis, Planeta coloris violacei, Annulo, & Mitra simplici, & si vti debeat Pallio ipsum cum spinulis eius humeris aptabunt, & si plura obtinuerit, reliqua sub capite apponentur, & Crucem inter manus supra pectus tenendam imponent; Baculum item Pastoralem à sinistris, & Pileum cum floccis viridis coloris ad pedes habebit, & ita indutus supra tapetum ponetur cum cereis accensis, donec in Aula maiori pręparetur lectus.

9 In Aula maiori domus pręparetur lectus ex tabulis altitudinis palmorum sex, longitudinis ad minus palmorum duodecim, latitudinis verò decem, vel ad minus octo, ac desuper imposito strato ex lana, panno nigro ex holoserico, vel saltem ex lana cooperiatur. Ad pedes lectierit parua mensa linteo cooperta, cum candelabris, ac cereis accensis, & in ipsa apponatur Missale, vas aquę benedictę cum aspersorio, & thuribulum cum nauicula; paretur etiā superpelliceum cum Stola, ac Pluuiali nigri coloris. Quibus omnibus paratis, corpus supra lectum collocetur cum intortitijs accensis, & circum circa erunt scamna pro Canonicis, Clericis, & alijs.


10 Religiosi cuiuslibet Ordinis inuitati successiuè, incipiendo ab inferioribus, (nam vltimus locus dignioribus seruatur) circa corpus adstantes officium defunctorum recitabunt, & circa finem ipsis candelę distribuentur, lectumque aspergentes, & incensantes circuibunt, dicentes in fine *Vers.* cum Oratione; *Deus, qui inter Apostolicos*, &c. prout in Cęremon. Episcoporum, quod vbi primi finierint, discedunt, & vocantur alij, qui eodem modo procedent, & sic de alijs. Cęrem. Epis. li. 2. c. 38.

11 Expletis Officiis in Aula, corpus ad Ecclesiam super ferctrum deferrur, pręcedentibus omnibus Religiosis, & & Clero, quolibet in ordine suo; vltimi omnium erūt Canonici immediatè ante feretrum, quod Magistratus, ac Nobiles sequuntur: interim pulsantur campanę, & ad Ecclesiam peruenientibus, feretrum in medio cum intortitiis collocatur; Missa solemnis à prima Dignitate cum officio sepulturę de more ce-

lebrabitur, ipsumque corpus postea sepelietur.

12 Pro exequijs solemnibus celebrādis poterit præparari castrum doloris; & die septimo, vel alio, prout videbitur; paratis omnibus cantabitur Missa solemnis ab aliquo viciniori Episcopo, & in fine habebitur sermo de laudibus defuncti, & post sermonem ad Absolutionem, præter celebrantem, quatuor alij absoluentes erunt parati cum Pluuialibus, prout suo loco dicetur.

13 Si Episcopus extra Diœcesim moriatur, defuncti corpus eodem modo curabitur, atque Pontificalibus omnibus induetur, excepto Pallio, nam tunc, si eo vtatur, ipsum non deferet supra humeros, sed sub capite, & ita cum ipso sepelietur, videlicet illud capiti supponendo: Corpus verò ad Ecclesiam cum omni honore, vt decet, à Clero, & populo deferetur. In propria verò Ecclesia, vbi nuncium certum de eius obitu peruenerit, statim campanę pulsabuntur, alijs Ecclesiis subsequentibus, quę officia celebrabunt: Idem seruetur in omnibus Diœcesis Ecclesiis, nam Capitulum omnibus nunciare debet Episcopi obitum, quò à singulis officia celebrentur; decet enim, vt omnes Sacerdotes in Collegialibus officia cum Missa solemni celebrent, ac singuli priuatas Missas dicant.



PRAXIS CAEREMONIARVM SEV SACRORVM ROMANÆ ECCLESIÆ RITVVM.

Liber Secundus.

SVMMA EORVM, QVAE IN HOC Secundo Libro continentur.



Ingularem dignitatem, maximumque ornatum rebus ipsis, quæ tractantur, modum, ordinemque gerendi conferre compertum est omnibus: nihil enim in qualibet actione pulchrius, nihil dispositione ipsa magis decorum: mira hac distinctione Angelorum, Hominumque ministeria rite ordinata Deo ipsi gratiora redduntur. Hinc Ecclesia dilecti Sponsi oculis speciosissima, pariter & sacri Christi nominis hostibus terribilis redditur, non secus ac militantium acies ordinatè procedens; vt propterea Tyrones in fide Corinthios spiritualibus instruens disciplinis Apostolus moneat; vt omnia inter ipsos suo ordine perficiantur. Cum igitur abundè in præcedentibus, quæ ad Ecclesiæ Ministros spectant, sint explicata methodum hoc loco ad singula rite peragenda conuenienter exhibebimus; & ne rei, de qua agimus; amplitudo confusionem legentibus ingerat, cuncta Ecclesiasticis nostris, quasi ex sacris promptuarijs, cum res postulauerit, depromenda, communi eorum vtilitati ordine satis congruo aperientur.

SECTIO PRIMA.

De modis in genere in Ecclesiasticis functionibus obseruandis.

De modo ornandi Ecclesiam, atque Altaria. Cap. I.

1 *Altare sit lapideum, vel saltem lateritium.*
2 *Altare totum ab Episcopo consecratum, vel saltem portatile, & quale.*
3 *Altaris maioris structura qualis.*
4 *Gradus Altaris quales.*
5 *Tabernaculum Sanctissimæ Eucharistiæ quale.*
6 *Eucharistia quomodo intra Tabernaculum collocanda.*
7 *Crux quo loco aptanda.*
8 *Candelabra quot, & quomodo aptanda.*
9 *Reliquiæ, & Imagines Sanctorum, quomodo aptandæ.*
10 *Baldachinum vbi, & quomodo adhibendum.*
11 *Candelabra maiora pro eleuatione Sanctissimi Sacramenti.*
12 *Lampades quales, & quomodo ante Sanctissimum Sacramentum sint disponendæ.*
13 *Parietes, & Cancelli cum candelabris quomodo disponendi.*
14 *Credentiæ locus, ac dispositio.*
15 *Credentia Episcopi celebrantis quomodo præparanda.*
16 *Cancelli Altarium Clericos à Laicis segregantes quales.*
17 *Chorus quo loco, & quomodo construendus.*
18 *Altarium minorum structura.*
19 *Altarium minorum candelabra, & ornatus.*
20 *Altare Sanctissimi Sacramenti in Cathedralibus à maiori Altari segregatum.*

1 Altare, iuxta Sacros Canones, ac præcipuè Syluestri Papæ decretum, lapideum semper erigi debet, illum significans, qui spiritualis ędificij Petra fundamentalis constituitur, dicente Apostolo; Petra autem erat Christus: ac propterea S. Carolus monet, vt saltem sit lateritium; ipsa verò mensa ex solido lapide sit, nulla ex parte foramina, neque fenestellam ad aliquid asseruandum habens, & omnino nihil vnquam in eo reponatur, cum tantùm Sanctorum Reliquiæ in ipso includi debeant. (c. Altare de consec. dist. 1. — 1. Cor. 4. — Act. Eccl. Med. Instruc. fabr. lib. 1. c. 11.)

2 Regulariter Altare ipsum erit totum ab Episcopo consecratum, atque Chrismali, tela videlicet cerata, mensa ipsa vndique contecta; quòd si non fuerit totum consecratum, saltem Arca lapidea, seu Altare portatile ex lapide longitudinis ad minus, præter capsæ ligneæ, cui inseritur, dimensionem, palmi cum dimidio, latitudinis verò vnius palmi erit, quò commodè Hostiam, & Calicem continere possit, paululum supra mensæ superficiem eminens, in ipsiusque mensæ medio, non longè à fronte Altaris ita inseratur, vt nullum sit offensionis Calicis ex eius eleuatione periculum, sed actu digiti, vbi sit, facilè dignoscatur. (Côst. synod. Eccl. Med. lib. 4.)

3 Maioris Altaris altitudo, iuxta regulas à Sancto Carolo traditas, erit à scabelli solo cubitorum duorum, & vnciarum octo, vel ad summum decem; longitudinis verò cubitorum quinque, vel etiam plurium, habita ratione magnitudinis loci: latitudo longitudini respondeat; ad minus tamen erit trium palmorum, quò Corporale latè expansum, Pyxis, vel Tabernaculum gestatorium, cum res postulauerit, vnà cum Hostia, & Calice in eo commodè collocari possint. (Act. Eccl. Med.)

4 Regulariter tribus gradibus ad ipsum Altare ascendatur, duobus videlicet inferioribus, quibus addita bradella tertium constituat, omnes ex solido lapide, vel saltem opere lateritio

con-

construantur: singuli erunt altitudinis octo unciarum; latitudinis unius palmi cum dimidio:& in supremo loco bradella constructa quatuor ad minus palmos habebit latitudinis; omnes autem gradus tapeto tegantur, & insolemnioribus ipsum Presbyterium undiq; pannis coloris viridis stratum, vel tapetis tegi debet: quo verò Altare suis Pallijs, ac linteis ornari debeat, iam supra præscripsimus.

Sup. li. 1 tit. 3. c. 1.

5 Supra Altare Tabernaculum Sanctissimæ Eucharistiæ collocabitur, quod vel è laminis argenteis, aut æneis, iisdemque inauratis, aut è marmore, alijsque pretiosis lapidibus, ut in plerisque Ecclesiis adhiberi solet, politè tamen elaboratum, atque compactum fieri convenit: piis item Mysteriorum Passionis Christi Domini imaginibus exculptum, & inaurato artificio certis locis, periti viri iudicio, decoratum, religiosi, ac venerandi ornatus formam exhibeat: intrinsecus autem tabulis cypressinis, vel similibus sit contextum, ut ab humiditate marmoris, vel metalli Sanctissima Eucharistia defendatur; undique sericeis velis ornatum. Ubi verò tale Tabernaculum haberi nequit, è tabulis populeis, vel similibus politè elaboratis, & religiosarum Imaginum sculptura ornatis, iisdemque auratis extruatur, amplum pro ratione Ecclesiæ, in cuius Altari maiori, vel etiam in sacello proprio collocandum est. Idem Tabernaculum bene firmetur vel in basi, eaque ornata, sive in gradibus optimè confectis, aut Angelorum simulacris, aliisque suffulcimentis religiosum ornatum præseferentibus. Ubi verò in Altari præ illius angustia collocari, suffulcirive Tabernaculum totum non potest, à tergo suppositis basibus, aut alii suffulcimentis bene formis, totum, vel saltem eiusdem pars posterior innitatur.

Act. Eccl. Med.

6 Ipsa sacra Eucharistia fidelibus administranda, loco congruo intra Pyxidem in ipso Tabernaculo ita includatur, ut facilè extrahi possit; cuius ambitus undique sericeis velis politè ornetur, & in plano corporale mundum bene aptetur, ne facilè dimoveri possit, sæpe tamen mutetur, ut omnia munda pro dignitate, ac puritate tanti Sacramenti semper sint; ipsius autem amplitudo talis erit, ut saltem duæ Pixides, nec non, cum opus est, ostensorii sphæra intus contineantur. Ostiolum ab interiori parte erit ita patens, ut Pyxides facilè efferri, & inferri possint, & clavi, eaque aurata ab extra obseruabitur: in quo sacra Christi Domini vulneratum pectus exhibentis, vel alia pia Imago depicta erit; à tergo Altaris: si commodè inde Eucharistia fumi potest, alterum ostiolum præscripta forma extruatur.

Act. Ec. Med.

7 In Tabernaculi summitate affixa Christi Crucifixi sacra effigies decorè constituatur: quòd si præ Tabernaculi altitudine celebrantis oculis non sit prævia, supra ciborium vel Christi resurgentis Imago, vel Crux nuda collocetur, & alio loco congruo in conspectu celebrantis cum Christi Crucifixi sacra imagine Crux ipsa collocetur, quò iuxta Missalis rubricas inclinationes à celebrantibus ritè fiant: ipsum verò Tabernaculum conopeo sericeo, coloris temporis convenientis, cooperiatur.

8 Hinc inde à lateribus Tabernaculi gradus unus, vel duo construantur, supra quos sex candelabra ita aptari debent, ut ex utroque latere tria sint æquali distantia aptè disposita; Tabernaculo propinquiora semper subsequentibus proportionaliter emineant, quæ regulariter erunt ex aurichalco; vel ligno inaurato; in solemnioribus verò argentea, ac pretiosiora; & Episcopo solemniter celebraturo septimum aliis omnibus maius in medio collocabitur, & ante ipsum Crux eiusdem materiæ suo pedi innixa aptabitur. Cærem. Episc. lib. 1. c. 12.

9 In præcipuis solemnitatibus, vbi habentur Sanctorum Reliquiæ, alternatim inter candelabra, si tamen Altaris dispositio id patiatur, apponantur: sin minus, vascula floribus, ac frondibus odoriferis inserta, vel etiam ex serico, Cærem. Episc. lib. 1. c. 12.

auroq; contextis adhibeantur. Sanctorũ item ſculpturæ, & imagines inter candelabra diſponantur. Seu etiam ante cãdelabra maiora duobus aliis candelabris hinc inde adhibitis.

10 Supra ipſum Altare appendatur vmbraculum, quod baldachinum vocãt, formæ quadratæ, cooperiens Altare, & ipſius Altaris ſcabellum, ſeu ſupremum gradum, coloris temporis conuenientis. quo non erit opus, vbi adeſt Ciborium ex lapide, vel marmore confectum.

ærem. piſc. li c. 12.

11 Ante infimum gradum Altaris in angulis hinc inde apponãtur duo, eaque eminentia candelabra maioris, vel minoris altitudinis æqualis pulchrè elaborata ex ligno inaurato, vel ex aurichalco, aut etiam, vbi haberi poſſunt, in præcipuis ſolemnitatibus argentea; in quibus intortitia pro eleuatione Sanctiſſimi Sacramenti affigantur; ſeu etiam, maximè in ſacellis, duo inſtrumenta, quæ communiter cornucopia dicuntur, hinc inde parietibus affigi poterunt.

12 Lampades quoque collucebunt Ante Sãctiſſimum Sacramentum, tàm ad cultum, quàm ad ornatũ, numero ſaltem quinque, vel tres pro Eccleſiarũ ratione, ac dignitate, ex argento, aut aurichalco, adiuncto intus vaſculo vitreo, quarũ forma, cũ multiplex eſſe poſſit, prout tẽporũ ratio tradit, nulla improbatur, modo cũ Eccleſię conſuetudine conueniat. Omnes autem lãpades penſiles à ſummo labio catenulis eiuſdem metalli appendãtur. Inſtrumentum, in quo ſuſtinentur, ad formã triãguli, à quo tres lãpades ad minus pẽdeant, confici poterit; quod etiam aliter, periti viri iudicio, adhibito quoq; maiori numerò lãpadarum, ſi conſtruatur, non erit incongruum. Omne autem lampadarium non à latere, ſed è regione, cõſpectuq; Altaris appẽſum, recta in mediũ cõſtituatur, à ſcabello Altaris diſtãs; ne Sacerdos, vel Miniſtri, dũ in principio Miſſę ibi ſtãt, olei ſtilla inquinẽtur. Quòd ſi pro locorum qualitate, aliquo etiã inſtrumento ad modum cornucopiæ eos

ærem piſc. li. c. 12.

Ec. M. d. r. 1. l. c. 18.

accomodare placuerit, prout in pluribus Baſilicis Vrbis paſſim adhiberi animaduertimus, non improbatur.

13 Parietes Altari adhęrentes, vbi Clericorũ Chorus ab Eccleſia diſtinguitur, aulęis coloris cęterorũ paramẽrorũ ornari poterunt, pro temporũ, atque feſtorũ qualitate; diebus verò ſolẽnioribus hinc inde quatuor, vel ſaltẽ tria candelabra cũ cereis ſuperponãtur, ac in medio vaſcula cũ floribus alternatim bene diſpoſita adhibeantur; & vbi non ſunt parietes, paretur Capella, ſeu Tribuna in ſolemnitatibus, & candelabra ſuper cancellos, vel alio loco congruo aptentur.

14 Menſę, quas credentias dicimus, à lateribus Altaris hinc inde prope parietes, ſi congruum loci ſpatium id patiatur, ſin minus iuxta cancellos, accommodentur. Earũ menſura pro loci qualitate erit maior, vel minor; omnino tamẽ mappa linea, eaq; munda vſq; ad terrã, vndiq; defluente contegãtur; in ea, quę eſt à parte Epiſtolę omnia ꝑ Miſſarũ celebratione, nulla tñ adhibita Imagine, collocabũtur; in altera verò à latere Euãgelii vaſcula, ac vela ꝑ cõmunicãdis apponi poterũt

Cærem. Epiſ. lib. 1. c. 12.

15 In Cathedralibus, Epõ celebrãte, ipſa menſa lõgior, ac latior ſummo mane à pariete parũper diſiuncta à latere Epiſtolę præparabitur, ita vt inter illã, ac parietem ſtare poſſint familiares Epĩ ad manuũ lotionẽ deſtinati, niſi vbi ob loci anguſtiã id fieri nõ poſſit, quo caſu fiat, qđ magis expedire videbitur. Super ea apponãtur duo cãdelabra cũ cereis albis; in medio ſit Calix cũ ſuis ornamẽtis, peluicula cum ampullis vini, & aquę, oĩa cooperta velo oblongo, quo vti debet Subdiaconus, cũ patenã tenebit. In eadẽ mẽſa apponatur Mitra cũ ſuo ſubireto, & velo pro Acolytho deſeruiẽte de Mitra itẽ lances, ſeu vaſa argẽtea ꝑ manuũ ablutione, vt dicunt, buccale, & bacile cũ aqua, quatuor mappulę ad tergenda manus, thuribulũ cũ nauicula, in qua ſit cochlear cu thure, Gremiale, Caligę, & Sãdalia, Liber Pſal. ac reliqua omnia; exceptis para-

Cærem. Epiſ. lib. 1. c. 12.

mentis

mẽtis.In ipſa non apponatur Crux, neq; Sãctorũ Imagines, ſed ad ornatum,ſi habeantur,maximè celebrante aliquo S.R.E.Cardinali, adhiberi poterunt vaſa ampla,& magnifica, aurea, vel argentea.

16 Cæterùm quia ex antiqua Eccleſię conſuetudine Clerici à laicis per Cãcellos ſeparantur, ideo ex lapide, vel ligno conſtruantur, ita vt inter ipſos, & Altare tantum ſpatii relinquatur, quantum pro Miſſarum ſolemnium celebratione neceſſariò requiritur,vt ſcilicet Sacerdos cum Miniſtris congruum ſpatiū locum pro cæremoniis obeundis habeat: locus Orationis tanquam Sancta Sanctorum ſolis Sacerdotibus pręuius,à reliquis Eccleſiæ partibus vniuerſo populo Dei expoſitis, circumdatus ſecernatur. Intra ipſos autem cancellos tantùm Præsbyteri, & Clerici ingrediantur, neque vllo modo tali loco ſęculares, maximè cum Diuina celebrantur,admitti debẽt; quod ſæpè Patres monunt, & Sacra Rituum Congregatio declarauit, pręcipuè Decano Eccleſiæ Compoſtellanæ die 11. Iunii 1604. prout ſtricto iure in noſtris Eccleſiis hucuſque ſeruatur.

Concil. Calced. act. 1. Syn. Turo. ca. 3. Cõſuet. Cl. Reg. Theat.

Cærem. Epiſ. lib. 1. c. 13.

Declar. Cõ. Sac. Rit. Cõſuet. Cl. Reg. Theat.

17 Chorus ad Diuina officia celebrãda,vel à tergo maioris Altaris poſt parietes,vel hinc inde à lateribus ipſius maioris Altaris; ſubſelliis nuce, vel alio ligno bene compacto, & elaborato, ad ſtandũ, ac ſedendum, cum opus fuerit, conſtruatur; cum ſcabellis etiam ad procumbendum,ſimili materia, & arte conſtantibus in quibus erunt capſulæ ductiles cum calce ad conſpuendum. In aliquibus autem Eccleſiis, ex antiqua traditione, eſt ante, vel circa Altare maius, ſemper tamen ab ea parte Templi, in qua populus adſtare ſolet, ſecerni debet.

Concil. Tolet. 4. can. 17.

Act. Eccl. Med. par. 2. l. c. 32. Stepha. Dur. de Rit. Eccl. li. 1. c. 17. n. 1.

18 Reliqua Altaria in ſacellis cõſtructa erunt altitudinis ſupra bradellam quatuor palmorum,longitudinis octo,vel nouem, pro locorũ qualitate;latitudinis verò ſaltem trium, habentia ſub ſe ſcabellum, ſeu bradellam eiuſdem longitudinis,latitudinis autem quatuor palmorum, cuius altitudo ſit octo vnciarũ. Poterit etiam addi, iuxta loci ſtructuram,& alius gradus, vel etiam plures. In medio ſi non totum Altare fuerit conſecratum, apponatur Altare portatile eodem modo,quo ſupra explicauimus.

Act. Ec. cl. Med.

S. Tho. opuſ. 65. c. 1.

19 Supra Altare ſit gradus bene ornatus, in quo collocentur quatuor candelabra ex aurichalco,vel ligno inaurato cum candelis,& in medio pręter Sanctorum Imagines, quæ Iconæ, ſeu Tabulæ pictæ parieti inhærebunt, ſit Crux cum imagine Sanctiſſimi Crucifixi; in ſolemnioribus poterũt adhiberi etiã ſex; interpoſitis vaſculis cum floribus, vt ſup. duo quoque alia candelabra, in quibus pro celebratione Miſſarum candelæ accendantur,ſint ſupra menſam Altaris,Tabellæ ſecretorum aurata,ac bene diſpoſita ſit in medio ad pedem Crucis. A latere Epiſtolæ apponatur credentia mappa munda cooperta; Scabellum, ſeu bradella tapeto, vel panno cooperiatur; circũcirca verò ſint cancelli,quibus celebrãs, ac Miniſtri à laicis ſecernantur.

Cõſuet. Cl. Reg. Theat.

20 In Eccleſiis Cathed. ac Patriarchalibus,ne Põtificalia impediãtur, Sanctiſs. Sacramentũ non in Altari maiori, ſed in Sacello ad id deputato,& decenter ornato conſeruari decet:ſumptuosè, & decorè ornetur cum baldachino, & reliquis ſupradictis, & præcipuè cũ lãpadibus accenſis. Sit aurẽ ſacellũ loco congruo prę aliis ornatum cũ ſuis cancellis;in ipſo autẽ Altari candelabra,ac reliqua benè diſponantur,ſemperq; Palliis coloris officio currenti conuenienter ornetur: pariter & ipſum Tabernaculum conopeo eiuſdem coloris cooperiatur.

Cærem. Epiſ. lib. 1. c. 12.

De Ordine,ac diſciplina in Choro ſeruanda. Cap. II.

1 *Ordo procedendi ad Diuina officia.*
2 *Aequalitas in Choro ſeruanda.*
3 *Chorum ingredientes incapto officio quo ordine procedant.*
4 *Modeſtia in Choro ſeruanda.*
5 *Ordo in reuerentijs obſeruandus.*

6 *Silentium in Choro seruandum.*
7 *Vnusquisque suum impleat munus, vel absentis vices suppleat.*
8 *Qua deuotione psallendum.*
9 *Modus psallendi.*
10 *Quæ grauiori voce cantari debeant.*

Cærem. Epis. lib. 1. c. 3.

1 DAto signo conueniẽdi ad Diuina officia, quilibet in Sacristia superpelliceo indutus, tum maximè, cum solemnia celebrantur, qua decet modestia, ac silentio expectet, & dum vltimum campanarum signum datur, bini per ordinem procedunt, primò iuniores, quos sequantur seniores, & post omnes Ceroferarii, & Assistentes parati, & vltimus omnium erit celebrans paratus, quod, vbi hæc laudabilis consuetudo viget, omnino est obseruandum.

2 Ad Altare peruenientes, facta in medio reuerentia, quilibet ad locum sui ordinis accedens genuflexus manebit, donec detur inchoandi signum, hoc semper attendentes, vt æquali forma, ac disciplina omnes simul stent, vel sedeant, genuflectant, vel surgant, ab omni disparitate prorsus cauentes, ne, dum alii detecto capite sunt, biretum quis teneat, vel è contra.

Cærem. Parif. de Crass. li. 1. c. 3.

3 Si quis iam inchoato officio ad Chorum superuenerit, primùm versus Altare genuflexus parumper orabit, laudabilisque eorum est consuetudo, prout in nostra Congregatione ex Patrum traditione fit, vt quis non prius surgat, quã à Superiore ei detur facultas; regulariter tamen postquam aliquantisper orauerit, surgens facit reuerentiam profundam Altari, deinde inclinatus salutat prius Superiorem cum reliquis de Choro, & vbi est consuetudo prius petit à Superiore benedictionem, postmodum reliquos de Choro salutat, cui tunc, & non prius reliqui assurgunt, eum consalutantes: & si dicatur *Deus in adiutorium*, vel Vers. *Gloria Patri*, aut Oratio, expectat stans, donec ea perficiantur.

Cõsuet. Cl. Reg. Theat. Cærem. Epis. lib. 1. c. 18. Cærem. Parif. de Crass. li. 1. c. 13. Cõsuet. Cl. Reg. Theat.

4 Pia modestia tunc temporis interius, exteriusque, oculis ad terram demissis, vel clausis, seu ad librum intentis, maximè commendatur, præcipuè in iunioribus, qui semper ex libro recitare debent: nullus tanquam otiosus oscitanter se habeat: multò magis cauendum est, ne quis dormitet: Manus pariter benè compositas, complicatas videlicet, vel iunctas, qui librum non tenent; pedes verò non vnum super alterum, nec tibias deuaricatas habere decet: subseliis modestè innitantur: immoderati actus omnes studiosè vitentur; quilibet cęterorum recitationem sequatur, nec priuatas preces interim recitet, sed spiritu, & mente in conspectu Agelorum ei psallat, quem eorum multitudo psallentes in vnum piè venerantur, deuotèque colunt.

Parif. de Crass. li. 1. c. 3.

5 Chorum ingredientes, vel egrediẽtes reuerentiam faciunt Altari, Prælato, si adsit, & reliquis: vbi obseruare oportet, quòd plures facturus reuerentias, non consideratur, cui prius, vel postea reuerentia exhibeatur, sed tantùm commoditas gradientis, ac propterea regulariter prius reuerentia fiat ei, à quo quis discedit, licet sit minus dignus, mox Altari, vnde transit, ac tandem ei, ad quem accedit, nulla in loco attenta personarum qualitate: & si plures in eodem loco sint Prælati, æqualis, vel etiam inæqualis dignitatis, sufficit, si primo eorum fiat reuerentia: Semper tamen maiore præsente, ob eius reuerentiam, Superiori ordinario, si sit inferioris gradus, non adeo profunda sit reuerentia.

Cærem. Episc. li. 1. c. 18.

6 A quolibet strepitus genere, præcipuè in demittendis sedilibus, quoad fieri potest, in Choro caueatur. In arculas ad conspuendum aptatas ita conspuatur, ne subsellia, vel pauimentum vllo modo fœdantur, in illisque remittendis ne stridor fiat. Nemo loquatur, nisi Superior, vel cui ad sui officii exercitium spectabit; modestè tamen, ac placidè.

Cõsuet. Cl. Reg. Theat.

7 Quisque suum exequatur munus, cauens, ne in aliquo erret; ne cunctetur;

ne præ-

ne præueniat tempus; nihil sibi sumat; nihil alijs præscribat; aliquo absente, qui proximè post illum sequitur, aut si infra alius nõ fuerit; qui immediatè super eum erit, illius suppleat vices.

1. Cor. 14. 15. 8 Mens voci respondeat, vt ait Apostolus: Psallam Spiritu, psallam & mente, vt simul verba piè, ac distinctè deprompta, intelligantur; audientesque ad pietatem, ac deuotionem excitentur: Et omnino dicit Sanctus Bernardus. purè, ac strenuè diuinis oportet interesse laudibus; strenuè quidem, vt sicut reuerenter, ita alacriter Domino assistamus, non pigri, non somnolenti, nõ oscitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra transilentes, non fractis, & remissis vocibus muliebre quidem balba de nare sonantes, sed virili, vt dignum est, & sonitu, & affectu voces Sancti Spiritus exprimentes; purè verò, vt nihil aliud, dum psallimus, cogitemus. D. Ber. serm. 47. in Cant.

Cõsuet. Cl. Reg. Theat. 9 Diebus festis ob eorum solemnitatem tardior sit pronunciato, quàm ferialibus: in recitatione etiam Canticorum *Magnificat, Benedictus, Nunc dimittis*, & *Te Deum laudamus*, maior traditas requiritur, quàm in reliquo officio. Similiter tardius officium diuinum, quàm paruum B. Virginis Mariæ, ac Mortuorum dicitur, & omnino iuxta locorum laudabilem consuetudinẽ, vel per Directorium Chori præscriptus modus seruetur; regulariter tamen cantandum in tono, & cantu Gregoriano cum grauitate, & decore, ita vt verba ab omnibus intelligantur; sed Vers. *Gloria Patri*, poterit solemniori vocis modulatione recitari. Cærem. Episc. li. 2. c. 1.

Cõsuet. Cl. Reg. Theat. 10 Officium pro Defunctis grauiori voce pronunciatur. Preces feriales, diebus, quibus ieiunatur: item confessio, & absolutio semper grauiori voce cantantur Vers. *Fidelium animæ*, &c. & Antiphonæ B. Mariæ Virginis, eiusque versus in fine officij pariter grauiori voce dicũtur; excepta Antiphona *Regina cœli*, quæ sonora, & alta voce canitur tempore Paschali.

De ordine sedendi in Diuinis Officijs in Choro, & in Altari. Cap. III.

1 *Sedes in Ecclesia esse debent.*
2 *Sedis Episcopalis locus.*
3 *Sedis forma, & ornatus.*
4 *Præsente Cardinali Episcopi locus.*
5 *Cardinalium, & Episcoporum locus in concionibus.*
6 *Metropolitani, & aliorum Prælatorum locus.*
7 *Legati non habentis iurisdictionem in loco, per quem transit, & Nuntij nõ Legati locus.*
8 *Protonotariorum locus.*
9 *Episcopi extra Diœcesim celebrantis locus.*
10 *Modus sedendi ad Sermonẽ inter Missarum solemnia.*
11 *Quando Sanctissimum Sacramentum est expositum, nemo sedeat.*
12 *Sedes Episcopi, & celebrantie Canonici adstantibus.*
13 *Celebrantis, ac Ministrorum ad Vesperas sedes.*
14 *Sedes aptanda pro Celebrante, & Ministris in Missa solemni.*
15 *Sedes Canonicorum, & Clericorum.*
16 *pro Principibus, & Magistratibus, quo loco sedes paranda.*
17 *Tempus sedendi ad Diuina officia.*
18 *Tempus sedendi in Missa solemni.*
19 *Religiosorum consuetudo, qui non sedẽt in Missa, neque in Psalmodia, probatur.*

1 Salutaribus eruditi monitis in Ecclesiastica Hierarchia, quæ suaui dispositionis ordine supremam, atque celestẽ in omnibus mirabiliter imitatur, vt omnia, iuxta Apostolum, in nobis ordinatè fiant; quia non semper stantes, sed quandoque etiam sedentes diuinis Mysteriis, cum celebrantur, assistimus, sedes in ipsa Ecclesia, iuxta antiquam Sanctorum Patrum traditionem, suis locis pispositæ non incongruè aptari debent. In primis 1. Cor. 14. 40.

namque

S. Cle. li. 2. const. Ap. c. 57 namque S. Clemens in ipsis Apostolicis traditionibus de Episcopi solio, necnon de Presbyterorum ex eius latere adstantium sedibus satis expresse meminit; sicut enim in cœlis sedes posita est, & supra sedem sedens, & circa ipsam Seniorum sedilia; ita & in militanti Ecclesia ad illius imitationem, antiquissimam à maioribus acceptam traditionem rite tenẽtes, præter Episcopi, seu supremi Superioris primam sedem, erunt & alia sedilia suo ordine bene disposita.

Apoca. 4. 2.

2 Episcopi sedes aptabitur iuxta Altaris, ac loci structuram, si Altare ita sit in medio sub Tribuna à pariete disiunctum, vt Chorus canentium sit in spatio illo medio; tunc sedes Episcopi è regione Altaris taliter parieti inhæreat, vt Episcopus in ea sedens respiciat recta linea anteriorem Altaris partem; Canonicorũ verò sedes erunt hinc inde: Si verò Altare inhereat parieti, & Chorus infra Altare ab eo per aliquod, licet modicum, spatium separatum, seu etiam in medio Ecclesiæ, tunc sedes Episcopi à latere Euangelii collocabitur.

Cærem. Episc. li. 1. c. 13.

3 Sedes ipsa siue lignea, siue marmorea erit sublimis & rotunda in modum Cathedræ, & Throni immobilis, panno serico coloris aliorum paramentorum contecta; supra ipsam baldachinum eiusdem coloris appendatur, dummodo supra Altare aliud simile, vel ciborium fuerit; ad ipsam tribus saltem gradibus ascẽdatur, qui vnà cum plano, quod, vbi cõmodè fieri potest, erit amplum, atque quadratum, pannis, siue tapetis tegantur.

Cærem. Episco. vbi sup.

4 Si adesset S.R.E. Cardinalis siue Legatus, siue non legatus in diuinis officiis præsens, tunc in sede Episcopi sedere debet: ipse verò Episcopus, si solemniter celebret, sedebit in faldistorio in cornu Epistolæ, vel si non celebret, in digniori parte Chori, non tamen Card. fiunt solitæ assistentiæ Canonicorum, quæ tantùm proprio Episcopo fieri debent, & nulli alter. Quòd si Episcopus quoque esset Cardinalis, in eodem loco, & plano sedebunt sedibus æqualibus, & si plures adessent Cardinales, eodem modo pro eorum numero; Cardinalis tamen loci Episcopus semper erit omnium postremus, nisi fortè celebraret, nam tunc in faldistorio à latere Epistolæ sederet.

Cærem. Epis. lib. 1. c. 8. Paris. de Crass. li. 1. c. 19.

5 Idẽ obseruandum, cum plures Prælati eiusdem ordinis, seu Cardinales sint, siue Episcopi ad Concionem accedunt; nam tunc, pro eorum numero, sedes omnes eodem loco per ordinem siue sub baldachino, siue extra baldachinum semper aptari debent, & si præsens sit Episcopus loci, semper exteris loco cedens erit in nouissimo loco, si cum Cardinalibus erunt Episcopi, primus ordo sedium, & eminentior, atq; ornatior erit Cardinalium; secundus loco humiliori Episcoporum, ac Prælatorum. Cærem Epis. lib. 1. c. 13.

6 Metropolitanus & Legatus à latere non Cardinalis, si diuinis interfit officiis, locum habebit in sede sibi præparata, & ornata eodem modo, quo sedes Episcopalis, ex opposito tamen à latere Epistolæ; & habebit honores ante Episcopum loci non celebrantem. Episcopi verò exteri semper erunt loco digniori post Episcopum loci, ante Canonicos.

7 Alii Legati non habentes facultatem in eo loco, vnde transeunt, sedebũt, in digniori sede Chori, & habebunt honores post Episcopum loci, præeminentiam in processionibus, & aliis locis supra Prothonotarios, & Canonicos; similiter & Nuncii Apostolici non habentes facultatem legati à latere. Visitator Apostolicus si sit Episcopus, habebit sedem sicut Nuncius, & illo præsente sedebit post ipsum.

8 Prothonotarii Apostolici participantes sedebunt post Episcopos supra Abbates, & non participantes post Abbates: Prothonotarii à Pontifice Electi præcedunt Electos à Legatis.

9 Episcopus extra Diœcesim solem-

niter

niter celebrans sedebit in faldistorio sibi à latere Epistolæ parato supra gradum panno viridi, vel tapeto coopertum, ipsum verò faldistorium, semper ornabitur pannis sericeis coloris cæterorum paramentorum vsque ad pauimentum vndique defluētibus, cum puluino ad sedendum accommodato.

Cærem. Episc. li. 1. c. 8. 10 Celebrans intra Missarum solemnia sermonem habens, sederē debet vel in propria sua sede, vel, si Altare adhæreat parieti, apud ipsum sedens in faldistorio, vel alia sede ad id parata in medio, versis Altari renibus; à dextris habebit Presbyterum assistentem, & aliquantulum post ipsum Diaconum Euangelii, & primum Diaconum assistentem sedentes; à sinistris verò pariter sedentes erunt secundus Diaconus assistens, & Subdiaconus, qui cantauit Epistolam. Si verò celebrans non sit Episcopus loci, etiam si sit Superior, & in dignitate constitutus, sedens vt supra sermonem habebit: Ministri verò in scamno à latere Epistolæ sedebunt.

11 Quando verò Sanctissimum Sacramentum est expositum, nemini sedere licet, sed siue Episcopus celebrans, siue alius sermonem habeat, stat detecto capite à latere Euangelii; cęteri verò pariter detecto capite, vel stantes, vel genuflexi assistunt.

12 Cum ab alio concio habenda erit, Episcopus loci sedet in suo Solio, exterus in faldistorio, si celebret: simplex verò Sacerdos cum suis Ministris in scamno à latere Epistolæ parato.

Cærem. Epis. lib. 2. c. 3. 13 Canonicus, vel alius simplex Sacerdos Vesperas solemnes celebrans sedebit in prima sede Chori, quæ paretur panno coloris paramentorum cum puluino, & ante sedem supra scamnum, seu genuflexorium sternatur tapetum, vel pannus sericeus, coloris pariter paramētorum cum puluino, & libro suis signaculis disposito, ac panno sericeo coloris, vt supra, tecto, seu etiam, vbi non adest tale scamnum, præparetur legile cum libro, &, cum opus est, ab Acolythis amoueatur, vel reponatur ante celebrantem, in quo casu ante celebrantis sedem decet, vt tapetum sternatur; pro Assistentibus verò præparetur scamnum in ipso plano ante celebrantem tapeto, vel aliquo panno coopertum.

14 In Missa solemni, pro celebrante, & Ministris sit à latere Epistolæ scamnū aliquo panno coloris paramentorū coopertum, in quo, cum res postulauerit, iuxta Missalis rubricas, sedebunt. Cærem. Episc. li. 1. c. 1.

15 Reliqui omnes habitu Chorali induti suo ordine sedebunt in subselliis, siue in scamnis circumcirca paratis.

16 Pro Magistratibus verò, Principibus, ac Nobilibus Laicis; pro eorum qualitate, ac gradu, parari debent sedes extra Chorum, & Presbyterium; sic enim decet iuxta sacrorum Canonum præscripta, laudabilisque antiquæ consuetudinis, iam inde ab exordiis Christianæ Religionis introductę, ac longo tempore obseruatæ. Cærem. Epis. lib. 1. c. 3.

17 Regulariter in diuinis officiis sedendum est in Choro ad Matutinum, cum cantātur Lectiones, & ad Martyrologium cum legitur, vel cantatur ad Primam, & vbi est consuetudo, dum cantantur Psalmi post Hymnum, & cum pulsantur organa.

18 In Missa verò solemni, iuxta rubricas, conceduntur sessiones celebranti, atque Ministris, dum cantatur *Kyrie eleyson*, *Gloria in excelsis*, *Credo*, dum dicitur Epistola, & Prophetiæ. Adstantibus in Choro ad Missam conceduntur sessiones eodem tempore, quo celebrans cum Ministris sedet, vt supra, ac pariter dum dicitur *Graduale*, *Tractus*, vel *Alleluia* cum Vers. seu *Sequentia*, & ab Offertorio vsq; ad Prętationem & ad Antiphonam, quę *Communio* dicitur. Ru. ge. Miss. 17. 6.

19 Peculiare tamen est aliquibus piis, ac religiosis viris non solum ob breuitatem cantus, cum sine melodia, sed simpliciter cantent; verum etiam ob piam, atque laudabilem obseruantiam, vt non Cōfuet. Cl. Reg. Theat.

sedeant

sedeant in psalmodia, nisi dum ad Matutinum leguntur Lectiones, neque in Missa solemni, nisi cum dicitur Epistola, seu etiam quando occurrit, dum cantantur Prophetiæ, quam probatam consuetudinem nostri ordinis Clerici Regulares à Patribus acceptam, vt aliàs, Deo dante, explicabimus, satis laudabiliter cum alijs religiosorum Ordinum obseruantijs firmiter retinent.

De ordine, ac modo in genuflexionibus obseruando. Cap.IV.

1 *Genuflectendi vsus antiquissimus.*
2 *Genuflexiones Sanctissimo Sacramento faciendæ.*
3 *In Missis solemnibus quando genuflectendum.*
4 *Ad Chorum accedentes post inceptum officium genuflectunt.*
5 *Genuflexiones, quæ fiunt inter psallendum.*
6 *Ad preces quando genuflectendum.*
7 *In fine Officij, & ad Salutationem Angelicam quando genuflectendum.*
8 *Quando non genuflectitur.*
9 *Modus, quo Episcopus ante Sanctissimũ Sacramentum accedens genuflectere debet.*
10 *Reuerentia facienda ab Episcopo in Altari, vbi non sit Sanctissimum Sacramentum.*
11 *Reuerentia facienda Episcopo.*
12 *In benedictione solemni, quinam Episcopo genuflectere debent.*
13 *In benedictione Episcopi transeuntis quinam genuflectant.*
14 *Reuerentia Romano Pontifici facienda.*
15 *Romanum Pontificem omnes genuflexi alloquuntur.*
16 *Genuflectentes orationi vtroque genu terræ hærere debent.*
17 *Obseruanda in genuflexionibus.*

1 Etsi Deus à nobis potissimum interiorem cultum postulet, per quem anima nostra ipsi per Fidem, Spē, & Charitatem inhæreat; attamen, dũ in terris degimus, multis adminiculis indigemus, vt ad interiorem Deum colendi rectam rationem perueniamus. Cum enim anima constemus, ac corpore vtroque Deum colere opus est. Hinc genuflectendi religiosus vsus ortum habuit, hancque vetustissimam, & laudabilem genuflectendi consuetudinem sæpissimè in Scripturis sacris, & Ecclesiasticis traditionibus, exemplis confirmatam legimus. Passim namque genua Deo flectenda sacræ docent literæ: Sic olim Regem Salomonem ædificato Templo, vtroque genuflexo, religiosè orasse nos docet Scriptura. Christus Dominus, ac Magister noster in horto flexis orauit genibus; Iacobum quoque cognomento Iustum assiduè flexis in terram genibus Deum deprecari solitum legimus, vt in Camelorum duritiem eius genua transisse D. Hieronymus testetur: Hoc Dei Patris erga dilectum Filium præcipuum donum est, vt in nomine Iesu omne genu flectatur. 3.Reg 8. 2. Paral. 6. 13. Luc. 24. D.Hier.

2 Primò itaque venerabile Altaris Sacramentum genuflexo vsque ad terram adoretur, & quoties ante Altare, in quo illud asseruatur, transire contigerit, toties genuflexo, & capite inclinato illud venerari oportet. Cum verò eleuatur, cum ostenditur, cum traditur, & cum circumfertur, semper genuflectitur; cum defertur per Ecclesiam, omnes etiam adstantes in Choro genuflectant, nec surgant, donec transferatur extra. Cum Sanctissimum Sacramentum est expositum super Altare, ob eius reuerentiam, vtroque genu flectendum est, cum eadem ratione præcipiatur Canonicis accedentibus ad circulum ad *Agnus Dei*, vt vtroque genu flectant. In processionibus, quæ fiunt per Ecclesiam, transeuntes ante Altare, in quo sit Sanctissimum Sacramentum, vel eleuata sacra Hostia vsque ad com- Cærem. Episc. lib. 1. c. 18. Cærem. Episco. li. 1. c. 21

munionem, non genufle&tentes animaduersione dignos iudicauit Sacra Rituum Congregatio, talemque consuetudinem non genufle&tendi abusum, & corruptelam declarauit.

Declar. Congr. Sac. Rit.

3 In Missis solemnibus, ferialibus, & Defun&torum, dum dicuntur Orationes in principio, & in fine Missæ, & cum eleuatur Sanctissimum Sacramentum, vsq; ad *Per omnia sæcula*, &c. ante *Pax Domini*, &c. genufle&tendum est. Clerici inseruientes Missis solemnibus, ac populus circumstans, ad Confessionem genufle&tunt; item ad eleuationem Sanctissimi Sacramenti, atque etiam dum fit communio tàm celebrantis, quàm aliorum circumstantium, omnes debent genufle&tere.

Rub. gene. Miss. xvii. 5. Cærem. Episc. li. 2. c. 11. & 18. Paris. de Crass. li. 2. c. 29. & 43.

4 Qui ad Matutinum ante finē Psalmi *Venite exultemus*; ad reliquas verò Horas ante finem primi Psalmi non accesserit (nisi fortè necessitate, ac pietate cogente, & obtenta à Præsidente Chori licentia, discedere oporteat) ex Concilio Basiliensi pro illa Hora absens censetur, ac proptereà laudabilis est Religiosorum consuetudo, vt quando post primum Psalmum ex negligentia quis accesserit in Chorum, genufle&tat in medio, nec ad locum suum accedat, donec Superior surgendi facultatem faciat: omnes autem etiam sæculares, priusquam ad locum suum accedant, genuflexi orent, mox astantibus inclinent, qui tunc, & non prius assurgentes eum consalutabunt.

Concil. Basil.

Cōstet. Cl. Reg. Theat. Cærem. Episc. li. 1. c. 18.

5 Inter psallendum multoties genufle&tere contingit, videlicet ad Matutinū in Inuitatorio, dum dicitur *Venite adoremus, & procidamus ante Deum*; in principiò Hymnorum *Veni Creator Spiritus*, &c. & *Aue Maris stella*, &c. in quibus donec primi versus dicuntur, genufle&tendum est: in Hymno crucis cum dicitur *O crux aue spes vnica*, etiam tempore Paschali, nam tunc genuflexiones, dum oramus, prohibentur, non autem in adoratione; huiusmodi verò sunt potius a&tus adorationis, quàm orantium situs; & hæc est omnium sacrorum Rituum peritorum sententia vsu vbique recepta. In Hymno *Pange lingua*, cum dicitur *Tantum ergo Sacramentum*, si Sanctissimum Sacramentum sit expositum; & in Hymno *Te Deum laudamus*, cum dicitur *Te ergo quæsumus tuis famulis subueni, quos pretioso sanguine redemisti*, omnes genufle&tunt in locis suis. In Vigilia Natiuitatis Domini, cum in Martyrologio dicitur *In Betlehem Iuda nascitur*, vsque dū perficiatur, *Natiuitas Domini nostri Iesu Christi secundum carnem*.

Cærem. Episc. lib. 2. c. 6. Cærem. Episc. lib. 2. c. 1. Nau. de orat. & hor. canon. c. 4. Petr. de Ruyz Cærem. Miss. ru. de Epist. §. 7. fol. 36. 66.

Cærem. Bonon. l. 1. c. 22. Cærem. Episc. lib. 1. c. 28.

Direct. Chori.

6 In Vigilijs, & Ferijs Aduentus, Quadragesimæ, & quatuor Temporum cum officium sit de Feria, ad preces genufle&tere oportet: ad preces quoque, quæ ad Vesperas, ac Laudes dicuntur, in officio Defun&torum, & quæ post Psalmos Graduales, ac tempore Synodi, vel Capituli, vel pro inuocatione Sancti spiritus dicuntur, semper genufle&tendum est: Psalmi Pœnitentiales cum Litaniis, & precibus semper flexis genibus dicuntur.

Rubri. Br. 24. 4.

7 Antiphonæ B. Mariæ Virginis per annum, exceptis diebus Dominicis, & tempore Paschali, flexis genibus dicuntur. Ad tria tempora, mane videlicet, vespere, & meridie, quibus campanæ sono signum Salutationis Angelicæ datur, flexis genibus orare oportet.

Ru. gen. Br. 24. 3. Concil. Nicæn. c. 20.

8 Tempore Paschali, & diebus Dominicis à Vesperis sabbati, iuxta Nicęni Concilii decreta, stantes orare debemus, vt habetur cap. Quoniam: itē apud Bruchardum, & Iuonem ex Aurelianensi Concilio, præcipitur Presbyteris, vt annuncient plebibus, quòd in Quadragesima, & ieiunio quatuor Temporum tantummodò ad Missarum solemnia genua fle&tere debeant. In Dominicis è contra diebus, & in cæteris festis à Vespera vsque ad Vesperam non fle&tant genua, sed stantes incuruati orent.

Concil. Nicæn. can. 29. Brucha. decr. li b. 13. c. 3. Iuo. lib. 2. c. 182.

9 Episcopus accedens ad Ecclesiam, vt oret, ante Altare, si in eo sit Sanctissimum

Cærem. Episc. l. 1. c. 1.

mum

mum Sacramentum, facit prius genuflexionem vsque ad terram Sanctissimo Sacramento: deinde surgens genuflectit iterum super puluino ibidē parato, & orat; completa verò oratione surgens facit iterum reuerentiam cum genuflexione Sāctissimo Sacramento.

10 Quòd si in Altari non sit Sanctissimum Sacramentum, Episcopus ante infimum gradum Altaris accedens, facta prius cruci profunda capitis inclinatione, genuflectit super puluino, & genuflexorio ibi parato, orat, & oratione completa, vbi surrexerit, facit iterum Cruci reuerentiam profunda capitis inclinatione.

11 Episcopo in propria Diœcesi familiares, ac scutiferi flexo genu ministrāt; Beneficati, ac Clerici omnes reuerentiam faciunt, exceptis Canonicis, qui profunda capitis inclinatione reuerentiam facere debent; præsente Cardinali, huiusmodi genuflexiones nō fiunt Episcopo, sicut nec Cardinali celebranti coram Pontifice, & omnino nulli inferiori præsente Superiore fieri debent.

Cærem. Episc. lib. 1. c. 11.

12 Cum Episcopus siue in Missa, siue ad Vesperas solemnem dat benedictionem, omnes, etiam tenens Baculum, & si sit Archiepiscopus, crucem deferens, genuflectere debent, ipsi quoque Canonici, & Dignitates, Episcopis tantùm exceptis.

13 Episcopo ordinario loci transeunte, dum formando signum crucis benedicit, omnes genuflectunt; Canonici verò, ac Magistratus caput profundè inclinant.

14 Omnes cuiuscumque gradus, ac dignitatis, cum ante conspectum Romani Pontificis peruenerint, distantibus spatijs ter ante illum genuflectunt, eiusque pedes osculantur. Imperator verò, Reges, maximi Principes, eorumque Oratores prima vice etiam ad osculum manus, & oris recipiuntur; reliqui ad pedis osculum tantùm.

Cærem. Ro. li. 3. sect. 1. c. 11.

15 Romanum Pontificem omnes genuflexi alloquuntur, exceptis DD. Cardinalibus, nec aliquis surgit, nisi ipso iubente; adstantes omnes, dum ipsos alloquitur, genuflectunt. Prælati in Congregationibus, dum suffragiū ferre incipiūt, genuflectunt, surgentes postea, quæ dicturi sunt, prosequuntur, & vbi compleuerint rursum genuflectunt.

16 Aduertendum omnino in ipsis genuflexionibus, quod Aurelianense Concilium monet, ne quisquam vno genu solotenus impresso orare præsumat, sicut Iudæi irridentes Dominum in eius passione fecisse leguntur, sed vtraque genua terræ figat: ait enim Apostolus: *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi.*

Concil. Aurel. Bruch. decr. lib. 13. c. 3. Iuo. li. 2. c. 183. Ephes. 3. 14.

17 Quod randem in omnibus genuflexionibus obseruandum omnino hoc loco monemus, est, vt simul cōuenientes pari disciplina omnes simul genuflectant in Choro, omnes eodem tempore cum res postulauerit, consurgant. Cum verò bini, siue in processionibus, siue ad aliquid aliud agendum ante Altare pertrāseunt, ambo simul genuflectant, ac surgant, ad terram vsque procumbentes, strenuè, & alacriter, sine strepitu, sed modestè reuerentiæ cultum, vt decet, exhibentes.

De ordine, & modo, quo inclinationes fieri debent. Cap. V.

1 *Orantes corporis gestus aptare debent.*
2 *Nomen Iesu reuerenter adornandum.*
3 *Mariæ Virginis nomen venerandum.*
4 *Ad Vers. Gloria Patri quomodo inclinandum.*
5 *Inclinationes, quæ fiunt tecto capite.*
6 *Modus in inclinationibus seruandus.*
7 *Reuerentiæ nomine quid intelligatur.*
8 *Ordo in reuerentijs faciendis obseruandus.*
9 *Cum plures eiusdem gradus adsunt Prælati, quis in reuerentijs ordo seruandus.*

1 ET si nullibi in scriptura, quibus corporis gestibus sit orandum, habeatur expressum, passim tamen exempla orantium in vtroque testamento nos docent: multum enim exteriores, & corporales gestus mouent ad concipiendum mentis affectus. Nam, teste Augustino, humilibus gestibus, velut (D. Aug.) stimulis humilitatis,& abiectionis homo interius se humiliat. Vnde, cum in precedenti capitulo ex Ecclesię vsu, quando, & quomodo publicè orantes genuflectere oporteat, ritè sit explicatum; proximum modò documentum tradere ratio ipsa suadet, vt scilicet sciamus & modum, & tempus inclinandi in nostris precibus; multoties enim Christi Domini humilitatis memores, qui se metipsum exinaniuit, propter quod, teste Apostolo, & Deus ipsum exaltauit, (Philip. 2.7. Hebr. 5.7.) nec non etiam pro sui reuerentia meruit exaudiri, & nos humiliter, vt decet, orationi vacantes inclinari oportet.

2 Præcipuè ad tremendum Saluatoris nostri *Iesu Christi* nomen omnes detecto capite inclinari debent, illud adoratione latrię colentes; quod intelligitur, dum hoc Sanctum *Iesu* nomen, non autem *Christi* tantùm profertur. (Rit. Miss. V. 2. Cęrem. Epis.li. 1.c.22.)

3 Ad *Mariæ* verò nomen, iuxta rubricas Missalis, & Cęremonialis Episcoporum, debemus caput deuotè inclinare, sicut ad Sancti, de quo celebratur officium, cum aliquo tamen discrimine: nam Beata Virgo ob singularem suam excellentiam, & donum Maternitatis Dei, quod est eximium, eo quod super omnes Choros Angelorum, superque omnia creata in cœlestibus collocatur, hyperduliæ adoratione venerari debet, Sancti verò reliqui Duliæ. Idcirco ad *Iesu* nomen, quia est Deus, & Homo, Redemptor, ac Saluator, profundius, ac toto cordis affectu Latriæ adoratione ipsum colentes, caput versus Crucem, iuxta Missalis rubricas, inclinamus. Ad *Mariæ* verò nomen non quidem versus Crucem, sed, vt in recogniti, & emendati Missalis rubrica habemus, versus librũ: similiter & ad Sãctorũ inuocationẽ, nec nõ viuentis Pontificis, dũ eorum nomen profertur, inclinandum quidem est, singulis debitum honorem præstando, versus librum, non tamen adeò profundè. (D.Tho. in 3.sét. dist.9.b. b.1.ar.7. ad 2. Nauar. de orat. & hor. can. c.5. nu.24. Rit. Miss. V. 3.)

4 Ad Vers. *Gloria Patri*, &c. & quoties Sanctiss. Trinitatis expresse fit mentio, tam in fine Hymnorum, & Orationum, quam in Antiphonis, quę in festo Sanctiss. Trinitatis dicuntur, detecto capite inclinandum est: interim per Chorum transeuntes sistant, atque versus Altare se inflectant, qui verò sedent, profundè inclinent. (Cęrem. Epis.lib. 2.c.1.5. & 6. Consuet. Cleric. Regul. Theat.)

5 Ad Vers. *Sit nomen Domini benedictum*, omnes caput inclinant. Ad Vers. autem *Benedictus Dominus die quotidie*, & *Sit nomen eius benedictũ in sæcula*, & *Benedictum nomen Maiestatis eius*, & ad Vers. *Sanctũ, & terribile nomen eius*, caput pariter inclinatur. Ad preces quoq; Completorij, quãdo dicitur Vers. *Benedictus Dominus Deus Patrum nostrorũ*, & Vers. *Benedicamus Patrem, & Filium*, &c. & Vers. *Benedictus es Domine in firmamento Cæli*, inclinatur caput.

6 In omnibus postremò inclinationibus grauis, ac religiosa modestia sine affectatione obseruetur, cũ studio attẽdẽtes, vt exterior gestus, q̃ ore proferuntur, comitetur, vt decet; quò exteriori cultu interius pietas excitetur, & augeatur. (Cęrem. Epis. li. 1I.18.)

7 Chorum ingredientes, reuerentiam faciunt capitis, ac humerorum inclinatione Altari, Prelato superiori, ac reliquis; quo loco obseruare oportet, quòd semper, cum in rubricis Missalis, ac Cœremonialis habemus alicui reuerentiam exhibendam esse, nõ quidem intelligitur ea, quę vulgariter genuflexione, vel pedis inclinatione denotatur, sed per reuerentiam communiter intelligit rubrica profundam inclinationem, quę capitis, ac humerorum inclinatione fit, prout satis eruditè explicauit Petrus de Ruyz. (Petr. de Ruyz pag.28.)

8 Cum reuerentia exhibenda est Al-

Cærem. Episco. vbi supra. Paris de Crass. li. 1. c. 2.

tari, Episcopo, celebranti, ac reliquis siue maioribus, siue æqualibus, non attenditur, cui prius, vel postea fieri debeat, sed tantùm commoditas gradientis; cõmuniter tamen reuerentia prius fieri debet ei, à quo quis discedit, deinde vnde transit, ac vltimò ei, ad quem itur, nullo habito respectu, quis eorum sit maior.

9 Cum plures adsunt Prælati eiusdẽ gradus, & ordinis, puta Cardinales, vel Episcopi, vel vni tantùm eorum, qui prior est in ordine si genuflexo reuerentia fiat, vel omnibus simul si capitis, & humerorum inclinatione fieri debet.

De modo, & tempore formandi signum Crucis. Cap. VI.

1 *Signum Crucis antiquissimum propriũ est Christianorum.*
2 *Quomodo nos ipsos signamus in principio Horarum.*
3 *Ad Matutinum, & Completorium.*
4 *Ad Euangelij initium.*
5 *Ad Magnificat cum procedendum est.*
6 *Signum Crucis super alios quomodo formandum.*
7 *Signum Crucis cum thuribulo super oblata quomodo formandum.*
8 *Benedictio populi quomodo facienda.*
9 *In benedictionibus quomodo eleuatur Pluuiale.*
10 *Episcopus Ministros, & alios in Missa quomodo benedicit.*

Dion. de Eccl. Hier. c. 3. Clem. cõst. lib. 3. c. 8. D. Hier. Epistol. ad Eustoch. Idem epist. ad Demetriad.

1 Crucis signum ex antiquissima traditione, omnibus Sacranentis adhibendum, vt notat Dionysius, proprium Christianorum est, quod & inconfractum à S. Clemente dicitur, ad omnem progressum, atque promotum ad omnem aditum, & exitum, & omninò ad omnia adhibendum docet Tertullianus; quod etiam monuit D. Hieronymus ad Eustochium: Ad omnem actum, ad omnem incessum manus pingat Crucem: & ad Demetriadem: Claude cubiculum pectoris, & crebro signaculo Crucis munias frontem tuam, ne exterminator Aegypti in te locum reperiat, sed primogenita, quæ apud Aegyptios pereunt, in tua mente saluentur. Cum igitur ex Ecclesiæ institutione, sæpissimè in diuinis officijs, atque ipsis quoque Sacramentis conficiendis ipso vtendum sit, modum illud formandi, qui diuersimodè fieri potest, hoc locò obseruare oportet.

Ritus mis. I. I. 4.

2 Quoties se ipsum aliquis Crucis signo muniet, sinistram infra pectus teneat, dextera verò, eius digitis iunctis, & extensis à fronte ad pectus, & ab humero sinistro ad dextrum signum Crucis effingat. Signamus autem nos ipsos Horarum initio, cum dicitur Vers. *Deus in adiutorium meum intende*; non autem cum ad preces, vel ad Psalmos idem Versus repetitur; Cum dicitur Versus *Adiutorium nostrum in nomine Domini* ante confessionem, atque etiam ad Primam post, Capitulum: simili modo ad Primam, cum dicitur *Dominus nos benedicat*, &c. pariter ad Completorium, cum dicitur *Benedicat, & custodiat nos omnipotens, & misericors Dominus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus*.

Cærem. Epis. li. 1. c. 3.

Rub. gene. Bre. XIII. 1.

3 Matutini initio cum dicitur Vers. *Domine labia mea aperies*, pollice dexteræ manus signamus nos in ore, & in principio Completorij, cum dicitur *Conuerte nos Deus salutaris noster*, pariter dexterę pollice Crucis signo nos in pectore munimus.

Rit. mis. VI. 1.

4 Euangelij initio cum dicitur *Initium*, vel *Sequentia Sancti Euangelij* signamus nos pollice dexteræ manus in fronte, ore, ac pectore: eodem quoque modo, cum dicitur *Pax Domini sit semper vobiscum*.

Cærem. Epis. li. 1. c. 1.

5 Celebrans cum procedit Pluuiali indutus ad incensandum Altare, cum intonatur Canticum *Magnificat*, à fronte ad pectus signo Crucis se munit.

6 Be-

Cerem. Petr. de Ruyz. tit. de princ. Mis. S. 5. pa. 19.

6 Benedicens alios, sinistra posita infra pectus, omnibus dexteræ digitis extensis, signum crucis super benedicendos ita formabit, vt minoris digiti extremitate, recta prius, mox altera in medium transuersa linea signetur. Si verò aliquid super Altare existens sit benedicendum, tunc sinistra in plano Altaris, extra tamen Corporalia deposita, dexteræ digitis omnibus, vel, si index cum pollice, vt moris est, post consecrationem sit coniunctus, tribus aliis extensis, supra id, quod benedicit, signum crucis ritè formabit.

Cerem. Petr. de Ruyz. 5. 7. pa. 40.

7 Quando in incensatione Oblatorũ cum thuribulo cruces formandæ sunt, duas æquales lineas, alteram rectam, alteram verò transuersam in Hostiam, & Calicem ducendo, ipsas formabit, studẽdo, ne eo modo, ac si quatuor puncta signare vellet, efformet.

Cerem. Petr. de Ruyz. Cerem. Episc. li. 1. c. 3.

8 Cũ à celebrante, vel Prælato populus benedicitur, omnes genuflexi caput celebrãtẽ versus inclinẽt, nec se ipsos signabũt. Episcopus pertransiens efformat signum crucis super populum aperta, & extensa manu, quoties videbitur.

Cerem. Episc. li. 1. c. 8.

9 Pluuiali indutus quoties se ipsum, vel alios signabit, cum videlicet benedicit thus, vel Ministros, seu etiam populum, Diaconus à dextris eius assistens eleuat Pluuialis fimbrias.

Cærem. Episc. li. 1. c. 7.

10 Cum solemniter Episcopus celebrat, vel Missæ solemni assistit, format signum crucis, benedicendo Subdiaconum ante se genuflexum cantata Epistola: ac pariter Diaconum, cum petit ab eo benedictionem, antequam cantet Euangelium; item Presbyterum assistentem, vbi fuerit ab eo incẽsatus, ac lotis, tersisque manibus, cum reddit mantile, supra familiares, vel nobiles, à quibus fuerit ei ministratum. Supra Canonicos efformabit signum crucis Episcopus eos benedicendo, dum accedunt ad circulũ, antequã inde discedant; Super Cõcionatorẽ verò, quoties sermonem habiturus ab eo petit benedictionem, dicens *Dominus sit in corde tuo*, &c. efformans signum crucis illi benedicet. In Missa siue solemniter, siue priuatè ab Episcopo celebretur, in fine dũ benedicit populo, semper ter signũ crucis efformabit, primò cõuersus ad latus Epistolæ dicens *Pater*; secundò in medio ad populum totus conuersus dicens *Et Filius*; tertiò ad latus Euãgelij subdẽs *Et Spũs Sãctus*. Et sic pficiendo circulũ cõuertit se rursum ad Altare.

Carem. Episc. li. 1. c. 21

Cærem. Episc. li. 1. c. 22.

Rub. gene Mis. xii. 8.

De modo, ac tempore, quo bireto, ac pileolo in Ecclesia ad Diuina officia vti decet. Cap. VII.

1 *Orantes cur caput detegimus.*
2 *Quando ad Officium in Choro caput est detegendum.*
3 *Quando in Officio Mortuorum.*
4 *Cum Sanctiss. Sacramẽtũ est expositũ, semper detecto capite standum est.*
5 *In Missa solemni quando detecto capite stare oportet.*
6 *Quando in processionibus.*
7 *In exequijs quãdo tecto capite proceditur.*
8 *Vniformitas in capitis denudatione seruanda.*
9 *Pileoli vsus in Choro.*
10 *Pileoli vsus in Missa prohibitus.*
11 *Episcopo ministrantes in inferiori ordine ne caput tegant.*

1 QVod Apostolus Corinthiis scripsit: Omnis vir orans, aut prophetans velato capite deturpat caput suum; D. Thoma interprete, intelligitur de publicè orantibus in Ecclesia, præsertim de Sacerdotibus in Missæ celebratione, & aliàs quãdo in persona Ecclesiæ corã multitudine Orationes recitant: nã etiã Episcopus, vt notat Alexãder Alẽsis, oraturus Mitrã deponet, in signũ, quòd vir reuelato capite debet orare, quatenus inter ipsum, & Deum nullum sit malitiæ velamen, vt reuelata facie gloriam Dei contempletur: idem designat depositio Amictus de capite

1. Cor. 11. 4. D. Tho. in Epis. ad Cor.

Ale. A. lens. 4. par. q. 10. trac. de off. Mis. §. 4.

simplicis Sacerdotis. Orans igitur vir tecto capite deturpat caput suum; inhonorat Christum, ac Deum ipsum: caput enim viri, ait idem Apostolus, Christus est, caput verò Christi Deus. Itaque ne contumelia caput nostrum afficiamus, omni studio est aduertendum, quando in ipsis orationibus, diuinisque officijs, cum publicè oramus, caput sit detegendum, quandoue operiendum. Plura de hoc in cap. Nullus de Consecr. Doctores docent, præcipuè Turrecremata, vbi expressè docet, quòd Psalmos canentes in communi, non ab vno, sed à rota communitate tecto capite recitantur; cum verò vnus tantùm orat, caput detegit: vide ibidem.

1. Cor. 11. 3.

c. Null de cons. dist. 1. Brocha decr. li. 1. c. 23. Io de Turrec. c. null.

2 Vt plurimum bireto vtimur, cum cantantur Psalmi, ac Lectiones, semper tamen ad Vers. *Gloria Patri*, &c. caput detegitur; Symbolum quoque Sancti Athanasij, quod dicitur diebus Dominicis ad Primam, detecto capite à stantibus, vt in Ecclesia Sancti Petri Romæ consueuit, cantari debet: Eadem, teste Nauarro, obseruantur in Cathedrali Ecclesia Conymbricensi; in principio officij, donec primus Psalmus inchoetur, detecto capite standum est: similiter ad Hymnos, Capitula, Versus, & Orationes, ad Preces quoque, & Suffragia, & reliqua, quæ sequuntur vsque ad finem Officij; & omnino quoties geniculamur. Cum legitur Euangelium ante Homiliam, & Lectiones in Officio paruo Beatæ Mariæ Virginis tempore Aduentus, quæ sunt ex Euangelio, detecto capite stare oportet. Ad Martyrologium quoque, quod in Vigilia Natiuitatis Domini legitur, capite detecto est standum.

Cõsuet. Eccl S. Petri, & aliarum Eccl. Nau de orat. & hor ca. no. c. 4

3 Ad Officium Mortuorum, vsque dum inchoetur primus Psalmus, & ad Versus ante lectiones, dum dicitur *Pater noster* secretò, standum est capite detecto, quod pariter obseruatur in Vesperis & Laudibus; repetita quinta Antiphona, ad Versum vsque ad finem Orationis, seu Orationum.

4 Cum Sanctissimum Sacramentũ est expositum, omnes caput detegunt; stant tamẽ, sedẽt, genuflectũtue, prout res postulauerit: idẽ seruetur à stãtibus in Choro, cũ in Altari Eucharistia ministratur. Cærem. Episc. li. 1. c. 23. Declar. Congr.

5 In Missis solemnibus omnes adstant in Choro capite aperto, tantù n cũ Sacerdos seder, vel dũ cantatur *Epistola*, *Prophetæ*, *Graduale*, *Tractus*, vel *Alleluia* cũ *Versu*, & *Sequentia*, & ab *Offertorio* vsque ad *Præfationem*, & ad *Antiphonam*, quæ dicitur *Communio*, sedentes caput tegũt. Rub. gene. mis. XVII. 2.

6 In Processionibus fere sẽper detecto capite inceditur, pręsertim si Sanctiss. Sacramentũ solemniter deferatur, vel Sanctorũ corpora seu Reliquię transferãtur.

7 In exequijs Defunctorum, cum per Ecclesiam proceditur, & in Absolutione ad tumulum, tantùm celebrans Pluuiali indutus caput tegere debet, qui cum ante Sanctissimum Sacramentum transit, detecto capite genuflectat, & ad Tumulum perueniens, biretum ministro tradat: rediens verò reaccepto bireto, tecto capite eodem modo, quo venit, progreditur. Ad exequias cum ad efferendum corpus defuncti proceditur, omnes silendo, & tecto capite ad locum, vbi iacet, ordinatè accedunt, ibique, dum dicũtur Orationes supra defunctum, stant detecto capite; dum verò corpus deferunt, cantantes Psalmos tecto capite incedũt, donec perueniant ad Ecclesiam, vbi caput detegunt: cum ad sepeliendum defunctus extra Ecclesiam defertur, omnes per viam caput tegunt, donec ad locum perueniant. Ad vngendum infirmum tecto capite proceditur.

8 Illud autẽ, quò vniformitas seruetur aduertẽdũ est, vt in Choro astãtes, vel in Processionibus, cũ res postulauerit, oẽs simul caput regãt, simulq; pariter detegãt.

9 Quando ob valetudinem opus fuerit pileolo, dicturi Orationes, vel Lectiones in medio Chori, atque etiam cum in Missa solemni, vel alios aspergunt, vel asperguntur, illum deponunt; quod pariter seruent, cum incensantur,

vel *Pax* eis defertur. Cum Sanctissimum Christi corpus eleuatur, cum ministratur, cum defertur, omnes genuflectentes pileolum deponant. Cum celebrans benedicit populo, cum cantatur in Choro *Et incarnatus est*, &c. cum in Euangelio dicitur *Et verbũ caro factum est*, &c. pileolum deponunt.

10 In Missa neque celebrans, neque Minister vllo modo eo vtantur, nisi prius obtenta facultate ab eo, qui eam dare potest, quæ non nisi ex graui causa concedatur; & tunc illum teneat vsque ad manuum ablutionem, quas antequam lauet, illũ Ministro asseruandum tradat, & post Purificationem ab eodem resumat, nunquam autem super Altare reponatur.

c.nullus de cõsu. dist. I. Nauar. consl.

11 In Cathedralibus, Episcopo celebrante, vel assistente ad Vesperas, vel Missam, Magister Cęremoniarum, atque etiam Sacrista ante ipsum semper detecto capite stare debent: Item Clerici ministrantes vel ante Altare, vel ante Sedem Episcopi nunquam caput regunt, quod à Scutiferis, & Familiaribus Episcopi ante credentiam adstantibus pariter obseruabitur.

De Habitu, & Tonsura Ecclesiasticorum. Cap. VIII.

1 *Vestes Ecclesiasticorum à cæteris distincta.*
2 *Quales esse debeant.*
3 *Prælatorum vestes quales.*
4 *Tonsura Clericorum cur Corona dicatur.*
5 *Cur Clericorum capitibus Corona formetur.*
6 *Clericorum Corona iuxta cuiusque ordinem distinguenda.*

1 Antiqua Sanctorum Patrum pręscriptione Ecclesiasticis omnibus consultum est, vt sicut vitæ integritate, ac morum grauitate alios omnes præcellere eos decet, ita in habitu, & tonsura honestè, ac decenter ornati, tanquam in sortem Domini vocati, segregati à sęcularibus omnibus sint reuerendi, & conspicui. Vnde & in Matisconensi Concilio primo sub Pelagio II. anno Domini 582. celebrato, indecenter indutos, vel armatos Clericos à senioribus corrigendos statuitur, imposita insuper transgressoribus pœna triginta dierum reclusionis, strictiorisque ieiunij in pane, & aqua; salutaris profectò, & opportuna his nostris temporibus, immo & necessaria illorum deprauatis moribus corrigendis, qui tanquam ad asylum confugientes honorario clerica li nomine, sacrisque Insignibus, timore pœnæ magis, quam pio affectu muniuntur, potius impunitatem, quàm Ecclesiasticam pietatem amplexi, ipsamque, vt ait Zacharias Papa, à qua honorantur, Clericalem dignitatem nimis intemperanter, indecentique, ne dicam etiam in honesto corporis habitu magis deturpant. Quod sępe in antiquis Concilijs, hoc nouissimè in Tridentino statuitur de Clericali habitu, & tonsura, quod & expressius à Sixto V. Pont. Max. Ecclesiasticis omnibus est lege statutum; vt qui Clerici nomen sunt consecuti, etiam in minoribus Ordinibus constituti, Clericali tantùm charactere insigniti, quamuis exempti, Clericalem habitum, hoc est vestes talares conuenienter deferre debeant; inobedientibus pœnas imponens, sic enim decet, vt à sęcularium habitu differant. Quod si semper, & vbique obseruari debear, tunc maximè decet, cum ad Ecclesiam ad Diuina mysteria celebranda accedunt; tunc enim sacris supra communes Clericales vestes indui debent.

Cõ. Tol 1. p. 2. concil. Matisc. 1. c. 2.

c. Episc. 21. q. 4. Concil. Tri. sess. 23. de ref. c. 6. & 17. Cõst. 93 Sixti V. quæ incipit: cũ sacrosãctam.

2 Ecclesiasticorum igitur vestes tam Regularium, quam Sęcularium Clericorum, nec non aliorum Religiosorum Ordinum omnes vsque ad talos protensę, non ex serico, sed ex lana, Clericorũ quidẽ nigri coloris, Monachorũ verò iuxta cuiuslibet Ordinis institutionẽ cõ-

Cęrem. Epis li. 1. c. 1.

ſtanter ſint. Caput, cum domi, vel in Eccleſia degunt, Monachi quidem cuculla tegant, Clerici verò bireto formæ quadratæ, more Romano; extra domum, & Eccleſiam palliati pileo vti poterunt, Clerici quidem nigri coloris, monachi verò ſui ordinis colorem in omnibus conſeruantes.

3 Prælati omnes veſtem talarem, quam ſubtanam vocant, regulariter induant, extra domum verò alia vtantur veſte breuiori aperta, ita ut per ſciſſuras brachia extrahi poſſint, quam Mantellettum vocant. In propria Diœceſi Epiſcopi, & Metropolitani in Prouincia non Mantelletto, ſed Mozzetta vtuntur; qualitas veſtium ſemper erit ex lana, videlicet ex ſarzia, vel etiam in ſolemnioribus ex camelotto. Color veſtium regulariter pro Epiſcopis, Archiepiſcopis, & Patriarchis erit violaceꝰ, exceptis temporibus luctuoſis, & diebus ieiuniorum, quibus, vt ſupra dictum eſt, nigro colore vtendum eſt, cuius coloris crunt, & veſtes Referendariorum, & Auditorum Rotæ. Aſſumpti ex Religioſorum Ordinum Congregationibus vtuntur colore, ſui ordinis, veſte talari, Mantelletto oblongo, & deſuper impoſita Mozzetta tam in ſua Diœceſi, quam extra, pileoque nigro cum cordulis viridis coloris.

4 Verùm quia, iuxta communem Sanctorum Patrum doctrinam; nec non ex ſacrorum Canonum præſcriptionibus, Clericali habitu Eccleſiaſtica tonſura coniungitur, quam coronam vocare conſueuerunt, fortè, vt ait Beda, ob ſpineam Chriſti coronam, quam Clerici maximè in memoriam habere debent, vel, vt notat Iſidorus, ad denotandum Chriſti Domini Sacerdotium, cuius gubernatores tali corona redimitos eſſe oportet, ſeu etiam, quod magis fortè veritati reſpondet, ex Principe Apoſtolorũ, vt deriſionis, ac ignominiæ cauſa illata infamię nota totius Eccleſię honori ceſſiſſe videatur: Ideo

Bed li. 1 Hiſ. Angl. c. 21. Iſid lib. 2. de inſtr. cler. c. 1.

Eccleſiaſtici omnes tali corona ornantur.

5 Apoſtolica traditione, ait Anicetus Papa, & confirmatione in Eccleſia deriuatum eſt, vt eorum capita ad modum ſphęræ tondantur deſuper, qui à communi hominum vita recedentes, exceltius vitę genus ſectantur. Clerici, ac Sacerdotes ſingulis hebdomadibus, maximè verò in pręcipuis ſolemnitatibus in Eccleſia miniſtraturi tondantur, ita vt corona recenter abraſa omnia capita Eccleſiaſticorum exornentur.


Anicet. Papa epiſt. ad Epiſco. Galliæ.

6 Clericorum quidem corona, prout in Concilio Toletano IV. pręſcribitur ad vnius regalis menſuram ſit, ſeu minoris Hoſtię. Sacerdotum ad menſuram Hoſtiæ maioris, prout in Concilio Palentino ſub Vrbano VI. præſcribitur. Monachorum vero iuxta cuiuslibet ordinis inſtitutum. Epiſcoporum denique ampla, decenterque formata erit. Quæ idcirco hoc loco adnotauimus, vt antequam ſacris ſe induant veſtibus, Sacerdotes, ac Miniſtri Altaris decenti habitu, atque tonſura, iuxta traditam formam, ſeſe diſponant. Vt autem & in hoc cuncta ordine diſponantur, placuit hoc loco formam Tonſuræ cuiuſque Ordinis diſtinctè deſcribere. Inſuper obſeruando, quòd Epiſcopi, qui ſuper omnes ſunt, ampliori tonſura vti debent, reliqui Epiſcopis inferiores, quilibet iuxta ſui Ordinis diſpoſitionem; nam & in hoc, ſicut & in reliquis Eccleſiaſtici Ordinis gradus diſtingui debent: non enim decet æqualiter tonderi omnes, ſed iuxta cuiuslibet gradum tonſuræ ſignum erit; damnabilis namque eſt eorum abuſus, qui ęqualiter parua tonſura vtuntur, amplioris enim tonſurę forma magis Eccleſiaſticam decet obſeruantiam, ſuo tamen ſeruato modo, & ordine.


Cōc. to. 3. Cōci. Tol. IV. Concil. Palenti.

Cęrem. Epiſ. li. 1. c. 1.


Tonsuræ Ordinis Sacerdotalis forma.




Diaconi Tonsuræ forma.



Subdiaconi Tonsuræ forma.



Minorum Ordinum Ministri Tonsuræ forma.



Primæ Tonsuræ initiati Clerici forma.



De modo, ac tempore, quo Ecclesiastici Superpelliceo, ac Rochetto indui debent. Cap. IX.

1 Conuenienter Clerici supra vestes communes, & vsuales in Choro, ad Diuina celebranda cum conueniunt, superpelliceo lineo mundo, tāquā proprio indumento, prout in Concilio Basiliensi cautum fuit, indui debēt: Clerici, ait Concilium, Horas Canonicas dicturi, cum tunica talari ac superpelliceis mundis, vltra medias tibias longis, vel Cappis iuxta tēporum, ac regionum diuersitatem, in cunctis Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesijs ad psallendum ingrediantur, non enim decet sine sacris vestibus in Ecclesia ministrare; prçcipuè in Missarum solemnium celebratione, & in omnibus processionibus, nec non in officijs, & exequijs Defunctorum Item cum defertur sanctissimum Eucharistiæ Sacramenrum infirmis, vel ad aliquod Altare, seu de loco ad locum transfertur, clerici superpelliceis induti procedant.

Concil. Basil. sess. 21. Concil. 4. p. 1.

2 Ad Altare, in quo Sanctissimum Sacramentum asseruatur siuè ad illud ornandum, siuè vt necessaria pro Missarum celebratione prçparentur, vel post earum celebrationem, quę parata fuerunt, cum asportantur, siuè cum in eo candelas accendere, vel extinguere oportet, nemo Clericorum sine superpelliceo accedere audeat, tunc maximè, cum ciborium, in quo asseruatur sacra Hostia, erit suo conopeo cooperiendum, vel detegendum, aut quoquomodo ornandum.

3 Cùm sacra Hostia est supra Altare exposita, nemo intra Presbyterium Laicorum accedat, sed tātùm Clerici superpelliceo mundo induti.

4 In administratione Sacramentorū tàm Extremę vnctionis, quàm aliorum, non solùm Sacerdos verùm etiam Ministri superpelliceo indui debent; pariter & in omnibus benedictionibus.

5 Clerici cum Sanctissimam Eucharistiam sumunt, semper superpelliceo induti accedant; cum verò Sacerdotem extra Missarum celebrationem sacram Cōmunionem sumere contingit, siue in Ecclesia, siue in cubiculo ægrotantem, etiā supra ipsum superpelliceum stolam habere decet. Concil. Brac. c. Euchar. de consl. dist. 23.

6 Clerici Missis priuatis, pariter ac solemnibus inseruientes superpelliceo induantur, nec illud deponant, antequam celebrans sacris se exuat vestibus. rit. mis. II. 1.

7 Capellani omnes Episcopo siue solemniter, siue priuatè celebranti semper superpelliceo mundo induti assistāt, atque inseruiant.

8 Caudatarij DD. Cardinalium, illis collegialiter ad Capellas accedentibus cum cappis, superpelliceo mundo induti ministrare debent, si verò nō collegialiter accedant; mantello induti suum exequuntur munus.

9 Acolythi Apostolici Palatii, Papa

celebrante siue solemniter, siue priuatè, semper superpelliceo mundo induti esse debent.

10 Sacrista Palatij Apostolici superpelliceo indutus suum exequetur munus; cum verò alij Prælati cum Cappa, vel Pluuiali accedunt, ipse eodem modo cum alijs sui ordinis Episcopis erit.

11 Cæremoniarij omnes supra vestes communes siue violaceas, siue rubeas superpelliceo induuntur.

12 Prælati ex Monachorum ordinibus assumpti, qui vtuntur habitu sui Ordinis, cum sacris induuntur, loco rochetti superpelliceum habebunt.

13 Confessarij publicè in Ecclesia Sacramentum Pœnitentiæ ministrantes, superpellicei induti suum exequuntur munus, addita Stola, eaque violacea: Itē & Concionatores cum sermonem ad populum habent.

Rit. Ro Tit. de sac. pœnit.

14 Prælati omnes, quorum primus est Summus Pontifex, Cardinales post ipsum, Patriarchæ deinde, Archiepiscopi, Episcopi, Prothonotarij, & si qui sunt alij, ex indulto Sedis Apostolicæ, loco superpelliceo, rochetto in publicis functionibus vti debent. Papa nunquam sine rochetto supra vestem talarem, Mozzetta, atque Stola procedit; cum verò sacris se induit, deposita Mozzetta, supra Rochettum reliqua paramenta accipit.

15 Domini Cardinales ad Capellas, seu Consistoria, vel ad celebrandum in aliqua Ecclesia, vel ad audientiam in Palatio Apostolico accedenres, seu etiam prima vice Cardinales, vel magnos Principes ad Vrbem accedentes cum visirāt, seu visirantur ab eis, supra Rochettum Mantellettum cum Mozzetta habebunt. In Congregationibus, quæ in domo Cardinalium fiunt, omnes, deposito Mantelletto, Mozzettam supra Rochettum apertum habebunt. Semper cum celebrant, deposito Mantelletto, atque Mozzetta supra Rochettum sacris induuntur vestibus.

16 Episcopi in publicis functionibus, præcipuè sacris semper Rochetto vtuntur; cum celebrant siue solemniter, siue priuatè; cum Ordines conferunt; cum Sacramenta ministrant, cum aliquid consecrare, seu benedicere debent, semper in Ecclesiam conuenientes, vel publicè procedentes Rochetto vtuntur, supraque ipsum in propria Ecclesia, vel Cappam, vel Mozzettam semper habebunt: extra Ecclesiam propriam supra Rochettum Mantellettum adhibebunt. Romæ in Capella Pontificia Cappa supra Rochettum vtuntur, & cum Cardinales parantur, ipsi Pluuiali, ac Mitra simplici ex tela alba tenuissima vti debent.

17 Canonici, quibus Rochetto vti licet, loco superpellicei ipsum adhibent desuper Cappam, vel Almutium, seu etiam superpelliceum iuxta locorum consuetudinem habenres. Aliquibus conceditur vsus Rochetri sine manicis cum Almutio; in his tamen attendenda est consuetudo.

De vsu Paramentorum. Cap. X.

1 *Sacrarum vestium vsus in diuinis.*
2 *Vsus Planetæ.*
3 *Stolæ vsus.*
4 *Pluuiali quando vtendum.*
5 *Ministrorum paramenta qualia, & de vsu Planetæ plicatæ.*
6 *Paramenta Ministrorum inprocessionibus.*
7 *Sandalijs quando vtatur Episcopus, & quomodo.*
8 *Stola quomodo vtatur Episcopus.*
9 *Item Manipulo.*
10 *Episcopus quomodo, & quando Tunicella, & Dalmatica vtatur.*
11 *Quando Chirotecis vtatur.*
12 *Annulo quando, & quomodo.*
13 *Pallium Archiepiscopi.*
14 *Propria ornamenta Romani Pontificis solemniter celebrantis.*

1 Quia

D. Hier. l. 14. in Ezech. 1 QVia religio, vt monet D. Hieronymus, alterum habet habitũ in vsu, alterum in ministerio; ideo Ecclesia Catholica cuiusque ordinis ministris vnà cum alijs sacris ritibus, vt fidelium mentes per visibilia religionis, ac pietatis signa ad altissimarum rerum contemplationem excitaret, Apostolica traditione, nec non veteris Testamenti exemplis edocta, vt notat Concilium Tridentinum, inter alias sacras, ac mysticas cęremonias, vestes instituit, quibus in diuinis peragendis eius Ministri vti consueuerunt. (Concil. Tri. ses. 22. c. 5. de sacr. miss.)

2 Celebrans in Missa semper vtitur Casula, seu Planeta super Albam, eritq; coloris conuenientis Missæ, quam celebrat, iuxta formam præscriptam in rubricis generalibus Missalis de coloribus paramentorum. (Rub gene. mis. xviii.)

3 Stola super Albam regulariter vtitur Sacerdos, cum celebrat, atque etiam ad Vesperas, & Laudes solemnes: ministraturus verò Sacramentum Eucharistiæ, Stolam coloris tempori, & Officio conuenientis supra superpelliceum habebit: quod etiam obseruet, cũ communionem sumit: cum ante Sanctissimum Sacramentum expositum assistit, vel sermonem habet in celebratióne Orationis quadraginta horarum, Stola alba vtatur: cum verò Hebdomadarii munus implet, Stolã coloris Officio conuenientis supra superpelliceum habebit. Baptismũ ministrãs siue paruulis, siue adultis, in cathechismo, & exorcismo Stola violacea vtitur; in Baptismo verò assumit Stolam albam; Sacramentum pœnitentiæ, atque Extremæ vnctionis cum ministrat, Stola violacea supra superpelliceum vtatur; Eodẽ modo imponens cineres Feria IV. Cinerum procedet. In benedictione aquæ, quæ fieri debet per singulas hebdomadas die Dominico, Stola violacea est vtendum. Quo modo autem aptari debeat tam Stola, quàm Manipulus infra proprio loco dicetur. (Rit. Ro. tit. ord. mi nistr. sac. com.) (Rit. Ro. tit. de sac bap.) (Rit. Ro. tit. de sa. pę.) (Rub ge ne. mis. xix. 3.)

4 Pluuiali vtitur in omnibus processionibus, & benedictionibus, quæ fiunt in Altari; in aspersione aquæ benedictę, quæ fit die Dominico; in Officio solemni Vesperarum, ac Laudum; cantaturus quoque Martyrologium in vigilia Natiuitatis Domini; item quãdo post Missam Defunctorum fieri debet absolutio ad Tumulum, & in omnibus exequiis Defunctorum; cum verò vtendum est Pluuiali, semper Manipulus deponitur, & vbi Pluuiale haberi non potest, in benedictionibus ad Altare stat sine Planeta, Alba indutus, & Stola: in processionibus verò, & exequiis cum Stola supra superpelliceum manebit. (Rub. gene. mis. xix.)

5 Diaconus, & Subdiaconus, quando ministrant in Missa solemni, processionibus, & benedictionibus, vtũtur Dalmatica, & Tunicella, quarum altera videlicet Tunicella habebit strictiores aliquantulum manicas; Diebus verò ieiuniorum, exceptis vigiliis Sanctorum, & Dominicis, & Feriis Aduentus, excepta Dominica tertia, etiam si eius Missa infra hebdomadam repetatur, & Dominicis, & Feriis Quadragesimę, excepta Dominica quarta, item excipiuntur Vigilia Natiuitatis Domini, Sabbatum sanctum in benedictione cerei, & quatuor tempora Pentecostes; & in benedictione, ac processione Candelarum, & Palmarum, nec non etiã in benedictione Cinerum Planetis complicatis vtuntur, quæ eiusdem erunt formæ, & qualitatis, pariterque benedictæ, ac celebrantis Planeta, ita tamen ante pectus plicatæ erunt, vt commodè Ministri ipsis vti possint. Subdiaconus dicturus Epistolam, dum dicitur vltima Oratio, Planetam deponit, atque Alba indutus cum Manipulo cantabit Epistolam, post quam osculata manu celebrantis, libroque Diacono porrecto, rursum illa induitur: interim Acolythus illam supra credentiam à latere Euangelii reponet: curet propterea, vt ibi sit locus expeditus. Post Epistolam, dum dicitur *Graduale*, vel *Tractus*, Acolythus acceptam à credentia Stolam latiorem, supra Stolã (Rub ge ne. mis. xix. 5.)

tran-

transuersam adaptat humero Diaconi; qui ita indutus ministrabit vsque ad cō munionem inclusiuè; & facta communione, Acolytho ministrante, Stolam latiorem deponit, atque resumit Planetam complicatam.

6 In omnibus benedictionibus, & processionibus, excepta processione, & benedictione Candelarum die Purificationis B.M. benedictione Cinerum, Palmarum cum processione, & benedictione noui ignis cum processione Sabbato sancto, quibus diebus planetis plicatis vti debent, semper Dalmatica, & Tunicella vtantur. In Ecclesijs minoribus, in quibus huiusmodi Planetæ haberi non poterunt, quando illis, vt præscriptum est, vti oportet, Alba tantùm amicti ministrent; Subdiaconus quidem cum Manipulo, Diaconus verò cum Stola ab humero sinistro pendente sub brachio dextero.

Cęrem. Epil. li. 2. c. 8. 7 Episcopus solemniter Missam celebraturus vtitur Sandalijs coloris tempori, & Officio congruentis, quę illi per Subdiaconum imponantur, inchoata Tertia, quæ ante Missam Pontificalem cātatur, dicto videlicet *Hymno*, atque incepto *Psalmo Legem pone*, &c. modo suo loco præscripto. Et completa Missa, omnibus alijs paramentis prius depositis, vltimo loco detrahuntur Caligæ, & Sandalia, & per scutiferos reponuntur Episcopo Calceę ordinarię. Huiusmodi Caligis, & Sādalijs vtitur Episcopus, quoties Ordines sacros conferre, vel Ecclesiam consecrare debet, etiamsi non solemniter celebret, videlicet sine Ministris paratis, & sine cantu, nunquam tamen ad Vesperas, neque ad Matutinum; item nec in Officio Missę Feria VI. in Parasceue, neque in Missis, quæ pro defunctis solemniter celebrantur, nec in exequijs.

Sup li. 1. sect. 7. c. 4. n. 2.

Cęrem. Epil li. 2. c. 25. Cęrem. Epil li. 2. c. 11.

Cęrem. Epil. li. 2. c. 8. 8 Episcopus siue solemniter, siue priuatè Missę sacrificium celebret, semper super Albam accipit Crucem pectoralē cum Sanctorum reliquijs benedictam à collo pendentem; Stola verò super humeros applicata, ita vt nec eius collum tegat, neque ad modum crucis transuersa, vt reliquis sacerdotes, sed solùm æqualiter ante pectus pendente semper vti debet, quod commodius fiet, si ei cordulæ retro, & ante sint annexę, quibus firmari possit, ne huc, atque illuc diffluat.

9 Manipulus Episcopo imponitur ad Confessionem dicto *Indulgentiam*, &c. in Missa solemni à Subdiacono, in priuatis à Capellano à sinistris ministrante cū osculo manus Episcopi, & Manipuli, applicando illum sinistro brachio, & cordulis strictè ligando.

10 Missam solemnem Episcopo celebraturo, completa Tertia, dictoque *Benedicamus Domino*, deposito Pluuiali, & Mitra, imponitur Tunicella, & Dalmatica à Diacono, & Subdiacono hinc inde adstātibus, qui & cordulas super humeros, & à lateribus positas constringunt; ipsis autem vtitur in omnibus Missis, quę solemniter celebrantur, etiam pro Defunctis, & Feria VI. in Parasceue, nec non cum priuatè celebrans Ordines confert, vel Episcopum consecrat.

11 Chirotecis vtitur Episcopus, cum solemniter Missam celebrat, vel Ordines confert, seu etiam Episcopum consecrando, licet non solemniter celebret: in Missis tamen Defunctorum, & Feria VI. in Parasceue ipsis non vtitur; imponuntur autem per Diaconum a dextris, & Subdiaconum à sinistris manibus illius prius; & mox Chirotecis per eosdem deosculatis; quomodo autem ei porrigi debent, vel extrahi, habetur suo loco explicatum. De vsu *Mitrę*, pariter & Baculi, nec non Gremialis habetur suis locis. Sup. lib. 1. sec. 5. c. 7.

12 Annulo semper, cum Episcopus celebrat siue solemniter, siue priuatè, vti debet, qui, cum solemniter celebrat, imponitur ei à Presbytero assistente, postquam omnia alia Pontificalia indumenta acceperit, super Chirotecas in annulari digito dexterę manus cum osculo Annuli, & manus, & quando extrahun-

tur

tur Chirotecę, prius extrahitur Annulus, deinde iotis, ac tersis manibus, rursum reponitur.

Cœrem. Episc. lib. 1. c. 1 & li. 2. c. 8. Sup. lib. 1. lec. 2.

13 Archiepiscopi, & Patriarchę vtuntur etiam Pallio, prout suis locis explicauimus, in propria Prouincia tantùm, vbi etiam erigunt crucem, quę sunt specialia Archiepiscopi insignia.

Cœrem. Ro. li. 2. c. 14.

14 Romanus Pontifex solemniter celebrans, pręter ea, quę explicauimus, Episcopis, & Archiepiscopis assignata ornamenta, vtitur insuper, Subcinctorio, Phanone, & Tiara tribus coronis redimita, quæ Regnum dicitur: Insuper singulariter ad Capellam processionaliter defertur super humeros in sella gestatoria sub baldachino cùm ventilabris, seu flabellis.

SECTIO SECVNDA.

De modis in aliquibus specialibus functionibus obseruandis.

De modo, quo Dominico die aquæ benedictæ aspersio fieri debet. Cap. I.

1 *Ad aspersionem diebus Dominicis quomodo sit procedendum.*
2 *In fine aspersionis Versus cum Oratione quomodo dicendi.*
3 *Casula quando, & quomodo accipienda.*
4 *Prælati quando aspergi debeant.*
5 *Quomodo procedendum ad aspersionem in loco, vbi non celebratur Missa solemnis.*

1 Diebus Dominicis celebrans, dicta Tertia, indutus Pluuiali coloris tempori conuenientis, præcedentibus Ministris ad Altare accedit, ibique supra infimũ gradum medius inter Diaconum, & Subdiaconum genuflectit, accepto que Aspersorio à Diacono, quod ille cum osculis primùm quidem Aspersorij, mox dexterę celebrantis ei porrigit, atque Ministris hinc inde fimbrias Pluuialis eleuantibus, adhuc genuflexus aspergit primò Altare ter, & immediatè post se ipsum dicens *Asperges me*, & Choro prosequente, *Domine hyssopo, & mundabor*, &c. stat im surgens aspergit hinc inde Ministros adhuc genuflexos; deinde surgentibus omnibus procedit ad aspergendum Clerum in Choro: præcedit quidem Acolythus deferens vas aquæ benedictæ, qui semper à dextris Diaconi vasculum, cum opus est, celebrãti porrigit; sequitur celebrans medius inter Ministros, qui Pluuialis fimbrias hinc inde eleuatas tenent, cum ipsis submissa voce dicit primò quidem totam Antiphonam *Asperges me*, &c. deinde alternatim Psalmum *Miserere mei Deus*, &c. vsque in finem, interim aspergẽs omnes in Choro commorantes, facta ante, & post inclinatione. Quilibet cum aspergitur, caput incliner, & si fortè pileolum habeat, deponat; si adsint Seculares in Choro, post Clericos aspergantur, & tãdem procedendo ante cancellos circa Presbyterium astantes aspergit.

2 Facta aspersione ante Altare procedens, reddit Aspersorium Diacono, qui ipsum cum osculis acceptum tradit Acolytho; deinde Ministris hinc inde librum apertum tenentibus, vnà cum celebrante submissa voce repetunt Antiphonam *Asperges me*, &c. qua per Chorum repetita, celebrans clara, ac sonora voce dicit Versus, & Orationem *Exaudi*, &c.

3 Completa oratione Diaconus tradit librum Acolytho, à quo accipit Planetam; Subdiaconus verò exuit celebrãtẽ Pluuiali, quod tradit Acolytho, à quo recipiens Manipulũ, celebrãti osculãtũ in cruce, quæ est in medio, porrigit, eiusque brachio sinistro adaptat; Diaconus verò, statim ac Pluuiale deposuit, illum induit Planeta. Quibus omnibus peractis, si in Altari sit Sanctissimum Sacramentum, facta genuflexione, sin minus, profunda inclinatione, incipiũt Missam.

4 Si, quando celebrans aſpergit Chorum, adſint Prælati in eorum reſidentiis, vel locis iuriſdictionis, vel aliquis S.R.E. Card. illis reuerenter ipſum oſculando aſperſorium porrigit; quòd ſi annuat, facta antea, & poſtea cuilibet eorum profunda inclinatione, ipſos aſpergat: reliquos verò Prelatos, ſi adſint, quibus opus eſt inclinationibus, ſingillatim aſpergat. Si verò in Eccleſia adſit aliquis ſupremus Princeps, ſeu Principiſſa in loco ſuæ iuriſdictionis, ante omnes alios, opportunis adhibitis inclinationibus aſpergantur.

5 In illis Eccleſiis, in quibus iuſta ex cauſa non cantatur Miſſa, aſperſio fiat à celebrante ante Miſſam Parochialem, quæ immediatè poſt Horas dicitur, & tenet locum Miſſæ Conuentualis. Ille verò Pluuiali coloris tempori conuenientis, vel ſi non habeatur, Stola ſuper Albam ſine Manipulo indutus, Acolytho vaſculum miniſtrante, aſpergit Altare primò, ſe ipſum, ac Miniſtrum, deinde Clerum, poſtremò verò populum, ac denique dictis Verſibus, & Oratione, deponit Pluuiale, Planetaque indutus Miſſam celebrabit.

De Thurificatione. Cap. II.

1 *Thuribuli, ac Naiculæ forma, & materia.*
2 *Thus, & aromata adolenda.*
3 *Thus quando benedici debeat.*
4 *Sanctiſſimum Sacramẽtum genibus flexis thurificatur.*
5 *Modus miniſtrandi incenſum.*
6 *Ad Veſperas quomodo, & à quo miniſtratur incenſum.*
7 *Celebrans quomodo thuribulum accipiat.*
8 *Actus thurificandi quomodo exercendus.*
9 *Altare quomodo ſit incenſandum.*
10 *Sanctorum Reliquiæ, & Imagines quomodo incenſandæ.*
11 *Cætera Altaria, præter Altare maius, quomodo incenſanda.*
12 *Thuribulum quomodo tradendum.*
13 *Quoties in Miſſa ſit incenſandum.*
14 *Incenſatio Oblatorum quomodo fieri debeat.*
15 *Incenſatio celebrantis, & aliorum.*
16 *Incenſatio Sanctiſſimi Sacramenti, cũ eleuatur.*
17 *Incenſatio in Miſſa cantata ſine Miniſtris.*
18 *Incenſatio celebrantis, & aliorum ad Veſperas.*

1 Thuribulum, Nauicula, & Cochlear regulariter, ſingula ſint ex argento, artificioſè ornata, atque celata; ipſum verò thuribulum multiplici catena, iuxta vſum Romanum ſuſtineatur; ex earum tamen vna operculum pendeat, quæ & minori annulo terminetur; in omnium tamen ſummitate ſit manubrio annulus maior annexus, catenularum verò longitudo ſit quatuor palmorum circiter, quò ſiniſtra manente immobili infra pectus, faciliùs dextera thuribulum duci poſſit. Act. Eccl. Med. in inſti. ſpupel.

2 In Nauicula ſolum, ac purum thus boni odoris imponatur: Cum autem ſolemnioribus diebus alia imponantur aromata, ſemper thus cætera excedat. Cærem. Epiſ. lib. 1. c. 23. Pariſ. de Craſſ. li. 1. c. 46.

3 Cum thus à celebrante in thuribulum immittitur, ſemper benedicetur, niſi quando Sanctiſsimum Sacramentum tantùm eſt thurificandum, vt initio, & fine Proceſsionum, in quibus Sanctiſsimum Chriſti corpus defertur; tunc enim ſine benedictione, & oſculis incenſum, ac thuribulum miniſtratur. Si verò non tantùm Sacramentum, verùm etiam Altare thurificandum ſit, quod contingere poteſt ad Veſpeṛas, & Miſſam, cum Sanctiſsimum Domini corpus eſt expoſitum, tunc benedicitur thus, & miniſtratur more ſolito cum oſculis. In eleuatione quoq; Sanctiſs. Sacramenti in Miſſa incenſum imponitur ab eodem Cærem. Epiſ. lib. 1. c. 23. Cærem Bon. lib. 1. c. 47. Rit. Miſ. VIII. 8.

Thuriferario abſque vlla benedictione.

Cærem. Epiſ. lib. 1. c. 23.

4 Quando Sanctiſſimum Sacramentum eſt thurificandum, celebrans ſtans immittit incenſum, deinde in ipſo gradu Altaris genuflexus, thuribulum à miniſtro ſine oſculis accipit, & facta prius profunda inclinatione, ter grauiter, ac moroſè ducens thuribulum incenſat, deinde iterum profundè inclinans prius, thuribulum reddit Miniſtro. Quòd Altare quoque ſit incenſandum, immediatè poſt Sacramenti incenſationem ſurgens aſcēdit ad Altare, illudque more ſolito thurificat.

Ric. Miſ. IV. 4. Cærem. Epiſ. lib. 1. c. 23.

5 Incenſum cum miniſtratur, vertit ſe celebrans facie conuerſa ad latus Epiſtolę, Acolythus nauiculam apertam ſine oſculis offert Diacono ſtanti à dextris celebrantis, poſt quem ſtat etiam Subdiaconus iunctis manibus ante pectus; Thuriferarius verò aſcendit ſupra gradus Altaris, aliquantulum verſus cornu *Epiſtolæ*, ſuſtentāſque ſiniſtra annulum maiorem thuribuli, dextera minori annulo operculo eleuato, eadem manu catenulas inter operculum, & thuribulum complectetur, ſtans inclinatus illud ita eleuatum tenet ante celebrantem, vt ab eo commodè poſsit ex nauicula in illud immitti thus. Diaconus interim ambabus manibus tenens nauiculam apertam, & ad celebrantem conuerſus, parùm inclinatus dicet *Benedicite Pater Reuerende*, & ſtatim oſculatur cochlear, manumque celebrantis; ipſe verò celebrans ſiniſtram pectori admouens, ter dextera ſumit incenſum ex nauicula, atque in thuribulum immittit, interim dicens *Ab illo benedicaris, in cuius honore cremaberis*, & reddito cochleari Miniſtro, qui rurſum manum, & cochlear oſculabitur, dextera efformat ſignum Crucis ſupra thus in thuribulum, nihil dicens: Poſtea Diaconus reddit nauiculam Acolytho; Thuriferarius verò demiſſo operculo tradit manu dextera ſine oſculis per annulum maiorem thuribulum Diacono: ille autem dextera tenens ſummitatem catenularum, ſiniſtra verò vas, ſummitatem catenularum oſculatam illius ſiniſtrę porrigit, partem autem inferiorem prope thuribulum dexteræ, quam oſculatur, imponit, quod ſemper, cum miniſtratur incenſum, ſeruetur. Omnis autem thurificatio fit ad Veſperas, more ſolito, ſemel tantùm, dum dicitur Canticum *Magnificat*, & ad Laudes, dum dicitur Canticum *Benedictus*.

Pariſ. de Craſſ. li. 1. c. 46.

Cærem. Ro. li. 3. ſe. 5. c. 2.

Cærem. Epiſ. lib. 1. c. 23.

6 Ad Veſperas igitur, & Laudes nauicula miniſtrabitur ab Aſſiſtente, ſi adſit, vel ab Acolytho ante ſupremum gradum Altaris, à dextris celebrantis, & à ſiniſtris Thuriferarii cum oſculis, vt ſupra, tenens interim, dum incenſum imponitur in thuribulum, ſiniſtra eleuatam fimbriam Pluuialis, ne impediatur celebrans, dextera verò nauiculam apertam, & eleuatam, quò celebrans commodè incenſum poſſit immittere: Thuriferarius verò ſi non adſit Aſſiſtens, antequā thus imponitur, dicet; *Benedicite Pater Reuerende*, thuribulumque clauſum, vt ſupra dictum eſt de Diacono, celebranti porriget.

Cærem. Epiſ. lib. 1. c. 23. Paris de Craſſ. li. 1. c. 47.

7 Celebrans igitur impoſito incenſo in thuribulum, conuertit ſe ad Altare, ibique accipit illud à Miniſtro, ſiniſtra videlicet catenularum ſummitatem, dextera verò eaſdem catenulas ſimul iunctas prope thuribulum, ita vt cōmodè illo vtatur; nam ſi nimis pendeat, non ita decorè, nec commodè illud ducet.

Cærem. Ro. li. 3. ſe. 5. c. 2.

Cærem. Bon. lib. 1. c. 47. Cærem. Epiſ. lib. 1. c. 23. Pariſ. li. 1. c. 47.

8 In actu thurificationis grauiter, & decorè ſe gerat, & vt habetur in Cæremoniali Romano, ipſa thurificatio ſemper fieri debet tractim, modeſtè, quietè & ſine ſtrepitu, ac ſine properatione, nō perſonā, non caput, cū ducit, ac reducit thuribulū, vllo pacto moueat: ſiniſtram, quas ſūmitatē catenularū tenet, immobilē prope pectus collocet, dexterā verò decorè, ac tractim cum thuribulo moueat, quod ad ſe trahēs, ſub brachio leuiter, ac com-

competenti mora reducet, & dum thurificando Altare procedit, proximiorem Altari pedem prius mouens, tot omninò passus, quot thuribuli tractus perficiat.

Ri. Miss. VI. 6. Cærem. Episc. li. 1. c. 23. 9 Accepto thuribulo, antequam celebrans Crucem incenset, si in Altari sit Sanctissimum Sacramentum cum ministris genuflectit, sin minus profundè inclinans Cruci reuerentiam facit, deinde ter Crucem incensat, rursumque genuflectit, vel inclinat, & procedens ad thurificandum Altare à latere Epistolæ ter ducit thuribulum æquali distantia, prout distribuuntur candelabra vsque ad cornu Epistolæ, vbi demissa manu, illud prius inferius, mox superius semel, atque iterum ducens thuribulum, thurificabit, & conuersus ad Altare, eleuans manum incensat eius planitiem, seu mensam in parte superiori, ter ducens thuribulum vsque ad medium; vbi facta Cruci reuerentia, procedendo thurificat aliud latus Altaris triplici ductu vsque ad cornu Euangelij, & pariter incensata inferiori, ac superiori parte ipsius cornu Euangelij duplici ductu cum thuribulo parùm recedens, ter incensat superiorem tabulæ partem vsque ad medium Altaris, prout fecit in cornu Epistolæ; deinde manu aliquantulum demissa incensat anteriorem Altaris partem, seu frontem à cornu Euangelij, ter ducens thuribulum vsque ad medium Altaris, & facta Cruci reuerentia, incensat reliquam partem anteriorem vsque ad cornu Epistolæ triplici ductu, ibique reddit thuribulum ministro, qui osculando manum, & sumitatem catenularum, illud accipit. Interim, cum ad *Magnificat* in Vesperis, & ad *Benedictus* in Laudibus, vel in principio Missæ Altare incensat, nihil dicit, sed tantùm cum Oblata incensantur.

Rit. Miss. IV. 5. Cærem. Episc. li. 1. c. 23. 10 Si in Altari fuerint Reliquiæ, vel Imagines Sanctorum, celebrans incensata Cruce, & facta genuflexione, vel inclinatione, antequam discedat à medio Altaris, incensat primum eas, quæ à dextris sunt, idest à parte Euangelij bis ducens thuribulum, & facta iterum Cruci reuerentia eodem modo incensat eas, quæ sunt ad partem Epistolæ, deinde absque alia genuflexione, vel reuerentia, Altare forma iam tradita thurificat, & hoc modo incẽsatur Altare, ac Reliquiæ, etiamsi in Altari sint plures Reliquiæ, vel Imagines, ac plura, pauciorave candelabra.

11 Ad Vesperas si aliud Altare præter Altare maius incensandum sit, puta die festo, Sancto alicui dicato, cui Altare aliquod ex minoribus dedicatum est, si eiusmodi adsit mos, reddito thuribulo Thuriferario post incensationem Altaris maioris, & facta ibi in medio genuflexione, proceditur ad præfatum Altare eodem modo, & ordine, quo à Choro processerant, & ibi celebrans profundè se inclinãs, reliqui verò Cruci genuflectentes, osculando Altare in medio omnia præstabit, quę in incẽsatione Altaris maioris; non tamen incensum in thuribulo imponitur, cum hoc iam sit præstitum: Deinde in Chorũ eadem via, & ordine recedentes, celebrans, ac reliqui ordinatè incẽsantur: Quòd si aliqua sacra Imago, vel Sanctorũ Reliquię tãtũ sint incẽsandę, ad locũ peruenięs celebrãs cũ Ministris accepto thuribulo, ter thurificabit, Ministris simbrias Pluuialis hinc inde eleuantibus, ac antea, & postea Imagini, vel Reliquijs profundè inclinãtibus.

12 Thuriferarius Diacono thuribulum à summitate catenularum sine osculis porrigit; celebranti verò modo supra præscripto, nimirum manubrium dextera sinistræ celebrantis, vasculum verò sinistra dexteræ cum osculis manubrij, ac manus imponit: Cum verò recipit dextera vasculum, sinistra verò manubrium cum osculis accipit: at ad Euangelium Diacono illud porrigens, eodem quidem modo, quo celebranti, tamen sine osculis tradit.

Rit. Miſ. VI. 4. 13 In Miſſis ſolemnibus ter miniſtratur, atque benedicitur incenſum: Primò in principio Miſſæ, & tunc incenſatur Altare, & celebrans. Secundò ante Euangelium, & tunc incenſatur in principio à Diacono ter liber, & in fine Euangelij ter celebrans. Tertiò poſt Offertoriũ, & tũc incenſantur Oblata, Altare, celebrans, & reliqui omnes ex ordine.

Rit. Miſ. VI. 5. Ri. Miſ. VII. 10.

Cærem. Epiſ. li. 1. c. 13. 14 Poſt Offertorium incenſantur Oblata, & Altare; Diaconus nauiculam miniſtrans, petit benedictionem, dicens *Benedicite Pater Reuerende*, & celebrans dicit *Per interceſſionem B. Michaelis*, &c. ter imponens, ac ſemel benedicens in cenſum in thuribulo, ita vt ad verbum benedicere, manu dextera efformet ſignũ Crucis ſupra thuribulum, acceptoque, vt alias, thuribulo à Diacono, nulla prius facta Cruci reuerentia, ter ducit thuribulum ſupra Calicem, & Hoſtiam, ſimul ad modum Crucis, & ter circa Calicem, & Hoſtiam, bis ſcilicet à dextera ad ſiniſtram, & ſemel à ſiniſtra à dexteram, diſpenſans verba in qualibet incenſatione, in prima cruce dicendo *Incenſum iſtud*, in ſecunda *A te benedictum*; in tertia *Aſcendat ad te Dñe*; in quarta circumducendo thuribulũ dicit *Et deſcendat ſuper nos*; in quinta, ac ſexta *Miſericordia tua*. Interim Diaconus à dextris ipſius celebrãtis dextera tenet pedẽ Calicis, ſiniſtra verò poſteriorẽ Planetæ partẽ ſubleuat: Deinde facta Cruci reuerentia, Diaconus amouet à medio Calicem, celebrans verò incenſat Crucem, & Altare, vt ſupra. Et ſi Sanctiſſimum Sacramentum ſit expoſitum, non amoueur Calix, ſed poſt incenſationem Oblatorũ, genuflexus incenſabit illud, ac deinde proſequetur incenſationem Altaris; interim dicens *Dirigatur Domine*, &c. ita omnia verba diſpẽſet, vt ſimul cum thurificatione compleantur. Si verò ſupra Altare adſint Reliquiæ, eodem modo, quo ſupra ad Veſperas incenſantur. Reddens tandem thuribulum Diacono dicit: *Accendat in nobis Dominus*, &c.

Ri. miſ. VII. 10. 15 Incenſato Altari, immediatè Diaconus incenſat celebrantem in cornu Epiſtolæ, mox alios in Choro ex ordine, rediens deinde ad Altare thurificat Subdiaconum ſemel, & ſi adſit Aſſiſtẽs, prius ipſum, mox Subdiaconum, & vbi tradiderit thuribulum Thuriferario, ab eodẽ primò ipſe Diaconus, mox Acolythus, ſinguli ſemel, ac tãdem populus circumſtans triplici ductu thurificabuntur.

Cærem. Epiſ. li. 1. c. 23. 16 Cum Sanctiſſimum Sacramentum in Miſſa ſolemni eleuatur, Thuriferarius, vel alius Acolythus impoſito thure abſque benedictione, ter Hoſtiã: itidem Calicem in eleuatione, facta antea & poſtea profunda inclinatione, thurificabit.

17 Quando Miſſa cantata ſine Miniſtris celebratur, tunc initio non incenſabitur Altare, ſed tantùm ad Euangelium, ad Oblata, & ad eleuationem.

Cærem. Epiſ. li. 1. c. 3. 18 Ad Veſperas ſolemnes celebrans ante alios, in Choro tamen ſuo loco à Thuriferario triplici ductu cum debitis inclinationibus antea, & poſtea, thurificatur. Poſt celebrãtem primò quidem Prælatus, ſi adſit, triplici ductu: deinde Canonici duplici ductu; reliqui verò omnes in Choro morãtes quilibet ſuo ordine, vnico ductu inclinationibus adhibitis, ex qualibet Chori parte incenſantur: Populus autem omnis ſimul cum inclinationibus antea, & poſtea triplici ductu thurificabitur. Si adſint Cardinales, immediatè poſt celebrantem cum debitis reuerentijs triplici ductu thurificabuntur; reliqui verò Prælati inferiores duplici ductu; ſemper tamen cum in Choro adſunt Prælati, immediatè poſt celebrantem quilibet ſuo ordine thurificabitur, modo ac forma ſupra tradita cum agitur de obſeruandis à Canonicis in incẽſatione. Quilibet cũ thurificatur, ſtet dececto capite, amoto etiam pileolo, ſi illo vtatur, ac poſt ſe immediatè ſequentem ad capiendam thurificationem capitis inclinatione inuitet: quod tunc maximè fieri debet, cum qui ſequitur, in aliqua eſt dignitate conſtitutus.

Su. li. 1. ſec. 8. c. 5. n. 4. Cærem. Epiſ. li. 1. c. 3.

De

De ordine dandi Pacem.
Cap. III.

1 *In Missa solemni Pax quomodo danda.*
2 *Presbyter assistens quomodo pacem accipiat ab Episcopo celebrante.*
3 *Episcopo assistenti ad Missam quomodo Pax deferatur.*
4 *Prælatis præsentibus quomodo Pax danda.*
5 *Obseruanda à deferente Pacem.*
6 *Pax per instrumentum quibus, & quomodo detur.*

Ric. Mis. X. 8. Sup. lib. 1. sect. 7. c. 7. n. 11

1 IN Missis solemnibus dicto *Agnus Dei*, Diaconus genuflectit à dextris celebrantis, acceptamque Pacem dat Subdiacono, modo suo loco præscripto, & ille facta Altari reuerentia, præcedente Acolytho, procedit in Chorum, & ibi accedens ad digniorem eum complectitur, sinistris genis sibi inuicem appropinquantibus, & dicit; *Pax tecum*, illeque respondet; *Et cum spiritu tuo*: Pari quoque disciplina ei, qui est in primo loco alterius Chori, Pacem defert, quam descendens ad Chorum inferiorem primis cuiusque ordinis dabit; reliqui verò in Choro stantes Superiores videlicet inferioribus ipsam per ordinem dabunt. Rediens ad Altare idem Subdiaconus, Acolythis ibi inseruientibus pari modo Pacem dabit, quòd si adsit Assistens, & non Episcopus præsens, primùm Assistenti, deinde Clericis dabit.

Cerem. Episc. li. 1. c. 24. & lib. 2. c. 15. Paris. de cras. li. 1. c. 15.

2 Episcopo solemniter celebrante, dicto *Agnus Dei*; Presbyter assistens accedit ad dextrum latus, & Diaconus eius loco interim ad librum assistit; ipse verò Presbyter, dicta per celebrantem Oratione *Domine Iesu Christe*, &c. genuflectit, & statim surgens osculatur Altare simul cum celebrante, à quo dicente ei *Pax tecum*, accipit Pacem, sinistram genam sinistræ celebrantis appropinquans, eique respondet *Et cum spiritu tuo*, & iterum ante Sacramentum genuflectens, ac statim surgens recedit in Chorũ, ipsam pacem ordine distribuens, incipiendo à dignioribus, deinde alijs, primo videlicet cuiusque ordinis, primo Canonico Presbytero, primo Diacono, & primo Subdiacono, vbi Præbendæ sunt distinctæ; & vbi talis distinctio non est, primo ab vtroque latere stanti, qui successiuè pacem dat alteri, & sic de cæteris: aduertendo quòd ipse Presbyter assistens non dat pacem Diacono Euangelij, neque Subdiacono Epistolæ, nec duobus Diaconis assistentibus, nam isti ipsam accipiunt ab eodem celebrante immediatè post Presbyterum assistentem, genuflectentes antea, & postea Sanctissimo Sacramento; non tamen Altare osculantes: Diaconus verò, & Subdiaconus ab eodem celebrante accipiunt pacem, cum ab eo sumunt Cõmunionem. Data pace Dignitatibus, & Canonicis, eam dabit Acolytho, qui cæteris de Choro eam distribuet.

3 Episcopo non celebrante, sed Missæ solemni, quę in propria Ecclesia celebratur, præsente, Presbyter assistens accipit pacem à celebrante, eamq; Episcopo defert, qui statim duobus Diaconis sibi assistentibus eã dat; deinde stans in loco suo inter Canonicos pacẽ dat Subdiacono, qui cantauit Epistolã. Quòd si celebrans fuerit in dignitate constitutus, suũ habens Assistentẽ Pluuiali indutũ, postquã Episcopus pacẽ dederit duobus Diaconis sibi assistentibus, idem Assistens accedit ad Chorũ ad locum prædicti Presbyteri assistentis, qui pacẽ dedit suo Episcopo, eãq; ab ipso accipiens reliquis de Choro defert, ordine supra præscripto.

4 Si verò adesset aliquis Pręlatus Episcopo superior, idem Assistens prius defert pacem Cardinali, vel Legato, seu Prælato suo Episcopo Superiori, deinde Episcopo, & si non sit Superior, data pace proprio Episcopo, ipsammet Episcopo extero, mox Subdiacono defert. Sup. li. 2. sect. cap. 3.

Cærem. Epis. li. 1. c. 14. 5 Pacem daturus, post eam datam, iuxta cuiuslibet dignitatem se inclinabit; illi verò, qui Pacem acceperunt, parum se inclinantes respondebunt: Nulli tamen Ecclesiastico osculum huiusmodi dandum est nisi stanti.

Cærem. Episc. li. 1. c. 29. 6 Si adsit aliquis Princeps, seu Principissa in Missa solemni, vel etiam in Missis priuatis, quæ coram eis, vel Prælatis in locis suæ Iurisdictionis dicuntur, cum instrumento Pax deferatur, quod instrumentum velum coloris paramentorum in manubrio appensum habeat, ipsoque post dictum *Agnus Dei* accepto, minister ascendit ad Altare, ibique ad dexteram celebrantis genuflectit, dextera eleuatũ tenens instrumentum supra Altare, donec dicatur secretò Oratio *Domine Iesu Christe*; qua completa, & Altari per celebrãtem osculato, adhuc genuflexus porrigit ei instrumentum osculandum, & illo dicente *Pax tecum*, respondebit, *Et cum spiritu tuo:* mox surgens, iterumque genuflectens Sacramento, descendit ad Prelatum, vbi nulla facta genuflexione, nec inclinatione, stans ante eum prius sinistra velo à manubrio pendente, leuiter abstergit instrumentum in loco, in quo osculari debet, illudq; osculandum porrigens dicit *Pax tecum*, quo osculato reuerentiam Prælato facit, & si plures sint, eodem ordine alijs etiam offert. Similiter si fuerit aliquis Princeps sæcularis, eodem modo ei instrumentum offert, quod postea in cornu Epistolæ super Altare reponet.

De modo recipiendi Prelatum, & Cœremonijs faciendis, cum in loco suæ Iurisdictionis coram eo celebratur. Cap. IV.

1 *Præparanda in aduentu Prælati ad Ecclesiam.*
2 *Sedes Episcopi quomodo præparanda etiam in Ecclesia exempti.*
3 *Missæ priuatæ Episcopus loci quomodo assistat.*
4 *Liber Euangeliorum Prælato osculandus traditur.*
5 *Liber Euangeliorum quibus osculandus tradi debeat.*
6 *Pax Principibus quomodo danda.*
7 *Ad benedictionem in fine Missæ inclinandum est Prælato.*
8 *Principibus Sæcularibus quisnam honor sit exhibendus.*
9 *Episcopo processionaliter transeunti quis honor sit exhibendus.*
10 *Clerus processionaliter ad Ecclesiam veniens, quomodo excipiendus.*
11 *Principes Sæculares quomodo in Ecclesia honorari debeant.*

1 PRæter ea, quę suo proprio loco sunt dicta de solemni ingressu Episcopi in suam Ecclesiam, obseruandum hoc loco erit, quòd cum Cardinalis Legatus Sedis Apostolicę, Patriarcha, Archiepiscopus, vel Episcopus ad aliquam Ecclesiam, quę in loco eorum residentię, vel iurisdictionis est, solemniter, ac cum Pontificali apparatu accesserit; Altare paramentis coloris tempori congruentis decenter ornetur; supra verò ipsum sex cerei accendantur, & in plano intra Presbyterium sit genuflexorium in medio sericeo panno, seu tapeto coopertum, ac stratum cum puluinis ad procumbendum accommodatum: Superior loci cum aliis Canonicis, seu Clericis superpelliceo induti ante fores Ecclesię expectabunt, quò cum Prælatus peruenerit, pulsantur cãpanę, & vbi Organi est vsus, conuenit ad ingressum ipsius pulsari; & Superior aliquo Acolytho pariter superpelliceo induto, ministrante vas aquę benedictę, aspersorium cum osculis Prelato porriget, omnesque profundè inclinati, vel etiam, & maximè inferiores, genuflexi ab eo asperguntur; ipsumque ad Altare ducentes associabunt, propè eum procedente loci Superiore; ante Altare vbi peruenerint Prelatus in genuflexorio sibi parato, reliqui circumcirca genuflexi orabunt, & si celebrare Pōt. Ro. tit. ord. ad rec. pa. 658. Cærem. Episc. li. 1. c. 28.

volue-

voluerit, præparatis antea super Altare paramentis, & reliquis necessarijs supra credentiam, inseruiant ei sui Capellani, modo proprio loco præscripto. Decedētem pariter superpelliceis induti eodem modo vsque ad fores Ecclesiæ comitentur; si verò post ostium domus discedat, idem præstabunt, non tamen superpelliceis induti.

Cærem. Epis. li. 1. c. 29. Cærem. Episc. li. 1. c. 28.

2 Si Prælatus in loco suæ Diœcesis, ac Iurisdictionis, cum ad concionem accedit, baldachino vti voluerit, paretur ei à latere Euangelij propè Altare maius intra Presbyteriū, vel alio loco congruo, prout Ecclesiæ structura, ac loci ratio postulauerit; deberur enim etiam in Ecclesijs exemptis, & immediatè Sedi Apostolicæ subiectis.

Declar. Congr. sac. rit.

3 Si sacrificio Missæ interesse voluerit; tunc celebrans, postquam disposuit in Altari Calicem, & aperuit librum, descendit ad infimū gradum à cornu Euangelij, vbi stans expectat signum incipiendi, & tunc facta profunda inclinatione Prælato, & Altari reuerentia debita, aliquantulum conuersus ad Altare, facit Confessionem, in qua dicens *Tibi Pater*, *& Te Pater*, Prælato profundè se inclinabit: & dicto *Oremus*, factaque Prælato reuerentia, accedit ante infimum gradum Altaris, & ibi dicit *Aufer à nobis*, &c.

Ri. Miss. III. 2. Pōt. Ro. Cærem. Episc. li. 1. c. 31.

4 In fine Euangelii immediatè post, si dicendum sit Symbolum, vel si non sit dicendum, Lecto Offertorio, liber defertur osculandus Prælato, ipse verò celebrans illum non osculatur, nec dicit *Per Euangelica dicta*, & deferens librum nulli se inclinat, nisi postquā fuerit osculatus, ac clausus liber, prout dictum est de Subdiacono in Missa solemni.

Cærem. Episc. li. 1. c. 10.

5 Si plures Prælati intersint Missæ, liber Euangeliorū vni tantùm, ac digniori osculandus porrigatur; nunquam tamen viro laico tradi debet, vt eum osculetur; etiam si sit loci Dominus, seu Regius Gubernator Prouinciarum, nec in solemnibus, nec in priuatis Missis, neq; in Ecclesijs, neq; in priuatis Capellis, prout pluries fuit declaratum, cum tātùm Pax, & Thurificatio, ordine in Cœremoniali Episcoporum tradito, illis debeatur.

Declar. Congr. sac. rit.

6 Dicto *Agnus Dei*, datur Pax cum instrumento; modo supra præscripto. Sup. c. 3. num. 6.

7 Cum celebrans in fine Missæ daturus benedictionem conuertit se, caput prius versus Prælatum, quasi licentiam benedicendi petens, profundè inclinat, atque astantes à parte, vbi nō est Prælatus, benedicit; nam, teste Apostolo, sine vlla cōtradictione, quòd minus est à meliore benedicitur, finito verò vltimo Euangelio, conuertens se ad Prælatum ei reuerentiam facit. Eadem respectiuè seruentur, cum coram Summo Pontifice celebratur; cum discrimine tamen, nam vbi alijs in principio, antequam incipiat, & dicens *Tibi Pater*, & *Te Pater*, atque etiam post *Oremus*, inclinandum est, Sūmo Pontifici genuflectitur, quod etiam obseruandum erit in fine, antequam benedicat astantes, & post lectum Euangelium S. Ioannis.

Cærem. Episc. li. 1. c. 31. Heb. 2. Rit. Miss. III. 2.

8 Si verò adsit aliquis Prælatus extra suam Diœcesim, publicèque Missæ sacrificio assistat, finita Missa decet, vt celebrans faciat ei debitam reuerentiam; quod etiam seruari debet, si adsit aliquis magnus Princeps, seu Principissa.

9 Quoties Prælatus loci processionaliter ante fores Ecclesiæ transibit, pulsantur campanæ, similiter cum Sanctissimū Sacramentum, vel insignis alicuius Sancti Reliquia processionaliter ante Ecclesias defertur, decet vt campanæ pulsentur. In solemnitate verò Sanctissimi Corporis Christi etiam Altare construi conuenit.

10 Si Clerus processionaliter ob Indulgētias, vel alia ex causa ad Ecclesiam venerit, accenduntur in Altari candelæ, atque pulsantur campanæ; quòd si processioni intersit Capitulum, vel Vicarius generalis, decet, vt aliqui ex Canonicis, vel ex Clero superpelliceis induti, illos

reuerenter excipiant. Similiter cum aliquis Religiosorum Ordo processionaliter aduenerit, decet, vt eodem modo excipiatur.

Pontif. Rom. 11 Cum aliquis magnus Princeps, seu Principissa loci Domini Superiorem alium non habentes, in locis dictionis suæ ad Ecclesiam accedunt, Superior superpelliceo indutus, ministrante Acolyto pariter superpelliceo induto vas aquę benedictę, astantibus quoque alijs ex Clero, eum excipiet, & ingredientem ostium Ecclesię, factis opportunis inclinationibus asperget: & egredientē vsque ad Ecclesię ianuam comitabitur, eique profundè inclinabit. Quòd si Missę solemni, vel Vesperis solemnibus interesse voluerit, forma supra præscripta, ad Missam, & Vesperas incensabitur, eique ad Missam cum instrumento, modo suo loco pręscripto, Pax defcretur.

De ordine, & modo ministrandi aquam ad manuum ablutionem Prælato celebranti. Cap. V.

1 *Quomodo manuum ablutio à Nobilibus ministrari debeat.*
2 *Quomodo à Scutiferis ministretur.*
3 *Quando, & à quo Annuli è manibus Episcopo extrahendi.*
4 *Mappa à quibus, & quomodo ministranda.*
5 *Quoties in Missa sacrificio manus ablui debeant.*
6 *Aqua quomodo ministretur Papa priuatè celebranti.*

Cærem. Episc. li. 1. c. 11. 1 EPiscopo, vel Prælato solemniter celebranti ministratur aqua ad manuum ablutionem. Si sit S.R.E. Cardinalis, vel Archiepiscopus, seu etiam Episcopus insignis, à Nobilibus, vel Proceribus Ciuitatis hoc ordine: Nobiles ad id inuitati ad Credentiam ducuntur, eisque velo serico oblongo circa scapulas extenso, argenteę lances cum aqua odorifera eorum manibus traditur, quæ & veli extremitatem, facta prius à scutiferis in ipsa credentia prægustatione, cooperiri debent: ipsi verò vasa gestantes Mazzerio cū claua argentea eos pręcedente, facta prius Altari, & Episcopo reuerentia genuflexo vsque ad terram, ante pedes Episcopi genuflexi supposita lance aquam infundunt.

Cœrem. Episc. li. 1. c. 8. 2 Si verò non viri Nobiles, sed Scutiferi, seu familiares Episcopi id pręstare debeant, ministrantes dextera manu vrceum, sinistra verò lancem deferentes, vbi ante Episcopum peruenerint, genuflexi pauculum aquę super labium ipsius lancis infundunt, eamque pręsente Episcopo degustant, tum supposita lance aquam super manus Episcopi infundunt.

Cærem. Episc. li. 1. c. 7. 3 Antequam Episcopus manus lauet, extrahuntur ei annuli, à quo autem extrahi debeant, non omninò compertum videtur, nā in Cœremoniali Episcoporum lib. 1. cap. 7. vbi de officio Presbyteri assistentis agitur, habemus, quòd annuli ordinarij ab ipso Presbytero assistente ante manuum lotionem cum debitis osculationibus extrahi debent. Libro verò 2. eiusdem Cœremonialis cap. 8. dicitur, quòd per Diaconos (Cęrem. Episc. li. 2. c. 8.) assistentes ante lotionem extrahuntur, & post lotionem, & abstersionem reponuntur: Vt autem inter se pugnantia aliquo modo conciliemus, & suum vnicuique munus, vt decet, tribuamus, cum iuxta probatos ritus ab omnibus receptos, chirotecas vtriusque manus, dexterę videlicet, ac sinistrę imponere, & extrahere spectet ad ministros hinc inde assistentes, puta Diaconum, & Subdiaconum; Annulum verò Pontificalem, qui est dexterę ornatus in digito annulari deferendus ad Presbyterum assistentem imponere, & extrahere spectet; idcirco obseruandum puto; si Episcopus habeat annulos ordinarios in vtraque manu, dextera videlicet, ac sinistra, tunc illos extrahere ante lotionem debent Assistentes, dexterę quidem manus is,

qui

qui est à dextris, sinistræ verò is, qui à sinistris assistit, pariter, & post abstersionē manuum ab ijsdem reponi debent; nam non ita commodè à Presbytero, qui à dextris erit, extrahi, & imponi poterũt. Cum verò Episcopus Annulum tantùm Pontificalem in dextra habet, tunc ipsũ imponere, & extrahere spectat ad Presbyterum assistentem.

4 Dum Episcopus manus lauat, duo Capellani genuflexi hinc inde tenent mappam extēsam sub lance pro tergendis manibus ipsius Episcopi. Interim laici omnes, ac clerici circumstātes, exceptis Canonicis, & Prælatis, genuflectunt. Superiore Prælato præsente non fiunt prægustationes aquæ, neque ministrantes genuflectunt.

5 In ipso sacrificio Missę quater aqua ad manus abluendas ministratur; primò lectis Psalmis, acceptisque sandalibus, antequam sacris induatur vestibus, deposita cappa; secundo lecto Offertorio; tertiò post incensationē Oblatorum; quartò post communionem peracta purificatione: primò quidem in Solio, vel Faldistorio sedenti recto capite cum bireto; secundò pariter in sede cum Mitra; tertiò, & vltimò in Altari stanti cum Mitra ad latus epistolæ. Episcopo verò priuatè celebrante ter tātùm à familiaribus ministratur aqua; in principio antequam sacris induatur vestibus, in medio post Offertorium, & in fine post communionem, peracta purificatione. Quādo aqua ministratur à Nobilibus, possunt, si videbitur, variari, ita vt incipiendo à minus digno vltimus locus digniori detur; quod præcipuè Papa celebrante obseruatur, cui quatuor ex Dignioribus præsentibus inseruiunt, etiam si sit Rex, vel Imperator. Cęrem. Rom. li. 2 c 14.

6 Papa priuatè celebranti ministratur aqua in principio, antequam sacris se induat, post Offertorium, & post communionem accepta purificatione, à Nobilibus præsentibus; mappa verò ei porrigitur cum osculis, & reuerentijs ab antiquiori Cardinali, vel Prçlato præsente, eadem sibi porrecta à Scalco inter patinas argenteas complicata, prout à credentiarijs acceperat, quibus pariter eam reddit suo loco reponendam.

De cœremonijs à Concionatoribus obseruandis. Cap. VI.

1 *Pulpitum quo loco in Ecclesia collocari debeat.*
2 *Concionatoris habitus.*
3 *Benedictio quomodo à Concionatore petenda.*
4 *Obseruanda à Concionatore in principio sermonis.*
5 *Inclinationes faciendæ à Concionatore.*
6 *Intra Missam quo tempore sit concionandum.*
7 *In Oratione quadraginta horarum, quomodo concionandum.*
8 *Item in Parasceue.*
9 *Salutatio Virginis in principio quomodo facienda.*
10 *In lectionibus Vespertinis quid sit obseruandum.*
11 *In sermonibus priuatis.*
12 *In sermonibus pro defunctis.*
13 *Habitus sermonem habentis in Capella Domini Papæ.*
14 *Obseruanda à Concionatore in Capella D. Papæ.*

1 SVggestum, seu Pulpitum, in quo concio in Ecclesia haberi debet, à latere Euangelij; in Cathedralibus verò, vbi est Episcopi solium à latere Euangelij, Pulpitum in cornu Epistolæ accommodari decet loco congruo, quò Concionator ab omnibus conspici, & audiri possit, ab Altari maiori, si Ecclesiæ structura permittat, non longè distans, è marmore, piçque sculptura opere ornatum, vel è lateritio lapide laminis marmoreis, aut æneis, ijsque inauratis, vel saltem ex tabulis sectilibus decenti opere, ac forma extruatur: à latere ex ea- Act. Eccl. Med. inf. fab. Eec. lib. 1. c. 21.

parte,

parte, quæ Altare maius respicit, Sanctissimi Crucifixi imago firmetur. Diebus, quibus concionatur, nisi sit politè ornatum, pallio coloris tempori conuenientis operiatur, excepta sexta feria maioris hebdomadæ; nam tunc, sicut & Altaria, nudum esse debet.

Broch. decr. li. 2 c. 100. & 158. 2 Concionator antequam pulpitum ascendat, si sit Clericus, superpelliceo indutus, orariumque supra superpelliceum habens, coloris tempori conuenientis: si verò sit Regularis, habitu sui ordinis, & si sit Canonicus, vel Dignitas, cum Cappa, vel Almutio supra Rochetrum, si verò sit Episcopus, & non solemniter celebret, habitu ordinario indutus, videlicet Rochetro & Mozzetta, addita Stola: qui si solemniter celebret, Pontificalibus indumentis cum Mitra, prout in Cęremoniali Episcoporum, suum exequitur munus: si verò Episcopus extra suam Dięcesim concionetur, non quidem Mozzettam, sed Mantellettum habebit. Cærem. Episc.li. 1.c.8.

3 Si coram Cardinali Legato Sedis Apostolicæ, Patriarcha, Archiepiscopo, vel Episcopo in locis suę Iurisdictionis concionari contingat, cum debitis reuerentijs, antequam suggestum ascendat, si sit Clericus, vel Regularis, genuflexus benedictionem petat dicens *Iube Domne benedicere*. Si verò sit Dignitas, vel Canonicus, profundè inclinatus benedictionem petat: quòd si fuerit Episcopus extra suam Dięcesim, nullo modo ab Episcopo ordinario, etiamsi sit Cardinalis, benedictionem petere debet, non enim decet, ob supremum ordinem, & dignitatem Episcopalem, prout sacra Rituum Congregatio Ecclesiæ Neapolitanæ declarauit die 28. Aprilis 1607. Cærem. Episc.li. 1.c.7. Declar. Congr.

4 Ascendens suggestum, facta Cruci reuerentia, prius ipsi Prælato profundè, mox alijs se inclinet: & finita concione, si dandę sint Indulgentiæ, non descendit, sed detecto capite genuflectit, donec Diaconus faciat confessionem, qua finita, surgit, ac stans publicat Indulgentias, forma in Cęremoniali Episcoporũ præscripta. Vbi verò ab alijs publicari solent, Concionator statim discedit, debita tamen reuerentia adhibita, quã prius Prælato facere debet, cauens ne ipse tunc populo benedicat. Quòd si adsit aliquis Pręlatus Magnus, non tamen in loco suę Iurisdictionis, antequam alijs benedicat, ipsi se profundè inclinabit, mox ex alia parte conuersus benedicet populo. Statim ac Concionator suggestum ascenderit, reuerentiam faciet Crucifixo versus Altare collocato: mox Prælatos, si adsint, ac Primates aperto capite, deinde populum circumstantem salutabit, caput postmodum operiens aliquantisper, donec populus quiescat, expectat, rursumq; caput detegens, manibus iunctis biretum ante pectus tenens, oculisque ad cęlum eleuatis, secreto dicet: *Munda cor meum &c.* Quo dicto, Crucis signo se munit, statimque à latere Pulpiti versus Altare genuflectens, dicit clara voce Salutationem Angelicam, qua completa, caput cooperit, surgit, & sermonem incipit, ipsumque prosequitur. Cærem. Episc.li. 1.c.25.

5 Si inter concionandum Sanctissimi *Iesu* nominis, vel B.Virginis *Mariæ* fiat mentio, caput detegit, nõ tamen si Christi tantùm: quòd si sępius sit repetendũ, ad euitandum astantium, suique incommodum, sub Christi, seu Saluatoris, aut Redemptoris, vel B. Virginis, seu etiam Dominę nostræ, similique alio modo repetere poterit: Ad viuentis quoque Pontificis nomen caput detegit, reuerenterque inclinat. In fine verò concionis semel dabit benedictionem.

6 Intra Missarum solemnia si sit concionandum, statim post Euangelium, ac celebrantis incensationem fit concio: finita verò cõcione dicitur *Credo*, si dicendum sit, sin minus, Offertorium. Poterit tamen, si videbitur, aliquando ob populi, & Ecclesiæ commoditatem, finita Missa, concionari. Si intra Missam Pontificalem sermo haberi debeat per eundem Episcopum celebrantem, si eius sedes Rit.Miss. VI. 6. Cęrem. Episc.li. 1.c.8. Cærem. Episc.li. 2.c.8.

fuerit

fuerit conuerſa ad populum, in propria ſede concionabitur; ſi verò Altare adhereat parieti apud Altare, ſuper faldiſtorio, vel in ſede ad id parata verſis Altari renibus ſedebit; & tunc Presbyter aſſiſtens ſedebit à dextris Epiſcopi, Diaconus Euangelii, & Diaconus aſſiſtens poſt eum ſedent; à ſiniſtris verò ſedebunt alter Diaconus aſsiſtens,& Subdiaconus: & expleto ſermone Diaconus, qui cantauit Euangelium, ad ſiniſtram Epiſcopi aliquantulum inclinatus facit confeſſionem, & Presbyter aſſiſtens pronunciat Indulgentias; deinde Epiſcopus dat benedictionem. Quòd ſi ſermo ſit habendus à Canonico parato habitu ſui ordinis,vt decet, incenſato Epiſcopo per Magiſtrum ceremoniarum,ante eum ductus, oſculata prius illius manu, profundè poſtmodum inclinatus, petit ab eo benedictionem, & Indulgentias, deinde ad ambonem procedens ſuum exequetur munus modo præſcripto. Si verò loci ſuperior Epiſcopo inferior in propria Eccleſia ſolemniter celebrans ſermonem ſit habiturus,magis decet, vt in Altari, a latere Euangelii,capite cooperto,ſupra ſcabellum, vel ſedem humiliorem (cum in Altari ſublimi ſede vti non liceat) ſedeat: miniſtri verò in eodem latere, extra Altare tamen,tectis capitibus ſupra ſcamnum, faciebus ad altare conuerſis, Diaconus à dextris,& Subdiaconus à ſiniſtris ſedebunt: quòd ſi Sanctiſsimum Sacramentum fortè fuerit expoſitum, ipſe celebrans detecto capite ſtabit, reliqui verò genuflexi, vel ſtantes detecto capite erunt.

Cærem. Rom. li. 2. ſec. 4. c. 2.

7 Cum Sanctiſsimum Sacramentum eſt ſuper Altare expoſitum,ſermo habeatur vel in pulpito,vel ante Altare in cornu Euangelii; ſemper tamen Concionator ſtabit aperto capite, etiam ſi ſit Epiſcopus,ſtolamque ſupra ſuperpelliceum, vel Rochettum habebit.

Declar. Congr.

8 In Paraſceue non petitur benedictio, ſi coram Prelato concionetur, neq; dicitur Salutatio Angelica,ſed eius loco Concionator genuflexus verſus crucem, quæ in Altari,vel in aliquo alio loco cõgruo,adhibitis etiam duobus intortitiis accenſis collocari poterit, ipſam ſalutabit dicẽs, *O Crux aue ſpes vnica,Hoc paſſionis tempore, Auge pijs iuſtitiam,Reiſque dona veniam.* In fine verò cõcionis cum Sanctiſſimi Crucifixi imago populo oſtẽditur,duo Acolythi ſuperpelliceis induti hinc inde accedunt intortitia accenſa vſque in finem tenentes. Concionator verò capite aperto Crucem vtraque manu acceptam,reuerenter, & deuotè populo oſtendit,& cum ea benedicit, ac tãdem vel ibidem reponit, vel, vbi adeſt conſuetudo,præcedentibus ceroferariis, eam reuerenter in locum congruum reponendam aſportat.

9 Die Sancto Paſchæ, & duobus ſequentibus diebus Concionator loco ſalutationis Angelicę,conuerſus ad Altare ſtans iunctis manibus, clara, & intelligibili voce dicet Antiphonam,*Regina cœli*, &c. Toto verò tempore Paſchali, & diebus Dominicis infra annum eodem modo ſtans, Salutationem Angelicam recitabit, *Aue Maria*, &c. Reliquis verò diebus ſemper cum dicit Salutationem Angelicam genuflectit.

10 In lectionibus,quæ fiunt poſt Veſperas, eadem reſpectiuè obſeruet Concionator, quę mane: nam vtitur quoque ſuperpelliceo, eaſdemque prorſus cœremonias exercet.

11 In ſermonibus verò, qui vel in Oratoriis, vel in aliis priuatis locis habẽtur,non opus eſt ſuperpelliceo,ſed adhibita ſuperiori veſte, vel mantello haberi poterunt.

12 In ſermonibus, qui fiunt in funeralibus,non petitur benedictio, nec dicitur *Aue Maria*.

13 Si ſermo habendus ſit in Capella Domini Papæ ab aliquo Officiali Palatii,qui vtatur Rochetto,& Cappa, cum ipſis orabit, ſi verò ab alio Sacerdote habitu clericali, qui non habet vſum Rochetti, is cum Cappa tantùm orabit;

Cærem. Rom. li. 3. ſect. 3. cap. 8. & ſect. 4. c. 2.

Regulares habentes proprium habitum cum habitu sui ordinis sermonem habebunt, Clerici verò Regulares, quia non babent habitum distinctum ab alijs clericis cum cappa semper orabunt.

14 Is, qui sermonem est habiturus, ostensa prius oratione Magistro Sacri Palatii cappa in aliquo loco extra cappellam indutus, hora congrua offert se Cæremoniario, qui, cantato Euangelio, postquam Papa fuerit osculatus librum, & incensatus sederit cum Mitra in sua sede, ipsum ducet cum debitis reuerentiis Altari, & Pontifici, & genuflexus Orator osculabitur pedes Pontificis, tum erecto capite dicet *Iube Domne benedicere*, & Pontifex subdet, *Dominus sit*, &c. & accepta benedictione Orator subdet, *Indulgentias Pater sancte*, & expectabit mandatũ Pontificis concessionis Indulgẽtiarum, quo accepto, facta item reuerentia, & genuflexione Pontifici, & Altari per eundem Cæremoniarum ducitur ad suggestum. Vbi suggestum cõscenderit Orator, facta prius reuerentia Pontifici, & profunda inclinatione Cardinalibus caput tegit, & vbi aliquantisper requieuerit, vt se componat, prius se signo crucis muniens, genuflexus, & detecto capite dicit *Aue Maria*. Surgens tecto capite incipit suam orationem, in qua Pontificem nominans, detecto capite, profundè se inclinat: absente Pontifice benedictionem petet Prælato celebrante, & cum Cardinales nominat, detecto capite aliquantulum se hinc inde inclinat. Finito sermone non recedit, sed detecto capite expectat, donec per Diaconum Euangelii, dicatur *Confiteor*, &c. deinde stans pronunciat Indulgentias à Pontifice cõcessas. Et statim pronunciatis Indulgentijs recedit, & procedens extra Capellam dimittit Cappam.

De modo celebrandi Orationem Quadraginta horarum. Cap. VII.

1 *Primi institutores Orationum Quadraginta horarum.*
2 *Altaris ornatus pro celebratione orationis Quadraginta Horarum.*
3 *Promulgatio futura orationis.*
4 *Missa solemnis celebratio.*
5 *Ordo processionis.*
6 *Locus in quo reponendum est Sacramentum.*
7 *Assistentia adorationem per vices facienda.*
8 *Luminaria per Ecclesiam distribuenda in nocte.*
9 *Horarum distributio quomodo facienda.*
10 *Intra presbyterium cui, & quomodo ingredi liceat.*
11 *Missæ priuata si dicantur quid obseruandum.*
12 *Concionatores in sermonibus quid obseruabunt.*
13 *Adstantes in Choro caput semper detegunt.*
14 *Vespera solemnes tunc temporis quomodo celebranda.*
15 *Processio facienda in fine orationis.*
16 *Hostia assumenda, & lunula quomodo purificanda.*

1 Laudabilem consuetudinem celebrandi Orationẽ Quadraginta horarum præuia processione Sanctissimi Sacramenti, quod in ea exponitur, antiqua traditione acceptam; Primum omnium Pium IV. fœl. mem. Apostolica auctoritate roborasse creditur; nam Congregationi, quàm in Vrbe erexerat Crescentius Sylua Sacerdos Senensis anno 1548. conuenientibus in ea ad celebrandam statutis temporibus orationẽ quadraginta horarum; Indulgentias Apostolica largitate concessisse legitur anno Domini 1560. Sanctus verò Carolus Cardinalis, & Archiepiscopus Mediolanensis, imminentibus suis temporibus malis occurrere piè intendens circa annum 1577. frequentiorem eius vsum in sua Ecclesia induxit, præcipuè Dominica tertia cuiuslibet mensis eam celebrari ordi-

Constit. Pij IV. Diuina disponẽte clementia ex Bull. tom. 2. pag. 32.

Rit. Eccles. Mediol.

ordinauit, cuius imitantes exēplū & alii Prælati pluribus locis idem instituerunt. Nostris verò temporibus Clemens VIII. pijssimus, ac religiosissimus Pontifex anno 1592. ordinauit, vt in insignioribus Vrbis Ecclesijs tam Regularium, quàm Secularium solemniter, & per gyrū perpetuò Orationis huiusmodi celebritas haberetur; quod Successores firmiter tenent; vnde fidelium mentes quotidiano publicæ Orationis alimento mira, ac spirituali suauitate refectæ, mirabiliter cœlesti nutrimento pascuntur, vberesque fructus non solum sibi, sed & communi omnium vtilitati, ac commodo in dies percipiunt.

Côs. 17. Clē. viii. quæ incip. Graues, &c. Bul. to. 3. p. 22.

2 Vt autem huiusmodi sacra actio dignè celebretur; in primis antequam Sanctissimum Sacramentum exponatur, Altare maius, prout in præcipuis festiuitatibus, solemni apparatu decorè ornetur, candelabris, atque Angelorum simulacris pro luminibus sustinendis, adhibitis vasculis cum floribus supra Altare, & circum circa locis congruis bene dispositis, sacrę imagines cum aliis Ecclesiasticis ornamentis apponantur, omnis profanus apparatus vitetur, thymiamateria cū aromatibus suauis odoris adhibeantur. Cætera Altaria per Ecclesiam decenter omnia, ac singula ornentur: paramenta quoque pro celebratione Missarum solemniora apponantur.

3 Dominico die, vel festiuo celebrationem orationis præcedente per Parochum iuxta instructionem Clementis VIII. vel per Concionatores prius indici debet in Ecclesia huiusmodi celebratio, quò populus frequens cōueniat pridiè hora vespertina post signum Salutationis Angelicę ter solemniter pulsantur campanæ, vt fit in solemnioribus festiuitatibus; item ipso die summo mane illucescente aurora eodem modo iuxta Clementis VIII. instructionem pulsari debent, quod etiam seruabitur quotidie durante in ea Ecclesia oratione.

Inst. Cl. VIII.

4 Missa etiam, si sit duplex, vel Dominicus dies, erit de Sanctissimo Sacramento in paramentis albis; diebus verò festis, & priuilegiatis in collegiatis dicuntur duæ Missæ altera de die post Tertiam, altera de Sanctissimo Sacramento ante processionem, quæ erit votiua, ac solemnis pro re graui, in qua dicetur vna tantùm Oratio cum *Gloria*, & *Credo*; & si sit dies ex maioribus priuilegiatis, Missa erit de die cum commemoratione Sanctissimi Sacramēti in paramentis coloris tempori, ac festo congruentis. In processione verò paramenta erunt alba Sanctissimo Sacramento conuenientia.

5 Processio celebrabitur eodem modo, quo infra in festo Corporis Christi præscribitur.

Inst. sec. 10. c. 2.

6 Post processionem Sacramentum reponetur loco decenti, & eleuato in medio Altaris sub baldachino, velis pretiosis, & infulis hinc inde pendentibus.

7 Dum Sacramentum est expositum, continuè duo ex Sacerdotibus, seu Clericis illius Ecclesiæ; cum oratio celebratur, superpelliceis induti, Sacerdotes verò etiam Stolam albam circa collum habentes flexis genibus intra Presbyterium orantes assistere debent. Et vbi est sodalitas Sanctiss. Sacramenti, vel alia, debent sodales suo proprio habitu induti bini per vices orationi ante Altare assistere. Congruit etiam iuxta instructionem Romanā Clementis VIII. vbi commodè fieri potest, præcipuè in Parochialibus Ecclesijs, vt populus per schedulas inuitetur, singulis domibus suam horam designādo hoc ordine. Dominus N. cum sua familia hora N. accedet ad Ecclesiam ad orandum per horam integram. Aduertendo, vt mulieres tantùm diurno tempore admittātur; viri verò etiam noctis tempore, si videbitur, admitti poterunt.

Inst. Cl. VIII.

8 Noctis tempore Ecclesia vndique illustretur sufficienti luminum numero per singulas eius partes distributo, ita vt

R vndique

vndique lucida cuncta perspicuè appareant, ipsaque nox, vt dies illuminetur, vix namque spirituales delitiæ sine lumine percipiuntur, sicut scriptum est, *& nox illuminatio mea in delitijs meis*. Ps. 138. 11.

9 Loco conspicuo ante orantes collocetur clepsidra horaria, siue horologium, quò orationi vacantes spatium sibi præscriptum aduertere possint, ipsaq; hora transacta, rursum vertitur clepsidra, & alter ex assistentibus paruula campanula signũ dabit campanario horę transactæ, ille verò maioris campanę ictu succedentes per ordinem ad orandum conuocabit.

10 Durante oratione nemo Sęcularium intra Presbyterium accedat, nec etiam ad accendendos, vel emungendos cereos; hoc enim munere fungi debent Clerici, qui non nisi superpelliceo induti ante Sanctissimum Sacramentũ accedãt.

11 Priuatæ Missæ in Altari, in quo sacratissima Hostia est exposita, regulariter celebrari non debent, quòd si æqua ex causa celebrari contingat, aduertat Sacerdos, vt semper in medium accedens, vel recedens genuflectat, & in cõuersionibus ne terga vertat Sacramento, manus extra Altare lauabit, in conuersionibus non perficitur circulus, & ad Euangelium in fine non signat Altare.

12 Si sermo habeatur, Concionator superpelliceo, ac Stola indutus detecto capite deuotè, ac reuerẽter breui sermone audientiũ mouere affectus conetur. Decet autẽ, vt in principio orationis post processionem, ac pluries in die, prout pietas, & populi concursus postulauerit, sermones habeantur, prout fusius suo loco est explicatum.

13 In Choro ad Horas diurnas pariter, ac nocturnas cõuenientes, si in eo loco Sanctiss. Sacramentum sit expositum, semper erũt omnes aperto capite etiam cum ad lectiones sedendum erit.

14 Si interim Vesperę solemnes celebrẽtur, Sacerdos Pluuiali coloris Officio cõgruentis indutus ad incensandũ Altare procedit; incẽsum imponitur cũ osculis, & benedictione more solito; tantũ Sanctiss. Sacramentum à celebrante genuflexo triplici ductu incensabitur, deinde surgens ipsum Altare more solito incensabit, & reliqua omnia prosequetur, vt suo loco de incensatione sup. notatũ est. Sup. sec. 2. cap. 2. nu. 16.

15 In fine Orationis fit processio, sicut in principio, in qua cãtatur Hymnus *Pange lingua*, &c. & in fine *Tantum ergo Sacramentũ* cũ versu, & oratione, & datur benedictio cũ Sãctiss. Sacramẽto, vt sup. Sup. c. 2. num.

16 Post Orationem sequenti die assumitur Hostia à Sacerdote ieiuno in Missa, immediatè post Communionem, antequam se purificet, nec alijs communicandis porrigatur, non enim decet: deinde purificabitur lunula prius diligenter discussa, ne vllum in ea fortè remaneat fragmentum, postea vino purificationis in Calice bene abluetur, & purificatorio abstergetur. Act. Eccl. Med.

SECTIO TERTIA.

De Diuinis Officijs in genere, Hoc est de partibus integrantibus Diuina Officia.

De modo celebrandi Diuina Officia. Cap. I.

1 *Diuinum Officium in quo consistat.*
2 *Partes quibus Diuina Officia componuntur.*

1 PRæmissis in præcedentibus sectionibus aliquibus, quæ ad modum, quo Ecclesiastici ritus tum generaliter, tum specialiter exerceri debent: ad singularia modo ordinatè deueniendo de Diuinis Officijs. Horis Canonicis comprehensis agendum nobis erit. Diuina Officia certis precibus ritè disposita ad Dei cultum, ac gloriam ab Ecclesiasticis viris suis temporibus celebranda iam inde ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ instituta, alia

quidem

quidem cum ipso sacrificio ad maiorem otnatum coniuncta, de quibus infra suo loco dicemus, alia verò extra sacrificium ad ipsum Deum Optimum Maximum laudandum, eique de acceptis beneficijs gratias agendum piè, ac religiosè instituta generali diuisione in nocturnas, atque diurnas horas distincta Ecclesiastico more traduntur: quæ & sub Horarum Canonicarum titulo prænotantur; eo quod certo ordioe suis temporibus, & horis regulariter sunt distinctæ, & iuxta Sanctorum Patrum decreta titè seruari ab omnibus Ecclesiasticis debent, quæ & iuxta illud Psalm. 118. *Septies in die laudem dixi tibi*. septem esse dicuntur, Matutinum videlicet, quod & Laudes continet, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, & Completorium. (c. Preb. dis. 91.)

2 Cum autem huiusmodi Horæ Canonicæ, quibus totum diuinum Officium continetur, Psalmis, Hymnis, Canticis, Antiphonis, Responsorijs, Versibus, Absolutionibus, Benedictionibus, Capitulis, Precibus, Orationibus, & Suffragiis constent, de singulis hoc loco ad nostros Ecclesiasticos erudiendos nonnulla præmittemus.

De Psalmis, Canticis, Hymnis, & Antiphonis. Cap. II.

1 *Psalmi in Officio ex antiqua consuetudine recitantur.*
2 *Psalmos stantes canere debemus.*
3 *Psalmi alternatim cantari debent.*
4 *Vers. Gloria Patri in fine Psalmorum dicendus.*
5 *Quando Vers. Gloria Patri in fine Psalmi dici non debeat.*
6 *Canticorum auctores, & eorum antiquitas.*
7 *Cantica Noui Testamenti quomodo recitentur.*
8 *Hymnorum descriptio.*
9 *Hymnus Te Deum à quo fuerit compositus, & quomodo cantandus.*
10 *Antiphonarum origo.*
11 *Quomodo præintonanda Episcopo celebrante.*
12 *Quomodo Canonico celebrante.*
13 *Antiphonarum initia quomodo à Sacerdotibus inchoanda.*
14 *Quando coincidunt cum initio Psalmi quomodo intonanda.*
15 *Antiphona in Missa à Cantoribus inchoanda.*
16 *Antiphona B.M. Virginis in fine Officij à quo inchoentur.*
17 *Antiphona pro commemorationibus faciendis vnde sumi debeant.*

1 Antiquissimum est in Ecclesia Psalmodiam ipsis Diuinis Officijs adhibere, quod manifestè docet Apostolus Ephesios pariter, ac Colossenses monens, vt Spiritusancto repleti inuicem loquerentur docentes, & commonentes se ipsos in Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus, in gratia cantantes, & psallentes in cordibus suis Deo. Hinc factum est, vt Psalmorum liber, quem Dauid composuit per singulas Hebdomadas repeteretur. (Ephes. 5. 9. Coloss. 3. 10.)

2 Satis laudabilis est Religiosorum consuetudo apud quos maximè Ecclesiastica viget obseruantia, vt Psalmos stantes præcinant, quò, vt notat Amalarius, ex Antiquissima Sanctorum Patrum traditione mentis affectus demonstretur; corpore namque stantes paratos nos esse ostendimus ad domandam carnem nostram, seu ad exercitium operis in causa nostra, & fratrum. Fusius autem de hoc, Deo dante, suo loco agendum erit. (Amala. Fortun. lib 4. de Eccl. off. c. 3.)

3 Cantantur autem Psalmi in Ecclesia alternatim; antiquissima namq; consuetudine (vt Dionysius notat) ad alterutrum canendo concordi mente sacrarum rerum choreas ducimus. Alternis namque vocibus (vt D. Basilius Clericis Ecclesiæ Neocæsariensis scribit) in duas partes diuisi olim Patres succinebant Psalmos. (Dio. de Eccles. hier. c. 3.) (D. Basil. epist. 63.)

4 In fine Psalmorum semper dicitur

Verſ. *Gloria Patri*, cuius rei extat Epiſt. D. Hier. ad Damaſum Papam ipſum hortantis, vt huiuſmodi Canticum Laudis omni Pſalmo coniungi præcipiat, quò Fides trecentorum octodecim Epiſcoporum Nicęni Concilij communi ore declaretur.

5 Excipiũtur tamen Pſalmi, qui coniunctim dicũtur ad Laudes, videlicet 62. *Deus Deus meus*, qui vnà cum Pſalmo 66. *Deus miſereatur noſtri* ſub vna concluſione pręcinitur, & Pſalmus 148. *Laudate Dominum de cœlis*, 149. *Cantate Domino canticum nouum*, & Pſalmus 150. *Laudate Dominum in Sanctis eius*, qui vt vnus eodem modo ſub vna concluſione cum Verſ. *Gloria Patri* dicuntur, & è contra Pſalmus 118. *Beati immaculati*, qui in plures ſecatur partes in fine cuiuslibet ſectionis requirit, vt dicatur ℣. *Gloria Patri*. Pſalmi item Graduales, qui coniunctim recitantur in primo quinatio, ac ſi vnus eſſet Pſalmus cum ℣. *Requiem æternam* terminantur, nam quinarius ille pro fidelibus defunctis recitatur. Excipitur etiam Officium tridui maioris hebdomadę, nam tunc non dicitur ℣ *Gloria Patri*; item Officium Defunctorum, in quo eius loco dicitur ℣. *Requiem æternam*: omittitur autem *Gloria Patri* in huiuſmodi Officijs iuxta Concilium Toletanum, vt notat Amalarius, etiam in Reſponſorijs; non enim triſtibus lęta miſceri debent.

Amalar. lib 4. de diu. off. c 30.

6 Cantica ipſis quoq; Pſalmis antiquiora à Prophetis, priuſquã Dauid ſuos Pſalmos cõponeret, Deo decãtata legũtur; ſiquidem Moyſes omnibus alijs antiquior, qui non ſolum Platonẽ, verùm, & Orpheum ipſum omnium gentiliũ ſcriptorum primum longè ętate pręceſſit, is percuſſo Aegypto decẽ illis horribilibus plagis, ac Pharaone in mari rubro demerſo cum vniuerſo populo per inſueta maris itinera ſicco veſtigio gratulabundus iter aggreſſus canticũ Deo cecinit dicẽs; *Cantemus Domino glorioſè enim honorificatus eſt*. Deinde Deborà non ignobilis fęmina vnà cum Barac ſuum cecinit Cãticum: Poſtmodum & alios vtriuſque ſexus ſacros Cantores, ac vates myſtica Cantica ad Dei laudem compoſuiſſe, atque cecinisse legimus, quę ex Scripturis ſacris excerpta in Diuinis Officijs recitantur; eodem prorſus modo ac Pſalmi, in quorũ cuiuslibet fine, ſicut & in Pſalmis verſus glorificationis reperitur, excepto Cantico Trium puerorũ *Benedicite, &c.* in quo per ęquipollentia verba Sanctiſſimæ, atque indiuiduæ Trinitatis confeſſio in vocem laudis expreſſa profertur.

Exod. 15. 1. Iud. 5. 1. Dan. 3.

7 Præter Cantica veteris teſtamenti, quæ regulariter ad Laudes recitantur, ſunt, & alia tria Cantica noui teſtamenti, quę ex Euangelijs habentur; Beatæ ſcilicet Virginis, Zacharię, ac Simeonis, ad Veſperas, Laudes, ac Completorium quotidie ſemper detecto capite recitanda ob reuerentiam textus Euangelij; vnde ſunt ſumpta.

Ruge. Breuiar. XXIII. 3

8 Hymni qui, iuxta D. Auguſtinum, ſunt ſpeciales Dei Laudes cum Cantico, quibus mens, & animus metrico ſonoroque concentu ad Dei contemplationem, eiuſdemque fruitionem ſuauiter eleuatur, poſt ſacram illam Dominicam Cęnã expletis epulis primũ in tempore Euãgelicę gratię in ſignũ lętitiæ nuptiarũ agni, prout D. Chryſ. in illud Mat. 26. *& Hymno dicto*, ſatis eruditè adnotauit, à Chriſto Dño cum Diſcipulis decantari fuerunt. Deinde tanti Magiſtri edocti exemplo Apoſtoli, ac reliqui fideles, teſte Dionyſio, quem ſequitur Nicephorus, olim Hymnos cantare conſueuerunt, quorum ſequens veſtigia ſancta vniuerſalis Eccleſia in Diuinis Officijs, diurnis pariter atque nocturnis ad ſingulas horas, quos Sancti Patres compoſuerunt, adhibere conſueuit: nam, teſte Hieronymo, S. Hilarius ſuos compoſuit Hymnos; Ambroſius item, & Auguſtinus, vt adnotauit Rabanus, complures alios addidere, quos S. Mater Eccleſia in ipſis Eccleſiaſticis Officijs ſuis locis accõmodauit.

D. Aug. in pſ. 72. D. Chr. ho. 83. in Mat. Dio. de diu. no. c. 4. Nice. li. 2. c. 22. D Hier. de ſcri. Eccleſ. Rab. l. 2. de Inſti. cler. c. 49. Concil. Tole. 4. c. 13.

Diſſe-

Differunt autem Hymni à Psalmis, & Canticis, quia Hymni semper concini solent ad Dei Laudes, ac Sanctorum eius prædicandas; cùm tamen in Psalmis, & Canticis insuper rerum gestarum historiæ nonnunquam commisceantur.

Dacian. Episc. Mediol. in Chr. lib. 1. c. 1.

9 Hymnus *Te Deum laudamus*, teste Daciano Episcopo Mediolanensi, à Sancto Ambrosio dum Diu. Augustinus lumen Ecclesiæ in sacro Baptismatis fonte suisset Deo consecratus, & Ecclesiæ regeneratus, cunctis fidelibus adstantibus, atque admirantibus alternatim ab eisdem Ambrosio, atque Augustino diuino spiritu afflatis compositus, ac recitatus fuit, quem post modum vniuersalis Ecclesia suscepit, cuius etiam meminit S. Gregorius Papa, atque etiam multò antea S. Benedictus in Regula: communiter ex Ecclesiastico instituto diebus Dominicis ac festis dicitur, exceptis Dominicis Aduentus, & à Septuagesima vsque ad Pascha, in quibus non dicitur. Dicitur etiam in electione noui Prelati, & quoties pro acceptis beneficijs Deo gratias agimus, necnon in processionibus, in quibus Sanctorum Reliquię transferuntur. In solemnioribus à celebrante post nonam Lectionem intonatur. In duplicibus à duobus Cantoribus in medio Chori, quod pariter diebus Dominicis obseruandum est. In semiduplicibus verò, atque simplicibus ab vno tãtùm ex Cantoribus inchoari debet. Ad ℣. *Te ergo quæsumus*, genuflectitur, & ℣. *Per singulos dies*, altiori, ac sonora voce pronunciatur. Vltima tandem verba ab vtroque Choro simul terminantur.

D. Greg. dial. lib. 4 c. 4. D Bene. in Reg. c. 9.

Cęrem. Episc. li. 2. c. 7.

Cærem. Episc. vt supra.

10 Antiphona gręca vox est, eius vsus in Orientis Ecclesia primùm inuentus, à D. Ambrosio in Ecclesia Mediolanensi inductus, inde ad omnes Occidentis Ecclesias manasse creditur. Hæc autẽ, quę primum ad alternatim canentium sonoram concordiam explicandam inuenta vox fuit, vsu tamen postea factum est, vt post Psalmodiam, quæ à duobus Choris alternis versibus decantatur, qui ab vtroque Choro in vnum conueniente post Psalmũ cantatur Versus, Antiphona dicatur, vnde, vt Amalarius testatur, Antiphona inuenta fuit ad ornatum, vt secundùm illius modulationem cantus totius Psalmi sumatur, vniuerso Choro simul in illa conueniente. Vnde ad omnes Horas nocturnas, atque diurnas semper cum Psalmis dicitur, & semper tàm in Officio Diuino, quàm in Officio paruo B. Mariæ Virginis, ac Mortuorum à Sacerdotibus in Choro suo ordine inchoatur: prima quidem ab Hebdomadario, siue celebrante: secunda verò à Sacerdote ex altera Chori parte illi respondente: reliquæ hinc inde alternatim à subsequẽtibus Sacerdotibus: quòd si numerus non sufficiat, suppleant superiores, propinquiores primùm, mox alij per ordinem; & vbi minor fuerit Sacerdotum numerus, qui intersunt, ordinatè repetant; ita vt semper celebrans primam Antiphonam inchoare debeat, qui pariter Antiphonam ad *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis* intonabit.

Vualfr. Strabo. li. de re. Eccl. c. 25.

Amala. lib. 4. de Ecc. off. c. 7.

Rub. gene. Breu. xxi. 1.

11 In solemnioribus Cantor pręintonabit Antiphonas, qui cum debitis inclinationibus singulos suo tempore præmonebit suo ordine. Episcopo celebrante ad Vesperas, dum dicitur Vers. *Gloria Patri*, &c. in principio, Magister Cœremoniarum ducit ante ipsum Subdiaconum paratum, vel Cantorem, seu alium, iuxta locorum consuetudinem, qui facta reuerentia Altari, & Episcopo profunda inclinatione, stans ante ipsum pręintonabit primùm Antiphonam, nec inde discedent, donec Episcopus siue ex libro, siue memoriter intelligibili voce ipsam repetat, & tunc facta profunda inclinatione Episcopo, & reuerentia Altari, dum ante ipsum transeunt, ad sua loca redeunt. Dum Antiphona per Chorum cantatur, Episcopus, & reliqui eodem modo stant, donec inceptus fuerit Psalmus, quo intonato, non prius tecto capite sedent.

Cęrem. Episc. li. 2. c. 2.

Cærem. Episc. li. 2. c. 1.

Finito Pſalmo, dum Antiphonæ repetuntur per Organum, ab aliquo Cantore in Choro ad id deputato clara voce repeti debent. Reliquæ quatuor Antiphonæ eodem modo pręintonantur, inclinatio tamen erga Canonicos non ita profundè, ſicut Epiſcopo fieri debet, ſecunda Diacono à dextris Epiſcopi aſſiſtenti, tertia Presbytero aſſiſtenti, quarta primo Canonico in Choro aſſiſtenti, ſiue ille ſit Archidiaconus, ſiue Archipresbyter, quinta Diacono à ſiniſtris aſſiſtenti: Ad *Magnificat* eodem modo Subdiaconus prędictus per Cęremoniarium ducitur ante Epiſcopum, eique Antiphonam vt ſupra præintonabit.

Cærem. Epiſc. li. 2. c. 2.

12 Canonico celebrante, Antiphonæ præintonantur ab aliquo Beneficiato aſsiſtente, prima ipſi Canonico celebranti, deinde alijs Canonicis dignioribus: Antiphona verò ad *Magnificat* præintonatur ab eodem Aſsiſtente ipſi celebrāti. Eodem modo, cum Matutinū ſolemniter celebratur, Antiphonæ præintonātur Canonicis à Cantoribus alternatim ab vtraque parte Chori, primò celebrāti, deinde dignioribus hinc inde per ordinem.

Cęrem. Epiſc. li 2. c. 6.

Petr. de Ruyz. Rub. 21. 10.

13 Sacerdos Antiphonam inchoans, ne longum illius periodum proferat, ſed aliquam particulam, non tamen minus conciſam dicat, neque opus eſt, vt aliqui arbitrantur, quòd ſit pars ſignificatum complens, voce quidem ſonora, & intelligibili, ac ſono congruo eleuando potiùs, quàm deprimendo vocem, iuxta dierum, ac Officiorum qualitatem, prout in Directorio Chori habetur.

Direct. Chori.

Rub. gene. Breu. xxi. 7.

Petr. de Ruyz. Rub. 21. §. 10.

14 Si Antiphonæ initium coincidat cum principio Pſalmi, ſemper Sacerdos Antiphonam inchoabit, cantores verò nunquam repetunt principium Pſalmi, ſed quod ſequitur in pſalmo, continuabunt ab eo loco, vbi deſinit Antiphona, prout expreſsè in Rubricis Breuiarij habetur, & tunc exempli cauſa, cum in tertio Pſalmo ſecundi nocturni diei Dominicæ Sacerdos inchoabit Antiphonam *Diligam te*, Cantores proſequentur *Domine fortitudo mea*, & Chorus quod ſequitur *Dominus firmamētum meum*, &c. Et ſic de reliquis: ſemper tamen ſtudeāt Cantores, vt poſteaquam Sacerdos Antiphonam inchoauit, ipſi vſque ad puncta, quod reliquum eſt Pſalmi proſequantur: & feria II. ad Veſperas Hebdomadario inchoante Antiphonam *Magnificat*, quia iuxta rubricam, principium nunquam repetitur, ſed continuatur, cum tunc nihil reliquum ſit pro Cantoribus, Chorus immediatè continuabit, quod ſequitur, *Anima mea Dominum*. Similiter in tertio nocturno Dedicationis Eccleſiæ, cum iuxta rubricam, quod ſequitur Pſalmi cōtinuari debeat ab eo loco, quo deſinit Antiphona, Cantores pro Pſalmo inchoabunt ſecundum verſum, ac ſubdent *Dixit Domino*, &c. excepto tamen tempore Paſchali, quando Antiphonæ additur *Alleluia*, tunc enim quod additur, commutat Antiphonam, & ideo in Pſalmo interrupta per ipſum *Alleluia* verba repetuntur.

In Breu. emend. rub. pa. in 3. pſ. 2 noct. Dom.

Rub ge. xxi. 7.

Rub gē. ne. Breu. 31.

15 Antiphonæ quę dicuntur in Miſſa, vel in Benedictionibus atque Proceſſionibus cum cantantur, ſeu etiam in Mandato Feria V. in Cœna Domini non à Sacerdotibus, ſed à Cantoribus inchoantur.

Rub. Br. xxxvi.

16 Antiphonæ B. Mariæ Virginis, quę dicuntur in fine Officij pro temporum diuerſitate, prout in Breuiario adnotatur, ſemper in Choro dicuntur flexis genibus excepto tēpore Paſchali, & diebus Dominicis, quibus à ſtantibus cātantur: tunc autem dicuntur in Choro, quando poſt aliquam horam ibi terminandum eſt Officium, quod ſi ſequatur Officium Defunctorum, vel Pſalmi pęnitentiales, ſeu Litaniæ, aut Miſſa cantata nō dicuntur. Poſt Completoriū verò etiamſi prædicta ſequantur, ſemper dici debent, ipſas autem ſemper Hebdomadarius inchoabit, qui etiam in fine Verſum dicet, & Orationem ſtans recitabit.

17 Antiphonæ, quæ dicuntur, cum

facien-

Rub gene. Bre. 11. 9.

Petr. de Ruyz. Rub 11. §. 10.

facieda est commemoratio alicuius Sancti, sumuntur ex Officio, quod conuenit ei, de quo facienda est commemoratio, ita vt in Vesperis sumatur Antiphona, quę assignatur ad *Magnificat* cum suo Versu; in Laudibus verò quę ad *Benedictus*, cum Versibus, qui habentur post Hymnum.

De Absolutionibus, Benedictionibus, Lectionibus, & Responsorijs. Cap. III.

1 *Absolutiones quando dicendę, & earum nominis ratio.*
2 *Absolutio Capituli ad Primam quid significet.*
3 *Benedictiones quare ante Lectiones præmittendæ.*
4 *Benedictiones in Choro semper à Sacerdote, vel Superiore proferuntur.*
5 *Lectionum vsus.*
6 *Ante Lectiones leguntur Tituli.*
7 *Nona Lectio de Sancto quando, & quomodo legi debeat.*
8 *Initia Scripturarum nunquam omittenda.*
9 *Lectiones quando possint vniri.*
10 *Lectiones aliquando ex duabus tres fieri possunt.*
11 *In fine cuiuslibet Lectionis quomodo dicatur, Tu autem Domine, &c.*
12 *Responsoria cur sic dicantur.*
13 *Responsoria quomodo post singulas Lectiones cantentur.*

1 Absolutiones regulariter ad Matutinum dicuntur in fine Nocturni post Psalmodiam ante Lectiones; post psalmos namque reperita Antiphona dicitur Versus cum oratione Dominica, quæ in fine cuiuslibet horæ vt plurimum dici consueuit, qua completa dicitur Absolutio loco Orationis, qua terminatur illius nocturnalis Officii pars, prout ex ipso quoque nominis etymo percipi facilè potest. In Orientali quoque Ecclesia, prout ex eorum Breuiario, & Typico colligitur, absolutionum vsus est frequẽtissimus, post quamlibet namque Psalmorum Cathismam præter Lectiones cum suis benedictionibus dicunt Collectas, quæ ab ipsis ἀπολυτίκια hoc est Absolutoria dicuntur. Typic. monast. S. Basil.

2 Ad Primã pro absolutione Capituli habetur Lectio breuis, quæ iuxta tempora variari solet, & in diebus festis per annum sumitur ex Capitulo Nonę, quo loco obseruari oportet, quod aliter dicitur Absolutio ad Matutinum, aliter ad Primam, nam ad Matutinum ita dicitur, quia ibi terminatur nocturnalis psalmodia: quę verò ad Primam habetur, non simpliciter Absolutio dicitur, sed Lectio pro Absolutione Capituli, nam antiqui Patres peracto Officio Primę, nimirũ dicto *Benedicamus Domino*, procedebant ad celebrandum Capitulum in loco designato, vbi Sanctorum memorię, & defunctorum nomina recitabantur, aliæq; preces de more dicebantur, omnibusque ad Capitulum spectantibus peractis, nequaquam absque Superioris benedictione inde recedebant; sed antequam recederent, Lector petita benedictione à Superiore pro absolutione Capituli ad terminandum videlicet Capitulum, quod celebrabatur, aliquid de Scripturis sacris in medio cœti legebat, & Lectione completa cum benedictione Superioris, Officium Capituli, ac pariter Primę terminabatur. Vnde patet differẽtia inter Absolutionem, & Lectionem pro Absolutione Capituli, & cur ita dicatur. Ru. par. Breu. ad Primam in fine.

3 Benedictiones verò, quę in nocturnali Officio frequentantur, ad Lectiones spectant, cum enim eas in medium legere inferioris ordinis Clericis sit commissum, fitque sacra Lectio, vt notat Rupertus, loco prędicationis, cuius Officii munus non nisi Superiorum permissu vsurpari debet, dicente Apostolo, quomodo prędicabunt nisi mittantur? Idcircò in Lectionibus antequã Lector suum exe- Rup. li. 1. de Diac. offic. c. 11. Rom. 10 11.

quatur munus à Sacerdote benedictionem petens, inclinatus versus celebrantem dicit, *Iube Domne benedicere*, sic permanens, donec ille verba benedictionis compleat.

Hebr. 7. 7. Amala. lib 4. de Eccles. off. c. 3.

4 Absolutiones, ac benedictiones semper à celebrante, vel ipso Superiore dicuntur, nam vt ait Apostolus sine vlla contradictione: quod minus est à meliore benedicitur, & ideo Sacerdos celebrans lectoribus benedicit, quod si ipse lectiones, præcipuè vltimam legat, à Superiore proferetur benedictio. Cum autẽ Superior, maximè in solemnioribus lectionem est cantaturus, non petit benedictionem ab aliquo existente in Choro, vt reliqui, sed à Deo ipso, & ideo non dicit *Iube Domne benedicere*, sed *Iube Domine benedicere*, quod pariter in Missa obseruari debet; nam Diaconus cantaturus Euangelium à celebrante benedictionem petens, dicit, *Iube Domne benedicere*, ipse verò celebrans ad Deum conuersus dicit: *Iube Domine benedicere*. Quo loco obseruandum pariter est, quòd Capitula, quæ in reliquis horis dicuntur, sunt pariter lectiones sacræ scripturæ tempori, ac diei, seu sancto, cuius celebratur Officium, accommodatæ, nec differunt à nocturnalibus lectionibus, nisi forte quia illæ sunt longiores, istæ verò breuiores, & in illis petitur benedictio, in istis verò nõ petitur; ista autem variatio, cur hic non petatur benedictio, non oritur ratione breuitatis, sed quia illæ à lectoribus inferioris ordinis leguntur, istæ verò à Sacerdote, qui Christi vices gerit, & ideo in istis non petitur benedictio, neque in fine dicitur *Tu autem Domine*; & quando interdiu puta ad Primam, & Completorium lectiones breues à lectore leguntur, semper petitur benedictio, cum non liceat inferioris ordinis ministro in cœtu Fratrum, absq; Sacerdotis benedictione proferre sermonem.

Rodulphus de canon. obseru. propos. 8.

5 Lectionum antiquissimus vsus in Ecclesia ab ipsis Hebræis desumptus, qui maiorum instituto ex lege, & Prophetis statis diebus aliqua legere in Synagogis consueuerant, præcipuè die Sabbati vnde & in Laodicensi Concilio, quod Siluestro Pontifice celebratum fuit, post Psalmos in diuinis Officiis lectiones ordinatæ fuerunt, & licet quoad numerũ, & ordinem aliqua varietas antiquitus obseruetur, plura tamen Gelasius Papa, & Gregorus VII. vt notat Rodulphus Tungrẽsis suis temporibus, postea sancta de hoc reliquerũt decreta, præcipuè, vt non nisi Canonicæ scripturæ in ipsis diuinis Officijs legantur, prout fusius apud Gelasium Canonicas ab Apocriphis scripturis explicatas suis temporibus legendas habemus.

Raban. li. 1. inst. c. 32. — Isid. l. 1. de Eccl. off. c. 10. — Gelas. can. sancta Roman. distin. 15. Gregor. ca. in die de cons. dist. 5. Rodul. de can. obseru. propos. 10. 11. Cap. sancta Romana dist. 1.

6 Lector benedictione accepta aliquantisper moratur, donec omnes sedeant, mox quiescentibus omnibus, suũ aggrediens munus, ante lectiones primi nocturni legit titulos scripturæ, vnde desumptæ fuerunt; exceptis die Natalis Domini, & officio defunctorum, quibus diebus singulariter tituli non leguntur. In lectionibus item secundi nocturni legitur titulus sermonis, seu tractatus. In tertio verò nocturno regulariter legitur primò textus Euangelij, omnibus interim stantibus detecto capite, donec dicatur *Et reliqua*; non tamen Euangeliũ legens signat seipsum, vel librum, nec manus iunctas tenebit, neque pluuiali induetur, neque cerei accensi deferuntur, etsi solemniter celebretur, sed omnià sicut in alijs lectionibus perficientur.

Rub. gene. Breu. XXVI. 10 — Cæremo. Episc. li. 2. c. 5.

7 Si in officio nouem lectionum, in quo non dicitur nonum Responsorium, contingat fieri commemorationem de aliquo Sancto, qui propriam habet lectionem, nona lectio erit de Sancto, omissa nona lectione officij currentis, & si Sanctus habuerit duas lectiones, coniunctim legi debent, ita vt ex duabus fiat vna, quòd si eodem die occurrat Homilia Dominicæ, vel feriæ, tunc nona lectio Sancti omittitur. In ipsa autem

Rub. gene. Breu. XXVI. 3.

nona

nona lectione de Sancto, quando legenda est, non legitur titulus; quod enim in Breuiario literis rubeis prænotatur. Pro Sancto N. non est titulus, sed rubrica; & sicut in Historijs Sanctorum, quę in officio nouem lectionũ in secundo Nocturno leguntur, & in simplicibus post lectionem scripturę non apponitur titulus, sed tantùm cum lectiones sunt de sermone, vel ex tractatu alicuius Sancti, ita in hac nona lectione eadem obseruando, quę ibi, nunquam titulus legi debet, cum maximè tunc tantùm nona lectio de Sancto legatur, quando habet propriam historiam, non autem si lectio sit ex sermone, vel tractatu de communi desumpto. In Dominicis verò Aduentus, & à Septuagesima vsque ad Pascha, quãdo dicitur nonum responsorium, etsi fiat commemoratio Sancti simplicis, non tamen dicitur eius lectio.

Rub. gene. Bre. xxvi. §. 6. 7.

8 Lectiones scripturarum ita sunt distributę per anni circulum, vt quotidie aliquid de ea legatur. Initia autem librorum nunquam omittuntur, ita vt si eo die, quo legi debẽt, occurrat aliquod festum, cui propriç lectiones assignentur, vel etiam de communi legi debeant, transferantur in sequentem diem non impeditum, & tunc omissis lectionibus diei currentis legi debet initium libri in pręcedentibus prętermissum, cum autem in sequentibus poni non poterunt præueniendo, ponantur in pręcedenti non impedita, ita vt omninò aliquo modo ponantur; quòd si quis pręcedentibus currentes iungere vellet, non faceret cõtra rubricam, cum maximè optetur, vt omnia, quę in Breuiario habentur per anni circulum legantur, non tamen ad hoc arctamur neque in Choro, neque extra Chorum, semper autem sequentibus diebus non quę immediatè sequuntur ordine in Breuiario positę, sed illis diebus, quibus occurrunt designatę lectiones, deinceps successiuè per ordinem recitari debent.

9 Liberum itaque erit legenti in fauorem Breuiarij in omnibus lectionibus tàm primi nocturni, quę sunt de scriptura, quàm secundi, cum Sanctorum Historię, vel sermones, seu Tractatus leguntur ex pluribus, si velit, vnam facere: quod etiam in tertio nocturno, cum nona lectio erit de Homilia Dominicæ, vel ferię, seu etiam alicuius Sancti simplicis, de quo facienda est commemoratio, in octaua lectione licebit, nonam videlicet quæ omitti debet, si placuerit octauæ iũgendo, seu etiã omnes tres lectiones de Homilia in vnum coniungendo, non tamen ad hoc ex rubrica arctamur, sed tãtùm in fauorem Breuiarij conceditur arbitrio legentis. Secus cum nona lectio est de aliquo Sãcto simplici duas habente lectiones, tunc enim necessariò, ne eius Historia mutiletur, vel omittatur, ex duabus iuxta rubricas vna perficiatur. Rub. gene. Bre. xxvi. 3.

10 Pariter si Homilia alicui festo assignata, tempore videlicet Quadragesimę, quando nona lectio necessariò erit de Homilia feriæ currẽtis, non habeat in Breuiario tertiam lectionem, tunc ex duabus septima videlicet, & octaua distinguendo illas loco congruo, saluo tamen integro sensu verborum iuxta facta distributione, tertia consurgat: quod etiam contingere poterit, si festum in Breuiario pręscriptum cum aliquo simplici Sancto cõcurrens in Homilia duas habeat lectiones, cum vltima sit de Sancto, tunc si festum transferatur ratione Dominicę, vel alterius maioris Sancti, non tamen transfertur simplicis commemoratio, vnde si illa Homilia alio loco Breuiarij non habeat suas integras lectiones, sed tantùm duas in proprio loco assignatas necessariò illæ duæ in tres partes diuidi debent, ita vt tres lectiones de Homilia legantur.

11 In fine cuiuslibet lectionis dicitur *Tu autem Domine miserere nobis*, quibus verbis ait Rupertus, indicatur, ne ipsum quidem officium pędicandi sine alicuius, vel leuis culpę puluere peragi posse. Rub. gene. Bre. xxvi. 21. Rup. li. 1. de diui. offic. c. 3.

gi posse. Cantans autem lectionem in medio Chori dicens *Tu autem Domine miserere nobis*, in signum humilitatis genuflectit; In Cathedralibus præsente Episcopo facit etiam eadem reuerentiam, qui versus illũ efformabit signum Crucis, deinde si cantans non fuerit Canonicus, ad Episcopum accedens osculatur eius manum; & si sit celebrans Pluuiali indutus profundè inclinat. Chorus *Deo gratias* succinit, quæ verba, eodem Ruperto teste, non ad Lectoris precem vltimo loco prolatam, sed ad totam Lectionem referri debent: Deo namque gratias agimus, quòd doctrinæ sacræ panem frangere dignatus est: eadem obseruantur in Lectione breui, quę dicitur in fine Primę pro Absolutione Capituli, & in principio Completorii, & omninò quoties ante Lectionem petitur benedictio, in fine dicitur *Tu autem Domine*, &c.

Cærem. Episc. li. 2. c. 5.

12 Post Lectiones dicuntur Responsoria, quia, vt testatur Amalarius, alio iã desinente aliquid recitate, respondeat alius, vnde post quamlibet Lectionem cantus, qui sequitur, dicitur responsoriũ, & cum regulariter Responsoria Lectionibus cohęreant, dum breuem sequuntur Lectionem, breuia dicuntur respon soria, à respondendo, vt ait Rupertus, taliter denominara, vnde, & tristia tristibus, & lęta lętis succinimus, siquidem neque moris est, neque decoris, vt cum Lector tristia dixerit, verbi gratia, quę sunt pœnitentię, siue lamentum aliquod Dominicę Passionis, Chorus in respondendo gaudio Regni; vel Resurrectionis gloria exultet; sed dum Lector pęnitentiam prædicat à plorantibus similia respondeantur, & dum gaudiosa leguntur, læti canentes succinant, & omnino Chorus concorditer legentibus respondeat, & ideo ab Ecclesia assignata responsoria in omnibus lectionibus cohærere solẽt, nam regulariter vel sumuntur ex scripturis, quę in ipsis lectionibus habentur, vel ex ijs, quæ tempori conueniunt.

Amala. lib. 4. de Ecc. off. c. 1. & li. 1. c. 21

Rup. de Diu. offic. li. 1. c. 15.

13 Post singulas itaq; Lectiones toto Choro in vnum conueniente dicitur Responsorium, & post breues Lectiones, quæ & Capitula dicuntur, breue Responsorium est assignatum, Versus verò, qui Responsorijs interponuntur, à Cantoribus dici debet. Sicut & Versus qui dicuntur post Psalmos Nocturnorum, Vesperarum, & Laudum, necnon in commemorationibus, ac Suffragijs Sanctorũ: Versus verò, qui dicuntur ad preces feriales, non à Cantoribus, sed ab Hebdomadario pronunciantur.

De Precibus, Suffragijs, & Orationibus. Cap. IV.

1 *Preces quid sint.*
2 *Preces dicendæ in Officio Defunctorum, & Psalmis Gradualibus.*
3 *Preces Litaniarum quomodo, & quando varientur.*
4 *Ad Versus Precum quando addatur Alleluia.*
5 *Suffragia Sanctorum quomodo fieri debeant.*
6 *Oratio cur semper stando dicatur.*
7 *Vers. Dominus vobiscũ à quo, & quando dicendus.*
8 *Orationes dicendæ in commemoratione Patroni, vel Titularis.*

1 PReces sunt Versus, qui dicuntur ante Orationem, incipientes à *Kyrie eleyson*, vel à *Pater noster*. Dicuntur preces Dominicales, iuxta Rubricam in ferialibus, atque etiam in semiduplicibus, nisi occurrant infra octauam, ad Primam, & Completorium ab Hebdomadario tono competenti, qui ad Versum *Dominus vobiscum*, vocem eleuat: Preces verò feriales ad Laudes, Vesperas, & per Horas dicuntur diebus ieiuniorum flexis genibus tono humiliori, & tunc etiam preces, quæ habentur ad Primam, & Completorium per annum, dicuntur flexis genibus, ad Primam quidem longiores in Psalterio assignatæ, ad

Rub. Br. XXXIV. j.

Com-

Completorium verò consuetæ, tono tamen humiliori, & ad verſ. *Dominus vobiſcum*, celebrans eleuando vocem ſurgit.

2 In Officio Defunctorum ad Veſperas, ac Laudes repetita antiphona poſt Canticum *Magnificat*, & *Benedictus*, preces, quæ ſequuntur, dici debent flexis genibus, in quibus Hebdomadarius dicit Pater noſter, & Verſus ſequentes, cum Pſal. *Lauda anima mea*, ad Veſperas, & *De profundis* ad Laudes, qui in ſolemnioribus, ſicut in die commemorationis omnium fidelium defunctorũ, non dicuntur, ſed celebrans Pluuiali indutus cantat Orationem, aſtantibus ceroferariis cum cereis accenſis. In Pſalmis Gradualibus, in fine cuiuslibet quinarii dicuntur preces flexis genibus, ad Orationem tamen Hebdomadarius ſurgit.

Carem. Epiſc.li. 2.c.10.

3 Preces poſt Litanias dicuntur flexis genibus, & variantur, iuxta temporum occurrentiam; nam tempore Sedis vacantis Verſ. *Vt Domnum Apoſtolicum*, vel omittitur, & dicitur, *Vt omnes Eccleſiaſticos ordines*, vel dicitur, *Vt Domnum Apoſtolicum tibi acceptum Eccleſiæ tuæ ſãctæ concedere digneris:* deinde, *Vt omnes Eccleſiaſticos ordines*, &c. Ad preces verò omittitur Verſ. *Oremus pro Pontifice noſtro N.* & ſimiliter Oratio pro Pontifice, *Omnipotens ſempiterne Deus miserere Pontifici noſtro N.* vel omnino omittitur, vel eius loco dicitur Oratio *Supplici Domine humilitate depoſcimus*, quæ habetur in Miſſali in propria Miſſa pro eligendo Summo Pontifice. In aliis verò Litaniis, quæ dicuntur ad petendam pluuiam, ſeu ſerenitatem, vel ad repellẽdam tempeſtatem, ſeu tempore penuriæ, vel mortalitatis, vel tempore belli, ſeu pro quacunque tribulatione variantur, iuxta præſcripta in Rituali Romano.

Obſeru. Vrbis.

Rit. Ro. tit. de Proceſſionib.

4 Ad Verſus, qui dicũtur ad Preces, nunquam additur Alleluia, etiamſi tempore Paſchali dicantur, niſi in iis, quæ dicuntur cauſa lætitiæ, videlicet pro gratiarum actione poſt electionẽ noui Prælati, vel in aduentu Prælati, ſeu Principis, non genuflexo, ſed à ſtantibus dici debent, Cantoribus ſcilicet inchoantibus Hymnum *Te Deum laudamus*; ad Verſus verò, poſt Hymnum additur Alleluia, præterquam ad Verſ. *Domine exaudi orationem meam*.

5 Suffragia Sanctorum eodem quoque modo regulari debent; nam in ipſis ſemper ſumitur Antiphona in ſecundis Veſperis aſsignata ad *Magnificat*; & in laudibus, quæ aſsignatur ad *Benedictus*, cum Verſibus, qui habentur poſt Hymnum quòd ſi concurrant cum Antiphonis, & Verſibus iam dictis, mutuentur ex ſequentibus, puta ex primis Veſperis, vel Laudibus, ita vt omnino varientur. In diebus ieiuniorum, quãdo dicuntur preces ad Officium, dum dicuntur Suffragia, omnes in Choro perſeuerant genuflexi, ſolo Hebdomadario ſtante, qui Orationes eodem tono, quo dicit Orationem ſtans recitare debet: in reliquo Officio per annum a ſtantibus cantantur. Regulariter Sãctorum Suffragia fieri debẽt poſt Veſperas, ac Laudes, prout habentur in Breuiario, addita commemoratio ne Patroni, vel Titularis Eccleſiæ ordine dignitatis, ante, vel poſt commemorationem de S.Maria, & de Apoſtolis, ita vt primo loco ſemper diebus ferialibus ponatur commemoratio de Cruce, vltimo verò loco de Pace. Iuxta quam regulam ſi Eccleſiæ Titulus ſit de Sanctiſſima Trinitate, de Sanctiſſimo Corpore Chriſti, de Transfiguratione, &c. Tituli commemoratio præcedit commemorationem B.Virginis, ſi verò commemoratio ſit facienda de Angelis, vel de Sãcto Io.Baptiſta, fieri debet poſt commemorationem B.Virginis ante commemorationem de Apoſtolis. De reliquis verò Sanctis commemoratio fiat poſt commemorationem de Apoſtolis, quòd ſi plures fieri debeant, obſeruandus eſt ordo dignitatis, ita vt prius de Martyre, quàm de Confeſſore, &c. peragatur.

Rub. gene. Breu. xxi.9.

Rub. gene Breu. xxxv.

6 Ora-

Amala. Form. de Eccl. off. li. 4. c. 4.

6 Orationes in Officio semper ab Hebdomadario, siue Sacerdote celebrāte dicuntur; illum namque, qui penetrauit cœlos, & quotidie pro nobis interpellat, semper viuentem Sacerdotem Magnum in hoc repręsentat; ac propterea etiam diebus ferialibus, quibus dicuntur Preces flexis genibus, necnon in Officio Defunctorum Orationem dicēs surgere oportet, eius pariter resurrectionem recolens, cuius vices gerit; idcirco per ipsum semper suam concludit deprecationem, ad eiusdem imitationem antea, ac postea salutans populum, ac tandem in fine Officii benedicit. In triduo maioris hebdomadę, quando illius occasus, ac mors repręsentatur, nec ad Orationem surgit, neque clara voce per ipsum more solito Oratio concluditur, nec salutatur populus, omnia ad mysterium.

Rub gene. Breu. xxx. 3.

7 Ante Orationem semper dicitur Vers. *Dominus vobiscum*, & si solus quis recitet Officium, dummodo saltem sit in ordine Diaconatus; qui enim ad Diaconatus ordinem non peruenit, loco eius dicere debet, *Domine exaudi orationem meam*. Diaconus verò pręsente Sacerdote, non nisi de eius licentia, Vers. *Dominus vobiscum* dicet: deinde dicet *Oremus*, &c.

Rub gene. Bre. ix. 2. & xxv. 2.

8 Orationes dicendæ pro commemoratione, quę fieri debet de Patrono, vel Titulari, iuxta Rubricas ex Officio diei illius Sancti, sumi debent cum aliqua accommodatione; vbi enim habetur *Cuius solemnitatem*, vel *Natalitia*, dicatur *Cuius commemorationem*. Pro B. Virgine, cuiuscumque tituli sit Ecclesia Virgini dicata, semper Oratio erit communis in Breuiario assignata: quòd si cōmemoratio facienda sit de S. Io. Baptista, dicetur Oratio, quę in eius Vigilia habetur: *Præsta quæsumus*, &c. Si de S. Stephano, quę in eius octaua, *Omnipotēs sempiterne Deus*, pariter de S. Laurentio dici debet, *Excita Domine*, &c. prout in eius die octaua habetur. Si commemoratio sit facienda de Martyre tantùm, dicatur Oratio, *Præsta quæsumus omnipotens Deus, vt intercedente*, &c. quòd si concurrat cum Oratione alicuius Sancti eo die occurrentis, mutetur cum alia ex eodem communi, omisso vbi habetur *hodie*, & vbi habetur *festiuitas, solemnitas, natalia*, &c. dicatur *memoria*, vel *commemoratio*, quòd si cōmemoratio facienda sit de aliquo Martyre, pariter atque Pontifice, tunc pro eius commemoratione semper assumatur Oratio *Infirmitatem*; etiam si in eius diei Officio assignata fuerit Oratio. *Deus, qui nos*, &c. quòd si Oratio *Infirmitatem* dicenda erit pro aliquo Sancto tali die occurrente, tunc pro commemoratione Patroni dici debet Oratio *Deus, qui nos*, &c. accommodata tamen sequenti, vel alio meliori modo. Videlicet: *Deus, qui nos B.N. Martyris tui, atque Pontificis commemoratione lætificas, concede propitius, vt de eiusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum, &c.* & si sit Confessor dicatur Oratio ex communi Confessorum non Pontificum, *Deus, qui nos B.N. Confessoris tui continua protectione lętificas, concede propitius, vt cuius memoria colimus, etiam actiones imitemur. Per Dominum, &c.*

SECTIO QVARTA.

De Officio Feriali.

De distinctione Officij Ferialis, & ordine in eo seruando. Cap. I.

1 *Feria à festis, & inter se distinguuntur.*
2 *Feria ordinaria quænam sint.*
3 *Priuilegia feriarum Aduentus.*
4 *Priuilegia feriarum quatuor Temporum, & Vigiliarum.*
5 *Priuilegia feriarum Quadragesimæ.*
6 *Tempus Septuagesimæ priuilegiatum.*
7 *Feria Paschales priuilegiantur.*

1 Satis

1 Satis iam de diuini Officii integrã tibus partibus, quibus constat, generaliter actum est; nunc ad singularia ordinatè deueniendo ferialia Officia à festiuis in primis distinguemus. Diuinum namque Officium aliud feriale, aliud festiuum est; & quia de vtroque hic agere oportet; cum tempus ipsum, quo omnia metiuntur, & quod cuncta complectitur, per ferias ordinatũ præcedat; ideo prius de feriis agere debemus; ipsas in primis, cum diuersi sint ordinis ac qualitatis, inter se distinguendo, videlicet in ordinarias, atque extraordinarias.

Rub.gene.Brc. III. 1. 2 Feriç ordinariæ per annum sunt dies occurrentes à Dominica Sanctissimæ Trinitatis exclusiuè, videlicet post Octauam Pentecostes vsque ad Dominicam primam Aduentus, & ab Octaua Epiphaniç exclusiuè vsque ad Dominicam Septuagesimç; quibus temporibus, nisi occurrat festum duplex in ipsa Dominica Officium erit de feria; reliquis verò diebus infra hebdomadam occurrente festo duplici, vel semiduplici Officium totum erit de festo, nihil de feria. Si verò de simplici celebrandum occurrat in primis Vesperis, nisi præcesserit aliquod festum nouem lectionem, vsque ad Capitulum Officium erit de feria, & à Capitulo de Sancto fine Commemoratione feriç. Ad Matutinum recitantur duodecim Psalmi feriales cum suis Antiphonis, reliquum verò diei Officium vsque ad Nonam inclusiuè erit de Sancto. Ad Vesperas, si non sequatur festum nouem lectionum, erunt omnia de feria, si verò sequatur festum simplex, Officium vsque ad Capitulum erit de feria, & à Capitulo de Sancto, quòd si nullum occurrat festum, vel octaua semper Officium totum erit de feria currenti, &

Rub.gene.mis. III. 1. color paramentorum erit viridis: In ferijs verò extraordinariis aliter procedendum erit, & ideò singillatim eas explicare oportet,

3 In primis se nobis offerunt feriç Aduentus, videlicet à Dominica prima vsque ad Vigiliam Natiuitatis Domini, in quibus color paramentorum erit violaceus: habent Inuitatorium proprium, Hymnos, Lectiones breues, Responsoria &c. Dies verò Dominici ad Matutinum habent nonum Responsorium, & proprias Antiphonas, quæ dicuntur ad Laudes, Horas, & Vesperas; Item lectiones breues proprias cum suis Responsorijs, ac Versibus illi tempori assignatis. Ipsæ quoque feriæ, quæ diem Natalis præcedunt per integram hebdomadam proprias habẽt Antiphonas ad Laudes, & Horas assignatas; semper cũ fit Officium de feria, exceptis diebus Dominicis, dicuntur preces feriales flexis genibus: Toto hoc tẽpore nõ fiunt Suffragia Sanctorũ ad Vesperas, & Laudes. De festo simplici in huiusmodi ferijs fit tãtùm Cõmemoratio, Quocumq; dupliciocurrente etiam si sit ex maioribus primç classis semper ad Laudes, & Vesperas fit Commemoratio feriç. Diebus Dominicis non fit de duplici ipsa quidẽ prima Dominica, etiam si sit duplex primç classis, puta Patronus, vel Titularis, seu Dedicatio propriæ Ecclesiæ, transfertur; sequentibus verò Dominicis secũda, tertia, & quarta, fit tantùm de duplici primæ classis, reliqua trãsferuntur. De Vigiliis occurrentibus tẽpore Aduentus nihil fit in Officio, sed tantùm Cõmemoratio in Missa. Si occurrat celebrari aliquod festum cum Octaua, die Dominico infra eam occurrente, color paramentorum erit de tempore violaceus. Officium paruum B. Mariæ Virginis erit in huiusmodi tẽpore proprium, prout in fine Breuiarij. Antiphona B. Virginis dicenda in fine Officij erit pariter propria, & hç sunt exceptiones, seu priuilegia temporis, ac feriarum Aduentus.

4 Feriæ quatuor Temporũ, ac Vigiliarum pariter sunt priuilegiatæ; nam in ipsis color paramentorum semper erit violaceus, & licet earum Officium sumatur ex Psalterio; habent tamen Homiliam, & Orationem proprias, quæ nunquam

omittuntur, & semper, cum Officium celebratur de eis, dicũtur preces feriales genibus flexis. Si in ipsis occurrat festũ nouẽ lectionẽ, semper in Officio nona lectio erit de Homilia feriæ, cuius Cõmemoratio fit etiã in Laudibus. Occurrente festo nouẽ lectionum, in Collegiatis dicuntur duæ Missę, altera de festo post Tertiam fine Commemoratione feriæ in paramentis coloris festo congruentis; altera de feria post Nonam in paramentis violaceis, prout in Missali. Infra octauam Officium est de Octaua cum Cõmemoratione feriæ, sed Missa de feria erit in paramentis violaceis cum Commemoratione Octauæ. Vigiliarum verò ferię non æqualiter sunt priuilegiatæ, ac feriæ quatuor Temporũ; nam occurrẽte Vigilia in ferijs Quatuor Tẽporum, in Officio nihil fit de Vigilia, nisi in Missa, in qua fit Commemoratio Vigiliæ: Itaque maiori priuilegio gaudent feriæ Quatuor Temporum, quam Vigiliarum.

Rub. gene. mis. III. 1.

Rub. gene. mis. III. 5.

5 Feriæ Quadragesimæ sunt priuilegiatæ super omnes alias; nam non solùm in ipsis color paramentorum est violaceus, & dicuntur in eis preces feriales flexis genibus, vt aliàs, & de eis semper fit Commemoratio, sed insuper singulę habent propriam Homiliam, quæ nunquam omittitur, & occurrente quolibet festo nouem lectionum, dicitur nona lectio de Homilia, cuius Euangelium legitur in fine Missæ, & in Collegiatis dicuntur duę Missæ, altera de Sancto in paramentis coloris Officio Sancti congruẽtis fine Commemoratione feriæ, dicenda post Tertiã; altera de feria post Nonam in paramentis violaceis fine Cõmemoratione Sancti. Antiphonæ ad *Benedictus*, & *Magnificat*, semper sunt proprię, & à Sabbato ante primam Dominicam ad Vesperas habent Officium proprium, videlicet Capitula, Hymnos, Versus, Responsoria breuia, & Lectiones ad Nonam, quę variantur tempore Passionis; & diebus Dominicis habẽt Antiphonas proprias ad Laudes, item proprias ad Horas cum lectionibus breuibus propriis diei Dominicæ assignatis. Feria quarta, quæ est prima feriarum Quadragesimę, est priuilegiata; nam semper fit de ea, quocumque duplici occurrente, etiam ex maioribus primę classis. Dominica prima non fit de duplici, etiam si sit primę classis, quo pariter priuilegio gaudet Dominica Passionis, & maior Hebdomada. In reliquis Dominicis duplex occurrens transfertur, & tantùm fit de festo primæ classis. Tempus à Dominica Passionis est priuilegiatum; nam in eo non fiunt Suffragia; ad Responsoria breuia non dicitur Vers. *Gloria Patri*, neque in Missa dicitur Psalmus *Iudica me Deus*, neque in Introitu dicitur Vers. *Gloria Patri*, neque in Psalmo *Lauabo*, &c. Habet proprias Antiphonas, Hymnos, Capitula, Responsoria, Versus, propriumque Inuitatorium ad Matutinum. Ferię maioris hebdomadæ maiori gaudent priuilegio, nam habent singulę proprias Antiphonas ad Laudes, & Horas, & quocumque duplici occurrente etiam ex maioribus transfertur.

6 Ferię occurrentes à Dominica Septuagesimę vsque ad Quadragesimam non numerantur inter ordinarias, sed mediant inter ordinarias, & eas, quę occurunt tempore Aduentus, Quadragesimæ, Vigiliarum, & quatuor Temporum; discernuntur autem ab aliis ordinariis; nam in primis istis temporibus color paramentorum est violaceus. Duplex in istis Dominicis occurrens, nisi fuerit primę classis, transfertur. Si occurrat in ipsis aliqua Octaua, color paramentorum erit semper violaceus. Ab ipsa Dominica Septuagesimæ, & deinceps deponitur Canticum Domini *Alleluia*. Officium Dominicę habet proprium Inuitatorium, & nonum Responsorium, nõ enim dicitur in istis Dominicis Hymnus *Te Deum laudamus*; & si in ipsis occurrat Sanctus simplex de eo fit Cõmemoratio, non tamen ad Matutinum legitur, vt in aliis diebus per annũ nona lectio de sãcto.

Officium Laudum differt ab alijs per annum; nam Pſalmi variantur, omiſſis lætis, atque feſtiuis dicuntur alij lugubriores, & quęlibet Dominica habet proprias Antiphonas. Officium Primæ pariter habet propriam Antiphonam, & in ipſa loco Pſalmi 117. quia iã fuit recitatus ad Laudes dicitur Pſalmus 192. *Dominus regnauit* aliàs ad Laudes dici conſuetus. Ad Tertiam, Sextam, & Nonam in qualibet Dominica habentur Antiphonę proprię, atque Lectiones breues. Ad Veſperas tã in Sabbato, quàm in Dominica Capitulum proprium cum Antiphonam ad *Magnificat*. Ad Miſſam poſt Graduale, omiſſo Verſu cum *Alleluia*, dicitur Tractus; diebus ferialibus, quando repetitur Miſſa Dominicæ, non dicitur Tractus. Harũ feriarum Officium nihil differt ab aliis feriis per annum, tantùm ad *Magnificat* aſſignantur propriæ Antiphonæ, prout in Breuiario.

7 Feriæ temporis Paſcalis à Dominica in Albis excluſiuè computandæ vſq; ad Vigiliam Aſcenſionis priuilegiis gaudẽt. In primis color paramentorum in ipſis erit albus; ad Maturinum Inuitatorium proprium; itẽ habent Hymnos proprios, & Verſus; duo tantùm dicuntur Reſponſoria poſt primã, & ſecundã lectionẽ; nã poſt tertiã dicitur Hymnus *Te Deũ laudamus*. Officiũ Laudum eſt, ſicut in Dominicis, nec fiunt Suffragia Sanctorum, ſed tantùm Commemoratio Crucis; ad Primã quoq; nõ dicitur Pſalmus ferialis. Ad Horas Lectiones breues, Reſponſoria, & Verſus propria; Oratio de Dominicę precedenti. Ad Veſperas Pſalmi cõſueti ſub vna Antiphona *Alleluia*. Capitulum, & Hymnus propria, Antiphona ad *Magnificat*, ſicut & ad *Benedictus* cuilibet diei aſſignatur propria. Miſſa Dominicę repetitur cum *Gloria* ſine *Credo*. Feriæ Rogationum eodẽ modo celebrantur in paramentis albis, excepta feria ſecũda, in qua habetur Homilia propria ad Euangeliũ, & dicitur tertium Reſponſorium, non enim dicitur Hymnus *Te Deum*, neque *Gloria* ad Miſſam, in qua color paramentorum erit violaceus, & in Officio albus. Similiter in ſequentibus duobus diebus, quãdo repetitur Miſſa Rogationum, color erit violaceus.

De modo celebrandi Officium Nocturnum, quod Matutinum dicitur, feſtiallum dierum. Cap. II.

1 *Hora pulſandi ad Matutinum.*
2 *Hebdomadarij munus ad Matutinum.*
3 *Officium paruum B. Virginis præcedit Officium diei, & quomodo.*
4 *Matutinum diei quomodo poſt Matutinum Officij parui B. Virginis inchoetur.*
5 *Lectiones quomodo dicendæ.*
6 *Laudes quomodo celebrentur.*
7 *Signum ſalutationis Angelicæ poſt Laudes dandum.*

1 Hora congrua, iuxta locorum cõſuetudinem, atque proprium cuiuslibet Ordinis Inſtitutum, ſiue in ipſa media nocte, vt plerique Priſcorum Patrum imitatores, antiquam vigiliarum conſuetudinem retinentes, ex illo Pſalmi 118. deſumptam; *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi*; ſiue in quarta noctis vigilia, quę mediat inter ortum Solis, & mediam noctem, ipſis videlicet matutinis horis, vt multi Religioſorum Ordinum moderatores ſuis diſcretè, pariter ac piè conſtituerunt, ita vt ſemper, vt decet, Laudes matutinę aurorã pręcedant, ſiue etiam, vt ab alijs fit, imbecillitati, aduerſęque valetudini indulgendo circa auroram, ſemper tamen diurnam lucem pręueniendo, dato campanarum ſigno ſemel, atque iterum; primò quidẽ ad cõuocandũ medię campanę ſigno: ſecundò verò minoris pręuio tintinnorũ ſigno ad inchoandũ. Is, cui incumbit, opportunè prius omnia, ac ſingula ſuis locis diſponet, videlicet Legile in medio Chori cum Breuiario,

Reg. S. Benedi. cti.

Pſalm. 118. 62.

Cõſuet. Cleric. Regul. p. 1. c. 1.

Io. Bel. de diu. off. c. 86.

ſignaculis pro Lectionibus,& Reſponſorijs bene aptato; adhibita etiam candelula cum inſtrumento, quod Bugia dicitur, luminaria in Choro, & cereos in Altari accendet.

2 Hebdomadarius omnes alios, vt decet, ſollicitudine præueniendo, ſuperpelliceo, ac ſtola coloris Officio conuenientis indutus, ſingula præuideat, & dum vltimo campanæ ſono ad inchoandum omnes conueniunt. Superiore annuẽte, ſtans dicit ſecretò *Pater noſter*, *Aue Maria*, & *Credo*, ſtatimque ac campanæ ſonus ceſſabit, aliquantulum caput Superiori reuerenter inclinans, quaſi inchoãdi licentiã petens, ſuum exequetur munus, modo ſupra præſcripto.

Cerem. Epiſ. li. 2. c. 2. Sup. li. I. ſect. 7. c. 11. nu. 7. Rub generales Bre. XIII. I.

3 Et ſi Officiũ ſit trium Lectionũ extra Octauã Paſchę, & Pẽtecoſtes, de quibus aliàs; non enim ad ferias, de quibus modò agimus, ſed ad dies feſtos ſpectãt; primum omnium iuxta Rubr. Breuiarij, dicetur Matutinum Officij parui B. Virginis, in quo Cantor dicet Inuitatoriũ cum ſuo Pſalmo, inchoabit Hymnum; ipſe verò celebrans cum ſuo reſpondente ex altera Chori parte inchoabit Antiphonas, Cantores Pſalmos; ac dictis tribus Pſalmis cũ ſuis Antiphonis, ſubdet Verſum, & tunc Hebdomadarius dicet *Pater noſter*, *Et ne nos* cum Abſolutione, videlicet *Precibus, & meritis*, & ſubdet benedictiones, cum lecturus lectiones dicit *Iube Domne*, &c. qui omnes tres lectiones, & poſt Reſponſoria Verſus recitabit. Poſt tertiã lectionem dicto Reſponſorio, immediatè dicuntur Laudes eodem modo, & ordine, quo de Veſperis dicetur infra.

4 In fine Laudum dicto *Benedicamus Domino*, ac reſponſo per Chorum *Deo gratias*, immediatè inchoatur Matutinũ diei currentis, in quo Hebdomadarius clariori voce, ac magis ſonora inchoans dicet *Domine labia mea aperies*, & *Deus in adiutorium*, &c. Cantor verò in medio Chori dicet Inuitatorium, deinde Hymnum Officio quod celebratur, cõgruum. Cantantur poſtmodum alternatim per Chorum duodecim Pſalmi cum ſex Antiphonis, prout in Pſalterio feriæ currentis, primã Antiphonam inchoabit Hebdomadarius, reliquas hinc inde Sacerdotes, quilibet loco ſui ordinis, Pſalmos verò inchoabit Cantor ex ea Chori parte, qua contingit. Poſt Pſalmos Cantor dicet Verſum in Pſalterio aſſignatum, vel etiam de tempore, puta Aduentus, Quadrageſimæ, Paſſionis, vel Paſchalis, & ſi celebratur de Sancto ſimplici verſus erit ex communi Sanctorum iuxta currentis feriæ ritum.

5 Poſt Verſum Hebdomadarius dicet *Pater noſter*, Abſolutionem, & Benedictiones: Lector verò Lectiones, poſt quas dicentur Reſponſoria, & in fine vltimi Reſponſorij dicetur ℣. *Gloria Patri*; vel *Te Deum laudamus*, ſi tempore Paſchali, vel de Sancto ſimplici celebretur.

6 Laudes dicũtur eodem modo, quo Veſperę; cum hac tamẽ variatione, quòd ſemper ad Laudes poſt tertium Pſalmũ *Deus Deus meus* dicitur Canticum ex veteri teſtamento in qualibet feria proprium aſſignatum. Eſt & aliud diſcrimen, nam ſemper ad Laudes loco tertij Pſalmi dicitur Pſalmus 62. *Deus Deus meus* in cuius fine non dicitur *Gloria Patri*, ſed immediatè ſubnectitur Pſalmus 66. *Deus miſereatur noſtri*, & in fine tantùm dicitur ℣. *Gloria Patri*; ſemper enim ad Laudes ex maiorum inſtitutione, hi duo Pſalmi recitantur coniunctim, ac ſi eſſet vnus, ſub vna Antiphona, quod etiam obſeruatur in Pſalmo 148. *Laudate Dominum de cælis*, qui ſemper ad Laudes dicitur loco quinti Pſalmi, & nectitur cum Pſalmo 149. *Cantate Domino Canticum nouum*, & cum Pſalmo 150. *Laudate Dominum in Sanctis eius*, qui dicuntur coniuncti, ac ſi eſſet vnus Pſalmus, ſub vna Antiphona, & tantùm in fine vltimi dicitur ℣. *Gloria Patri*, & eſt generaliſſima regula in omni Officio Laudum, quæ nũquã variatur; nam licet primus, & ſecundus Pſalmus varientur, ſicut Cantica nũquã tamẽ variãtur tertius, & quintus,

neque

neque etiam in triduo maioris hebdomadę, nec in Officio Mortuorum; in triduo tamen maioris hebdomadę dicuntur sine Versu *Gloria Patri*, & in Officio mortuorum in fine dicitur ℣. *Requiem æternā*. In reliquis ꝓceditur, prout ad Vesp.

7 Tandem dicta Antiphona B. Virginis in fine Officij, datur signum salutationis Angelicæ, si tempus fuerit congruum, videlicet illucescēte aurora cum maiori campana, quod decet, vt semper detur pro populo in aurora; pro ipsis Ecclesiasticis in Choro existētibus dabitur, dictis matutinis precibus, cū campanula.

De Officio Primæ diebus ferialibus. Cap. III.

1 *Præparanda ante celebrationem Primæ*
2 *Hebdomadarij munus ad Primam.*
3 *Martyrologium quomodo legendum.*
4 *Lectio breuis post Absolutionem Capituli quomodo dicenda.*

1 OMissis ijs, quę ad nominis rationem spectant, cur videlicet ita huiusmodi Diuini Officij partes denominentur; cū enim de eorū institutione tractabimus, fusius, Deo dāte, singula explicabimus, modum tantùm celebrandi in præsenti nostris Ecclesiasticis iuxta praxim tradere statuimus. Ac propterea ob seruandum hoc loco proponimus, quòd cū ad celebrāda Diuina Officia, ipsas videlicet diurnas Horas mane conueniendum est, per breue aliquod spatium campanæ signo Collegiales antea præmoneantur, quò quilibet se disponat: tunc is, cui incumbit, puluerē à sedibus Chori diligenter discutiet, Breuiariū, & Stolā pro Hebdomadario pręparabit; itē Legile in medio Chori cū Martyrologio aptabit, & in Altari duas cādelas accendet. Cōfuet. Cleric. Regul. Theat.

2 Hebdomadarius primus omnium in Chorū conueniens, superpelliceo, ac Stola coloris conuenientis indutus singula disponet, datoque signo campanæ, omnibus surgentibus, suum exequetur munus, modo supra præscripto.

3 Dum legitur Martyrologium, omnes sedent; Lector verò in medio Chori stans detecto capite ante Legile pronunciat primum omnium Kalendas, & Lunationes, deinde primo loco Sancti nomen, de quo in sequenti die Officium celebrandum est, iuxta locorum consuetudinem, etiam si eo die eius Sancti in Martyrologio nomen non sit appositum. Festa item mobilia immediatè post Kalendarum, ac Lunæ pronunciationem pręponuntur Lectioni illius diei, in qua eo anno celebrabuntur, & in fine dicto *Et alibi aliorum*, &c. genuflectens versus crucem in Altari positam, vel ante Sacramentum, reuertitur in locum suum. Responso per Chorum *Deo gratias*, Hebdomadarius subdit Vers. *Et reliqua*, vt supra est explicatum. Sup. li. 1. sect. 7. c. 13. nu. 8. Ru. martyrolog. Rom. Rub. gene. Breu. xv. 3.

4 Post Orationem *Dirigere*, &c. Cantor dicturus Lectionem pro Absolutione Capituli in medium Chori prosiliens ante Legile versus Altare genuflectit, mox ad Hebdomadarium celebrantem conuersus dicit *Iube Domne benedicere*, postea Legit Lectionem tempori assignatam; vel si Officiū fuerit de aliquo Sancto, pro Lectione breui, dicitur Capitulum Nonæ proprium, vel de communi, in cuius fine dicens *Tu autem Domine miserere nobis*, genuflectit, & ad locum suum recedit; & Hebdomadarius reliqua prosequitur, vt supra, & si terminandum ibi Officium fuerit, dicetur in fine Antiphona B. Virginis. Rub. gene. Bre. xv. 3.

De Officio Tertiæ, Sextæ, & Nonæ diebus ferialibus. Cap. IV.

1 *Ordo procedendi ad Horas diurnas.*
2 *Hora Primæ.*
3 *Tertię tempus.*
4 *Item Sexta.*
5 *Nona qua hora dici debeat.*

Rub. gene. Breu. xvi. sup. lib. 1. sect. 7. cap. 11. nu. 9.

1 Tertia, Sexta, & Nona diebus ferialibus eodem modo, celebrari debent, quo Prima ab Hebdomadario superpelliceo, & Stola coloris conuenientis induto, vt supra est explicatum.

2 Vt autem singula distinctè habeātur, decet (vbi commodè fieri potest) vt Prima dicatur summo mane circa ortum Solis, & post Primam immediatè, si dicenda sit, cantabitur Missa pro defunctis.

3 Tertia vero cantari debet ante Missam Conuentualem diebus festis hora media inter ortum Solis, & meridiem; diebus verò ferialibus hora congrua, ita vt post Tertiam, & Sextam opportuno tempore, immediatè videlicet ante prandium cantetur, vel dicatur Missa Conuentualis.

4 Sexta diebus festis cantatur immediatè post Missam solemnem; diebus verò ferialibus per annum ante Missam Cōuentualem, siue solemniter Missa cantetur, siue priuatim, nam in illis Ecclesijs Collegiatis, in quibus plures sacerdotes celebrant, licet non cantetur quotidie Missa solemnis, illa tamen, Missa quę dicitur post Sextam, censetur Conuentualis, ac semper erit de die, Officio quod celebratur consona.

Cærem. Petr. de Ruyz.

5 Nona diebus ieiuniorum dici debet circa meridiem, & post Nonam Missa Conuentualis; In ferijs verò per annum laudabiliter post prandium horis pomeridianis, vel saltem, vbi non est talis opportunitas, dicatur diebus festis post Sextam: in ferialibus verò, quibus non ieiunatur, immediatè post Missam solemnem. Vbi autem laudabilis viget consuetudo, vt apud Regulares, qui suis horis Diuinas laudes recitant, Nona post prandium, horis videlicet pomeridianis dicitur; post Nonam dabitur signum salutationis Angelicę.

Rub. gen. missl. xv. 3.

De Vesperis diebus ferialibus celebrandis. Cap. V.

1 *Praeparanda pro Vesperis ferialibus.*

2 *Modus, ac tempus inchoandi Officium Vesperarum.*

3 *Officium paruum Beatae Mariae Virginis in Choro diebus ferialibus dicendum.*

4 *Vesperae in ferijs quomodo celebrandae.*

1 AD Vesperas diebus ferialibus semel, atque iterum pulsantur cāpanae, interiecto spatio tertiae horae partis inter primum, & vltimum signum, mediae videlicet, ac minoris campanae sono. Primum omnium aduertat Ecclesiae Mansionarius, vt opportunè fores aperiantur; deinde puluerem è sedibus Chori diligenter discutiat, pariter ex Altari discusso puluere cū instrumento ex caudis vulpinis, vel plumis compacto, Breuiarium pro Hebdomadario, item & Stolam praeparabit. Antequam detur vltimum signum ad inchoandum accenduntur duo cerei in Altari; Hebdomadarius verò omnes alios praeueniendo, superpelliceo, ac Stola coloris Officio conuenientis indutus diligenter singula praeuideat, ne fortè ex eius incuria in ipsa celebratione Diuinorum aliquis committatur error. Cōfuet. Cleric. Regul. Theat.

2 Deinde ex ea parte Chori, in qua iuxta vices hebdomada celebratur; in prima sede sui ordinis iuxta locorum consuetudinem, cui plurimum in hoc tribuendum est, genuflexus expectet, donec à Superiore inchoādi signum detur. Decet autem, vt, dum vltimum campanę signum datur, omnes praesto sint, quilibet in loco sui ordinis, nam, teste Ioanne Beletho, primum signum datur ad inuocandum, secundum verò ad inchoandū; & ideo dum vltimum campanae signum datur, surgentibus omnibus, dicitur secretò *Pater noster, Aue Maria*, ita vt, ex Io. Bel. de diu. off. c. 86.

pleto

pleto campanæ sono, Hebdomadarius suum munus impleat, ordine suo loco præscripto. (Sup. li.j. sec.7.c.2 nu.4.)

3 Et quia in feriali Officio trium videlicet lectionum, iuxta Rubricas, dici debet Officium paruum B. Virginis; licet enim Romanus Pontifex Pius V. fel. rec. in sua Bulla indulserit, remittens peccati reatum iis, qui illud omittunt, tamen vt ex eiusdem Decreti præscripto manifestè patet, non Ecclesiis, sed personis hoc fuit concessum, ac propterea, vt sepę sacrorum Rituum Congregatio declarauit, in Collegiatis Ecclesiis laudabilis cõsuetudo illud recitandi omnino retineri debet. (Cõs. Pij V. 64. quę incipit quod à nobis.) (Declar. Congr.)

4 Immediatè post Vesperas B. Virginis, dicto *Benedicamus Domino*, idẽ Hebdomadarius pro Vesperis diei tono altiori incipit *Deus in adiutorium*, &c. dictoque *Alleluia* intonabit primam Antiphonam, quæ erit ex Psalterio; reliquæ à Sacerdotibus hinc inde per ordinem intonantur, vt aliàs dictum est, Psalmos verò hinc inde alternatim intonabunt Cãtores ex vtraque Chori parte. Post Psalmos, & Antiphonas Hebdomadarius dicet Capitulum, & repetita Antiphona dicet Vers. *Dominus vobiscum*, & Orationem: Postea fiunt commemorationes, si occurrant, suo ordine; ac deinde Sanctorum Suffragia, prout habentur in Psalterio addita commemoratione de Patrono, vel Titulo Ecclesiæ modo, vt supra explicato. Et si ibi terminandum sit Officium, dicto *Fidelium animæ*, &c. dicitur Antipohna B. Virginis; Si verò immediate dicendum sit Completoriũ dicto *Fidelium animæ*, Cantor in medio Chori dicet Lectionem. (Rub gene. Breu. XVII. 1.) (Rub. gene. Breu. XI.) (Sup. sec. 3. cap. 4. num. 5.)

De Completorio. Cap. VI.

1 Completorium diebus ferialibus celebratur eodem modo, quo Vesperæ, duobus videlicet luminaribus in Altari accensis, ab Hebdomadario superpelliceo, & stola induto, & si seorsum à Vesperis celebretur, campanatum signum semel, atque iterum, prout ad Vesperas media, ac minori dabitur.

2 Dato à Superiore inchoandi signo, si seorsum à Vesperis dicendum sit Completorium, vel immediatè post Vesperas dicto *Fidelium animæ*, &c. atque responso *Amen*, Cãtor in medio Chori primùm Altari reuerentiam facit, mox ad Hebdomadarium se conuertens profundè inclinatus dicit *Iube Domne benedicere*, & ita inclinatus persistet, donec ille benedictionis verba compleat, mox breuem cantans lectionem in fine dicens *Tu autem Domine* genuflectit, postea in locum suum recedit.

3 Hebdomadarius producẽs signum crucis à fronte ad pectus, subdit Vers. *Adiutorium*, &c. deinde dicit *Pater noster* secreto, quo dicto, profundè inclinatus dicit *Confiteor*, stans inclinatus, donec à Choro dictum fuerit *Misereatur*, & cum Chorus incęperit *Confiteor*, tunc reliqui profundè inclinant; ipse verò se erigit, cum dicitur *mea culpa*, ter pectus percutitur dextera, sinistra infra pectus posita. Facta à Choro confessione, Hebdomadarius subdit, *Misereatur vestri*, & deinde producens manu dextera à fronte ad pectus signum crucis dicit *Indulgentiam*, &c. responsoque *Amen*, tunc, & non prius reliqui omnes de Choro se erigunt. (Rit. mis. III. 7.) (Rit. mis. III. 8.)

4 Peracta confessione, Hebdomadarius signans se in pectore pollice dexte- (Rub. gene. Bre. XVIII.)

rę manus dicit, *Conuerte nos*, &c. Subdēs deinde *Deus in adiutorium*, &c. signat se à fronte ad pectus more solito, inchoat antiphonam, & Cantor Psalmos, & Hymnum, post quem Hebdomadarius dicet Capitulum; Cantor verò in medio Chori Responsorium breue cum suo versu: antiphona deinde inchoatur ab Hebdomadario; Cantor vero eodem loco inchoabit Canticum, *Nunc dimittis*. Post Canticum, repetitis antiphona, dicuntur Preces prout in Breuiario; & immediatè post Completoriū diei, responso; *Deo gratias*, dicitur Completorium Officij parui B. Virginis, in cuius fine dicens, *Benedicat, & custodiat nos Omnipotens, & misericors Dominus*, subdens *Pater & Filius, & Spiritus sanctus*, signat se signo crucis.

Sub ge- ... ir Breu. lxxvi.3 — 5 Deinde genuflexus subdit antiphonam B. Mariæ, quæ semper dici debet in fine Completorij, etiam si immediatè post dicendum sit Officium defunctorū, vel Septem Psalmi pœnitentiales, seu Litaniæ. Post quam dicto *Diuinum auxilium*, &c. dicitur secretò *Pater noster, Aue Maria*, & *Credo*.

Cōsuet. cleric. regul. beat. — 6 Licet in aliquibus locis, præcipuè Regulariū cōsueuerit pulsari parua cāpanula in signum Salutationis Angelicæ; hoc tamen inde inductum creditur, quòd Completorium à Monachis in vltima diei hora dici cōsueuerat circa Solis occasum, vnde Complebatur hora, quādari solet signum Salutationis Angelicę; Aduertendum tamen est, quòd non propterea, prout in Salutatione Angelica, orandū tunc erit, sed assignatæ Orationes dici debent, videlicet *Pater noster, Aue Maria*, & *Credo*, quibus recitatisliberum cuilibet erit priuatas alias Orationes subnectere.

Cōsuet. cleric. regul. beat. — 7 Hinc quoque ortūm duxisse credimus aliam Religiosorum laudabilē consuetudinem, aspergendi videlicet Collegiales post Completorium; terminabatur namque Diuinum Officium hora vltima, iuxta regulas antiquissimas Sancti Patris Benedicti, posteà silentio vacantes Monachi singuli ad suas cellas sese recipiebant. Reg. S. Benedicti.

De Officio Defunctorum, Psalmis Gradualibus, & Pœnitentialibus aliquibus diebus ferialibus ritè dicendis. Cap. VII.

1 *Cur hoc loco de huiusmodi Officijs agatur.*
2 *Officium Defunctorum, quibus diebus in Choro dici debeat.*
3 *De tempore, & hora, qua in Choro celebrari debet.*
4 *Ordo celebrandi Vesperas Defunctorum diebus ferialibus.*
5 *Inuitatorium ad Matutinum Defunctorum quomodo dici debeat.*
6 *Lectiones quomodo dicantur.*
7 *Psalmi Graduales, quando, & quomodo dici debeant.*
8 *Psalmi Pœnitentiales quomodo, & quādo dici debeant:*

1 QVia diebus ferialibus non solùm horis Canonicis diurnis pariter, atque nocturnis coniungitur Officium paruum B. Mariæ Virginis, singulis pariter distributis horis, vt iam explicauimus; verū n etiam aliquibus ferijs assignantur Officium Defunctorum, Psalmi Graduales, nec non septē Psalmi pœnitentiales cum Litaniis, ac precibus; vt omnia, ac singula distinctè nostri propositi institutum implentes tyronibus explicata tradantur, de his etiam vbi, quando, ac quo tandem modo cum reliquis diuini Officii partibus celebrari debeant, hoc loco explicando desideriorum votis satisfacere iustum iudicauimus.

2 Officium igitur Defunctorum in primis multis ab hinc annis in Ecclesia eo ritu, qui modo habetur, inductum, præter eam solemnitatem, quę in die Commemorationis omnium fidelių defunctorum quotannis, & in depositionis Ru. par. in fi. Bre. Rom.

die,

die, seu etiam solemni exequiarum apparatu, vel in ipsa anniuersaria die, Romano more celebratur, feriali officio nectitur secundis feriis Quadragesimæ, & Aduentus, non impeditis festo nouem lectionum, præterquam in maiori hebdomada. Dicitur etiam extra tempus Paschale prima die cuiusque mensis non impedita festo nouem lectionum, alioquin alia sequenti die non impedita, etiā mense Nouembri; nam Officium, quod solemniter in Commemoratione omniū fidelium defunctorum Ecclesiastico more post festum omnium Sanctorum celebratur, specialem requirit celebritatē; non enim specialia generalibus derogant; illud enim est quodammodo festiuum, ac priuilegiatum, vt inter octauam Sanctorum non ex communi regula, sed singulari prærogatiua celebretur, hoc verò commune est feriis cuiuslibet mensis.

3 Huiusmodi itaque Officium Defunctorum feriale, de quo modò agimus, iuxta rubricas dici debet in Choro diebus prædictis post Officium diei, idest Vesperæ post Vesperas, Matutinum post Laudes diei: Conceditur autē, vbi consuetudine locorum aliis horis opportunis celebratur, vt in reliquis, immutato ritu temporis ratio vsu roborata seruetur.

4 In primis pridie post Vesperas diei dicto *Benedicamus Domino*, Hebdomadarius pro Vesperis inchoabit antiphonam *Placebo Domino;* Cantor verò Psalmum *Dilexi*, &c. & ita reliqui Sacerdotes hinc inde suo ordine inchoabunt antiphonas; Cantores verò Psalmos, more consueto; quę dum cantantur, omnes tecto capite sedent, nec duplicantur antiphonæ. Post quintum Psalmum, sua repetita antiphona, Cantor dicet ℣. *Audiui vocem*, &c. & tūc omnes detecto capite surgunt. Hebdomadario deinde inchoante antiphonam *Omne quod dat*, &c. Cantor subdet Canticum *Magnificat*, quo dicto, & repetita antiphona, dicuntur preces flexis genibus, in quibus prius dicitur *Pater noster*, non quidem totum secretò, vt in antiquis codicibus ex librariorum errore habetur, sed vt ex Breuiario Romano Clementis VIII. auctoritate recognito habetur; tam ad preces Vesperarum, quàm Laudum more solito dicitur *Pater noster*, deinde, *& ne nos inducas*, & *Sed libera nos*, &c. cum Psalmo *Lauda anima mea*, &c. & sequentibus versibus, post quos dicuntur tres Orationes, *Deus, qui inter Apostolicos: Deus Veniæ largitor:* & *Fidelium Deus:* omnes sub vno *Oremus*, & vnica tantùm conclusione, *Qui viuis, & regnas in sæcula sæculorum Amen*. Idem Hebdomadarius post Orationes repetit ℣. *Requiem æternam dona eis Domine*, & *Requiescant in pace*, qui Versus semper dicuntur in numero plurali, nam Ecclesia in huiusmodi Officijs pro omnibus orat, etiam si Officium fiat pro vno.

Ru. par. Breuiar. in fine.

Rub. gene. miss. xxii. 7.

5 Ad Matutinum in huiusmodi Officiis non dicitur Inuitatorium, sed tantùm in die Commemorationis omnium Defunctorum; in die obitus, & depositionis, & quando Officium est nouem Lectionum dici debet: at in huiusmodi ferialibus Officiis vnum tantùm ex tribus assignatis nocturnis dicitur: in quibus antiphonæ inchoantur à Sacerdotibus alternatim hinc inde, nec duplicantur, pariter & Psalmi à Cantoribus inchoantur, prout in reliquo Officio feriali.

Rub. gene. Breu. xix. 2.

6 Post tertiam antiphonam cantatis Psalmis, Cantor dicit Versum, postea omnibus detecto capite stantibus, dicitur *Pater noster*: totum secretò; omnibus deinde tecto capite consedentibus, lector in medio Chori ex Legili tres sequentes lectiones more solito leget, & ad tria Responsoria, quæ post ipsas dicuntur, dicet Versus, & post tertium dicet ℣. *Requiem æternam*. Laudes verò dicuntur eodem modo, quo Vesperæ.

7 Psalmi Graduales dicuntur in Quadragesima feria quarta cuiuslibet Hebdo

Rubr. par. Bre. in fin.

madę non impedita festo nouem lectionum; dicuntur autem ante Matutinum, vel post Vesperas pręcedentis diei, iuxta locorum consuetudinem, & opportunitatem. Diuiduntur verò in tres quinarios Psalmorum, qui tecto capite sedendo dicuntur hoc ordine. Primus quinarius absolutè sine Antiphona inchoatur ab Hebdomadario, dicunturque in ipso omnes quinque Psalmi coniunctim, ac si esset vnus Psalmus, & quia in eis Ecclesia pro defunctis orare intendit, in fine vltimi dicitur ℣. *Requiem æternam*, deinde flexis genibus *Kyrie eleyson* non dicitur, sed *Pater noster*, & *ne nos*, & *Sed libera nos*, &c. cum Versibus, & Oratione *Absolue*, in qua Hebdomadarius surgit. In secundo quinario, in quo pro peccatoribus exoratur, omnes sedentes dicūt quinque Psalmos sequentes, & in fine cuiuslibet Psalmi dicitur Vers. *Gloria Patri*, detecto, & inclinato capite; post Psalmos verò flexis genibus dicitur *Kyrie eleyson*, *Pater noster* cum Versibus, & Oratione *Deus cui proprium est*, Hebdomadario rantùm stante. Eodem modo dicitur tertius quinarius, in quo pro nobis, ac coniunctis in sancto proposito deprecamur, in fine cuiuslibet Psalmi dicentes Vers. Glorificationis, detecto, & inclinato capite; preces verò dicuntur eodem modo, quo supra, tantùm Versu, & Oratione mutata, quæ terminatur *Per Christum Dominum nostrum. Amen*; prout pręcedentes; quibus completis aliquantulum silentio oratur, deinde vel celebratur Matutinum, si ante ipsum mane dicantur, vel, si Vesperi præcedentis diei post Completorium, vel alia hora congrua dicantur, omnes sub silentio discedunt.

8 Psalmi Pœnitentiales dicuntur flexis genibus, Hebdomadario inchoante Antiphonam, Cantoribus verò suo ordine Psalmos; post Antiphonam repetitā, idem Hebdomadarius subdet Litanias, in quibus si Sanctus Patronus, ac Titularis non habeatur, loco sui ordinis apponi debet; preces deinde, quæ post Litanias sequuntur, eodem modo ab Hebdomadario dici debent, qui ad Orationes surgere debet. Dicuntur autem huiusmodi Psalmi Pœnitentiales, iuxta rubricam, in Choro tempore Quadragesimæ, excepta maiori hebdomada, singulis sextis ferijs non impeditis festo nouem lectionem: dici autem debent in Choro post Matutinum, & Laudes diei, dicto *Benedicamus Domino*; quòd si alia hora congrua dici consueuerint, non videtur à rubricis alienum, cum in hoc plurimū locorum consuetudini tribuatur.

SECTIO QVINTA.

De celebratione dierum festorum.

De festorum diuersitate, & ordinē festi primæ Classis. Cap. I.

1 *Festorum dierum distinctio.*
2 *Distinctio Officij primæ Classis in varios ordines.*
3 *Festa primæ Classis in varios ordines cur distinguimus.*
4 *In festis primæ Classis primi ordinis quis celebrare debeat.*
5 *Apparatus Ecclesiæ in festo Patroni, & Titularis.*
6 *Assistentes parati ad Vesperas quot esse debeant.*
7 *Ecclesiæ ianuæ non clauduntur.*
8 *Qualis supellex adhibenda.*
9 *Lætitiæ signa quomodo edenda.*
10 *In festis primæ Classis secundi ordinis quis celebrabit.*
11 *Assistentes ad Vesperas.*
12 *Matutinum quomodo celebrandum.*
13 *Missa solemnis quomodo celebranda.*
14 *In festis primæ classis tertij ordinis quis celebrare debeat, & quo ornatu.*
15 *Vesperæ quomodo celebrandæ.*

1 Cum

1 CVm aliter diebus festis, ac ferialibus Diuina Officia celebrari debeant, explicatis iam ijs, quæ in ferijs fieri oportet, non incongruè modò dierum festorum seriem, ac distinctionem ad nostros Ecclesiasticos instruendos subnectemus; illud in primis adnorantes, quòd festa per anni circulum iuxta Breuiarij Romani rubricas, alio, atque alio modo celebrantur; nam præter mobilia, de quibus proprio loco, cum de tempore erit agendum, singularia explicabuntur, quædam sunt duplicia, alia semiduplicia, nonnulla verò simplicia; & inter ipsa quoque duplicia, cum non omnia eiusdem sint gradus, & ordinis, quædam dicuntur primæ classis, quædam secundæ; & rursus sunt aliqua, quæ maiora dicuntur, propriosque habent ritus: qui licet in Breuiarij, ac Missalis Rubricis inueniantur; tamen iuxta nostri instituti propositum, minutiora ad praxim facili methodo dilucidissimè more solito nostris tyronibus proponere hoc loco intendimus.

2 Quia festa primæ classis inter omnia Ecclesiastica Officia primũ obtinent locum; de ipsis primùm aliquid licet fortasse nondum ab alijs adnotatum, non tamen à Rubricis alienum, sed vsui, ipsique praxi satis congruum hoc loco adnorabimus: ipsas in primis solemnitates in tres ordines subdistinguentes, non ratione ordinis Officii, cum parum in hoc differant, sed potius ratione ornatus, ac solemnioris, vel minus solemnis cultus, hunc distinctionis ordinem præscribimus. Festa primæ classis primi ordinis sunt: Natiuitas Domini nostri Iesu Christi. Pascha Resurrectionis D. N. Festum Sancti Patroni Ecclesiæ. Festa primæ classis secundi ordinis: Epiphania. Ascensio D.N. Iesu Christi. Pentecostes. Corpus Christi. Festum Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli. Assumptio B. Mariæ Virginis. Festum omnium Sanctorum. Festum Patroni Ciuitatis. Festa primæ classis tertii ordinis: Feria secunda, & tertia, quæ immediatè post diem Paschæ, & Pentecostes sequuntur. Natiuitas S. Ioannis Baptistæ. Dies anniuersaria Dedicationis propriæ Ecclesiæ.

3 Hanc autem distinctionem ideo ponimus, quia etsi festa primæ classis, quoad ordinationem Officii parum, aut nihil inter se differant, cum tantùm in aliquibus ipsarum Octauarum potius ratio sit habenda, quæ iuxta rubricas aliquo speciali priuilegio gaudent, cum dies ipsæ, quæ duplici primæ classis titulo insigniuntur, prout suis locis dicetur, eodem ritu æqualiter in omnibus obseruetur: differunt tamen huiusmodi festiuitates; prout ex Cæremoniali Episcoporum Clementis VIII. auctoritate edito colligitur, quoad ornatum Ecclesiæ, & Altaris, nec non celebrantium qualitatem, atque Ministrorum numerum, & apparatum, ideo singula explicare oportet.

4 In illis ergo solemnitatibus, quæ sunt primi ordinis, in Cathedralibus celebrat Episcopus in primis, ac secundis Vesperis, prout expresè habetur in Cæremoniali Episcoporum; nam & Romanus Pontifex his diebus solemniter apud S. Petrum celebrat. In Collegiatis etiam Ecclesiis Abbas, vel Prior, seu Præpositus, & omninò Superior, cuiuscumque sit tituli, celebrare debet. Cærem. Episc. li. 2. c. 1.

5 Ecclesiæ, & Altaris ornatus debet esse solemnior aliis diebus, atque splendidior; & si festiuitas sit præcipua, & de solemnioribus illius Ecclesiæ, vbi commodè fieri poterit, Ecclesiæ parietes parentur aulæis, ac Tribuna holosericis, aut nobilioribus cortinis coloris cæterorum paramentorum, & si Ecclesia habeat porticum, congruum erit, vt pannis sericeis, vel aulæis, prout haberi poterunt, exornetur; semper tamen in ipso apparatu interiori videlicet, atque exteriori Ecclesiæ cauendum est, ne picturæ profanæ, & indecentes apponantur, & non nisi Sanctorum, vel Summorum Pontificum effigies ponantur. Ecclesiæ valuæ flori- Cærem. Episc. li. 1. c. 12.

bus,

bus, ramis, ac frondibus virentibus, bracteolis, ac fascijs diuersi coloris appensis, vel colligatis decenter ornentur; supra verò superliminare Imago Sancti, siue Sanctorum, quorum dies festus agitur, pariter ornata, & sub ea insignia Sūmi Pontificis, Legati, Cardinalium, aut Nuntij Apostolici, Episcopi, Reipublicæ, Principis, aut Ciuitatis pro libito apponi possunt; seruato in eorum positione ordine dignitatum: Inferioris verò ordinis, maximè laicorum insignia non sunt apponenda. Ipsum denique Ecclesię pauimentum vndique virentibus folijs, atque floribus conspergatur. Ipsius Altaris ornatus erit, vt diximus, solemnior; insuper vbi habentur Sanctorum Reliquię, vel Imagines, cum flosculis, atque luminibus saltem duobus, vel quatuor exponantur.

Cærem. Episc. li. 2. c. 3. 6 Ad Vesperas in Cathedralibus quidem, vbi celebrabit Episcopus, Canonici omnes paramenta sui ordinis induent, in reliquis Collegiatis Superior celebrabit, & vbi commoditas loci, atque consuetudo id patiatur, decet, vt iuxta præscripta in Cęremoniali Episcoporum, sex Presbyteri Pluuialibus induti coloris aliorum paramentorum assistant. Matutinum solemniter celebrabitur, prout suo loco dicetur, Officium verò Laudum erit, prout ad Vesperas.

Sup. li. 1. sect. 3. c. 10. nu. 5. 7 Ecclesię fores tota die patebunt, ac semper super Altare erunt cerei accensi: Thymiamateria cum aromatibus loco congruo ipsius Ecclesiæ apponentur, ac reliqua omnia fient, quoad pulsationem campanarum, prout suis locis est adnotatum.

8 Sacerdotum celebrantiū paramenta erunt pretiosiora, Albæ, Amictus, ac Linteamina omnia munda; cerei omnes præcipuè in ipso Altari maiori, & supra cancellos erunt integri auro ornati, ac maioris ponderis.

9 In festo Patroni, seu Titularis præcipui, aliquibus ante diebus eleuato vexillo in ipsa turri campanarum cum imagine eiusdem Sancti, eduntur signa lætitiæ, & quotidie ad Vesperum campanarum solemni sono festiuitas præuenitur, & vbi est consuetudo, in peruigilio, & ipsa die luminarium accensione, quibus Sanctorum gloria, qua in cœlis gaudent, maximè omniū oculis pręsentatur, laudabiliter pręcipuè noctis initio lætitię signa dari debent, vt adimpleatur, quod scriptum est, *Et nox sicut dies illuminabitur, & nox illuminatio mea in delicijs meis*.

10 In festis quoque primę classis secundi ordinis celebrabit Superior loci; nam, & in Cathedralibus Episcopus celebrare debet saltem primas Vesperas, & Missam solemnem. Ecclesiæ ornatus erit accommodatus ita vt saltem tribuna paretur, Altare quoque solemni apparatu bene disponatur cum flosculis, ac Sanctorum Reliquiis, ac candelabris argenteis, vbi habentur; celebrantis, ac Ministrorum paramenta erunt quidem pretiosa, sed non solemniora. Cærem. Episc. li. 2. c. 1.

11 Ad Vesperas in Cathedralibus Episcopo in crastinum celebraturo, parantur Canonici; in Collegiatis verò, vbi commodè fieri poterit, sex, vel saltem quatuor Presbyteri cum Pluuialibus coloris aliorum paramentorum diei, atque Officio conuenientis parati assistent. Cærem. Episc. li. 2. c. 3.

12 Matutinum solemniter celebrabitur, in quo dum cantantur Nocturni, sex cerei erunt in Altari accensi; Laudes verò solemnius celebrabuntur, celebrante parato, ac cereis supra cancellos, seu parietes accensis, & ad *Benedictus* incensabitur Altare, & omnia fient sicut ad Vesperas.

13 In Missa solemni celebrante Superiore, semper aliquis ex dignioribus a Magistro cęremoniarum designatus Diaconi munus exercebit, ac pariter, vbi est consuetudo, maximè si Superior sit in dignitate constitutus, Presbyter assistens cum Pluuiali ministrabit modo suo loco descripto.

14 In festis Primæ classis tertij ordinis

dinis celebrabit quidem in Cathedralibus aliqua Dignitas,seu Canonicus iuxta locorum consuetudinem; in Collegiatis verò Vicarius, vel aliquis ex senioribus; Altaris ornatus erit accommodatus, non tamen adeo solemnis, sicut & celebrantis, ad Ministrorum paramenta.

15 Ad Vesperas quatuor vel saltem duo Presbyteri Pluuialibus induti assistent: Cerei supra cancellos tantùm ad Vesperas, & Missam solemnem accendûntur: Laudes tantùm, & Vesperæ solemniter cum Pluuiali celebrantur,&Altare incensabitur.

De Festis secundæ Classis. Cap. II.

1 *Ritus seruandi in festis secunda classis.*
2 *Festa secunda classis in triplicem ordinem distinguenda.*
3 *Festa secunda classis primi ordinis.*
4 *Secundi ordinis.*
5 *Tertij ordinis.*
6 *Aliorum Sanctorum festa in Ecclesijs particularibus quomodo celebranda.*

1 FEsta secundæ classis habent primas,ac secundas Vesperas solemnes,in quibus duo Presbyteri assistentes induti Pluuialibus coloris festo,atque Officio congruentis, suum implebunt munus, prout aliàs est explicatum, cum de Officio Assistentium ageretur: Matutinum quoque solemniter celebrabitur, in quo lectiones ab assignatis à Magistro Cęremoniarū cantari debent, & ad Laudes,quæ solemniter celebrantur, accenduntur cerei in Altari,ipseque celebrans Pluuiali indutus cantabit nonam Lectionē in medio Chori, & in fine intonabit Hymnū *Te Deū laudamus*, & ad *Benedictus* thurificabit Altare,non tamē accenduntur cerei supra cācellos,vel parietes. Sup. li j. sect. 3. cap. 9.

2 Ad maiorem explicationem rei,de qua agimus etiā festa secundæ classis in triplici ordine distingui poterunt,& quæ sunt primi ordinis eodem modo, quo ad apparatum,& Ecclesię,atq; Ministrorum ornatum celebrantur,ac festa primę classis tertij ordinis; quæ verò sunt secundi ordinis modo iam pręscripto celebrari debēt,tertij deniq; ordinis,quo ad apparatum quidem proceditur, prout in diebus Dominicis,ac festis per annum;quo ad ordinationem verò Officij in omnibus eodem modo proceditur.

3 Festa secundę classis primi ordinis sunt:Festū S.Stephani Prothomar. Festū S.Ioann.Euangelistę. Festum Circuncisionis Domini: Festa Purificationis,Annunciationis,& Natiuitatis B.Marię Virginis.Festum Sanctissimę Trinitatis.Quas solemnitates manifestè colligitur ex Cęremoniali Episcoporum eodem pacto celebrari debere,ac festa primæ classis tertij ordinis: quod & maximè decet; duo enim sequētes dies immediatè post Natiuitatem Domini videlicet S. Stephani, & S.Ioannis eodem pacto officiari debent, ac duo sequentes festum Paschæ, & Pentecostes: Festa verò Circuncisionis,ac Sanctissimæ Trinitatis ad complementum spectant, illud quidē Natiuitatis,istud Pentecostes,primæ videlicet Incarnati Verbi, & vltimæ eiusdem post Ascensum in cœlum ad communem omnium vtilitatem celeberrimæ solemnitatis. Ob præcipuam verò erga Beatam Virginem populorum deuotionem satis congruè tres eius solemnitates ad numerantur modo præscripto: sic enim decet,nam duæ primæ Purificatio, & Annunciatio Matris, pariter ac Natiuitas sacra mysteria continent; ipsius verò Natiuitati iure optimo, quod Pręcursori conceditur, omnium Sanctorum Reginę non denegatur: quod enim, vt docet D.Thomas, quibusdam hominibus concessum est, non est negandum B.Virgini; cęteris namq; vt ait Sophronius,per partes; Marię autem se totam infundit gratię plenitudo, & iuxta Cęrem. Episc. li. 2. c. 3. D. Tho. 3. par. q. 22. art. 1. Sophr. serm. de Assūpt.

D. Bern. ep. 174. Bernardum; quod vel paucis mortalium constat esse concessum, non est fas suspicari tantę Virgini fuisse collatum: cum igitur Ioannis Natiuitas solemniter celebretur, non minori ornatu Virginis Matris Natiuitas in Ecclesia coli debet; nam & in officio eius habemus Octauas, sicut & illius, quod maioribus tantùm Sanctorum festis, ipsa antiquitate testante, concessum fuisse reperimus.

4 Festa secundę classis secundi ordinis, quæ celebrari debent modo à nobis hoc loco præscripto, in primis sunt Natalitia duodecim Apostolorum; nam, vt ait D. Thomas, Apostoli tanquam Christo Domino viciniores hierarchico ordine sunt omnibus Sanctis præferendi, quacumque dignitate pręfulgeant. Festum quoque S. Laurentij, quod semper in Ecclesia celeberrimum fuit, vt patet ex proprio Officio, & Octaua, quę pręcipuarum solemnitatum sunt signa: Festū Inuentionis S. Crucis: Festum itē Dedicationis S. Michaelis Archangeli. (D. Tho. in epist. ad Rom. lect. 1.)

5 Festa secundæ classis tertij ordinis, quę habent quidem Officij ordinationē, sicut & reliqua supra notata, non tamen quoad ornatum, & apparatum Ecclesiasticum ita solemniter celebrantur; sed vt dies Dominici, ac reliqui dies festi per annum. Huiusmodi autem sunt. Festum Sanctorum Marci, & Lucę Euangelistarum. Quibus addimus, & festa Patroni non principalis alicuius loci; conceditur enim particularibus Ecclesijs, tàm Sęcularium, quàm Regularium non solùm festum Patroni principalis, seù Titularis, verùm, & aliorum Sanctorum loci, vel Congregationis, non quidem principalium; sed de quibus celebrari consueuit; eadem est enim ratio totius, ac partis; nam cum in vniuersali Ecclesia, iuxta Rubricam, Sanctorum Officia celebrari consueuerint primę, vel secundę classis, eodem ordine particularium Ecclesiarum Officia distingui poterunt; conceduntur namque à Rubrica Officia à Sede Apostolica approbata, vel ex eius auctoritate recepta, vel recipienda, seruata tamen forma Breuiarij, quæ inter alia continet Officia primæ, vel secundæ classis: Deinde eum pariter concedat festum vnius Patroni, vel plurium, necnon, post festum principale Patroni, vel Titularis loci, vel Ecclesiæ, aliorum Sanctorum festa, quæ apud quasdam Ecclesias, Congregationes, vel Religiones consueuerunt solemniter celebrari; ideo in istiusmodi Sanctorum festis celebrandis standum est consuetudini locorum, vel Constitutionibus Synodalibus; seu etiam apud Regulares decretis Generalium Capitulorum, seu Congregationum. Itaque particulares Ecclesiæ solemnitates particulares sibi vendicant, semper tamen seruata forma Romani Breuiarij, inter quas primum locum obtinet Sanctus præcipuus Patronus, vel Titularis, de quo semper Officium erit primę classis cum Octaua: quòd si de eodem Patrono præcipuo celebrari contingant alię festiuitates, puta Inuentio, Translatio, Conuersio, vel aliquod huiusmodi, tunc Officium erit, vel secundę classis, vel duplex per annum, vel etiam semiduplex iuxta consuetudinem, vel statutum, habita semper ratione solemnitatis, quę celebranda est. (Rub. gene. Breu. 3. — Petr. de Ruyz 2. p. 1. rub. §. 1. — Rub. gene. Breu. VII. 1.)

6 De reliquis verò Patronis, qui non sunt pręcipui, Officium erit secundę classis. De Sanctis, de quibus habetur corpus integrum, Officium erit vel duplex secundę classis, si solemniter, & cum concursu populi celebretur, vel saltem duplex maius. De ijs verò Sanctis, de quibus habetur brachium, vel tibia, Officium erit duplex per annum, & omnino, quandocumque Reliquia est insignis, Officium erit duplex, vel saltem semiduplex; quòd si non sit adeo insignis, decet, vt saltem vt simplex celebretur. (Congr. Sac. Rit.)

De diebus Dominicis, ac Feſtis per annum. Cap. III.

1 *Dominicis ac feſtis per annum Miſſa ſolemnis celebranda.*
2 *Altaria pro communicandis preparanda.*
3 *Aſperſio aquæ benedictæ facienda.*
4 *Clericorum, ac Miniſtrorum communio facienda.*
5 *Epiſcopo, vel Superiore celebrante generalis communio facienda.*

Cōſuet. Cleric. Regul. Theat.

1 OMnibus diebus Dominicis, ac feſtis per annum, quæ de præcepto ſeruantur, decet, ~~vt in~~ ſingulis Collegiatis, vbi commodè fieri poteſt, Miſſa ſolemnis cum Miniſtris celebretur, & vbi minor eſt numerus Miniſtrorum; ſaltem ſine Miniſtris cantetur, Altaris ornatus erit decens; paramenta verò coloris tempori, & Officio conuenientis; lampades omnes accendantur, ſexque candelabra cum ſuis cereis in maiori Altari aptentur, & inter ipſa cum floſculis vaſa diſponantur.

2 Pro communicandis tam in Altari maiori, ſi in eo ſacratiſſima Euchariſtia aſſeruetur, quàm in alijs ad fidelium cō munionem deputatis omnia ſummo ſtudio, prout proprijs locis dictum eſt, præparentur.

Sup.li.1. ſec.3.c.2 Cærem. Epiſ. li. 2.c.31. Sup.ſect. 1. c. 1.

3 Ante Miſſam ſolemnem Dominicis diebus fieri debet aſperſio aquæ benedictæ per Hebdomadarium, modo ſupra præſcripto, & vbi non cantatur Miſſa ex defectu miniſtrorum, ſaltem ante Miſſam, quę dicitur poſt Horas loco Miſſę Conuentualis, decet, vt fiat ipſa aſperſio à Sacerdote, antequam Miſſam celebret, Pluuiali induto, vel ſaltem cum Stola ſine Manipulo, & Caſula.

Concil. Trid.ſeſ. 23. c. 13. de ref. Cōſuet. Cleric. Regul. Theat.

4 In ipſa Miſſa ſolemni, iuxta Tridentini Concilii decreta, Miniſtri ante omnes alios ſacram ſumāt communionem, & poſt ipſos Clerici omnes, quilibet in ſuo gradu, & ordine. Vbi autem laudabilis viget conſuetudo, vt Superior per ſeipſum ſuas paſcat oues, ante Miſſam ſolemnem priuatè celebrans Clericis, ac Religioſis ſacram communionem miniſtret; poterunt miniſtraturi eum aliis ſacra refici Oblatione, prout inter Regulares ritè ſeruatur; non enim Conciliū obſtat, cum, vt ex Doctiſsimo Caietano, verba Concilii potius iuxta ſenſum, in quo facta ſunt, quàm iuxta ſenſum, quem faciunt, intelligi debeant. Caiet.

5 In ſolemnioribus cum Pręlatus ipſe ſolemniter celebrat, omnium Clericorum, atque Religioſorū generalis communio intra Miſſarum ſolemnia ſatis cōgrue fieri debet, & tunc Sacri Cōcilii decretis inhęrendo, primi omnium Miniſtri parati communionem ſument; quòd ſi in ſacerdotali gradu fuerint conſtituti, ſatius, vt Sacra Congregatio declarauit, antea, vel poſtea celebrabunt.

Concil. Trid.ſeſ. 23. c 13. de ref. Declar. Congr.

De Duplicibus per annum. Cap. IV.

1 *Feſtum duplex, & Officium duplex quomodo diſtinguantur.*
2 *In duplicibus Altaria quando, & quomodo ornanda.*
3 *In duplicibus Miſſe votiua non debent dici.*
4 *Miſſa pro Defunctis quando in duplicibus dici poſſint.*

1 PRimum omnium hoc loco notādum occurrit ex his, quæ in Rubricis Breuiarii habemus, aliud eſſe feſtū duplex, aliud Officium duplex; licet enim æquè in vtriſque Antiphonę duplicentur, ac propterea ſub duplici ambo cōtineantur; feſta tamē duplicia ſemper habēt ſuum integrum Officiū, quod incipit à primis Veſperis, & ſi eo die, quo occurrit, celebrari non poterit, trāſfertur in primā ſequentē diē non impeditā, prout in propria Rub. de trāslatio. feſtorū in Breuiario Rom. habetur. Officium duplex non ſemper eſt integrū, nec ſēper habet primas Veſperas; aliquando

Petr. de Ruyz 2. part. de rub.Bre. rubr. 1. §.1.

Rub gene. Breu. X.

enim incipit ad Maturinum, vt Officium tenebrarum, aliàs ad Laudes, vt Officium Vigiliæ Natiuitatis Domini, neque si in eo occurrat festum, de quo celebrandum est, transferri poterit, sed tantùm de eo fieri debet Commemoratio, vt patet de Officio duplici diei octauæ.

2 In festis duplicibus, quæ habent vtrasque Vesperas, à primis Vesperis ipsum Altare ornari debet paramentis coloris Officio conuenientis vsque ad Vesperas sequentis diei; nisi forte concurrat cum sequenti duplici; nam tunc si Vesperæ celebrentur de sequenti, Altaris ornamenta erunt coloris Officio conuenientis.

Rub. gen. Miss. IV. 3. 3 Missæ priuatæ votiuæ diebus duplicibus ne dicantur, sed pro re graui, & publica Ecclesiæ causa, nisi fortè festum fuerit ex maioribus, dici poterit Missa solemnis, in qua dicitur vna tantùm Oratio cum *Gloria*, & *Credo*.

Rub. gen. Miss. V. 2. 4 Missæ etiam pro Defunctis in duplicibus dici non debent, nisi ratione exequiarum, & præsente corpore in die Depositionis, & Anniuersarii, quæ, iuxta Rubricas Ritualis, dici poterunt in duplicibus, nisi fortè magna diei solemnitas obstet, nam in maioribus solennitatibus nullo modo dici debent. Ritual. Rom.

De Semiduplicibus. Cap. V.

1 *Differentia inter festum, & Officium semiduplex.*
2 *Ordo Officij semiduplicis.*
3 *Die Dominica, & infra Octauam Officium est semiduplex.*
4 *Ornatus Altaris in semiduplicibus.*
5 *Officium paruum B.M.V. non dicitur in semiduplicibus.*
6 *Missa votiua an dicenda in semiduplicibus.*

Petr. de Ruyz. 3 p. rub. 3. §. 1. 1 OBseruandum in primis est, differre inter se festū semiduplex, atque Officium; in primis namque festa semiduplicia omnia inter se æqualia censentur; nullum enim eorū alteri vnquam præfertur: Officia autem semiduplicium Dominicarum videlicet, ac dierum infra octauas inæqualia sunt; vnum enim alteri præfertur, cum aliud alio solemnius sit: dies Dominica præfertur festo semiduplici, & dies infra octauā præfertur alteri infra octauam minoris solemnitatis, vt infra octauam Assumptionis B.Virginis præfertur diei infra octauam S.Laurentii: item Officium semiduplex, quod celebratur infra octauam Corporis Christi, præfertur festo semiduplici.

2 Officium semiduplex eodem ordine constituitur, ac duplex; habet enim totum Officium completum à primis Vesperis vsque ad secundas inclusiuè, sed in eo non duplicantur Antiphonę, dicuntur preces ad Primam, & Completoriū, & Suffragia ad Laudes, & Vesperas. Rub. gen. Breu. II. 3.

3 Diebus Dominicis regulariter Officium est semiduplex, pariter, & infra octauas, cum hoc tamen discrimine, quòd infra octauas non dicuntur preces ad Primam, & Completorium, neque Suffragia ad Vesperas, ac Laudes. Rub. gen. Breu. II. 1.

4 Altare in semiduplicibus ornatur paramentis coloris Officio conuenientis.

5 Non dicitur in Choro in semiduplicibus Officium paruum B.Marię Virginis, neque Officium Defunctorum, sicut neque in Quadragesima Septem Psalmi Pœnitentiales, neque Graduales. rub. gen. Bre. in fin.

6 Missę votiuę diebus semiduplicibus, iuxta Rubricas, dici poterunt, non tamen absq; rationabili, & vrgenti causa. rub. gen. miss. in fin.

De Officio Simplici. Cap. VI.

1 *Ordo Officij simplicis.*
2 *Quibus diebus, & quomodo de Sancto simplici celebretur.*
3 *Officium Sancti simplicis numquam transfertur.*
4 *Officium S. Mariæ in Sabbato quomodo celebrandum.*

Rub. gene. Bre. III. 3.

1 FEstum simplex habet tantùm primas Vesperas non quidem integras, sed à Capitulo, neque habet secundas Vesperas, sed terminatur ad Nonam & color paramentorum Altaris, ac Ministrorum erit congruus festo, quòd celebratur.

2 Die Dominico, & Sabbato nunquã celebratur dè Sancto simplici, sed si eo die occurrat, tantùm de eo fit Commemoratio; reliquis ferijs per hebdomadã, nisi occurrat festum nouem lectionum, celebratur de eo; concurrente verò festo nouem lectionum, de eo fit Commemoratio in primis Vesperis, & Laudibus, nec non in Missa; & si habuerit propriã lectionem, nona lectio erit de Sancto, & si fuerint duæ, ex duabus fit vna, si verò non habeat propriam, sed ex communi, omittitur; similiter si occurrat duplex die Dominica, de quo fit Officium, cum legenda sit Homilia Dominicæ pro nona lectione, omittitur, pariter in Dominicis Aduentus, & à Septuagesima vsque ad Pascha, in quibus dicitur nonum Responsorium, licet facienda sit Commemoratio Sancti simplicis occurrentis, non tamen legitur eius lectio, sicut nec in ferijs Aduentus, Quadragesimæ, Rogationum, Vigiliarum, & quatuor Temporum, quibus legitur Homilia, & dicitur vltimum Responsorium.

Rub. gene Breu. XX. 3.

3 Simplex Officium nunquam transfertur, sed occurrentibus maioribus solemnitatibus, videlicet primæ classis, omnino omittitur; si verò sint secundę classis, de eo fit tantùm Commemoratio in Laudibus, & Missis priuatis, & nisi dicenda sit Homilia, si habeat propriam lectionem, nona lectio erit de ipso.

Rub. gene. Breu. VIII.

4 Sabbato, nisi occurrat festum nouem lectionum, vel feria priuilegiata, Aduentus, Quadragesimæ, quatuor Temporum, vel Vigiliarum, celebratur Officium votiuum B. Virginis eodem ritu, quo Officium simplex, videlicet si præcedente die non fuerit Officium nouem lectionũ, Vesperæ à Capitulo erunt de B. Virgine, quòd si ratione præcedentis Officii non poterint celebrari Vesperæ, non tamen omittitur Commemoratio, quæ fieri debet post Orationem diei, & ad Completorium, etiam si Vesperæ non fuerint de B. Virgine, in fine Hymni dicetur *Gloria tibi Domine, qui natus es Virgine*, prout in Breuiario recognito expressè est additum.

De Officio Octauæ, & infra Octauam. Cap. VII.

1 *Quibusnam festis tribuatur Octaua.*
2 *Officium Octaua quomodo fiat.*
3 *De Dominicis infra Octauam.*
4 *Officium diei Octaua.*
5 *Octaua in Quadragesima non fiunt.*
6 *Octaua nunquam transfertur.*
7 *Octauarum differentia.*
8 *Octaua Commemoratio quando fieri debeat.*
9 *Octaua occurrentes inter se quomodo celebranda.*
10 *An Octaua Patroni præferatur alteri gradus dignioris.*
11 *De Octaua occurrenti in Dominica priuilegiata.*

1 FEsta maiora habent Octauam, prout in Breuiario assignatur, quæ tribuitur etiam festo principali Patroni, ac Titularis loci, & Ecclesiæ, nec non aliorum Sanctorum, apud quasdam Ecclesias, Cõgregationes, & Religiones solemniter celebrari consuetas, & omnino per Octauam festi solemnitas exprimitur; cum enim vno tantùm die contineri non valeat eius celebritas, vsque ad octauam protrahitur, ex antiqua Hebræorum traditione, qui præcipuas Paschæ, & Pentecostes solemnitates per totam octauam celebrabant. Rub. gene. Breu. VII. 1.

2 Officium octauæ eodem ferè modo celebratur, quo ipsa die solemnitatis paucis mutatis; nam prima quidem die Rub. gene. Bre. VII. 3.

festum est celeberrimum, atque solemne duplex, primę videlicet, vel secundę classis; die verò infra octauam Officium semper est semiduplex, in quo tamen non dicuntur preces ad Primam, & Completorium, neque Suffragia Sanctorum ad Vesperas, ac Laudes, & si infra octauam occurrat festum duplex, vel semiduplex, regulariter fit de eo cum Commemoratione octauę, quòd si festum occurrens fuerit ex maioribus, nulla neque in Officio, neque in Missa de ipsa octaua fiet Commemoratio; exceptis octauis Natiuitatis, Epiphanię, & Corporis Christi, de quibus Commemoratio fieri debet.

Rub. gene. Breu. IV. 2. 3 In Dominicis infra octauam occurrentibus totum Officium fit de Dominica, vt in Psalterio, & in proprio de tempore, cum Commemoratione octauę, omissis Precibus, & Suffragiis: in missa post Orationem Dominicę fit Commemoratio octauę tantùm, nisi fortè facienda sit aliqua Commemoratio; & color paramentorum erit cōueniens festo, cuius celebratur octaua, prǽter quàm in illis Dominicis, quibus tributus est color violaceus: In Dominicis verò infra octauas Natiuitatis, Epiphanię, Ascensionis, & Corporis Christi occurrentibus Officium fit, sicut infra octauam, & in proprio de tempore cum Commemoratione octauę.

Rub. gene Miss. IX. 10.

Rub. gene. Miss. XVIII. 2

Rub. gene Breu. IV. 2.

4 In die octaua semper Officium est duplex, nec transfertur, quod si in ipsa occurrat aliquod festum duplex, si fortè sit ex maioribus, fit de festo cum Commemoratione octauę, excepta die octaua Natiuitatis Domini, & Epiphanię, in quibus non fit de aliquo festo, sed transfertur in primam diem similiter non impeditam; quòd si non fuerit ex maioribus videlicet primę, vel secundę classis, fit de octaua, & festum transfertur.

Rub. gene. Bre. VII. 1. 5 Toto tēpore Quadragesimę omittitur Officium cuiuscúque octauę; quòd si aliquod festum, quod celebrari solet cum octaua paulò ante Quadragesimam venerit, & iam per aliquot dies factum fit Officium illius octauę, adueniente Quadragesima, nihil amplius fit de ea, neque Commemoratio.

6 Quandocumque festum habens octauam transfertur, non propterea dies octaua transfertur, sed ita celebratur, ac si festum non fuisset translatum, quòd si festum post totam suam octauam transferri contigerit, illo anno celebretur sine octaua; nisi Titularis Ecclesiæ priuilegio aliter fieri oporteat. Intelligitur autem hoc de illa translatione, quæ fit propter occurrentiam alicuius diei festi, vel feriæ priuilegiatæ, quæ aliquando contingere potest, non autem de ea translatione, quæ rationabili ex causa, Superiorum auctoritate fieri consueuit, puta cum Paulus IV. festum S. Dominici Confessoris transtulit in diem quintam Augusti; Item festum S. Pauli primi Eremitæ, & S. Hilarii post octauam Epiphanię &c. Similiter festum S. Teresiæ ratione S. Francisci eodem die occurrentis in sequentem diem transfertur, pariter festum S. Syri cum festo Apostolorum Petri, & Pauli occurrēs Ianuenses transtulerunt post octauam Apostolorum; tunc enim cum sua octaua celebrari debet, cum non censeatur trāslatum, sed designata dies propria semper censetur, cum Superiorum auctoritate tanquam propria tali festo sit designata. Rub. gene. Breu. X. 1. Martyr. Rom.

7 Cum aliqua exceptione, ac priuilegio celebrantur octauę Paschę, ac Pētecostes, quę peculiarem habent ritum. Item Natiuitatis, & Epiphanię Domini, nec non Corporis Christi: nam octaua Paschę, & Pentecostes nullum admittit Sanctorum festum, nec etiam Patroni, seu Titularis Ecclesię. Infra octauam verò Epiphanię, & si de duplici, vel semiduplici occurrenti Officium transferatur post octauam; de Patrono tamen, vel Titulari Ecclesię, & Dedicatione eiusdem celebratur Officium cum Commemoratione octauę ipsa verò die octaua etiam Patroni, & Titularis festum excluditur. Infra octauam Corporis Christi se- Rub. ge. ne. Bre. VII. 3. Rub. gene. Breu. X. 1.

sti semiduplicia occurrentia transferuntur,& tantùm duplicia celebrantur. Ipsa verò die octaua duplex occurrens trāsfertur, exceptis festo S.Io.Baptistæ,Sanctorum Apostolorum Petri,& Pauli, & festo Patroni, vel alicuius Sācti,quod solemniter in aliquo loco celebratur.

8 Infra Octauam Natiuitatis,Epiphaniæ,& Corporis Christi, quocumque festo occurrente,etiam si sit Patroni Ecclesiæ, vel Titularis, semper ex speciali priuilegio fit Commemoratio octauæ.

9 Duabus octauis simul concurrentibus, Officium fit de digniori cū Commemoratione alterius, vt puta occurrēte octaua S. Io.Baptistę, cum octaua Corporis Christi.

O.Ius. Ro.nat. Not. ad rub.52. 10 Dubitatum fuit occurrente festo Patroni, vel Titularis Ecclesiæ Sancti videlicet Cōfessoris,vel alicuius Virginis, cuius octaua in propria Ecclesia celebratur,cum aliquo festo alicuius Sancti ordinis,ac gradus dignioris,videlicet octaua Sancti Caroli cum octaua omnium Sanctorum,quis censeatur dignior. In Octauario nuper edito habemus, quòd iuxta Rubricas ipsa dignitas gradus attendenda est;vnde infra hebdomadam officium erit de Sanctis cum Commemoratione Patroni; ita vt semper Patrono concurrēte cum digniori,officium sit de digniori cum commemoratione Patroni.

Octau. vbi sup. 11 Dominica priuilegiata concurrēte cum die octaua, cum Officiū fieri debeat de Dominica cum Commemoratione octauæ; sabbato ad Vesperas Officium erit semiduplex à Cap.de Dominica, & pro Commemoratione octauæ Antiphona, & Versus, prout in primis Vesperis diei festi.

De Vesperis diebus Dominicis, ac Festis solemniter celebrandis.

Cap. VIII.

1 *Officia festiua à Vesperis inchoanda.*
2 *Præparanda pro celebratione Vesperarum solemnium.*
3 *Celebrans cum Ministris quando, & quomodo parandi.*
4 *Ordo procedendi ad Vesperas solemnes.*
5 *Modus inchoandi Officium Vesperarum.*
6 *Antiphonę quomodo intonandę.*
7 *Pręparanda ab Acolythis ante Canticum Magnificat.*
8 *Capitulum quomodo dicendum.*
9 *Hymnus quomodo pręintonandus.*
10 *Quando in principio Hymni sit genuflectendum.*
11 *Versus à quibus, & quo loco cantandus.*
12 *Antiphona ad Magnificat quomodo intonanda.*
13 *Ad Magnificat quomodo procedendum.*
14 *Incensum quomodo ministrandum.*
15 *Post incensationem quomodo recedendum.*
16 *Ordo incensandi.*
17 *Oratio quomodo cantanda.*
18 *Post Vesperas quo ordine recedendum.*
19 *Acolythi quomodo ministrant deficientibus Assistentibus.*
20 *Ceroferarij ad Magnificat quando procedere debeant.*

1 FErialia Officia quia primas Vesperas non habent, sed à Matutino initium sumunt,ordine congruo à Matutinis eorum explicationem inchoantes, per reliquas horas processimus: alio tamen modo in dierum festorum explicatione procedendum erit;à Vesperis namque festorum initia sumere oportet, dicente Scriptura *A Vespero ad Vesperum celebrabitis Sabbata vestra*; prius etiam in sacra Chronologia tenebræ,quàm lux commemorātur,sicque legimus *Factum est Vespere mane dies vnus*; quod & in sequenti pariter dierum cursu vsque ad septimum,cui nox non successit Scriptu- Leuit. 23.32. Gen. 1. 5

ra obseruat. Discrimen autem consti tuimus inter dies feriales,& festiuos; nã illi sunt dies laboris, quibus ab ortu Solis vsque ad occasum, vt ait Scriptura, *Exibit homo ad opus suum,& ad operationem suam vsq; ad Vesperã*; isti sunt dies quietis, Sabbatum, videlicet, quietatio nis Domini; & ideo à Vesperis initium sumendo, aliter celebrari debent; *Non enim*, vt ait Iob, *sicut dies hominis sunt dies Domini*. Et omnino Ecclesiastico more omnis festiua solemnitas à primis Vesperis inchoatur, ipsæque primæ Vesperæ semper solemniori cultu celebrantur.

Ps. 103. 23.

Iob 10. 5.

2 Iuxta festorum qualitatem, omnia in Ecclesia,& Altari ritè prius disponantur;ipsum præcipuè Altare maius paramentis coloris,& qualitatis officio,quod celebrandum erit,congruentis,decenter antea ornetur. Sex cerei cum suis candelabris argenteis,vel ex auricalcho;& si festum sit ex solemnioribus, etiam sex, vel octo cerei super cancellos aptentur: Duo item candelabra cum suis cereis deferẽdaà ceroferarijs, supra credentiã, vel supra scamnum in sacristia præparen tur,thuribulum cum nauicula, & vas cũ prunis accensis loco congruo apponantur. Pro celebrante in sacristia præparentur paramenta, videlicet Amictus, Alba, Cingulum,Stola,ac Pluuiale coloris, & qualitatis Officio congruentis. Pro Assistẽtibus sex,quatuor,vel duo Pluuialia eiusdem coloris inter se æqualia, qui supra superpelliceum suo muneri operã daturi ipsis se induent. Celebrantis sedes præparetur modo supra præscripto.

3 Dato primo signo multiplici campanarum harmonico sono, pluribus, vel paucioribus pro dierum solemnitate, accenduntur omnes Ecclesię lampades, si fortè prius non fuerant accensę; omnesque Collegiales in Ecclesiam conuenientes superpelliceis mundis induuntur; Omniaque,ac singula suo ordine disponuntur, Antequam detur vltimum signum, celebrans in festis per annum superpelliceo indutus accipit Amictum, Stolam,ac Pluuiale coloris Officio congruentis;in solemnitatibus verò, videlicet festis primæ, vel secundæ classis, induitur Amictu, Alba, Stola, ac Pluuiali coloris,& qualitatis diei,& Officio congruentis; dum verò ad Vesperas sacris se induit, non dicit Orationes assignatas,tã tantum pro Missa celebranda,dum sacris induitur, dici debent. Eodem tempore parantur Assistentes plures, vel paucio- res,iuxta locorũ cõsuetudinẽ, atq; dierũ solemnitatem; modo suo loco pręscripto. Interim Acolyti accendunt cereos, in Altari,& supra parietes; Ceroferarij quoque suos cereos eodem tempore accendentes cum candelabris ante ostiũ Sacristiæ accedunt, ibique celebrantem cum Ministris expectant.

Cęrem. Epis.li. 2.c.3. Sup.li J. sect.7. c. 9.nu.1.

4 Dum datur vltimum signum, vbi viget laudabilis consuetudo, collegialiter procedendo, Magistro cæremoniarũ disponente, omnes superpelliceis induti è Sacristia procedũt bini,primò iuniores, quos suo ordine sequũtur seniores, post ipsos ceroferarij cũ Assistentibus, ac vltimus omniũ celebrans; vbi verò nõ collegialiter proceditur, post campanarum signum omnes superpelliceis induti in Chorum se recipientes, suis locis genuflexi celebrantis aduentum expectant; qui paratus cum Ministris è Sacristia procedet hoc ordine. Prius ante ostium Sacristiæ Ministros omnes aspersorio ab Assistente sibi porrecto cum osculis aspergit, mox pręcedentibus ceroferarijs cum candelabris, & cereis accensis, sequitur Cęremoniarius cum aliquibus Acolythis superpelliceis indutis, post ipsos procedunt Presbyteri parati Pluuialibus induti bini, & bini, vltimo loco celebrans Pluuiali indutus medius inter duos ex dictis Presbyteris,qui fimbrias anteriores Pluuialis ipsius parumper eleuatas tenent; omnes autem parati procedunt iunctis manibus, tectoque capite, demissis ad terram oculis, nemini caput detegentes: interim campanis,

Cõsuet. Cleric. Regul. Theat.

& organis pulsantibus. Ante Altare cum peruenerint, omnes stabunt recta linea, ceroferarij omnium postremi; celebrante in medio constituto,& tunc adstante Magistro cęremoniarum cũ Acolythis retrò post ipsos,omnes detecto capite genuflexo aliquantisper orabunt; interim ceroferarij depositis candelabris loco congruo recedunt: Celebrans, & ministri ab oratione consurgentes pro fundè Altari caput, humerosque inclinant,& si ibi sit Sanctissimum Sacramentum denuò genuflectunt. Accedentes deinde ad Chorum prius salutant Collegiales capitis inclinatione,qui eos pariter eodem modo resalutant postmodum celebrans, præcedente Cęremoniario, accedit ad sedem sibi paratam; Presbyteri verò assistentes ante ipsum collocabuntur, & tunc,& non prius campanarum sonus, pariter,& organi cessabit.

5 Dato signo inchoandi, surgentibus omnibus de Choro, dicitur secretò *Pater noster*,& *Aue Maria*,quibus dictis celebrans adstante sibi Cœremoniario à dextris, fimbriamque Pluuialis eleuante sinistram ante pectus tenens, dextera aperta, signans se signo crucis à fronte ad pectus,clara voce,& in cantu competenti dicit, *Deus in adiutorium meum intende*, ad vnumquodque verbum tangens manu primò frontem, deinde pectus, mox humerum sinistrum, vltimò dextrum, & in fine iungens manus ante pectus,cum dicitur ℣. *Gloria Patri*,caput inclinat.

6 Dum dicitur *Alleluia*, vel *Laus tibi Domine*, &c. ducitur per Cęremoniariũ vnus ex Presbyteris assistentibus, qui cum debitis reuerentijs accedens, facta prius celebranti profunda inclinatione, præintonat illi primam Antiphonam, qua per celebrantem repetita, & non prius,facta iterum reuerentia ipsi, & Altari,recedit ad locum suum,vbi inchoato Psalmo,omnibus alijs suis locis sedentibus,& ipse cum alijs assistentibus Presbyteris sedet. Cœteræ Antiphonæ ab iisdem alternatim præintonantur Presbyteris vtriusque Chori modo præscripto, incipiendo à dignioribus eodem ordine, quo prima Antiphona,& Presbytero surgente ad intonandam Antiphonam omnes Presbyteri, & reliqui de Choro, excepto celebrante consurgunt: Assistente surgente ad præintonandum Antiphonam, reliqui Assistentes pariter consurgunt,& stant,donec redeat ad locum suum. Sup. lib. 1. sect. 3. c. 1. n. 12.

7 Cum cantatur vltimus Psalmus, thuriferarius ignem in thuribulum immittit, Acolythi cereos in candelabris maioribus, & Ceroferarii in suis candelabris accendunt.

8 Finitis Psalmis,dum cantatur Antiphona, duo Acolythi accedunt ad celebrantem, eique facta reuerentia hinc inde ad eius latus in plano Chori assistunt: quod Presbyteri quoque parati pariter præstabunt; ipse verò celebrans, completa Antiphona,seu sono organi, surgit detecto capite, iunctisque manibus cantat Capitulum.

9 Post Capitulum aliquis ex prædictis Presbyteris paratis propius ante faciem celebrantis accedens, præintonat Hymnum,quo per eum repetito Acolythi, & Presbyteri assistentes, facta celebranti reuerentia, ad loca sua redeunt, ibique stant iunctis manibus, donec perficiatur Hymnus.

10 Si verò Hymnus sit *Veni Creator Spiritus*, vel *Aue maris stella*, dum celebrans Hymnum intonat,omnes genuflectunt, ipse verò celebrans statim, postquam illum intonauit in suo genuflexorio, vel in aliquo puluino ad id parato, pariter genuflectit, sic permanentibus omnibus, donec compleatur totus primus versus,quo finito, surgentibus omnibus,Assistentes cum Acolythis redeunt ad loca sua.

11 Expleto Hymno, duo Cantores accedentes ad medium Chori ante Altare cum debita reuerentia, altiori voce simul cantãt Versum Choro respondẽte. Cęrem. Episc. li. 2. c. 1.

12 Post

12 Post Versum, vnus ex Assistentibus paratis ante celebrantem accedens cum debita reuerentia præintonat Antiphonam, qua per celebrantem intonata recedunt, & tàm celebrans, quàm reliqui de Choro quilibet suo loco sedet.

13 Expleto cantu Antiphonæ, & sono organi, duo Cantores in medio Chori intonabunt Canticum *Magnificat*, & tūc omnes surgunt, celebrans cum prędictis Presbyteris paratis, salutans hinc inde reliquos de Choro capitis inclinatione, à quibus, & ipse resalutatur, procedit ad Altare cum Acolythis, & eisdem Presbyteris ordine, quo venerant. Ad medium ante infimum gradum Altaris peruenientes, Cruci reuerentiam faciunt, & si ibi sit Sanctissimum Sacramentum genuflectunt, stantes recta linea, mediumque habētes ipsum celebrantem, Acolythis pariter post eos reuerentiam facientibus.

Cærem. Epis.li. 1.c.2.

14 Celebrans cum duobus ex dictis paratis ascendit ad Altare, quod osculatur in medio, & vertente se versus cornu Epistolæ Altaris, vbi Thuriferarius ante eum stans inclinatus, offert illi thuribulū apertum cum prunis ardentibus imponit, ac benedicit incensum, modo suo loco præscripto. Accipit deinde thuribulū, & Altare incensat ordine explicato.

Sup. sec. 2.c.2.n.5 & 6. ibi. num. 8.

15 Thurificato Altari celebrās stans in cornu Epistolæ reddit thuribulum eidem Presbytero parato, à quo acceperat, & ille Thuriferario, & post gradus in planum descendens reuerentiam facit simul cū Presbyteris paratis, & Acolythis, qui ad sua loca ordine, quo venerāt, recedentes salutant iterū redeundo existentes in Choro ab vtraque parte. Qui in Choro sunt Cantores, vel musici maiori pausa, ac grauiori modulatione Canticum ipsum *Magnificat* præcinere debent, vt ante repetitionem Antiphonę omnis incensatio compleatur, ita vt dū dicitur Oratio, incensatio cesset.

Cærem. Episc. li. 1. c. 2.

16 Celebrans stans in loco suo inuitato prius digniore, qui immediatè post eum incensari deber, capitis inclinatione, ab aliquo ex prædictis Presbyteris paratis cum profunda inclinatione antea, & postea triplici ductu incensabitur; & si adsint Prælati immediatè post celebrantem ab eodem triplici ductu incēsantur; deinde redditur thuribulum Thuriferario; qui alios de Choro ordine præscripto incensabit.

Sup.li.2. sec.5.c.9 nu.19.& li.2.sec. 2.cap.2. num.18.

17 Cum repetitur Antiphona, Ceroferarij cum candelabris, ac cereis accensis, & Presbyteri assistentes parati ante celebrantem accedunt, factaque ei reuerentia hinc inde ad eius latus in plano Chori assistunt, vt supra: & completa Antiphona surgentibus omnibus celebrans stans iunctis manibus dicit *Dominus vobiscum*, & Orationem; & si faciendę sint Commemorationes, seruato ordine Breuiarij, Cantores in medio dicunt Versus, & celebrans Orationes, & post ipsos Cantores in medio Chori altiori voce cantant *Benedicamus Domino*, & redeunt ad celebrantem, qui humiliori voce dicit *Fidelium animæ*, &c.

18 Si immediatè post Vesperas Completorium sit celebrandum, celebrans salutatis Prælatis, atque Canonicis Collegialibus ex vtraque parte Chori; & reuerentijs Altari exhibitis, præcedente Cęremoniario, recedit cum suis Ministris ordine, quo venerant, in Sacristiam, vbi paramenta deponunt: Acolythi verò extinguunt cereos, qui sunt super cancellos, vel parietes, ita vt ad Completorium semper sit minor luminum numerus, non enim solemniter celebratur. Si verò non sit dicendum Completorium, dicet Antiphonam B. Virginis genuflectens, vel stans iuxta regulas Breuiarij, in cuius fine dicet voce submissa Versiculum, & Orationem, deinde recedit eodem ordine, vt supra.

19 Vbi Officium Vesperarum celebratur sine Assistentibus paratis, Thuriferarius, & Cœremoniarius, siue Acolythus designatus suppleat ad incensationem, ministrando nauiculam, & celebrantem

adiu-

adiuuando, vt suis locis supra est explicatum.

Cõsuet. Cleric. Regul. Theat. 20 Si Collegialium Chorus distet ab Altari, vel sit retro aliquantulum ab Altari remotus, prout apud Regulares esse solet, non improbatur consuetudo procedendi ad incensandum Altare cum ceroferarijs, ita tamen vt redeuntes ad Chorum post incensatum Altare, reponant candelabra, resumenda ad Orationem, vel Orationes.

De Vesperis solemnibus in Cathedralibus ab Episcopo celebrandis. Cap. IX.

1 *Ordo, quo Episcopus ad Ecclesiam accedere debet.*
2 *Episcopus quando, & quomodo sacras vestes accipiat.*
3 *Quomodo inchoabit Vesperas.*
4 *Ad Psalmos quomodo sedendum.*
5 *Capitulum à quo, quando, vbi, & quomodo cantandum.*
6 *Hymnus à quo praintonetur.*
7 *Antiphona Cantici à quo praintonetur.*
8 *Incensum quomodo, & quando ministrandum.*
9 *Quomodo ad incensandum Altare sit procedendum.*
10 *Quomodo post incensationem sit redeundum.*
11 *Quomodo, & à quo Episcopus incensetur.*
12 *Reliqui à quo, & quomodo incensandi.*
13 *Oratio quomodo dicatur.*
14 *Benedictio quomodo danda.*
15 *Paramenta quando, & quo loco deponenda.*
16 *Episcopus celebrans ad Vesperas tantùm, quomodo procedere debeat.*
17 *Episcopo ad Vesperas assistente, quomodo sit procedendum.*

1 IN præcipuis solemnitatibus Episcopus celebraturus, parata sede, ac reliquis in Ecclesia hora congrua ad Ecclesiam Cappa indutus, à Canonicis in habitu Canonicali associatus, accedat, acceptoque aspersorio à digniori ante ianuam Ecclesię, omnes aspergit, factaque Oratione ante Sanctissimum Sacramentum ad Altare maius procedit, vbi in genuflexorio postquam orauerit, in sua sede aliquantisper sedet, duobus Diaconis sibi à latere assistentibus; Canonici interim sacris se induunt, modo suo loco præscripto. Sup. li. j. sect. 8. cap. 10.

Cęre m. Episc. li. 2. c. 3. 2 Episcopus vbi aliquantulum in sede sua quieuerit, paratis Canonicis, surgens deponit Cappam, atque accedentibus Acolythis cum indumentis sacris, adiuuantibus Assistentibus, induitur Amictu, Alba, Cingulo, Cruce pectorali, Stola, ac Pluuiali, cui accommodatur Pectorale, siue firmarium in coniunctura illius, deinde sedenti imponitur per Diaconum Mitra pretiosa, ac tandem per Presbyterum assistentem Annulus cum osculis; & interim pulsantur organa.

3 Cum Episcopus paratus aliquantulum sederit, surgens deposita Mitra dicit secretò *Pater noster*, & *Aue Maria*, inchoat Vesperas, dicens ℣. *Deus in adiutorium*, eodem modo, quo supra dictum est de celebrante in Collegiatis, primam Antiphonam ei præintonabit Subdiaconus, vel alius, iuxta Ecclesię consuetudinem: qui etiam alias pręintonabit, modo suo loco pręscripto. Sup. li. 2. sect. 3. c. 2. nu. 11.

4 Expleta Antiphona, & incæpto primo Psalmo, Episcopus sedens accipit Mitram leuiorem, & tunc omnes alii in suis locis sedent. In fine Psalmorum ad ℣. *Gloria Patri* cum Mitra sedens caput inclinat, reliqui detecto capite.

5 Expletis Psalmis Subdiaconus, vel alius, ad quem spectat, iuxta locorum consuetudinem, à Cęremoniario ductus, cum debitis reuerentiis accedens ad locum, vbi cantari solet Epistola, alta, & ęquali voce cantabit Capitulum, omnibus interim surgentibus, Episcopo cum Mitra, reliquis detecto capite.

6 Post Capitulum, Canonicus, vel

alius, ad quem ex Ecclesię consuetudine spectat, per Cęremoniarium ante Episcopum stantem cum Mitra ductus præintonabit illi Hymnum, & Episcopus statim deposita Mitra repetit præintonationem Hymni, quem Cantores prosequuntur, & si Hymnus fuerit *Veni Creator Spiritus*, vel *Aue maris stella*, statim intonato Hymno genuflectit in puluino ad id parato, & completo primo Versu surgens stat detecto capite, donec perficiatur totus Hymnus cum Versiculo.

7 Post Versiculum idem Subdiaconus, vel alius, qui intonauit Antiphonas Psalmorum, per Cęremoniarium ductus præintonat Antiphonam Cantici *Magnificat*, qua intonata ab Episcopo, dum à Cantoribus, & Organo cantatur, ipsemet sedet.

8 Accedente Thuriferario, Presbyteroque assistente nauiculam ministrante, imponitur thus in thuribulum, prout proprio loco dictum est; interim duo Acolythi ad Altare accedentes eleuant hinc inde anteriorem partem superioris tobaleæ, seu veli super Altare positi, illamque conduplicant vsque ad medium, & incensato postmodum Altari illam iterum reducunt, vt erat prius.

9 Cum Cantores inchoant Canticũ *Magnificat*, omnibus surgentibus Episcopus surgit cũ Mitra, & facto sibi signo crucis a fronte ad pectus, acceptoque sinistra manu Baculo pastorali, medius inter Diaconos assistentes, qui Pluuialis fimbrias hinc inde eleuatas tenebunt, procedit ad Altare, ante cuius infimum gradum, depositis Baculo, & Mitra, cruci reuerenter caput inclinat, deinde ascendens ad Altare ipsum in medium osculabitur, acceptoque de manu Assistentis thuribulo, quod ille de manu Thuriferarij acceperat, incensabit Crucem, & Altare, modo proprio loco præscripto. Sup. sec. 1. cap. 1. num. 9.

10 Thurificato Altari, redditoque thuribulo Assistenti, qui illud Thuriferario tradit, prius cruci in medio caput inclinat, & accepta Mitra, atque Baculo, factisque ante gradus Altaris debitis reuerentijs Cruci, ad sedem suam reuertitur.

11 Vbi Episcopus ad sedem peruenerit, stans cum Mitra, & Baculo, quem tenet vtraque manu coniuncta, thurificatur à Presbytero assistente, & postquã fuerit thurificatus, deposita Mitra, retentoque Baculo stat vsque ad finem Cantici.

12 Subdiaconus, vel alius, qui Antiphonas præintonauit, thurificabit primò Presbyterum assistentem, deinde Diaconos assistentes, postmodum Canonicos, & alios ordine suo loco præscripto. Cũ per Chorum repetitur Antiphona, Episcopus sedet, & deposito Baculo recipit Mitram. sup. lib. 1. sect. 5. c. 9. n. 10 & sec. 8. c. 5. nu. 4 & 5.

13 Completa Antiphona accedentibus ceroferarijs, quos ad Episcopum ducit Cęremoniarius cum debitis reuerentijs, silentibus organis, surgit Episcopus deposita Mitra, sicque stans versus Altare Assistente librum sustinente, cantat Vers. *Dominus vobiscum* cum Oratione, quam dicit manibus iunctis, qua completa Cęremoniarius reducit ceroferarios ad Altare, qui suo loco candelabra reponunt.

14 Dicto *Benedicamus Domino*, Episcopus stans in sua sede, vel ad Altare accedens cum Baculo, & Mitra benedictionem dat, dicens, *Sit nomen Domini benedictum*, &c. iuxta formam præscriptam, non tamen publicantur Indulgentiæ. Si esset Archiepiscopus, vel Patriarcha vtens Cruce allata illi per Capellanum ante se, deposita Mitra, illi profundè caput inclinat, mox benedictionem dat detecto capite. Si adesset Cardinalis, vel Legatus, vel Metropolitanus, Episcopus mittit Cęremoniarium, vel Capellanum ad eum, vt placeat illi benedictionem dare, quam Legatus, vel Metropolitanus ex vrbanitate remittit ipsi Episcopo celebranti dandam. Cęrem. Episc. in fine.

15 Data benedictione, Episcopus in sua sede exuitur paramentis sacris, ac

pariter

pariter Canonici in locis suis paramenta deponunt, & Episcopum redeuntem comitantur eodem ordine, quo venerât, interim tanguntur organa.

16 Si in aliquibus festis atque Dominicis solemnibus Episcopus non sit ipse Missam solemnẽ celebraturus, velit tamen Vesperis, siue primis, siue secundis interesse, & Officium facere, tunc paramenta sumet non in sede sua, sed in Sacristia, Canonici nõ omnes, sed quatuor, aut sex tantùm cum Pluuialibus parantur: Diaconi hinc inde à lateribus Episcopi assistentes erunt in suo habitu Canonicali, pariter & Presbyter assistens. Antiphonæ præintonantur non per Subdiaconum, vt supra, sed per aliquem Canonicum, aut alium, ad quem de consuetudine Ecclesiæ spectat, prima Episcopo, reliquę aliis Canonicis per ordinem incipiendo à dignioribus. Capitulum ab aliquo ex Cantoribus alta voce cantabitur, seruatis in reliquis omnibus, vt supra.

Cærem. Episc. li. 2. c. 2.

17 Episcopus assistens cum Cappa non ipse, sed Canonicus paratus Vesperas celebrabit, petita prius ab ipso licentia incipiendi stans à latere Epistolę, assistentibus sibi quatuor, vel sex cum Pluuialibus, qui omnia, vt supra, pręstabit, & dum cantantur Psalmi tam celebrans, quàm Canonici sedere poterunt coo perto capite in aliquo scamno præparato, & ornato à latere Epistolę, videlicet celebrans in medio, reliqui à latere hinc inde. Antiphonę pręintonãtur ab aliquo ex Presbyteris paratis, prima celebranti, deinde aliis Canonicis dignioribus per ordinem, vel aliter iuxta consuetudinem Ecclesiarum. Capitulum dicitur ab aliquo Cantore. Hymnus, & Antiphona ad *Magnificat* pręintonabitur ab eodem Presbytero parato, vt supra. Episcopus in sua sede benedicit, & imponit incensũ in thuribulum more solito. Thurificato Altari celebrans stans in cornu Epistolę capite detecto ab aliquo ex Presbyteris Pluuiali parato triplici ductu thurificabitur. Deinde Episcopus à Canonico Presbytero assistente capite detecto stans in sua sede thurificabitur triplici ductu; deinde reliqui ordine suo loco præscripto. Oratio dicitur à celebrante stante versus Altare à latere Epistolę, adstantibus Ceroferariis hinc inde cum candelabris, & cereis accensis, alioq; Acolytho inter illos librum tenente. In fine, dicto *Benedicamus Domino*, Episcopus in sua sede stans, vel in Altari, vt supra, dat benedictionem solemnem, tamen sine baculo, non enim eo vtitur, cum non est paratus.

De Completorio. Cap. X.

Cærem. Episc. li. 2. c. 4.

POterit Cõpletorium immediatè post Vesperas cantari, vel etiam alia hora tardiori, non tamen solemniter celebratur, & ideo minor erit luminum numerus, quàm ad Vesperas; quòd si Episcopus, vel loci Superior celebrare voluerit, cum sua Cappa in stallo in Choro assistet; Psalmi cantantur sine organo, nec vnquam celebrans in eo vtitur Pluuiali, neque incensatur Altare, sed ipse Superior ea omnia præstabit, quæ ad Hebdomadarium spectant. Et vbi est cõsuetudo poterunt in solemnioribus adhiberi Organa ad Hymnum, Versus, & Canticum. In reliquis Horis non adhibentur Organa, sed tantùm ad Tertiam cum ante Missam solemnem celebratur.

De Matutinis in Collegialibus solemniter celebrandis. Cap. XI.

1 *Præparanda pro Matutinis solemnibus.*
2 *Ordo accedendi ad Matutinum.*
3 *Modus celebrandi Matutinum.*
4 *Psalmi quomodo cantandi cum suis Antiphonis.*
5 *Absolutio quomodo dicenda.*
6 *Lectiones quomodo cantandæ.*
7 *Responsoria post Lectiones quomodo cantanda.*

8 *Benedictiones quomodo pronuncianda.*
9 *Euangelium in septima Lectione quomodo cantandum.*
10 *Preparanda pro solemni Laudum celebratione.*
11 *Vltima lectio à quo, & quomodo cantanda.*
12 *Hymnus Te Deum à quo praintonandus.*
13 *Habitus Prelati, vel Canonici celebrãtis ad Matutinum.*
14 *Laudes quomodo celebranda.*
15 *Ordo recedendi.*

1 PRo Matutinis solemniter in Collegialibus celebrandis parentur in Sacristia omnia necessaria prout supra dictum est ad Vesperas; in Altari cerei in candelabris accendendi: in medio Chori Legile pro Lectionibus cum Breuiario suis signaculis bene disposito, ac denique candelula in instrumento, quod Bugia dicitur. Hora competenti pulsantur campanę harmonico sono pluribus vicibus; interim per Acolythos omnia in Choro, pariter & in Altari bene disponantur.

2 Dato secundo signo, accendunt cereos in Altari, & in Choro, omnesque alij superpelliceis induti, quilibet ad locum sui ordinis accedens genuflexus expectat; celebrans in sede sibi parata, duo Cantores illi assistentes in primis sedibus Chori inferioris ante ipsum sedent. Ombunis ritè dispositis, dum datur tertium, & vltimum campanarum signũ; celebrans in suo loco, & omnes alij per ordinem surgentes dicunt secretò *Pater noster, Aue Maria, & Credo*, quibus completis, cessante cãpanarum sono inchoabitur Officium.

3 Celebrans signans se pollice in ore dicit *Domine labia mea*, &c. deinde subdens *Deus in adiutorium meum* signabit se à fronte ad pectus more solito. Cantores in medio Chori procedentes facta Altari reuerentia, & mutuis inclinationibus se salutantes cantabunt Inuitatorium, quo cantato recedunt cum debitis reuerentiis: primus Cantor ad celebrantem accedens prius Hymnum, deinde primam Antiphonam ei pręintonabit.

Cęrem. Episc li. 2 c. 6.

4 Cantores in medium conuenientes cum debitis reuerentiis inchoabunt Psalmum, quem omnes cooperto capite prosequuntur, & vbi est consuetudo, sedebunt, & ad ℣. *Gloria Patri* in fine Psalmi, detecto capite profundè se inclinant: eodem modo & reliquos Psalmos in medio intonabunt. Antiphonas per ordinem alternatim ex vtraque parte Chori incipiendo à dignioribus iidem Cantores pręintonabunt.

5 Repetita Antiphona post tertium Psalmum iidem Cantores Versiculum decantabunt; & tunc omnibus detecto capite surgentibus, celebrans dicet *Pater noster, & ne nos*, &c. ac postea subdet Absolutionem.

6 Lectores assignati à Magistro Cæremoniarum singuli cantabunt Lectiones in Legili in medio Chori posito, & si fuerint Canonici, procedunt associati à Cęremoniario, Sacerdotes verò ab aliquo Acolytho, qui eis, dum cantant Lectiones, assistit; procedunt autem ad cantandas ipsas Lectiones primò iuniores, postea sequuntur seniores gradatim suo ordine. Iunior primam Lectionem cantaturus, dicta à celebrante Absolutione, facie ad ipsum conuersa, inclinatus dicit *Iube Domne benedicere*, & sic inclinatus permanebit, donec ille perficiat verba benedictionis, quibus à celebrante prolatis, & per Chorũ responso *Amẽ*, & non prius, omnes tecto capite sedent, & Lector cantabit suam Lectionem, quam prosequetur vsque ad finem, in qua dicens in fine *Tu autem Domine*, &c. versus Altare genuflectit, ac recedens cęteris in Choro existentibus reuerenter inclinat, & ad locum suum reuertitur.

7 Post Lectiones dicuntur Responsoria, & Cantores in medium conuenientes cantabunt Versus. Post tertium, sextum,

rum,& octauum Responsorium, dum dicitur Vers. *Gloria Patri*,&c. omnes detecto capite profundè se inclinant, & vbi Psalmi à stantibus cantantur ad Vers. *Gloria Patri* omnes consurgunt, & sic stantes prosequuntur Psalmos.

8 Reliquæ Lectiones eodem ordine, & modo cantatur, ac in reliquis Nocturnis, tantùm obseruando, quòd celebrans ad primam, quartam, & septimam benedictionem stat detecto capite, ad reliquas non surgit, sed detecto capite profert verba benedictionis.

Cærem. Episc. li. 2. c. 5. 9 Dum in septima Lectione cantatur textus Euangelij, omnes stant detecto capite, donec Lector dicat *Et reliqua*; aduertēdo, quòd in ea non debent adhiberi luminaria, neque ipse cantans stat iunctis manibus, sed ipsas in Legili, vel libro tenebit, nec se ipsum, neque librum pollice signabit, vt fit ad Euangelium.

Cærem. Episc. li. 2. c. 5. & 6. 10 Interim dum cantantur Lectiones tertij Nocturni, Acolythi accendunt cereos supra cancellos, seu parietes, Ceroferarii quoque in suis candelabris; celebrans verò sacris induitur, & cum eo duo Cantores assistentes ante ipsum in primis sedibus Chori inferioris induuntur Pluuialibus.

11 Vltima Lectio cātatur à celebrāte, qui si fuerit loci Superior, & non adsit in Choro alius altioris gradus, & ordinis; stās in sua sede detecto capite accedētibus Ceroferariis cū candelabris & cereis accēsis dicet *Iube Domine benedicere*, nō autem *Domne*, cui, cum non adsit Superior, non debent responderi ab inferiore verba benedictionis, sed Chorus immediatè respondebit *Amen*. Interim dum Superior loci cantat Lectionem omnes stant detecto capite, ipse verò dicens in fine *Tu autem Domine*, &c. profundè caput versus Altare inclinat.

12 Respōsō à Choro *Deo gratias*, Assistente Pluuiali induto præintonante Hymnum, ipse *Te Deum laudamus* inchoabit, Choro prosequente cum sono Organi.

13 Si celebrans fuerit Prælatus, vel Canonicus habens vsum Cappæ, vel Almurij, ad Matutinum accedere debet cū Cappa, vel Almurio supra Rochettum, vel superpelliceum, & ad Laudes assumet Pluuiale, vt supra.

14 Laudes celebrari debent sicut & Vesperę, in quibus incensatur Altare, & reliqua, quę ad Vesperas sunt adnotata, obseruantur, Assistentes tamen parati erunt tantùm duo.

15 Post Laudes celebrans præcedentibus Ceroferarijs cum candelabris accensis, quos sequuntur Assistentes parati in Sacristiam procedit, vbi deponit paramenta, & si dies illucescere incipiat, pulsantur campanę pro solemnitate. Extinctis cereis in Altari, & cancellis accēduntur ad minus duę candelæ, quę diebus solemnibus tota die erunt accensę.

De Matutinis solemnibus in Cathedralibus ab Episcopo celebrandis. Cap. XII.

1 *Ordo quo Episcopus ad Matutinum accedit.*
2 *Ordo inchoandi Matutinum.*
3 *Antiphona à quo praintonanda.*
4 *Lectiones à Canonicis cantanda.*
5 *Episcopus quomodo dicit Absolutionem.*
6 *Lectiones quomodo cantanda.*
7 *Differentia in dandis benedictionibus obseruanda.*
8 *Ad Euangelium standum recto corpore.*
9 *Nona Lectio cantanda ab Episcopo, & quomodo.*
10 *Hymnus Te Deum Episcopo praintonandus, & quomodo.*
11 *Ad Laudes solemnes quomodo procedendum.*

1 EPiscopus ad Matutinum solemne celebrandum accedet Cappa indutus à Canonicis associatus, & vbi ante Sanctissimum Sacramentum prius, mox ad Altare maius genuflexus aliquã tisper orauerit, accedit ad Chorum, & in locum sibi paratum aliquantulum sedet capite cooperto cucullo cappæ, vel bireto, prout ei magis placuerit, interim Caudatarius aptabit per gyrũ fimbrias Cappæ; nullo apud eum assistente.

2 Vbi aliquantisper quieuerit, omnibus ritè dispositis surgens detecto capite dicto secreto *Pater noster, Aue Maria, & Credo;* dicet ℣. *Domine labia mea*, & *Deus in adiutorium*, &c. Cantores verò Inuitatorium cãtabunt, vt supra, post Inuitatorium aliquo, ad quẽ iuxta loci consuetudinem spectat, illi præintonante, ipse Hymnum intonabit, & post Hymnum Antiphonam. Incepto primo Psalmo sedebit, & omnes alij pariter sedebunt, & ad Versiculum *Gloria Patri* omnes se inclinabunt, vt supra.

3 Reliquæ Antiphonæ præintonãtur ab aliquo Beneficiato, vel alio, ad quem iuxta loci consuetudinem spectat, præintonabuntur autem Canonicis incipiendo à dignioribus gradatim: Psalmorum verò initia à Cantoribus in medio Chori, vt supra, sicut & Versus post Psalmos, & Antiphonas intonantur.

4 Lectiones cantãtur ab octo Canonicis, incipiendo à iuniore, septima verò, & octaua cantabuntur ab his qui assistere debent Episcopo à lateribus in Missa.

5 Post Psalmos, & Versum Episcopus surgens detecto capite dicit *Pater noster, Et ne nos*, &c. postea subdet *Absolutionem* ex libro quem sustinebit Capellanus superpelliceo indutus, altero Capellano pariter superpelliceo induto lumen ministrante.

6 Canonicus cantaturus Lectionem à Cęremoniario ductus ad Legile in medium Chori præparatum, facta ibi Altari reuerentia, & Episcopo profunda inclinatione, completa Absolutione conuersus ad Episcopum, profundèq; inclinatus dicit *Iube Domne benedicere*, ad quem sic inclinatum permanentẽ Episcopus conuersus stans verba benedictionis profeſret, nõ tamen efformabit signum Crucis super eum, & responso *Amen*, Episcopus, & omnes alij tecto capite sedent. Canonicus verò omnibus sedentibus, & non prius incipit, & prosequitur suã Lectionem, & dicens in fine *Tu autem Domine*, &c. genuflectit versus Altare, & surgens facit profundam inclinationẽ versus Episcopum, qui super eum facit signum Crucis. Si cantans Lectionem non esset Canonicus, cantata Lectione accederet ad osculandum manum Episcopi.

7 Aliæ Lectiones eodem modo suo ordine cantantur, hoc tantùm excepto, quòd ad primam, quartam, & septimam Lectionem Episcopus dans benedictionem stat, ad reliquas verò sedet.

8 Ad textum Euangelij Episcopus, & omnes stant detecto capite, donec dicatur à cantante *Et reliqua*.

9 Lectio nona cantatur ab Episcopo cum Cappa, qui stat detecto capite versa facie ad Altare, & tunc, & non prius accedunt ad eum duo Diaconi assistentes, item minister de candela, & alter librum sustentãs. Et si non aderit in Choro alter Prælatus Episcopo maior, puta Legatus Cardinalis, vel Metropolitanus dicet versus Altare cantando *Iube Domine benedicere*, & non *Domne*, cui absolutè respondetur à Choro *Amen*. Si verò adesset Prælatus illo maior, Episcop. cõuersus ad illũ peteret benedictionem, cui ille respondere deberet *Ad societatem* &c. dicens in fine Lectionis *Tu autem Domine* profundè versus Altare inclinat.

10 Post Lectionem pręintonator ad Episcopum accedens ipsi pręintonabit Hymnum *Te Deum*, qui per Chorum, & Organum cantari poterit.

11 Ad Laudes proceditur, prout de Vesperis supradictum est, nam statim finito Hymno, Episcopus in sua sede induitur paramentis sicut ad Vesperas, non tamen Cærem. Epis. lib. 2. c. 7.

men Canonici omnes parantur, sed tantùm quatuor, aut sex ex dignioribus. In reliquis omnia obseruari debent prout ad Vesperas; ad Canticum *Benedictus* eadem disciplina proceditur ad incensandum; ad Orationem accedunt Ceroferarii, & in fine datur solemnis benedictio.

SECTIO SEXTA.

De Sacrificio Missæ in genere.

De Institutione Sacrificij Missę, & ritibus à Romanis Pontificibus ordinatis diligenter obseruandis. Cap. I.

1 *Sacrificij Missæ institutio cum suis cæremonijs.*
2 *Missale à Pio V. restitutum.*
3 *A Clemēte VIII. vnà cum Cæremoniali recognitum, & emendatum.*
4 *Rituale Pauli V. iussu editum.*
5 *Rubricæ Missalis quàm diligenter obseruandæ.*

1 DE precibus horarijs in cœtu fidelium ritè celebrandis satis iā egimus; ipsum modò Sacrosanctum Missæ Sacrificiū à Christo Dño primùm in nouissima Cœna institutū, ab Apostolis in ipsius nascentis Ecclesiæ primordiis fidelibus traditū, necnon à supremis Ecclesiæ Pastoribus per temporū successiones augustissimis cęremoniis adauctum, atq; illustratum sese nobis offert explicandū; quibus videlicet sacris ritibus in vniuersa Ecclesia peragi debeat.

2 Primum autem omnium sciat oporter Ecclesiasticus noster Pium V. Pontif. Maxim. cuius memoria in benedictione sit, Tridentini Concilii decretis inhærendo, de sacris libris emendandis Breuiarum castigatum ad debitas Deo persoluendas Laudes edidisse anno Domini 1568. sui Pontificatus III. ac postmodum ad pristinam Sanctorum Patrum, præcipuè Pelagii, & Gregorii I. & Gregorii VII. ordinationem, ac Pauli IV. dispositionem ipsum quoque Missale restituisse anno Domini 1570. Pontificatus sui V.

(Concil. Tr. sess. 4. Cōs. Pij V. 64. Quod à nobis, Constit. 106. Quò primum.)

(Bullar. to. 2. p. 260.)

3 Clemens verò VIII. qui & in diebus suis habetur in Laudibus, emendatis iam sacrorum Bibliorum libris, iuxta vulgaram editionem, quæ ante tempora S. Hieronymi celebris erat in Ecclesia, ex qua Liturgicum Missæ Officium, vt patet, est desumptum, Missale recognitum suæ integritati restituit, & quàm emendatissimum vniuersæ Ecclesiæ tradidit anno Domini 1604. Pontificatus verò sui XIII. sicut & Cęremoniale Episcoporum emendatum antea tradiderat ipso sacri Iubilei anno 1600.

(Constit. CI. VIII cum Sāctissimū. Bull. to. 3. p. 157.)

4 Nouissimè Paulus V. fel. mem. Pōtifex anno Domini 1614. Pontificatus sui X. Rituale Romanum edi iussit; ex quibus, aliisque antiquis, ac probatis cæremoniis à pręscriptis nō alienis, quas & Apostolicę Constitutiones non respuunt, sed admittunt, ea excerpsimus, quæ in tanto sacrificio ministrando sunt necessaria.

(Constit. Pauli V. Apostolicæ Sedis Bullar. to. 3. p. 318.)

5 Sacrorum itaque rituum studiosi diligenter hinc colligant, quanto studio in celebratione tanti Sacrificii interitus, exteriusq; se ipsos, vt decet, Ecclesiasticis ordinationibus, vt Deo placeant, disponere debeant: quæ enim in ipsis Missalis Rubricis continentur, Romani Pontificis sunt decreta, & Ecclesiasticæ sanctiones, ad dignè talia mysteria pertractā da ordinata, quæ si voluntariè prætermittantur, vel permutentur, in maioribus quidem grauis culpæ reatum, in minoribus verò, vel cum non aduertendo variantur, leuioris offensionis culpam inducunt. Nihil tamen in re tam graui tanquam leue est contemnendum, sed singula summo studio sunt attendenda. Ministrorum locum tenemus, neque parua imminet vltio; si tam sancta non sanctè tractemus, sanguis eius de manibus nostris exequiretur; omni igitur re-

(D. Chrysost. hom. 83. in Mat.)

uerentia singula perficiantur; sunt enim de corpore Domini, quod pro omnibus Deo offertur, communi iure omnibus præscripta: quòd si legalium sacrificiorum legitima à Priscis Patribus strictè obseruabantur; quantò magis Dominici corporis, & noui Testamenti sanguinis sacra mysteria oblata, Ecclesiasticis ritibus, nouissimis his temporibus, tam distinctè præscriptis, numero quidem, vt ait D. Augustinus, paucissimis, obseruatione facillimis à Ministris noui testamenti nunc custodiri debent? D. Aug. epi. 118.

De variis Missarum generibus. Cap. II.

1 *Missæ solemnis, & priuata distinctio.*
2 *Missæ Conuentuales quænam sunt.*
3 *Missa Principalis quænam dicatur.*

1 CVm Missæ Sacrificium, quod in Altari Ecclesiastico ritu à Sacerdotibus offertur, non semper eodem modo celebretur; ad maiorem eorum, quæ in Rubricis Missalis habentur, intelligentiam, distinguere hoc loco oportet varia Missarum genera. In primis namque ab vniuersalioribus exordiendo, aliæ dicuntur solemnes, aliæ priuatæ, & quidem solemnes dicimus eas, quæ cum Ministris, priuatas verò, quæ sine Ministris celebrantur; non attendendo, an cum cantu, vel sine cantu celebrentur; parum enim refert: qua generali distinctione posita, vlterius procedendo rursus aliæ Missæ dicuntur de die, aliæ votiuæ, aliquæ etiam pro Defunctis.

2 Rursum Missæ aliæ dicuntur Conuentuales, aliæ Principales; Conuentuales sunt illæ, quæ dicuntur in Collegiatis, vbi est plurium Congregatio Sacerdotum in eadem Ecclesia celebrantium; istiusmodi autem Missæ, licet vt plurimùm, maximè in Cathedralibus, ac maioribus Ecclesiis solemniter cum Ministris, & cantu celebrentur, non tamen necessariò hæc requiruntur: sed ad hoc, vt Missæ Conuentuali in Collegiata Ecclesia dictæque satisfiat, satis erit, si pro Conuentu celebretur: & sic vt plurimùm, vbi maximè non cantantur quotidie Missæ solemnes, Conuentualis ea censetur, quæ immediatè post Horas diurnas in Altari maiori celebratur. Cærem. Petr. de Ruyz tit. intr. de todas las Missas pag. 316.

3 Principalis Missa ea est, quæ principaliter iuxta Rubricas eo die dici debet siue pro viuis, siue pro defunctis; & est ea, quam communiter dicunt Missam maiorem; neque necessariò debet esse conformis Officio, nam Missa Beatæ Virginis in Sabbatis Aduentus non impeditis Officio Vigiliæ, vel quatuor Temporum dicitur Principalis, sicut & Missæ Vigiliarum, quæ celebrantur infra Octauam, licet Officium fuerit de Octaua, nec non Missæ Vigiliæ, vel feriæ quatuor Temporum, ac Quadragesimæ dicendæ diebus festis post Missam Sancti occurrentis, Principales dicuntur. Item Missæ votiuæ, quæ non occurrente festo, singulis ferijs per annum sunt assignatæ cum suis diebus non impeditis, Principales dicuntur: ac tandem Missæ defunctorum, cum propriis diebus à Rubricis assignatis eas celebramus, Principales dici debent, licet distinctum ab alijs constituant ordinem, prout suo loco explicabitur. Ruyz vbi sup. pag. 4. Inf. c. 5.

De Missa de die. Cap. III.

1 *Missa de die in varios distinguntur ordines.*
2 *Missa duplex quænam sit.*
3 *Quando in duplicibus Oratio addi potest.*
4 *Ordo Missæ in semiduplicibus.*
5 *Missa de Dominica quomodo celebrãda*
6 *Item de die infra Octauam.*
7 *Pariter de Sancto Simplici.*
8 *Missæ Sanctorum die impedito si celebrentur, censetur de die.*

9 *Missa feria ordinaria per annum quando dici debeat.*
10 *Missa feriarum quatuor Temporum quomodo ordinanda.*
11 *Missa feriæ quatuor Temporum occurrente infra Octauam.*
12 *Obseruanda in Missis feriarum Quadragesima.*
13 *Ordo Missæ in ferijs tempore Passionis.*
14 *Ordo Missæ in ferijs tempore Paschali.*
15 *Ordo Missæ in ferijs Rogationum.*
16 *Missa de Vigilia quomodo ordinanda.*
17 *Vigilia cum die festo concurrente quomodo celebrandum.*
18 *Duæ Missæ quomodo dicendæ in Ecclesijs Collegiatis.*
19 *Missa de Vigilia occurrente infra Octauam.*
20 *Ecclesia Collegiata quanam censeantur.*
21 *Vbi vnica tantùm Missa dicitur, quid agendum.*

1 CVm iuxta *Missalis* Rubricas singulis diebus propriæ *Missæ* sint assignatæ, aliç quidem festiuç, aliç verò feriales, quç cum diuersi sint gradus, & ordinis, diuersos requirentes ritus; idcirco singula aduertere oportet.

2 Duplicia alia sunt immobilia, alia mobilia; de duplici tunc celebratur, cum in Kalendario hac nota prçscriptum festum ipsum inuenitur: *Duplex*: & tunc quotannis eodem die mensis, in quo est signatum, inuariabiliter celebratur: *Mobilia* verò sunt, quç iuxta Nicæni Concilij decreta in Tabula Lunationum, & Epactarum præscripta inueniuntur, in quibus quotiescumque Officium erit duplex, *Missa* quoque duplici ritu celebrabitur; hoc est, dicetur cum vna tantùm Oratione; nam in reliquis nihil differt ab aliis; quòd si aliqua occurrat Commemoratio, eodem modo procedēdum erit, quo & in Commemorationibus, quç fiunt in Officio: & hæc est generalis regula duplicium dierum circa *Missarum* celebrationem.

3 In duplicibus, dummodo non sint ex maioribus, dici potest Oratio à Superiore ordinata pro re graui, vel publica Ecclesiæ causa; si enim celebrari potest *Missa* votiua solemnis, multò magis addi potest Oratio pro qualibet necessitate, prout in Vrbe fieri consueuit; & colligitur expressè ex Rubrica, nam in festis, quç transferūtur, vbi est Titulus ob concursum populi, potest dici *Missa* de Sancto, & altera de feria priuilegiata, vel saltem fiat Commemoratio de Sancto.

Petr. de Ruyz. Cœremon. Miss. S. - 1.6. Alcoz. rub gen. gloss. 14. Rub. gene. Miss. c. VI.

4 De semiduplici *Missa* dicitur in illis Sanctorum festis, quibus in Kalendario prçnotatur hçc notat *Semiduplex*: differt à Duplici, quòd in illa vna tantùm Oratio dicitur, in ista verò tres, quæ suis temporibus variantur; nam in Aduentu secunda semper erit de feria; tertia de Beata Virgine, prout in Rubrica particulari Dominicæ primæ aduētus: reliquis verò temporibus, puta à Pentecoste vsque ad Aduentum; ab Epiphania vsque ad Purificationem; à Purificatione vsque ad Quadragesimam; à feria IV. Cinerum vsque ad Dominicam Passionis; à Dominica Passionis vsque ad Dominicam Palmarum; ac denique tempore Paschali satis expressè habetur in Rubrica generali *Missalis*.

Rub gene. Miss. IX no. 4. 3. 4. § 6.

5 *Missa* de Dominica dicitur, sicut in semiduplicibus cum tribus Orationibus, exceptis Dominicis infra Octauas occurrentibus; in quibus dicuntur duæ Orationes, vna de Dominica, secunda verò de Octaua; semperque in ea licet non celebretur de Dominica dicitur Symbolum post Euangelium.

Rub gene. Miss. I I. Rub gene Miss. 9 10 11. Rub gene. Miss. XI.

6 Infra Octauam dicitur Missa, sicut in die festo, excepis octauis Paschæ, & Pentecostes, quibus propriæ Missæ assignantur; dicuntur autem in missis: quæ infra octauas celebrātur, tres Orationes, quarum prima erit de die, secunda de

Rub. gene. Miss. XI. Rub. gene. Miss. IX. 9.

Sãcta Maria, tertia verò Ecclesię, vel pro Papa, Infra Octauas Sãctæ Mariæ, & Omnium Sanctorum secunda Oratio erit de Spiritu Sãcto. Excipiuntur ab hac regula Octauæ Paschę, & Pẽtecostes, in quarum Missis duę tantũ Orationes dicuntur, vna de die, altera Ecclesiæ, vel pro Papa.

Rub. gene. Miss. IX. 8.

7 De simplici dicitur Missa eodem modo, quo de semiduplici dictum est; cũ hoc tamen discrimine, quòd in semidu plicibus tres tantùm Orationes dicũtur, nisi forte alicuius ratione Cõmemorationis faciendæ plures essent addẽdæ: at in Missa Sancti simplicis plures dici possunt ad libitum, sicut in feriis per annum; & in qualibet secunda feria, occurrente festo simplici, secunda Oratio, vel penultima sẽper erit pro defunctis *Fideliũ*, &c.

Rub. gene. Miss. XI. Rub. gene. Miss. XI. 12. Rub. gene. Miss. XV. 10.

8 Censeri etiam debet Missa de die ea, quæ in alicuius Sancti celebratur die, in qua eius Officium iuxta Rubricas transferri debet ratione festi maioris, vel alicuius Dominicę ex maioribus, si in Ecclesia, vbi est Titulus, vel populi concursus iuxta Missalis Rubricas de eo celebrari contingat. Item in festo alicuius Sancti simplicis, de quo ratione concurrentię ferię Aduentus, vel Quadragesimę, seu etiam alterius Sancti maioris tantùm Commemoratio fieri deberet, si quis Missam integram illius Sancti celebrare voluerit, vtique talis Missa de die censenda erit, & eodem modo cum *Gloria*, & reliquis in die requisitis ordinabitur; parique disciplina poterit Sacerdos erga aliquem Sanctum ea die occurrentem, & si in Kalendario non sit eius nomen pręnotatum, pio religionis affectu permotus Missam celebrare talisque Missa de die censebitur.

Rub. gene. mis. VI.

9 Missę feriales ordinariè illę censentur, quæ dicuntur in diebus ferialibus per annum, quandocumque fit Officium feriæ; exceptis Sabbatis Aduẽtus, in quibus, nisi occurrant Vigilia, vel feria quatuor Temporum, licet Officium fiat de feria, Missa tamen dici debet de B. Virgine: excipiuntur etiam secundę feriæ, in quibus Missa dici debet pro defunctis, nisi resumenda sit Missa Dominicæ præcedentis, quæ fuit impedita, & infra Octauam non occurrat alius dies, in quo resumi possit: in ipsis dicuntur tres Orationes, aut quinq; possunt etiam dici septem ad libitum; hinc colligitur, quòd non plus dici debeant, prout in Rubricis antiquis concedi videbatur; quod etiam S. Carolus in sua Prouincia antea mandauit.

Rub. gene. Miss. III. 1. Rub. gene. miss. V. 1. Act. Eccl. Med. tit. Init. miss.

10 Feriæ quatuor Temporum habẽt propriam Missam; & si in ipsis occurrat festum duplex, vel semiduplex, Missa erit de festo cum Commemoratione feriæ, cuius Euangelium dicetur in fine: In Ecclesijs verò Collegiatis, vbi plures Sacerdotes quotidie celebrant, dicuntur duæ Missæ, altera de Sancto post Tertiã absq; Commemoratione feriæ, & in eius fine dicetur Euangelium Sancti Ioannis; altera de feria post Nonam, in qua plures assignatæ Orationes dicuntur, & vbi plures Lectiones leguntur, huiusmodi Orationes dicũtur post vltimam Orationem ante Epistolam.

Rub. gene. mis. III. 1. Rub. gene. Mis. X. 13.

11 Vigilia occurrente in ferijs quatuor Temporum Missa dicitur de feria cum Commemoratione Vigilię, non tamen in fine legitur eius Euangeliũ. Hinc inferunt periti, quòd in ferijs quatuor Temporum infra Octauam alicuius Festi occurrentibus, Missa dici debet de feria; si enim occurrẽte Vigilia dicitur Missa de Vigilia cũ Cõmemoratione octauę, multò magis occurrente feria quatuor Tẽporum, quæ præfertur Vigilię, Missa non de Octaua, sed de feria dici debet, quod infra per confirmatur; nã feriæ quatuor Tẽporũ iuxta Rubricas in omnibus æquiparãtur ferijs Quadragesimæ, sed illis octauæ cedunt; sunt enim dies priuilegiati, ergo licet expressum nõ habeatur ex Rubricis, quòd occurrente feria quatuor Temporũ infra Octauam, Missa dicatur de feria, & est casus omissus, tamen est satis Rubricis consonũ, & in eis implicitè, & virtualiter meo iudicio contentum, vnde

Rub. gene. Miss. IV. 5.

in proposito casu Missæ feriæ præfertur diei infra octauam.

Supra num. 10.

12 In ferijs Quadragesimæ, nisi occurrat duplex, vel semiduplex, semper Missa erit de Feria, prout dictum est de Ferijs quatuor Temporum; habent tamen propriam Præfationem, & in fine dicetur Oratio supra Populum; in duplicibus, & semiduplicibus semper fit Commemoratio Feriæ, cuius Euangelium legitur in fine, & in Collegiatis dicuntur duæ Missæ, modo supra explicato; de simplici verò tantùm Commemoratio fieri debet; & quia adueniente Quadragesima cessat Octaua, de infra eam nunquam fiet, nisi ex speciali Sedis Apostolicæ priuilegio, prout à Sacra Rituum Congregatione fuit concessum Ecclesiæ Barcinonensi sub die 6. Decembris 1608. & tunc licet Officium fiat de infra Octauam cum Commemoratione Feriç, prout in semiduplicibus, Missæ tamen omnes erunt de Feria cum Commemoratione Octauæ; Die tamen octaua, in qua Officium est duplex, dicetur Missa de Octaua cum Commemoratione Feriç; & si occurrat die Dominico, tantùm Commemoratio de Octaua est facienda. De Vigilijs verò in Ferijs Quadragesimæ occurrentibus fit tantùm Commemoratio in Missa, nec legitur Euangelium, in fine.

Concessio Sacr. rit. Cõgreg.

Rub. gene. Miss. XIII.2.

Ru. par. Miss.

13 In Ferijs tẽpore Passionis occurrentibus ante confessionẽ non dicitur *Iudica me*, neque *Gloria Patri* ad Introitum, neque in fine Psalmi *Lauabo*: post Orationem Feriæ dicitur Oratio *Ecclesiæ*, vel *pro Papa*, & non dicitur tertia Oratio: Præfatio erit de Cruce, & si occurrat festum simplex, secunda Oratio erit de Sancto, tertia *Ecclesiæ*, vel *pro Papa*. In semiduplicibus secunda de Feria, tertia *Ecclesiæ*, vel *pro Papa*.

Rub gene. Miss. VIII.5.

14 Missç in Ferijs temporis Paschalis celebrantur, prout in festis simplicibus cum propria Præfatione, exceptis tribus diebus ante Ascensionem, quibus ex antiquissima traditione celebratur in Ecclesia Rogationes.

15 In Ferijs Rogationum Missa dicitur de Feria in paramentis violaceis sine *Gloria in excelsis*; Et si occurrat festum simplex, fit tantùm de eo Commemoratio; Feria IV, tamen dicitur Missa de Vigilia in paramentis albis cum Commemoratione Rogationum, & in Collegiatis dicuntur duæ Missæ, vna de Vigilia, altera de Rogationibus; & si occurrat festum nouem Lectionum, Missa erit de Sancto cum Commemoratione Vigiliç, & Rogationum, & tunc dicuntur tres Missæ, prima de Sancto post Tertiam; secunda de Vigilia post Sextam; tertia de Rogationibus post Nonam.

rub. par. Miss.

Rub gene. Miss. IV.9.

16 Missa de Vigilia nunquam omittitur, sed celebratur in paramentis violaceis, dicunturque in ea tres Orationes, vna de Vigilia, secunda de Sancta Maria, tertia *Ecclesiæ*, vel *pro Papa*; in Vigilia verò Beatç Mariæ, secunda erit de Spiritu Sancto. In ipsis post Graduale non dicitur Alleluia, nec Versus, excepta Vigilia Natalis Domini, si venerit in Dominica, & Vigilia Epiphaniæ.

Rub. gene. Miss. X.4.

17 Si in Vigilia occurrat festum duplex, vel semiduplex, Missa erit de festo cum Commemoratione Vigiliæ, eiusque Euangelium in fine legetur, etiam si festum sit secundæ classis; quòd si erit ex maioribus primç classis, in Missa non fit Commemoratio de Vigilia, sicut nec in Officio.

Rub ge. ne. Miss. III.2.

18 In Ecclesijs Collegiatis concurrente Vigilia cum festo duplici, dummodo non sit ex maioribus primæ classis, cantantur duæ Missæ, altera de Sancto post Tertiam in paramentis coloris illi conuenientis, altera de Vigilia post Nonam in paramentis violaceis absque vlla vtrorumque Commemoratione.

Rub. gene. Miss. III.1.

rub. gen. ne. Miss. VII.2.

19 Vigilia occurrente infra Octauam, in qua Officium iuxta rubricas est semiduplex, Missa dicitur de Vigilia cum Commemoratione Octauæ, & licet non sit conformis Officio, quia tamen à Rubrica tali diei est assignata, censetur

Rub. gene. Miss. III.3.

Cœrem. Petr. de Ruyz ru. 3. §. 5. fol. 9. Cœrem. Alcoz. gloss. 3. fol. 13.

Missa de die; excipitur iuxta nonnullorũ peritorum sententiam Octaua Corporis Christi, in qua si occurrat Vigilia Sancti Ioann. Baptistę, Missam celebrandam dicunt esse de Octaua cum Commemoratione Vigilię; nam cum in tali Octaua ex speciali priuilegia iuxta Rubricas semiduplex non admittatur, multò minus ferialis Missa, quę semiduplici concurrente non dicitur; si enim in Vigilia occurreret aliquod festum duplex, Missa diceretur de festo, sed si occurreret festum semiduplex, Missa diceretur de Octaua; illo translato; ergo à fortiori, occurrente Vigilia, Missa dici debet de Octaua; & in Collegiatis dicitur duæ Missæ, sicut dictum est, cum occurrit festum alicuius Sancti.

Rub gene. Miss. VII. 2.

20 Ecclesię Collegiales, in quibus, occurrente Vigilia cum festo, duæ Missę celebrari debent, ex peritorum sententia etiam Regularium Ecclesiæ censentur, satis enim se explicat Rubrica, dicẽs, vbi plures Sacerdotes quotidie celebrãt: In dubium tamen reuocari posse videtur, quæ dicuntur à Rubrica, de hora, & cantu, & quidem quoad cantum standũ est consuetudini, ac possibilitati locorum, vbi enim quotidie non cantatur Missa, neque duæ cantari debent, & vbi diebus festis Missa de Sancto cantari cõ sueuit, non necessariò altera de Vigilia cantabitur, sed si dicatur priuatè, satisfit rubricæ. Vbi tamen vtraque cantari cõmodè poterit, prout in Cathedralibus, ac Maioribus Ecclesijs consueuit, laudabiliter in suo rigore seruabitur rubrica, & quoad horam, & quoad locum; de Sancto quidem post Tertiam; de feria verò, & Vigilia post Nonam; quòd si opportunitas temporis, ac loci commoditas aliquando aliud fortè requirat, nõ improbatur (quod etiam in Vrbe obseruarunt sacrorum rituum periti) si in aliquo Sacello priuatè Missa de feria celebretur, nullo tamen modo omittatur.

Petr. de Ruyz. rubr. de fer. §. 5. fol. 8. Alcoz. rubr. de vig. gl. 3.

Petr. de Ruyz vbi sup.

21 In illis autem Ecclesiis, quibus vna celebratur Missa diebus festis Sanctorum, Missa Conuentualis erit de Sancto, celebrabiturque post Tertiam, & in ea fieri debet Commemoratio feriæ, nam cessat ratio Rubricæ, quæ ait in Ecclesijs Collegiatis, in quibus plures Sacerdotes quotidie celebrant. Et hæc de Missa de die sufficiant.

De Missis votiuis. Cap. IV.

1 *Missæ votiuæ primi generis de Sanctis.*
2 *Missæ votiuæ secundi generis.*
3 *Missę votiuę secundi generis quando dici possint loco Missæ Principalis.*
4 *Missa votiua tertij generis.*
5 *Quando, & quomodo dici debeant.*
6 *Colores paramentorum in Missis votiuis adhibendi.*
7 *Missæ votiuæ pro re graui quando dici possint.*
8 *Missæ iuxta Ecclesiæ statuta celebrandę.*
9 *Missæ votiuæ non sine causa, eaque rationabili dici debent.*
10 *Missæ votiuæ diebus priuilegiatis ne dicantur.*
11 *In Missis votiuis quando dicatur Gloria.*
12 In *Missis votiuis B. V. extra Sabbatum an dicenda sit Gloria.*
13 *Missa votiua B. V. dicenda in Sabbato.*
14 In *festis votiuis B. V. quomodo celebrandum.*
15 *Missæ votiuæ in Vigilijs, ac ferijs ieiuniorum quomodo dicendæ.*

1 Missæ votiuæ sunt in triplici differentia, ac primò quidem de quolibet Sancto, ac quacumque festiuitate, de qua iuxta Rubricas Missalis per anni circulum celebratur, dici potest Missa votiua assumendo eam, quæ in die festo habetur, accommodando Orationes, vbi habetur *Natiuitas*, vel *Festiuitas* dicendo *Commemoratio*, vel *Memoria*, omit-

Alcoz. tract. de rubr. ge. gloss. 4. fol. 21.

omittendo vbi habetur *Hodie*, cum Præfatione propria, si eam habeat, tamē sine *Gloria in excelsis*, & *Credo*. Si celebretur Missa votiua de Assumptione B. Virginis, vel de S. Agatha, in Introitu *Gaudeamus*, vbi habetur *Diem festum celebrantes*, dicetur *Memoriam celebrantes*. De tempore, & festis mobilibus Missæ votiuæ non celebrantur. De Passione, Spiritu Sancto, Sancta Trinitate, ac Sacratissimo Sacramento Corporis Christi, non quæ eo tempore habentur, sed votiuæ secundi generis assignatæ dici debent.

2 Secundi generis Missæ votiuæ sūt, quæ habentur in Missali Romano singulis diebus per hebdomadam assignatę, & sunt octo, videlicet, Feria II. de Sanctissima Trinitate, Feria III. de Angelis, Feria IV. de Apostolis, Feria V. de Spiritu Sācto, vel de Sanctissimo Sacramento, Feria VI. de Cruce, vel de Passione, Sabbato de B. Virgine, quæ idcirco votiua dicitur, quia totum Officium Sabbati extra ordinem Officij, in Kalendario designatum ex voto Ecclesiæ dicitur.

Petr. de Ruyztra. de Miss. votiu.

3 Huiusmodi autem octo Missæ secundi generis dici possunt loco Missæ Principalis, atque Conuentualis in diebus infra hebdomadam assignatis, exceptis duplicibus, & tempore aduentus, Quadragesimæ, & Ferijs quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum, & nisi resumenda sit Missa Dominicæ prę cedentis. In aliis autem diebus non assignatis eędem Missæ votiuæ secundi ordinis dici poterunt pro deuotione Sacerdotis, dummodo non sit dies Dominica, vel duplex, & intercedat rationabilis causa; non tamen dicuntur his diebus non assignatis loco Missæ principalis, vel Conuentualis.

Rub. gene. Miss IV. 3.

4 Tertij generis Missæ votiuæ sunt tredecim, quæ habentur in fine Missalis Romani, videlicet, I. Pro eligendo Sūmo Pontifice. II. In die Creationis, & Coronationis Papæ, III. In Anniuersario Creationis, & Cōsecrationis Episcopi, IV. Ad tollendum Schisma, vel pro quacunque Ecclesiæ necessitate. V. Pro quacumque necessitate, VI. Pro remissione Peccatorum. VII. Contra Paganos. VIII. Tempore Belli. IX. Pro Pace. X. Pro vitanda mortalitate. XI. Pro Infirmis. XII. Pro Peregrinantibus. XIII. Pro Sponso, & Sponsa.

5 Harum prima, secunda, tertia, & vltima dicuntur votiuæ, quia non sunt de die, non tamen dici possunt quocunque tempore; sed prima Sede vacante tantùm; secunda, & tertia in Anniuersaria die creationis Papę, vel Episcopi tantum; vltima in benedictione nuptiarum; prima, secunda, & tertia qualibet die etiam Dominica, ac duplici dici potest; vltima pariter qualibet die, excepta Dominica. Nouem verò, quæ remanent, qualibet die dici possunt, exceptis diebus Dominicis, & duplicibus. Insuper prima dicitur in paramentis rubeis; secunda, tertia, & vltima in paramentis albis, reliquæ nouem in paramentis violaceis.

Rubr. par. Mis.

6 In omnibus Missis votiuis celebrantis paramenta erunt conuenientia Missis, quæ dicuntur iuxta designationē factam in Missali Romano; Altaris verò paramenta erunt conuenientia Officio, quod celebratur, nisi fortè Missa votiua sit pro re graui, & publica Ecclesiæ causa, eaque solemniter celebretur; nā tunc etiam Altaris paramenta cum Missa conuenire debent.

Rub. gene. Miss. XVIII.

7 Missę votiuę semper, cum Officium non est duplex, dici poterunt, quo re graui tamen, vel publica Ecclesię causa, Missa solemnis quocumque die, etiā Dominico, ac duplici dici poterit, non tamē in maioribus solemnitatibus.

Ritual. Rom.

8 Huiusmodi Missę votiuę, ait rubrica, ne passim dicantur; vbi pios, ac Religiosos viros monere oportet, magis gratam futuram Deo pietatem Ecclesiasti co ritui congruam, vt puta, quę ab Ecclesia dilecta Sponsa, quam Sponsus maximè diligit, ordinata, cuius & speciosos gressus miratur, in eisque delectatur; hos

Rub. gene. mis. IV. 3.

Petr. de Ruyz Corem. Mis. §. 2. fol. 10. Alcozir. gloss. 4. fol. 18.

ego

ego dico Ecclesiasticos progressus, iuxta dies, & tempora ab Ecclesia ordinata; ac propterea si cum Officio Missa conueniens fuerit, acceptabile munus ipsi Deo offeretur.

Petr. de Ruyz. rubr. de miss. vo. tiu § 7. fol. 10.

9 Nec prætereundum, quod addit Rubrica (non nisi rationabili de causa) nam si quis, vt citò ex se expediat, vel simili aliqua leui occasione permotus Missam currentem in votiuam mutaret, vtique contra Rubricam faceret.

10 Cum Rubrica dicat, quod huiusmodi Missę votiuæ dici non possunt, quando Officium est duplex, vel dies Dominicus, multò minus dici poterunt in diebus priuilegiatis, puta in Vigilia Natiuitatis Domini, & Pentecostes, infra Octauas Epiphaniæ, Paschę, & Pentecostes, in Feria IV. Cinerum, & maiori hebdomada, quibus diebus duplex occurrens transfertur. Et si ex institutione Capellaniæ, vel alio titulo Sacerdos teneatur huiusmodi Missas votiuas celebrare, satisfacit dicendo Missam de Sancto, vel feria occurrenti; nam in eo casu Ecclesia disponit, & corrigit intentionem eius, qui tales Missas ordinauit, & fructuosior erit deuotionis affectus, si fuerit ordinarus.

Rub. gene miss. IV. 3. rubr. de miss. votiu. §. 3. fol. 9. Alcoz. rub. gegloss. 4. fol. 19.

11 In Missis votiuis priuatis, exceptis assignatis in Rubrica, nunquam dicitur *Gloria in excelsis*, etiam si dicantur in diebus festis, vel infra Octauas, aut tempore Paschali; si tamen solemniter pro re graui, vel publica Ecclesię causa Missa votiua dicatur, tunc vna tantùm Oratio dicetur cum *Gloria*, & *Credo*. In reliquis verò omnibus semper plures Orationes dici debent, quarum secunda semper erit eius, de quo fit Officium, cum aliorum etiam Sanctorum occurrentium Commemorationibus.

Rub. gene. Miss. XIII. 4.

Rub gene. Miss. XII. 4.

12 In Missis votiuis B. Virginis, excepta ea, quæ iuxta Missalis Rubricas dicitur Sabbato, nunquam dicitur *Gloria in excelsis*, etiam si in Altari, vel Ecclesia B. Virginis dicatis celebretur: Sabbatis verò Aduentus, nisi occurrant Vigilia, vel quatuor Tempora, dici debet, quia talis Missa à Rubrica est assignata; ita declarauit Congregatio Sacrorum Rituum sub die 19. Maij 1607. Et ita Romę seruatur pręcipuè in Patriarchali Ecclesia S. Marię Maioris.

Declar. Congr.

13 Missa votiua Beatæ Mariæ Virginis in omnibus Sabbatis non impeditis Officio, seu festo nouem lectionum, vel feria priuilegiata, videlicet Vigilia, quatuor Temporum, & Quadragesimæ, vel Officio alicuius Dominicæ, quę superfit, dicitur secundùm varietatem temporum, prout in fine Missalis habetur.

Rub. gene. Miss. IV. 1. & 2.

14 Vbi ex populi pietate, ac laudabili consuetudine celebratur aliqua votiua festiuitas Beatę Marię Virginis, vt puta Sanctæ Mariæ de Victoria, Sanctæ Mariæ de Carmelo, & si quæ sunt aliæ similes festiuitates, vt populi pietati, qui ob venerationem Beatæ Virginis in Ecclesias frequens concurrit, satisfiat; dici poterit Missa votiua B. Virginis, quæ tunc temporis est assignata, cum vna tantùm Oratione, & *Gloria*, *Credo*, & *Præfatione Beatæ Virginis*, in qua dicatur *Et te in festiuitate Beatæ Mariæ*, &c. Si verò non solemniter celebretur, tunc dici poterit Missa votiua assignata eo tempore ne fine *Gloria*, & *Credo*, dicenturque in ea more solito plures Orationes, quarum secunda erit de Officio currenti.

15 Cum diebus Quadragesimæ, Vigiliarum, ac quatuor temporum dicuntur Missæ votiuæ, fiat quidem Commemoratio feriæ, eius tamen Euangelium non legatur in fine, prout in emendati Missalis Rubricis est adnotatum. Tempore Passionis Missę votiuę si dicantur, dicatur in ipsis Psalm. *Iudica me Deus*, & in Introitu, & Psalm. *Lauabo*, dicatur ℣. *Gloria Patri*: quę tamen in Missa de Passione, quia censetur de tempore, ne dicantur.

Rub. gene. Miss. XIII. 2.

Petr. de Ruyz pa. 5 pa. 70. Alcoz. tract. 3. gloss. 2. par. 113.

De

De Missis pro defunctis. Cap. V.

1 *Missę pro defunctis quibus diebus dicantur.*
2 *Prima Missa quando dicenda.*
3 *Ordo Missa pro Papa defuncto.*
4 *Pro Episcopo.*
5 *Pro Sacerdote.*
6 *Pro Cardinali quomodo celebrandum.*
7 *Nomen defuncti quando in Orationibus proferri debeat.*
8 *Vna Oratio, & Sequentia quando dicantur.*
9 *Missa pro absente defuncto cum celebratur, quæ Oratio dici debeat.*
10 *Missa dicenda prima die mensis non impedita.*
11 *Missa pro defunctis, vel Oratio dicenda feria secunda cuiusq; hebdomada non impedita.*
12 *Obseruanda in Missis pro defunctis.*

Rub. gene. miss. V. 2.

1 IN Dominicis, & Duplicibus nō dicuntur Missę pro defunctis, & multò minus feria IV. Cinerū, Maiori hebdomada, Vigilia Natiuitatis Domini, & Pētecostes, nec infra Octauas Epiphanię, Paschę, & Pentecostes; ratione tamen exequiarū dici potest in die obitus, & depositionis Missa solemnis, nisi fortè festiuitas sit ex solènioribus, nā tūc nō dicitur.

Rit. Ro. tit. de exeq. in fin.

2 Prima Missa dicitur in die Cōmemorationis omniū defunctorū, & in die Obitus, & Anniuersarij Papę, & Episcopi, mutatis Orationibus, prout in Missali, quę nunquam variatur, etiam si dicatur die tertia, vel septima, vel trigesima.

Ru par. miss. in fin. in oratio pro defunct.

3 Pro Papa in die Obitus, & Anniuersarij dicitur prima Missa, & Oratio *Deus, qui inter summos Sacerdotes famulum tuum N.* prout in Missali; & si pro pluribus celebretur, Oratio dicatur in numero plurali.

4 Pro Episcopo defuncto dicitur prima Missa, & Oratio erit, *Deus, qui inter Apostolicos sacerdotes famulum tuum N.*

5 Pro Sacerdote defuncto dici etiam poterit prima Missa, maximè si solemniter celebrentur exequiæ; videtur enim satis conforme Rubr. Missalis, licet nō ita expresѐ vt de Episcopo loquatur; vtraque tamen Missa sine errore dici poterit, cū expressum habeatur, in Missis defunctorum Epistolam, & Euangelium in vna Missa assignatum dici posse in alijs Missis; Oratio verò erit, *Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes famulum tuum N. Sacerdotali fecisti dignitate vigere.* Cum autē dicitur tantùm Oratio pro defuncto Sacerdote, dici poterit Oratio secundo loco in Missali assignata, *Præsta quæsumus Domine*, & omnino siue in die obitus, siue in die anniuersaria pro Sacerdote celebretur, non quidem Oratio, quæ eo loco habetur, sed propria, sicut & pro Papa, Episcopo, & Cardinali dici debet.

6 Cum celebratur pro Cardinali, oportet aduertere, si sit Episcopus, Presbyter, vel Diaconus Cardinalis; nam pro Episcopo dicitur Oratio, *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulum tuum N. Episcopum Cardinalem Pontificali fecisti dignitate vigere.* Si fuerit Presbyter Cardinalis, dicitur prima Missa, & Oratio erit, *Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes famulum tuum N. Presbyterum Cardinalem Sacerdotali fecisti dignitate vigere:* quòd si fuerit alicuius Ecclesiæ Episcopus consecratus dicitur *Pontificali fecisti dignitate vigere*, &c. Pro Diacono Cardinali dicitur pariter prima Missa, & Oratio erit *Inclina Domine aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuā supplices deprecamur, vt animam famuli tui N. Diaconi Cardinalis, quam de hoc saeculo, &c.*

7 In die obitus cuiuslibet defuncti, & semper cum in Missali, vel Breuiario habetur nota N. apponi debet nomen defuncti.

8 In die obitus tertia, septima, & trigesima, ac pariter in Anniuersario Defuncti dicitur vna tantùm Oratio cum Sequentia, quæ semper, quandocumque in Missa vna tantùm Oratio est assignata, dicenda erit. Rub. gene. Miss. V. 4.

9 Cũ dicitur Missa in obitu alicuius absentis, dicitur quidem, vt in die depositionis, cũ vna tantũ Oratione, quę erit assignata pro diebus Tertia, Septima, & Trigesima, diceturq; *Cuius depositionis diem cõmemoramus*, &c. & hoc quidẽ quando pro Obitu celebratur, nã aliàs dici debet Missa communis cum Oratione *Inclina*, vel *Quæsumus*, vel si sit Sacerdos dicatur propria in Missali assignata.

Rub.gene. miss. V. 1. 10 Prima die cuiusq; mensis non impedita, exceptis Aduẽtu, Quadragesima, & tẽpore Paschali, post Primam dici debet Missa Principalis pro defunctis, quæ erit cõmunis cũ tribus ibi assignatis Orationibus, nec tunc dicetur Sequentia, reliquæ verò Missæ priuatæ erunt de die cũ Commemoratione generali pro defunctis, pro qua dicetur Oratio *Fidelium*, quę semper dici debet penultimo loco.

Rub.gene. Miss. V. 2. 11 Feria secũda cuiusq; hebdomadę (exceptis Quadragesima, & tempore Paschali, & quãdocumq; Officiũ est duplex, vel semiduplex) potest dici Missa Principalis pro defunctis, & in Missis priuatis de die fit Cõmemoratio pro defunctis, pro qua penultimo loco dicetur Orõ *Fideliũ*.

Ri. Miss. XIII. 12 In huiusmodi Missis, quę pro defunctis dicuntur, in primis semper vtendum est colore nigro. In principio Missę ad Confessionem non dicitur Psalm. *Iudica me Deus*, sed tantùm Antiph. *Introibo ad Altare Dei*, postquã immediatè dicitur ℣. *Adiutorium*, &c. Ad Introitũ celebrans non signat se, sed manu dextera extensa facit signum crucis super librũ, quasi aliquem benedicens; Ad Euangelium nõ dicitur *Iube Domine benedicere*, neq; *Dñus sit in corde meo*, &c. Post Euangelium Sacerdos librum non osculatur, neq; dicit *Per Euãgelica dicta*. Ad Offertoriũ non benedicitur aqua infundenda in Calicẽ. Cũ lauat manus celebrans ad Psal. *Lauabo*, prout in emendato Missali est additum, non dicit *Gloria Patri*. Ad *Agnus Dei* Sacerdos loco *Miserere nobis* dicit *Dona eis requiem*, & loco *Dona nobis pacẽ*, dicit *Dona eis requiẽ sempiternã* statq; iũctis manib. & non pcutit pectus, vt in emendati Missalis Rubricis additur. Ante cõmunionem non dicitur prima Oratio: *Domine Iesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis*, &c. neq; pax datur. In fine dicitur *Requiescant in pace*, semper in numero plurali, etiamsi pro vno celebretur. Dicto *Placeat*, &c. In emendati Missalis Rubr. additur (& osculato Altari) dicitur *In principio*, &c. vt in alijs Missis.

SECTIO SEPTIMA.

De præcedentibus Sacrificium Missæ.

De modo, quo Sacerdos celebraturus præparari debet. Cap. I.

1 *Cordis interior præparatio necessaria.*
2 *Preces dicendæ ante celebrationem.*
3 *Quid circa Missale agendum.*
4 *Calix quãta puritate, ac politia aptãdus*
5 *Vsus duplicis Pallæ commendatur.*
6 *Bursa Corporalium qualis & quomodo adhibenda.*
7 *Celebraturi calceati accedant.*
8 *Supra rochettum, vel superpelliceũ quinam induendi.*
9 *Quænam paramenta sint osculanda.*
10 *Cingulum pro Sacerdotibus à Prælatorum Cingulo diuersum.*
11 *Manipulus quomodo aptandus.*
12 *Stola cum Casula quomodo aptanda.*
13 *Sacerdos indutus ab omni locutione abstineat.*

1 Communi Sanctorum Patrũ consensu, dũ de sacro mysterio Dominici corporis agitur, quilibet imparatus accedere prohibetur; non enim talia nisi manibus innocentũ, & mundo corde tractari debent, nã, vt ait Chrysostomus; Sic Sacerdos sit purus, ac si in cælis collocatus inter cęlestes cõsisteret virtutes. S. Chry. lib de Sacerd. Primùmitaq; iuxta Apostolum, probare seipsum debet Sacerdos, præuia Sacramentali cõfessione, ait Conc. Trid. si culpæ sibi sit conscius, vt probatus, ac pu- 1. Cor. 11. 8. Cõc. Tr. sess. 13. c. 7.

rus

rus ad cœlestem mensam accedens, vberiores Diuinæ gratiæ fructus excipiat.

Rit. Miss. L. 1. 2 Recitatis deinde Horarijs precibus, saltē, vt ait Rubr. Matutino, & in nouissimè emendato Missali additur (cum Laudibus) Orationi aliquantisper vacare debet, omnia interiora excitādo, vt dent locū Creatori; sic. n. S. Bern. intētiones, cogitationes, voluntates, affectiones, & omnia interiora vocabat dicēs, Venite ascēdamus ad montē, vbi Dñs videt, & videtur: additis insuper Orationibus in Missali assignatis, de quibus præceptū non habemus, sed tamē consiliū satis proficuū, cū illi quinq; Psal. in Missali ab Ecclesia ordinati vnà cum Versibus, & Orationibus sequentibus, iuxta Innocentium III. quędam contineant, quę mysterio, quod celebratur, satis congruunt, ad cordis pariter, & corporis puritatem impetrandam. D. Bern. lib. de amo. Dei

3 Verū quia Cęremonialia, de quibus agimus suppositis interioribus ad exteriora ordinātur, ad ipsa exterius exequēda intendētes: in primis Sacristiā ingressus Sacerdos celebraturus, Missale accipiēs Missā perquirat, perlegat, ac signacula ordinet, & si aliquā ex Orationibus secretis, siue etiā postcōmunionē concurrere aduertat, ex cōmuni, iuxta Rubr. cū alia mutet, ne eius inaduertētia postmodum publicè error cōmittatur: Quatuor itaque circa Missale peragi debēt, primò accipiendum Missale; secundò Missa inipso perquirenda; tertiò legenda; quartò signacula disponenda. Rub gene. miss. VII. 8.

4 Disposito Missali, antequā Calicem accōmodet, manus lauet; dicēs Orationē *Da Dñe virtutem*, &c. lotis verò, ac tersis manibus, & non prius, Calicē aptabit, ponēdo Linteolum, seu Purificatorium, quod, vt in emendati Missalis Rubr. additur (sit mundū) nō enim deterioris conditionis esse debet mensa Dñi cōmuni, atq; vsuali mēsa, nec decet eū, qui in terras veniēs in purissimis intemeratę Virginis visceribus susceptus est, & hinc recedēs in mūda Syndone inuolui voluit, linteis nō mundis in sacro Altari suscipiatur: oīa igitur mūda requirit, corda, manus, & lintea.

5 Hostia integra, immaculata, & à fragmentis purgata, modo sup. prescripto, apponi debet, parua Palla linea contecta: Quo loco, quia nō omnes huiusmodi Pallæ vsum à Nostris adhibitū ęquè percipiunt, scire oportet. Rom Ecclesiā omniū magistram ad maiorem cōmoditatem, vt notat Durantus, antiquorum rituū peritissimus, Pallā induxisse, quæ licet à Corporali distincta videatur, nihilominus nihil aliud est, quàm Corporale cōplicatū ex eadē constans materia, eodemq; modo benedictum, sicut & altera Palla, quā nos adhibemus: antiquitus namq; vnum tantùm Corporale erat in vsu, quo sacra Hostia inuoluebatur, & Calix tegebatur, qui mos, vt idē Durantus affirmat, apud Gallos, atq; etiam Patres Carthusianos, qui inde sumpserunt originē, adhuc retinetur. Nostra verò Congr. quę Romana est, inde primū exorta, quæ & Rom. Eccl. Prælatos primos habuit parentes, Romanos, patrios videlicet, retinens mores, in sacris præcipuè ritibus, Clem. VII. auctoritate, qui & primum confirmauit institutum, insuper & plura concessit, Io. Petro Carafa duce, qui postea ad Pontificatus apicem euectus Paulus IV. dictus est, sacrorum emendationi, cum ante Cōcilium in recitandis Diuinis Officijs, ac Missæ Sacrificio celebrando, plures irrepsissent corruptelæ, quàm diligenter operam nauauit; quam rectè celebrandi formam Pius V. vt in sua Constitutione testatur, vniuersali Ecclesiæ seruandam tradidit; adhibitis etiam ad operis perfectionem coadiutoribus ijsdem Patribus, qui tunc tēporis superstites erāt: singulariter & alia à præscriptis non aliena, sed satis congrua Superiorum auctoritate apud nos remanserunt, præcipuè ad celebrātium commoditatem alterius Pallæ vsum, quem Nostri retinuerunt, & adhuc tenent, idem Pius V. commendauit, sicut & Successores probarunt; ipse quoque pręsens Romanus Pontifex ea vtitur, & qui de sacris Cęremonijs be-

Sup. sec. 3 c. 5. n. 1

Stepha. Dur de Ri. Ecc. lib. 1. c. 12.

Cōstit. Cleric. Regul. Theat.

Constit. PijV. 64 Quod à nobis, Bull. to. 2. pag. 160.

Petr. de Ruys de Prępar. Sac § 11 p. 166.

Io. Alc. tract. de mis. pri. gloss. 1. fol. 960.

ne senserunt, atque eruditè etiam extra Vrbem, & Italiã de ipsis scripserunt, hunc Pallç vsum, iuxta nostram consuetudinem, commendant.

6 Subdens Rubrica, vt super velo ponatur Bursa coloris paramentorum, intus habens Corporale plicatum, occasionem præbet adnotandi hoc loco, quòd talis bursa fuit inducta, primò vt decenter in ea Corporalia seruentur: secundò quòd debet esse coloris aliorũ paramentorum; tertiò, quòd ita aptari debet, vt Corporalia intus contineantur; ac propterea saltē ex vna parte erit aperta, & si ad maiorem cõmoditatem, vt aliqui induxerũt, vndiq; fuerit aperta, non improbamus; quartò Rom. Eccl. peritotũ Consilio habemus, ꝙ vbi plures immediatè vnus post aliũ celebrant, nõ est necesse, vt Corporalia intra bursã reponantur, decentius tamē, intra Bursã sēper si apponantur, cõseruari poterũt, & præscripta seruantur; quintò hoc loco notandũ, quòd S. Carolus suæ *M*ed. Ecclesię prçscripsit, ne sudariolum supra bursã apponatur, sed tantũ quç à Rubrica expressè prçscripta sunt, adhibeantur.

Act. Eccl. Med. Inst. celeb. miss.

7 Calceatus itē debet esse celebraturus iuxta illud Apost. calceati pedes in prçparationē Euang. pacis, ac propterea dum dicit Rubr. quòd accedat calceatis pedibus, aduertere debent Religiosi discalceati, quòd celebraturi calceos omninò adhibere debēt; ad ipsos .n. spectat hçc obseruatio, sicut & subsequētia verba de veste, quç saltē talos pedum attingere debet, ad Sçculares spectat Clericos, qui ex abusu multoties breuioribus vtuntur vestibus.

Ephes. 6 15.

Rit. mis. I. 2.

8 Dũ dicit Rubr. quòd Sacerdos induit se, si sit Prçlatus Sçcularis supra Rochettum, vel Prælatus Regularis, vel alius Sacerdos Sçcularis supra superpelliceum, si cõmodè haberi possint, alioquin supra vestes cõmunes; nomine Prçlati intelligũtur Epi, Archiepiscopi, Prothonotarij, Canonici, & omninò omnes, quibus vti licet Rochetto: nomine verò Prçlati Regularis intelliguntur Epi, & alij, etiã Card. ex illorũ Ordinũ Congregationibus assũpti, quibus nõ licet vti Rochetto, & cũ Abbates Religiosorũ Ordinũ inter Prçlatos Regulares cõnumerētur, vtiq; & ipsi, dũ celebrãt, supra superpelliceũ sacris vestibus indui debēt. Assumpti ex Canonicis Regularibus vtuntur rochetto, sicut & Prælati ex qualibet Cleric. Regul. Cõgregatione assumpti; Sacerdotes verò horũ Ordinũ supra superpellicceũ indui debent, sicut & Sacerdotes Sçculares; nõ enim vtũtur habitu ab aliis Clericis distincto; superpelliceum autem nõ necessariò adhiberi debet, sed decet, maximè in maioribus Ecclesijs, vbi commodè haberi potest, vt illo Sacerdotes vtantur.

9 Cũ Amictũ in medio osculatur, in noua Rubr. additur, vbi est crux, nã illa tantũ paramenta osculari debent, in quibus est crux, & ideo osculamur Amictũ, Stolã, atque *M*anipulũ, nã hçc signo crucis insigniri debēt; reliqua paramēta neq; signũ crucis habere, neq; osculari debēt: ad singula tamē Orationes assignatæ dicantur.

Rit. mis. I. 3. Petr. de Ruyz de prçp. fac. S. 3. fol. 26. Alcoz. tract. 2. de rub. miss. gl. 1. p. 99. Act. Eccl. med. p. 2. inst. suppe.

10 Cingulũ zona ab Innoc. III. appellatũ ex candido lino confectũ, longitudinis circiter cubitorũ septē cũ suis flosculis in extremitatibus eiusdē materiæ taliter aptetur, vt eius extremitatibus vtraq; Stolç pars hinc inde ipsi Cingulò cõiungatur, ac propterea simplex pro Sacerdotibus, qui Stola trãsuersa vtũtur, esse debet; pro Episcopis verò, & alijs Prçlatis, qui cruce pectorali vtuntur, ex vtroque latere habebit succinctorium, seu succingulum, quo Stola recta hinc inde destuēs Cingulo connectatur.

11 Manipulus iuxta Rubricam, brachio imponi debet, ac propterea cauendum, ne supra cubitum protrahatur.

12 Stola circa collum ita accommodari debet, vt à superposita Casula tegatur, omnes enim qui de Eccles. ritibus scripserunt, Casulam super omnia alia indumenta collocandam dixerunt, ita vt cętera infra ipsam posita nõ appareant; dicebatur enim Casula, quasi parua Casa, & antiquitus amplissimo circuitu totũ corpus vndiq; tegebat; à lateribus verò

Sot. in 4. q. 2. ar. 4. Ra. inst. CI. li. 1. c. 2.

Sacer-

Innoc. III. lib. j. myst. miss. c. 8. Cõfuet. Cleric. Regular. Theat.

Sacerdotes brachia eleuantes in anteriorem, ac posteriorem partem diuidebant, ad denotandum, vt ait Innocentius III. duo charitatis brachia ad Deum, & proximum extensa, ac propterea nostræ Cõgregarionis Patres Sacrorum Rituum obseruantissimi Stolam ita adaptant, ac vitta ipsi Cingulo à posteriori firmant, vt nullo modo supra Casulam eleuari possit, quod etiam à Romano Pontifice, & Prælatis omnibus obseruatur. Quapropter aduertat Sacrorum Rituum studiosus, quòd dum Pontificaliter celebrarur, supra Stolam imponuntur alia paramenta, puta Tunicella, Dalmatica, & Casula, nec vnquam Stola deber apparere; non enim est ornatus Colli, sed potius est vestis inferior, ac quoddã vestimẽti genus.

13 Sacerdos factis indutus vestibus in Sacristia expectans, cũ Christi Dñi personam mystico illo habitu ornatus repræsentet, ab omni colloquio abstinear, atq; cum silentio deuotus meditationi, & Orationi vacet.

De modo legendi *Missam*. Cap. II.

1 *Varij toni ac modi in legenda Missa obseruandi.*
2 *Missa quomodo legenda.*
3 *Quanam alta, & clara voce dici debeant.*
4 *Obseruanda cum plures in eadem Ecclesia celebrant.*
5 *Mediocri voce dicenda.*
6 *Aliquantulum eleuata voce dicenda.*
7 *Memoriter quanam scire debeat Sacerdos.*

Concil. Trid. ses. 4. c. 5. & can. 9. Petr. de Ruyz. de prin. miss. S. 7. pag. 80.

1 QVoniam pia mater Ecclesia inter alios huius sacrosancti Sacrificij ritus instituit, vt quædam elatiori voce, quædã verò submissa proferantur; idcircò attendat Sacerdos, quę clara, quæuè submissa voce sint pronuncianda; vbi eũ monendum puto, quòd licet ex Rubricis Missalis, ac Cæremonialis plures forte toni innuantur, nimirum clara voce, conueniẽti, vel intelligibili voce, alta voce, mediocri voce, submissa voce, aliquantulum eleuata voce, & secretò; idẽ tamẽ est clara, conueniẽti, & intelligibili voce, videlicet voce tali, vt ab omnibus circumstãtibus percipi possit; alta voce vtitur Cæremoniale pro his, quę in Officio, vel Missa cantari debent: mediocri voce, submissa voce, & aliquantulum eleuata voce pro eodem accipienda sunt, idest vt nõ interdentes dicatur, nec rursus altè, sed taliter vt à ministris, & aliquibus tantùm ex circumstãtibus percipi possit, cũ aliquali tamen differentia, vt explicabimus; quod verò secretò dicendum est, ita à Sacerdote intra se recitari debet, vt distinctè quidem, ac labiorum motu proferatur, non tamen à circumstantibus intelligatur.

2 Legens igitur Missam Sacerdos, clara, & intelligibili voce, expeditè, atq; distinctè ad puncta morulam aliquam, breuem tamen interponat, non nimis tardè, nec celeri cursu, sed mediocritatẽ in omnibus feruet, maximè verò pietati studeat, omnem prorsus affectationẽ, ac leuitatem euitans, ne minimum quidem præscriptis addat, vel demat, sed prout in Missali habetur, eius regulis feruatis Missam legat, voce quidem nec omninò depressa, neque admodum eleuata, vel clamorosa, sed graui, ac decora, prout tantum decet mysterium. Cõc. Tr. sess. 22. de ref.

3 Clara, & intelligibili voce dicuntur in Missis priuatis Antiphona cum Psalmo, & Confessio cũ sequentibus Versibus vsq; ad Orationẽ *Aufer*, & *Oramus te Domine*, &c. quę secretò dici debẽt: dicuntur postmodum pariter clara voce *Introitus*, *Kyrie eleyson*, *Gloria in excelsis*, *Dominus vobiscũ*, *Flectamus genua*, & *Leuate*, *Oratiõ*, vel *Orationes*, *Epistola*, *Graduale*, *Vers.* *Tractus*, *Sequẽtia*, *Euangeliũ*, *Credo*, *Offertoriũ*, *Præfatio*, *Per omnia secula*, *seculorũ*, *Pater noster*, *Pax Domini*, *Agnus Dei*, *Cõmunio*, *Oratio*, vel *Orationes* post Cõmunionem; & in ferijs Quadragesimę *Humiliate capita vestra Deo*; *Ite missa est*, vel *Benedicamus Dño*, seu *Requiescant in pace*. *Benedictio*, & *Euangelium S. Ioannis*, vel *aliud Euangelium*. Rub. gene miss. XVI. 1.

Petr. de Ruyz Cærem. Miss. l. de prin. Mis.§.7.

4 In his, quę clara voce dicuntur, obseruare oportet, cum plures in angustiori Ecclesia Sacerdotes proximo loco celebrant, vt vocē ita moderare studeant, ne inuicem turbentur; maximè verò decet, vt in hoc inferior Superiori cedens ob eius reuerentiam humiliori tono legenda modificet.

Rit.mis. VI.8.

5 Mediocri voce dicitur finis Præfationis, videlicet cum dicitur *Sanctus*, vno tantùm tono deprimendo vocem.

Rit.Mis. VII.7. Rit.mis. IX.3. Ri. Miss. X.4.

6 Aliquantulum eleuata voce dicuntur inter secreta aliquæ particulæ, vt sunt *Orate Fratres*, *Nobis quoque peccatoribus*, & *Domine non sum dignus*, quæ tantum verba clara voce dici debent, reliqua verò, quę sequuntur, secretò prosequi oportet.

7 Semper omnia ex libro, vel tabella secretorum legi debent, exceptis aliquibus, quæ memoriter sunt dicenda, cuiusmodi sunt, *Confessio*, cum Psalmo, & Versibus ante Missam, Oratio, *Aufer à nobis*, & *Oramus te Domine* in principio Missæ, *Munda cor meum*, *Iube Domne benedicere*, *Dominus sit in corde meo*, *&c.* Ante Euangelium; *per Euangelica dicta*, &c. Post Euangelium, *Deus, qui humanæ substantiæ*; cum vinum, & aquam infundit in calicem; *Lauabo inter innocentes*, &c. in lotione manuum; *Quid retribuam Domino*, In assumptione sanguinis; *Quod ore sumpsimus*, &c. & *Corpus tuum Domine, quod sumpsi*, Cum ablutionem sumit, & quędam alia verba, quę infra actionem dici debent.

De modo, & tempore formandi signum Crucis in Missa. Cap. III.

1 *Signum Crucis inter Apostolicas traditiones primum locum obtinet.*
2 *Modus, ac tempus efformandi signum Crucis, cum se signat Sacerdos.*
3 *Modus signandi librum.*
4 *Alia super Altare quomodo signanda.*
5 *Signum Crucis super Oblata, quomodo formandum.*

S. Basil. de Spir. sancto. c.22.

1 Signum Crucis, quod ex antiqua traditione (teste Dionysio) omnibus Sacramentis adhibetur, primum locum, vt adnotauit Basilius, à quo Augustinus accepit, inter omnes Apostolicas traditiones obtinet, cuius præcipua virtus in Ecclesiæ mysterijs, ac Sacramentis, vt ait Cyprianus, elucet; ac propterea Sacrosanctum Missæ mysterium celebraturus Sacerdos ab hoc signo initium ritè sumit.

S. Cypr. libr. de Baptis. Christi.

Rit. Mis. III. 4.

2 Cum se signat Sacerdos, sinistram infra pectus teneat, dextera verò eius digitis iunctis, & extensis à fronte ad pectus, & ab humero sinistro ad dexterum palma dexterę manus ad se conuersa signum Crucis formabit; signat autem se ipsum cum dicit: *In nomine Patris*, &c. & *Adiutorium nostrum*, &c. Legens principium Introitus, non autem cum repetitur; in fine Hymni *Gloria in excelsis*, &c. dicens, *In Gloria Dei Patris Amen*. in fine Symboli, cum dicit, *Et vitam venturi sæculi Amen*. In fine Præfationis, cum profert *Benedictus, qui venit in nomine Domini Osanna in excelsis*; & in Canone ad illa verba *Omni benedictione cœlesti, & gratia repleamur*: Similiter in eodem Canone dicto à ministro, *Sed libera nos à malo*. Signat se eodem modo cum patena subdens, *Da propitius pacem*, &c.

Rit.Mis IV.3.

Ri.Miss. VI.3.

Ri.Miss. VII.8.

Rit.mis. IX.1.

Rit.mis. X.2.

Ri.Miss. VI.2. & 3.

3 Ad Euangelium dicens *Initium*, vel *Sequentia Sancti Euangelij* signat librum, & se ipsum, cum signat librum, sinistram tenens super Altare ipsum signat pollice dexterę, mox tenendo sinistrā infra pectus se signat pariter pollice dexterę in fronte, ore, & pectore. Aduertendo, quòd postquam se ipsum signauerit Sacerdos, statim manus iunget, quod semper obseruari oportet.

4 Benedicens alia, cum est ad Altare, ponit sinistram super Altare, & dextera, omnibus eius digitis iunctis, & extensis paruum digitum vertendo ei, cui benedicit, format signum Crucis.

5 Dum signum Crucis super Oblata,

vel

vel alia benedicenda format, caueat, ne quasi quatuor puncta formans crucem designet, neque manum, aut illius digitos inflectat, sed semper extensam manum, eiusq; digitos omnes tenendo duas ęquales lineas, alteram quidem rectam, alteram verò transuersam, quæ per medium rectam lineam prius signatam intersecet, distinctè formet; aduertens insuper, ne nimis celeriter, sed regulari, atque vniformi motu, quasi calamo lineas designans, omni affectatione semota, manus ipsas ducat, atque deducat.

De Pectoris percussionibus.
Cap. IV.

1 *Ritus percutiendi pectus antiquissimus.*
2 *Pectoris percussiones quomodo fieri debeant.*
3 *In confessione pectus ter percutitur.*
4 *In eleuatione Sanctissimi Sacramenti, & Communione.*
5 *Post eleuationem quando, & quomodo.*

Concil. Tolet. 3. — 1 ANtiquissima traditione pectoris percussione signatur, nequiter gesta nobis displicere: ideò Nicolaus I. Rom. Pontif. nos monet, antequam Deus feriat, id nos in nobis ipsis ferire, & antequam extrema relatio veniat, commissa pœnitentia digna punire. (Nicol. I. epist. ad Consul. Bulgaro rũ c. 34.) Sic Publicanus à longè stans percutiebat pectus suũ dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori.* (Luc. 18. 13.) Qua pectoris percussione non ossa ait Augustinus, sed ipsum nos cor conterere significamus, vt à Domino dirigatur, qui sanat contritos corde; (D. Aug. enar. in Ps. 143.) prope enim est Dominus, idem alibi dicit; his qui contrito sunt corde.

2 In omni igitur pectoris percussione semper sinistra infra pectus posita, dexteræ digitis simul iunctis, ac clausis pectus percutiatur; (Rit. Mis. III. 7.) post consecrationem verò, quando pollex, & index coniuncti tenentur, tribus tantùm reliquis digitis quatiatur.

3 Percutitur autẽ pectus ter ad confessionem, cum dicitur; *Mea culpa, mea culpa, & mea maxima culpa*, celebrans quidem, cum ipse dicit, & Ministri, quando ipsi dicunt, non è contra. (Rit. mis. III. 7.)

4 In eleuatione Sanctissimi Sacramenti, Hostiæ videlicet, & Calicis circumstantes pectus percutiunt; (Rit. mis. X. 4.) in Communione quoque cum celebrans communicaturus dicit ter *Domine non sum dignus*, tàm ipse, quàm astantes ter percutiunt pectus: cum verò alijs Sacramentum ministrans, dicit. *Domine non sum dignus*, tunc non ipse, sed circumstantes pectus percutiunt.

5 Cum post eleuationem in Canone dicitur à Sacerdote; *Nobis quoque peccatoribus*, omnes pectus percutiunt, (Rit. mis. X. 3.) similiter cum dicitur *Agnus Dei*, tàm in Missa, (nisi fuerit pro defunctis) quàm in Litanijs: Celebrans verò in Missa dicens, *Agnus Dei*, percutit pectus, (Rit. mis. X. 2.) sinistram tenens super Altare, nec deinde iungit manus, donec tertio dicto *Agnus Dei*, ter quoque pectus percusserit.

De manuum, ac digitorum coniunctione, disiunctione, & extensione, nec non conuersione ad Populum. Cap. V.

1 *Modus iungendi manus.*
2 *Manus in celebratione quomodo sunt extendendæ.*
3 *Sacerdos Pluuiali indutus nõ tenet manus extensas.*
4 *In Missa quando à celebrante manus extendi, ac iungi debeant.*
5 *In Orationibus quando iungendæ, vel disiungendæ sint manus.*
6 *Disiunctio manuum cum eleuatione, & inclinatione quando fieri oporteat.*
7 *Pollices, & indices quando iungantur.*
8 *Iunctos tenens pollicem, & indicem, quomodo folia vertat, vel aliquid accipiat.*
9 *Manus quando, & quomodo tenendæ*

super

super librum, vel Altare.

10 *Conuersiones ad populum in Altari, quo ordine fieri debeant.*

11 *Obseruanda in conuersionibus, cum Sanctissimum Sacramentum est expositum.*

12 *Altare quando, & quomodo osculandum.*

Parif. de Grassis li.1.c.15

Ibid.li.1. c.19.

1 Circa manuum coniunctionem studendum, vt ita ante pectus teneantur iunctę, ne illis à celebrante Casula, à ministris verò eorum sacrę vestes tangantur; digiti autem omnes sint pariter extensi, & coniuncti pollice dextero supra sinistrum ita aptato, vt crucē efforment, idque semper, cum manus simul iunctę collocandę sunt, seruari opus est, prętcrquàm post consecrationem; & in Rubrica noui Missalis expressius declaratur his verbis, quę antea non habebantur: Extensis, & iunctis pariter digitis, & pollice dextro super sinistrum posito in modum crucis, quod semper seruatur, quando iunguntur manus, prętcrquam post consecrationem.

Rit. Mis. III.1.

2 Cum rubrica pręcipiat, vt manus disiunctę ante pectus collocētur, attēdendum, vt palma vnius manus alteram respiciat, & digiti omnes, ac pollex ita sint inter se ordinati, vt nullum inter eos intercedat spatium, adeoq; extensi, vt extremitates recta linea sursum ferantur, ac ad tantam extendantur altitudinem, ac latitudinem, qua nec summitatē, nec humerorum latitudinem excedāt, quod semper in manuum disiunctione seruandum est, vnde de eleuatione manuum verba faciens rubrica noui Missalis manus extendens, atq; eleuans, addit (vsque ad humeros) quod in omni manuum eleuatione obseruetur.

Rit mis. IV.3.

Cęrem. Episc.li. 1.c.1.

3 Celebrans Pluuiali indutus dicens *Oremus*, & Orationes ad Vesperas semper iunctis manibus stabit, & nunquam illas disiunget, quod etiam seruat, cum dicit post aspersionē die Dominico ante Missam, Versus, & Orationem *Exaudi nos Domine*, & in Absolutione ad Tumulum.

Rit. mis. V.1.

4 Celebrans in *Missa*, quoties dicit Vers. *Dominus vobiscū*, extendit, adiungit manus; eodem modo dicit *Oremus* ante Orationem, vel Orationes, extendit manus & iungit, caputque cruci inclinat, & hoc tantùm in Missa; nam in Officio, in exequijs defunctorum, & in benedictionibus semper iunctas tenet manus.

5 Extensas manus tenet, cū in Missa dicit Orationes, & alia, prout in Missali, aduertens, vt ipsas extensas teneat vsque ad conclusionem Orationis *Per Dominū Nostrum*, &c. quod cum dicere incipit, illicò eas iungit, si verò concludatur Oratio, dicendo; *Qui tecum viuit*, &c. vel *Qui viuis, & regnas* dicens *In vnitate Spiritus sancti Deus*, &c. manus statim vniat.

Rit. mis. IV.3.

Cærem. Epis. li. 1.c.8.

Rit. mis. VI.3.

6 Disiungit celebrans manus, eleuat vsque ad humeros, & iterum eas iungens caput cruci inclinat, cum dicit *Gloria in excelsis Deo*, dicens enim *Gloria* manus disiungit, subdens *In excelsis*, eleuat vsque ad humeros, concludens verò *Deo* iungit, ac caput cruci inclinat. Eodem modo cum dicit *Credo in vnum Deum*, dicens *Credo*, manus disiungit, subdens *In vnum*, eleuat vsque ad humeros, concludens *Deum*, iungit, & caput cruci inclinat; Pari ratione iungit, eleuat, atque iterum iungens caput inclinat, dicens *Gratias agamus Domino Deo nostro*, & *Veni sanctificator omnipotens*, &c. & ad *Te igitur clementissime Pater*, & cum benedicturus populo dicit *Benedicat vos Omnipotens Deus*, &c. eleuando etiam oculos, statim demittit.

Rit. mis. VII. 8. Rit. mis. VII. 3. Rit. mis. VIII. 1. Rit. mis. XII. 1.

Rit. mis. VIII. 5.

7 Pollices, & indices manuū iunctos tenebit Sacerdos post consecrationem vsq; ad ablutionem digitorum post Cōmunionem, & semper cum tangit Sanctissimum Sacramentum, siue vt illud ministret, siue vt purificet Pyxides, vel illud accommodet, donec abluat digitos, atque purificatorio abstergat, nec disiungit, nisi quando Hostiam consecraram

tangere, vel contrectare debet.

8 Si, dum, iuxta præscripta, indicem, & pollicem iunctos tenet, contigerit contrectare Calicem, Patenam, Pallam, Pyxidem, vel Clauem, vt Tabernaculum aperiat, vel aliquid aliud, indice ac medio digito omnia apprehendet, nunquam disiungendo pollicem ab indice; folia libri, cum opus est, medio digito euoluat; cruces verò, quę tunc fiunt, tribus aliis digitis, quos iunctos, & extensos teneat, perficiet.

9 Dum legit *Epistolam*, *Graduale*, Rit.mis. VI.1.
vel *Versus*, seu *Tractum*, *aut Sequentiam*, manus super Altare hinc inde æquali distantia inter se apertas tenebit, vel si maluerit illis librum tenebit hinc inde. Ante consecrationem, cum dicitur *Tibi gratias agens*, dexteram super Altare ponit. Dicens post Orationem Dominicam *Libera nos*, &c. manu dextera tenens Patenam, sinistram super Corporale ponit: Rit.mis. X.1.
& omninò quoties dextera aliquid agitur, sinistra, vel infra pectus, vel super Altare teneri debet, & cum super Altare tenetur post consecrationem, semper erit super Corporale, non extra. In genuflexionibus, quas celebrans facit, & cum osculatur Altare, manus super illud hinc inde æquali distantia extra Corporalia ante consecrationem, & intra Corporalia post consecrationem extensas tenebit, quod præcipuè ex Rubr. noui Missalis est adnotandum. Rit.mis. IV.1.

10 Quoties conuertere se debet ad populum celebrans, siue vt descendat ab Altari, siue vt salutet populum, vel ei Eucharistiam ministret, vel aliquid aliud agat, semper vertit se à sinistro latere ad dexterum, idest per eam partem, quæ respicit cornu Epistolæ, quod expresse declaratur in Rubr. Missalis emendati, & se Rit.mis. V.1.
pe repetitur, vbi post illa verba, *vertit se*, additur, *à sinistro latere ad dexterum versus populum*, hoc est, per eam partem, quę respicit latus Epistolæ, nec vnquam perficit circulũ, nisi cũ dicit *Orate Fratres*, & in fine Missę, quando daturus est benedictionem; nam tunc à latere Epistolæ ad latus Euangelij, complendo circulum conuertitur. Si Altare sit ad Orientem, celebrans non conuertit se ad populum, cum dicturus est *Dominus vobiscum*, *Orate Fratres*, & *Ite Missa est*; sed Rit. mis. V.3.
exosculato Altari expansis, & iunctis manibus salutat populum, & dat benedictionem.

11 Cum Sanctissimum Sacramentum est expositum super Altare, conuertens se Sacerdos, vt dicat *Dominus vobiscum*, *Orate Fratres*, & *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, prius genuflectit, deinde non in medio, ne terga vertat Sacramento, sed à latere Euangelij se conuertit, & reuertens rursum in medium, genuflectit: Cum lauat manus procedit aliquantulum extra Altare: Ad *Orate Fratres*, & benedictionem in fine Missæ non complet circulum; & ad Euangelium S. Ioannis, dicens *Initium Sancti Euangelij* non signat Altare, sed se ipsum tantũ: Hoc ipsum etiã obseruat, quando super Altare remanet Sacramentum, siue in Pyxide, siue in alio sacro vase ex tra Ciborium. Rub. gene. miss. XVII.1. Rubr. par. Miss. in die Cœnæ. Bul. par. mis. fer. 6. in parasce.

12 Cũ celebrans osculatur Altare, in medio illud osculetur, manus hinc inde Rit.Mis. IV.1.
æqualiter tenẽs, & hoc in Missa, cũ ascendit ad Altare dicens *Oramus te Domine*, Rit mis. V.1.
dicturus *Dominus vobiscum* ante Orationes, & ante Offertorium, item *Orate* Rit mis. VII.7.
Fratres, & in Canone ante consecrationem dicens, *Vti accepta habeas*, & post consecrationem dicens, *Ex hac Altaris* Rit.mis. VIII.1.
participatione, daturus pacem dicta prima Oratione ante Communionem *Domine Iesu Christe*, post communionem, antequam dicat *Dominus vobis-* Rit.mis. IX.1.
cum, in principio, & fine Orationum, & tandem dicto *Placeat*, &c. Siue sit benedicturus, siue non; osculatur quoque Altare, quoties ascendit ad illud incensandum, siue ad Vesperas, ad *Magnificat*, siue ad Laudes, ad *Benedictus*. Rit.mis. X.1. Rit.mis. XI.1. Rit.mis. XII.1. Cerem. Episc. li. 3.c.1.

13 Obseruandum deniq; circa osculationes faciendas à celebrante, quod

in nuper emendati Missalis Rubricis est additum (in omni osculatione, siue Altaris, siue libri, siue alterius rei, ne producatur signum crucis pollice, vel manu super id, quod osculandum est.)

De inclinationibus, & genuflexionibus. Cap. VI.

1 *Inclinationes quomodo, & quot modis fieri debeant.*
2 *Quando caput tantùm inclinari oporteat.*
3 *Caput, & humeros quando celebrans inclinet.*
4 *Quando profundè sit inclinandum.*
5 *Inclinationes in incensatione facienda.*
6 *Modus aspergendi die Dominico cum genuflexione.*
7 *Quando celebrans in Missa genuflectat.*
8 *Ad Flectamus genua quomodo genuflectendum.*
9 *Genuflexiones quomodo fieri debeant ante Consecrationem.*
10 *Quomodo post incensationem.*

1 IN omnibus inclinationibus modus, & ordo perspicuam reddit, atque commendabilem rem, quam tractamus; plurimum enim interest, si grauiter, si modestè, ac decenti venustate, certaq; regula inclinationes omnes à celebrantibus maximè fiant, ac propterea summo studio obseruare oportet, non semper eodem modo nos inclinari debere; aliquando enim tantùm caput, nonnunquam verò etiam humeros, & interdum toto corpore inflexo inclinari debemus. Vnde aduertenda sunt verba Rubricæ; nam quando in ea dicitur, vt caput inclinet, primo modo intelligi debet; quando verò absolutè pronunciat, vt inclinet, secundo modo est inclinandum; cum denique dicit, vt profundè incliner, tunc de tertio modo debet intelligi; ac propterea operæ pretium erit, quò faciliùs percipiatur, quomodo, & quando sit inclinandum, singularum inclinationum seriem hic adnotare.

2 Caput semper inclinat celebrans, cum dicitur Vers. *Gloria Patri*, & quoties dicit *Oremus*, ad nomen *Iesu* semper caput versus crucem inclinat, excepto cum In Euangelio legitur, nam tunc versus librum est inclinandum; sic enim est additum in Rubrica noui Missalis, & eodem modo versus librum celebrans genuflectit cum in Euangelio est genuflectendum. Ad nomen verò *Mariæ*, vel *Sancti*, de quo celebratur Officium, vel Commemoratio, caput est inclinandum, non tamen versus crucem, sed versus librum; similiter ad nomen viuentis Pontificis, prout in nouo Missali est expressum. In Hymno *Gloria in excelsis* cum dicit *Deo*, caput inclinat, pariter cum dicit *Adoramus te*, *Gratias agimus tibi*, & *Iesu Christe*, & *Suscipe deprecationem nostram*; ac rursus dicens *Iesu Christe*: ad Symbolum pariter, cum dicit in principio *Credo in vnum Deum*, ad ly *Deum* caput inclinat, similiter ad *Iesum Christum*, & cum subdit *simul adoratur*. In Præfatione post illa verba *Gratias agamus Domino* subdens *Deo nostro* caput cruci inclinat: Et in Canone consecraturus Hostiam dicens *Tibi gratias agens*, ac similiter consecraturus Calicem cum dicit *Item tibi gratias agens* caput inclinat: dicens ter *Agnus Dei* stat capite inclinato; & in Quadragesima ad illa verba Orationis supra populum *Humiliate capita vestra Deo*, caput inclinat, similiter ad illa verba ante benedictionem *Placeat tibi Sancta Trinitas*, stat capite inclinato.

3 Capitis autem, & humerorum inclinationes fiunt in principio Missæ, cum post confessionem dicuntur Versus *Deus tu conuersus*, &c. vsque dum dicatur Oratio *Aufer à nobis*, &c. Item cum celebrans ad Altare ascendens dicit *Oramus te Domine*, &c. post Offertorium, cum dicit *In spiritu humilitatis* in nouo Missali est

Rit. Miss. II. 3.
Rit. Miss. V. 1.
Ri. Miss. VI. 2.
Rit. Miss. V. 2.
Rit. Miss. IV. 3.
Rit. Miss. VI. 3.
Rit. Miss. VII. 8.
Rit. Miss. VIII. 4.
Rit. Miss. VIII. 7.
Ri. Miss. X. 2.
Ri. Miss. XI. 2.
Ri. Miss. XII. 1.
Ri. Miss. III. X.
Rit. Miss. IV. 1.
Rit. Miss. VII. 5.

additum

Rit. Mis. VII.7. Rit. mis. VII. 8. Ri. Miss. IX. 1. Rit. mis. X.3.

additum (aliquantulum inclinatus) Post lotas manus dicens *Suscipe Sancta Trinitas*,&c.dicens *Sanctus*, vsque ad *Benedictus qui venit*,&c. In Canone post consecrationem dicens *Supplices te rogamus*, &c. vsque *Ex hac Altaris participatione*, &c. ad Orationes secretas ante communionem, atque etiam cum dicit ter *Domine non sum dignus*,& cum sacrã Communionem sumens dicit *Corpus Domini nostri Iesu Christi*.

Rit. mis. X. 4.

4 Profunde verò inclinat Sacerdos primò Imagini principali, quę est in Sacristia, cum egreditur ad celebrandum, & cum reuertitur, prout in rubrica noui Missalis est additum;itemque veniens ad Altare,in quo non est Sanctissimum Sacramentum,Cruci profundè inclinat, & rediens postea in medium, vbi dicit rubrica, quòd facit Cruci reuerentiam,intelligitur de profunda inclinatione. Similiter ab Altari discedens ante infimũ gradum priusquàm Missam incipiat, itẽ cum dicit *Confiteor*,&c.stat profundè inclinatus, donec dicatur *Misereatur*,&c. quo dicto respondens *Amen*, se erigit; Ante Euangelium similiter dicens *Munda cor meum*, & *Iube Domine benedicere*, &c. item in Canone dicens *Te igitur* vsque *vti accepta habeas*; denique in Altari celebrans,siue priuatè,siue solẽniter,accedens ad medium, vel à medio recedens facit Cruci profundam inclinationem.

Rit. mis. II. 1. Rit. mis. II. 2. Rit. mis. III. 1. Rit. mis. III. 7. Rit. Mis. VI. 2.

5 In incensatione Altaris, si non sit ibi Sanctissimum Sacramentum,quando rubrica dicit, quod facit Cruci reuerentiam, intelligitur de profunda inclinatione.

Rit. Mis. IV. 4.

6 Celebraturus in Altari, in quo asseruatur Sanctissimum Sacramentum, ad illud accedens genuflectit; similiter cum in infimum gradum descendit, antequã Missam incipiat,genuflectit, pariter in die Dominico, cum facit aspersionem dicẽs *Asperges me*, ter Altare,ac seipsum genuflexus aspergit,aspersurus verò ministros surgit, illi autem postquam fuerint aspersi,& non prius surgunt;post aspersionem accepta Casula, si in Altari fuerit Sanctissimum Sacramentum, antequam Missam incipiat genuflectit, & cum eo Ministri.

Rit. mis. II. 1. Rit. Mis. III. 1. Bul. par. mis. em. de ben. aquæ.

7 Ad Euangelium genuflectitur,cum dicitur *Et Verbum caro factum est*; item in Epiphania cum dicitur,*Et procidentes adorauerunt eum*, & Fer. IV. Dominicæ IV. Quadragesimæ, *Et procidens adorauit eum*. In Passione Domini in maiori hebdomada cum leguntur illa verba, *Expirauit;Emisit spiritum*,,genuflectitur; quando ad Euangelium est genuflectendum,semper versus librum, vt ex Rubrica noui Missalis habetur, genuflecti oportet.

Rub. gene. miss. XVII. 1. Rit. mis. VI. 2.

8 In Quatuor Temporibus, & quando dicẽdæ sunt Orationes cum Prophetijs; Sacerdos celebrans dicto *Oremus*, manibus super Altare extensis, vt se ipsum, & Altare sustineat, quòd in omnibus genuflexionibus obseruatur, cum dicit *Flectamus genua*,genuflectit, & Ministro eadem voce dicente *Leuate*, sine mora surgit.In Missa verò solemni Ministri,& circumstantes Diacono primum genuflectente, atque Subdiacono primum surgente vtroque genuflectunt, solus verò celebrans non genuflectit.

Rit. Mis. V. 4. Ibid. 5.

9 Cum Sanctissimum Sacramentum est extra Ciborium, celebrans vtroque genuflectitur, similiter ad verba Symboli, *Et incarnatus est*, stat genuflexus, donec perficiat *Et homo factus est*. Item in Epistola Dominicæ Palmarum, & Inuentionis, & Exaltationis Sanctæ Crucis, dum dicit *In nomine Iesu omne genuflectatur*, &c. stat genuflexus, donec dicat *cælestium Terrestrium*, & *Infernorum*; in versu etiam Tractus,qui dicitur in Quadragesima *Adiuua nos Deus*, &c. & in Missis de Spiritusancto ad versum *Veni Sancte Spiritus*, stat genuflexus, donec totum versum perficiat: Et omnino quotiescumque actus aliquis, in quo est genuflectendum, morulam requirit,vtroque genuflectendum est.

Rub. gene. miss. XVII. 1. Cerem. Episc. li. 1. c. 11. Ru. par. Miss. Petr. de Ruyz de prin. Miss. §. 5 pag. 30. Alcoz. tract. 2. glos. 2. pag. 103

10 In

10 In Canone post consecrationem, iuxta rubricam pluries est genuflectendum vsque ad terram, præcipuè post eleuationem, & ante assumptionem Hostiæ, ac Sanguinis ex consilio grauissimorum Ecclesię Pręsulum in huiusmodi ritibus peritissimorum decet, vt morosè, ac deuotè celebrans genuflectat.

SECTIO OCTAVA.

De Modo celebrandi Missæ Sacrificium.

De ingressu Sacerdotis ad Altare. Cap. I.

1 *Sacerdos quomodo Calicem deferat.*
2 *Sacris indutus nemini caput detegat.*
3 *Necessaria ante Missam preparanda.*
4 *Sacerdos modestè ad celebrandum procedat.*
5 *Quomodo Altari, & Sacramento genuflectere debeat.*
6 *Quomodo reuerentiam faciat.*
7 *Bursa vbi collocanda.*
8 *Qualis reuerentia Cruci debeatur.*
9 *Parua Hostia consecrandæ vbi ponenda.*
10 *Modus descendendi ab Altari.*
11 *Si ad Altare Sacras vestes accipiat Sacerdos.*
12 *In Altari, ad quod per plures gradus ascenditur, vbi sit facienda confessio.*

1 SAcerdos sacris indutus vestibus procedit ad Altare, sinistra Calicem portans eleuatũ ante pectus, dexteram extensam super bursam Corporalium tenens: quòd si Calix fuerit super Altare, tunc celebrans iunctis manibus ante pectus procedere debet; facta prius Imagini, quę est in Sactistia, reuerentia, vt ex emendati Missalis rubrica habetur.

2 Nemini per viam caput detegat, etiam si sit aliquis magnus Princeps, vel Prælatus cuiuscumque gradus, & Ordinis, ac similiter si aliquis Sacerdos; etiã sacris indutus vestibus ei fiat obuius; nã tunc sufficit, si talibus caput inclinet, seruata tamen, vt decet, grauitate, & modestia.

3 Præcedente Ministro cum Missali, antiqua Rubrica habebat. (Atque etiã alijs ad celebrandum necessarijs) quia non decet Ministrum Ecclesiasticis instrumentis onustum celebrantem præcedere; ideo in noua Rubrica est additum, nisi ante fuerint præparata: Addit insuper (pręcedente superpelliceo induto) quod maximè decet. Rit. Miss. II. 1.

4 Procedit autem Sacerdos oculis demissis, incessu graui, erecto capite, externa namque corporis compositio plurimum interiorem animum iuuat, & licet semper proximis nostris lucis exempla monstrare teneamur, tunc maximè muneris nostri dignitas hoc à nobis exposcit, cum sacris induti illius, cuius ministerium gerimus, personam repręsentamus.

5 Si verò contigerit transire ante Altare maius, capite cooperto faciat reuerentiam, quod præstabit, quando in eo non asseruatur Sanctissimum Sacramentum; nam tunc esset genuflectendũ, quod pariter est obseruandum ante Altare, vbi Missa eleuatur; In noua autem Rubrica post illa verba, in qua eleuatur, additur, vel tunc ministratur Sacramentum, nec ante surgat, quàm celebrans deposuerit Calicem super Corporale ex qua rubrica colligitur, id ipsum esse faciendum, cum ante locum, in quo Sanctissimum Sacramentum est expositum, transire contigerit, vel etiam ante Altare, in quo iam est eleuata Sacra Hostia vsque ad sumptionem Hostiæ, & Sanguinis, si inde transiens aduertat; pari modo, si per Ecclesiam fiat ei obuiam deferens Sacramentum, genuflectendũ est, donec transeat. Sup. sec. 1. c. nu. 3. c. 4. Rit. Miss. II 1.

6 Ad Altare accedens detecto capi-

re, biretum Ministro porrigit, & facit cruci reuerentiam, & si in eo sit Sanctissimũ Sacramentum genuflectit: Minister verò, dum Sacerdos inclinat, debet genuflexo crucem venerari.

7 Eodem loco, vbi dicit, quod explicat Corporale, Calicem verò super illud velo coopertum collocat; in noua Rubrica est additum: (Bursam autem ad cornu Euangelii.) Ibidem.

8 Vbi prius dicebat Rubrica (facta prius Cruci, vel Altari reuerentia) in nouo Missali est additum (profunda reuerentia.) Ibidem.

9 Consecraturus plures Hostias ponit eas super Patenam, vel super paruam Pallam ante Calicem, vel in Pyxide, aut alio vase consecrato, seu speciali benedictione initiato prout habetur in Missali, quod ponit retro post Calicem. Rit. Miss. II. 3.

10 Ibidem nu. 4. notat Rubrica, vt rediens in medium faciat Cruci reuerentiam, deinde in noua Rubrica additur (vertit se ad cornu Epistolæ) non enim decet, vt retrocedendo descendat, sicuti aliquos facere videmus, neque conuertendo se à latere Euangelij, sed à latere sinistro ad dexterum. Rit. Miss. II. 4.

11 Cum in eodem Altari, in quo celebrare quis debet, paramenta accipit, tunc lotis prius manibus, factaque ante ipsum Altare breui oratione illud ascendens ad latus Euangelij sacris se induit vestibus; deinde accedens ad cornu Epistolæ aperit Missale, in quo disponens signacula ordinat Missam, & in medio expandit Corporale, & Calicem accommodat, deinde descendit ante gradus Altaris, vt supra.

12 Si in Altari sint plures gradus, quàm tres, tunc non omnes, sed tantùm primum ordinem graduum, si sint per ordines distincti, vel supra secundũ, aut tertiũ sistit, quòd si nullus adsit gradus, prout in Oratorijs priuatis, & in angustioribus locis quandoq; solet cõtingere, tunc cõuertẽs se à cornu Epist. per aliquot passus ab Altari remotus facit cõfessionẽ, ita vt inter ipsũ, & Altare cõgrua sit distãtia. Petr. dè Ruyz tit. de ingress. Sacer. S. 13. Alcoz. trac. gl. 2. p. 117

De principio *Missæ*. Cap. II.

1 Missæ celebratio, ex antiqua maiorum traditione, à *Confiteor* inchoari debet: dicimus autem Confessionem illam partem Missæ, quæ dicitur ante ascensum Sacerdotis ad Altare, nõ solũ ipsum *Confiteor* cõprehẽdens; verũ etiã oẽs illas preces, quæ à Sacerdote cũ Ministro ante gradus Altaris dicuntur. Rit. mis. III. 1.

2 Et quia in Rub. Missalis habemus, quòd Sacerdos post quam dixerit *In nomine Patris*, &c. non debet aduertere quemcumque in alio Altari celebrantẽ; etiam si Sacramentum eleuet, sed continuatè prosequi Missam vsque in finem; aduertat Sacerdos quàm grauiter se gerere debeat, non solùm non voluendo oculos ad circumspiciẽdum, sed nec aures ad audiendum erigendo; & hoc non tantùm in Missis priuatis; verũ etiã cũ solemniter celebrat; nisi fortè, cum seder temporibus à Rubrica cõcessis, in aliquo Altari proximo ante eius conspectũ Sanctissimum Sacramentum eleuaretur, vel deferretur, aut ministraretur; nam tunc vna cum Ministris detecto capite genuflexus illud adorare debet: at si interim expleto cãtu ad Altare esset procedẽdũ, nihil aliud attẽdendo, quę sui sũt muneris cõtinuarè nulla interposita mora prosequatur; quod etiã seruare debet, cũ paratus ad exequias procedit, vel assistit ad Absolutionẽ Tumuli: inceptum namq; Officium nunquam interrumpere decet.

3 Sacerdos dicens *Confiteor*, &c. profundè inclinat, in emendati Missalis Rubrica additur (iunctis manibus) & sic inclinatus prosequitur, donec à Ministro dicatur *Misereatur*, &c. & cum Minister incœperit *Confiteor* se erigit.

4 In Ecclesijs Hispaniarum habemus à Pio V. Pont. Max. fuisse concessum, vt ad *Confiteor* nomen Patroni Ecclesiæ, vel Ordinis apponatur; vnde colligimus nequaquam ad libitum, sed speciali Superiorem licentia, vel probata consuetudine apponi posse; Romano enim more non additur, nisi in Canonizatione Sanctorum, quando Diaconus Cardinalis Euangeliũ cantans post Apostolos nomen Sancti nouiter canonizati apponit.

Cærem. Ro. li. 1. sect. 6. c. 2.

5 Ad *Misereatur*, & *Indulgentiam* in emendatis Missalibus deletum est *Omnibus*, & *Omnium*; quæ in antiquis habebantur.

6 Versus *Deus tu conuersus* cum sequentibus debent dici inclinato capite, & humeris: & cum Sacerdos dicit *Oremus*, extendit, & iungit manus.

De Introitu Missæ vsque da Orationem inclusiuè. Cap. III.

1 *Noui Missalis emendatio obseruanda.*
2 *Manus in medio Altaris quomodo tenẽda.*
3 *Versus Gloria Patri quomodo dicendus.*
4 *Litania, hoc est Kyrie quomodo dici debeant.*
5 *Hymnus Angelicus in Missis votiuis quomodo dicendus.*
6 *Oratio pro Ecclesia necessitate quando, & quomodo dicenda.*
7 *Orationes dicendæ pro priuatis necessitatibus.*

Rit. Miss. IV. 1.

1 Dicto à celebrante *Oremus*, vt supra, subditur secretò Oratio *Aufer à nobis*, in qua non amplius dicitur, vt in antiquis Missalibus *cunctas iniquitates*, sed in recognitis dempto *cunctas*, simpliciter dicitur *Aufer à nobis iniquitates nostras*, &c. Et quia in antiquis Missalibus Rubrica, alio modo in ritibus generalibus, alio in ordinario explicabatur, in dubiũ vertebatur, an eodem loco ante gradus dicenda esset Oratio, an verò ascendendo; modò omnis cessat dubitatio, cum vtrobique habeatur, vt dum ascendit iunctis manibus eam dicat, ita tamen disponendo gressus, vt antequam ad mediũ Altaris perueniat, eã cõpleat.

2 Ad medium Altaris inclinatus, manibusq; iunctis super eo positis, ita vt par ui digiti frontem Altaris tangant, dicit Orationem *Oramus te*, &c. manuum autem dispositio talis esse debet, vt tres digiti medij atq; maiores mensæ nitãtur, minores verò extremitates frontẽ mẽsæ tangant, pollice dextro super sinistrũ po sito. In Oratione dum dicitur *Quorũ reliquia hic sunt*, osculatur Altare, semperq; proferentis verba ad literam intelligun tur; quidquid alij dicant, nam semper in Altari consecrato siue sit fixum, siue portatile, Sanctorũ Reliquiæ in eius consecratione ab Episcopo reconduntur.

Alcoz. de miss. tract. 2. glos. 17. pa. 118.

3 In Introitu in emẽdati Missalis Rubrica habemus (cum dicit *Gloria Patri*, tenens iunctas manus caput inclinat ver sus crucem) vnde eorum abusus damnatur, qui extendunt, & iungunt. Cum verò reperit Introitum non se signat, tale enim signum fit ratione principij; nam in initio sẽper se signare debet Sacerdos

4 Post lectũ Introitũ Sacerdos iũctis manibus ante pectus accedit ad medium Altaris, & tunc, & non antea dicit Litanias, idest ter *Kyrie eleyson*, ter *Christe eleyson*, & ter iterũ *Kyrie eleyson*, dicuntur autẽ huiusmodi Litaniæ in medio; vnde damnatur abusus incipientiũ illas, dum procedunt à latere Epistolæ; item dicuntur eadem voce, & alternatim cum Ministro; absente, vel non respondente Ministro, celebrans solus nouies illas dicet.

Rub. gene. mis. VIII. 3.

5 Hymnus *Gloria in excelsis* in Missis votiuis nõ dicitur, & in emend. Mis. Rub.

additur (etiam tempore Paschali,& infra octauas) nisi in Missa de B. Virg. in Sabbato, & Angelorum, necnon in solemni Missa votiua pro re graui, & publica Ecclesiæ causa, . Rub. gen. miss. VIII.3. & 4.

6 De Orationibus, quæ dici possunt, satis expressè habetur in Rubricis gen. c.VII.per totum,& in Ritibus Miss.c.V. per totum; breuiter tãtùm hoc loco more solito,quod fortè desideratur,expressiùs adnotare non erit incongruum, videlicet,quòd quando dicenda est aliqua Oratio ob publicam Ecclesiæ necessitatem,si indicatur à Summo Pontifice,vel Episcopo loci,seu alio Superiore, diebus quidem ferialibus dicitur loco Orationis ad libitum;diebus verò festis supra definitum numerum; & tunc etiam in duplicibus non solùm in missis priuatis,verùm etiam in solemni debet dici, exceptis festis maioribus primæ classis,prout Romę fieri consueuit. Cõsuet. Vrbis. Similiter in habitu,& pro fessione Monialium diebus festis,non dicatur Missa votiua; Põt.Ro. tit. de conf. Episc. sed in currenti addatur Oño de Spiritu S. nã in ordinatione Epi iuxta Rub.Pont. Oño tantũ additur.

7 In priuatis verò necessitatibus,quę occurunt, peritorum consilio conceditur,vt in priuatis Missis,etiam diebus duplicibus addatur Oratio de Spiritu Sancto, Petr. de Ruyz vel pro Infirmis, vel alia istiusmodi, non tamen in festis maioribus primæ, vel secundæ classis: consultiùs tamen meo iudicio strictè qui Rubricas obseruare voluerit, omissis huiusmodi Orationibus, deuotioni pariter, ac currentibus necessitatibus,ipso sacrificio,quod offertur, nec non interiori actu mentis in ipso *Memento* abundè satisfacere poterit; acceptior enim erit deuotio celebrantis, si obedientiam pręstando, iuxta statutos ritus suum exequatur munus,ac faciliùs,quod intendit, propitiatorio, atque impetratorio sacrificio consequetur; & ideo summo studio omnia, ac singula, quę in Rubricis habentur, ne ipsis quidem minutioribus parcendo, quod sępe monemus,obseruare oportet.

De Epistola, Graduali, & alijs vsque ad Offertorium. Cap. IV.

1 *Modus legendi Epistolam.*
2 *Dicenda ante Euangelium.*
3 *Differentia benedictionis celebrantis, & Diaconi ad Euangelium.*
4 *Modus osculandi librum ad Euangelium.*
5 *Modus dicendi Symbolum.*
6 *Quando dicendum.*

1 Epistola legitur immediatè post Orationes,interim celebrans tenet manus super librum, vel super Altare,vt placuerit, Rit.Miss. VI.1. qua finita à Ministro respondente *Deo gratias*: Rit. miss. X.1. In nouo Missali additur, (& similiter, quando leguntur plures lectiones,post singulas dicitur *Deo gratias*, pręterquam in fine quinię lectionis Danielis, Sabbatis quatuor Temporum,& in fine lectionum ferię sextę in Parasceue, & Sabbati Sancti.) Eodem modo lecta Epistola prosequitur *Graduale,Alleluia,Tractum*,ac *Sequentiam*,si dicenda sint.

2 Dicturus Euangelium procedit ad medium,ibique stans iunctis manibus an Rit.miss. VI.2. te pectus,leuatisque ad Deum oculis,in noui Missalis Rubricis additur (hic, & post Offertorium, sicut & post manuum lotionem, & statim demissis) profundè inclinatus, dicit *Munda cor meum*, &c. deinde iuxta recogniti Missalis Rubricas dicit *Iube Domine benedicere*, non vt in antiquis habetur, *Iube Domne*, discrimen autem ponitur in ordinario emendati Missalis inter celebrantem, & Diaconum,nam celebrans ad Deum vniuersorum Dominum suas dirigens preces dicit *Iube Domine benedicere*;Diaconus verò, qui à Sacerdote ministro Christi, qui Domnus, & Donnus dicitur, sicut etiam Summus Pontifex Domnus Apostolicus appellatur, cum petit benedictionẽ non *Domine*,sed *Domne* dicere debet. Ordo Missæ.

3 Aliam etiam habemus differentiam in emẽdatis Missalibus inter benedictio-

nem, nam benedicens Diacono celebrās dicit: *Dominus sit in corde tuo, & in labijs tuis, vt dignè, & competenter annuncies Euangelium suum, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen*: Sibi verò cum fine Diacono celebrat, dicit: *Dominus sit in corde meo, & in labijs meis, vt dignè, & competēter annunciem Euangelium suum. Amen.* Quæ omnia sunt attendenda, & exactè obseruanda: Reliqua per se patent ex ipsis Rubricis.

Rub gene. Miss. VI. 3.

4 Lecto Euangelio celebrans parumper librum eleuans osculatur Euangeliū, in nouissimis est additum (Principium Euangelij) dicens *Per Euangelica dicta*, &c. exceptis Missis defunctorum, & cum celebratur corā Prælato in loco suę Iurisdictionis; nam tunc non osculatur librum, & in emendatis Missalibus additur (Nec dicitur Per Euangelica dicta.)

Rit. miss. VI. 2.

5 Dicto Euangelio, si dicendum sit Symbolum, Sacerdos stans in medio Altaris versus Crucem, eleuans manus, & vt in emendatis Rubricis additur (& extendens) incipit *Credo*; & cum dicit *In vnum Deum* habemus additum in emendatis Rubricis (iungit manus, & caput cruci inclinat) ipsoque erecto stans ibidem iunctis ante pectus manibus, vt prius prosequitur vsque ad finem, & cum dicit *Iesum Christum* caput inclinat: cum dicit *Et incarnatus est*, genuflectit, interim manus super Altare extensas tenens se ipsum ad Altare sustentabit, vtroque autem genuflectens sic perseuerabit iunctis manibus, & capite inclinato, donec perficiat, tunc rursus manibus super Altare extensis eleuabitur, quod in omni genuflexione obseruari debet: Cum dicit, *simul adoratur*, in emendatis additur (caput cruci inclinat.)

Rit. Miss. VI. 3.

6 Quando autem dicendum sit Symbolum, satis ex ipsis Rubricis patet: Vbi autem habetur esse dicendum in festis Sāctorum, quibus dedicata est Ecclesia, comprehenduntur iuxta peritos illa loca, in quibus habetur Corpus, vel insignis Reliquia Sancti, de quo agitur: insignem autem Reliquiam esse, prout ex motu proprio Greg. XIII. Hispaniarū Ecclesijs fuit declaratū, intelligitur caput, brachium, & crus, nō autem manus, pes, seu quodlibet aliud frustum.

Alcoz. tract. 1. de rubr. glos. 7. pag. 69.

De Offertorio, Præfatione, ac reliquis vsque ad Canonem. Cap. V.

1 *Offertorium quid sit.*
2 *Modus offerendi Hostiam.*
3 *Modus reponendi Hostiam super Corporale.*
4 *Modus porrigendi ampullas.*
5 *Modus porrigendi Calicem.*
6 *Modus benedicendi aquam, & cætera.*
7 *Modus offerendi Hostiam, & Calicem quoad eleuationem.*
8 *Modus lauandi manus, præcipuè cum Sanctissimum Sacramentum est expositum.*
9 *Ad Orate fratres quid obseruandum.*
10 *Præfatio quid significet, & quomodo sit dicenda.*

1 Offertorium est Oratio, quę ex Scripturis perpetuo sumitur, & vt Vvalfridus tradit c. 22. & Micrologus c. 10. inde nomen accepit, quòd cantaretur, dum populus offerebat. Vvalfr. c. 22. Micr. c. 10

2 Dicto Offertorio discooperit Calicē, & vtraq; manu accipiens Patenā cū Hostia vsq; ad pectus eā eleuatā tenet, oculis ad Deū eleuatis: in emēdato Miss. additur (& statim demissis) dicit *Suscipe*, &c. Ri. Miss. VII. 3.

3 Dicto *Suscipe*, in nouo Missali additur (patenam vtraque manu tenens) cum ea facit signum super Corporale, & deponit Hostiam circa medium anterioris partis Corporalis, & patenam ad dexteram aliquantulum subtus Corporale; in emēdati Missalis Rub. additur (quā extersō Calice, vt dicetur, cooperit purificatorio.) Deinde in cornu Epistolę accipit Calicem: in noui Missalis Rubrica additur (sinistra tenens illius nodum) non quidem, vt in aliquibus fit, purificatorio, sed manu nuda, nam purificatorio Ep hes. 6 VII. 4.

statim exterso Calice, cooperitur patena, quæ est in manu dextra, aliquantulum subtus corporale.

4 Dum accipit ampullam vini de manu ministri, addit noui Missalis Rubrica (qui osculatur ipsam ampullam non autem manum celebrantis) idem, cum nõ sit dispar ratio, faciendum videtur, cum aquæ ampulla porrigitur. Vnde vt in noui Missalis Rubrica haberur, celebrans (eodem modo tenens Calicem) producit signum crucis super ampullam aquæ, & dicit *Deus qui humanæ substantiæ*,& infundẽs parum aquę pro sequitur, *Da nobis per huius aquæ, & vini mysterium*,&c.

Rit.mis. VII. 4.

Alcoz. tract. de rub.mis. glos. 7. pa. 138.

5 Imposita aqua in Calicem,& finita Oratione prædicta, videlicet *Deus qui humana substantia* &c. accipit Calicem discoopertum, noua Rubrica dicit (accipit manu dextera Calicem) vnde colligo, quòd imposita aqua in Calicem, quem celebrãs in cornu Epistolæ tenebat, non debet accedere ad medium, ipsum deferens, sed postquam ad medium accessit, debet dextera accipere Calicem à cornu Epistolæ, ipsumq; vtraq; manu eleuatum tenens videlicet sinistra pedem, dextera nodum infra cuppam intentis ad Deum oculis offert, dicens *Offerimus*, &c.

Rit. Mis. VII.4.

6 Dicens *In spiritu humilitatis*, noua Rubrica addit (aliquantulum inclinatus.) Plura deinde notat Rubrica pro benedictione facienda, vt, antequam benedicat, oculos eleuet, manus expãdat, ac statim, iungat ante pectus: in noui *Missalis* Rubrica est additum (quod semper facit, quando aliquid est benedicturus) dicit *Veni sanctificator*,&c. & cum dicit *Et benedic*, signat manu dextera super Hostiã, & Calicem, in noua Rubrica additur, sinistra posita super Altare.

Rit. Mis. VII.5.

7 Et quia offerendo Hostiam dicit Rubrica, vt eam vsque ad pectus eleuatam teneat, de Calice verò dicit simpliciter, vt ipsum eleuatum teneat, non erit incongruum adnotare, vt similiter ante pectus eleuetur, ita vt summitas Calicis non excedat oculorum celebrantis altitudinem.

8 Iunctis ante pectus manibus, accedit ad cornu Epistolæ, ibique lauat manus, tantùm videlicet, vt habet Rubrica, extremitates digitorum pollicis, & indicis: quòd si in Altari fuerit Sanctissimum Sacramentum extra ciborium, siue in ostensorio; cum celebratur Oratio quadraginta horarum, siue etiam in Pyxide, vel Calice, prout feria V. in Cęna Domini, & feria VI in Parasceue, iuxta Rubricã emendati Missalis celebrãs, extra Altare descendendo gradus, manus lauabit: eodem loco tergit manus tãtùm, nos os, vt quidam indecenter agunt, neque purificatorio, sed manutergio à Ministro sibi porrecto, non quidem in Altari, seu super Calicem, sed aliquo loco congruo conseruato.

Rur. par. mis. fer. 6. Parasc.

9 Cũ dicit Orationem *Suscipe Sancta Trinitas*, iũctis manibus super Altare, noua Rubr. addit (aliquantulum inclinatus) osculatur Altare more solito, & voluens se, dicit *Orate fratres*, & perficit circulũ; quòd si ibi fuerit Sanctissimum Sacramẽtum expositum, non complet circulum, sed per eãdem viam reuertitur, ne terga vertat Sacramento: dicto intelligibili voce *Orate fratres* prosequitur secretò *vt meum, ac vestrum*, &c. Minister verò dicit *Suscipiat*, qua completa, prout in nouo Missali est expressum, ipsemet celebrãs respõ let *Amen*. q̃ si Minister nihil dixerit celebrãs ipse dicet *Suscipiat*,&c. subdẽs deinde Orationes secretas, prout in Missali.

10 Lotis manibus, & Oblatione per secretas Collectas Deo cõmendata dicitur immediatè *Præfatio*,& est quasi prælocutio ad mysterium præparandum, & qua excitatur populus ad illam actionem, in qua propriè Sacrificij ratio consistit, cuius prima verba, videlicet *Per omnia sæcula sæculorum* spectant ad Orationes secretò recitatas, itaq; vltima conclusionis pars ideo clara voce dicitur, vt notat Micrologus, vt populus respondens *Amen*, confirmet ea, quæ secretò à celebrante

Microl. c. 2.

sunt iam dicta. Pręfatio verò incipit per ly *Dominus vobiscum*; quę vsque ad verba *Verè dignum, & iustum est*, habentur eadem in antiquissimis Auctoribus Gręcis, & Latinis, & omnibus Liturgijs; reliqua vsque ad Sanctus, & si non sint eadem in omnibus Liturgijs, sunt tamen in Sancta Romana Ecclesia antiquissima; nam ante annos mille Pelagius Papa interrogatus ab Episcopis Germanię, & Gallię, quęnam, & quot essent authenticę Pręfationes, respondit nouem, prout in c. Inuenimus de consecr. dist. 1. & habentur in ordinario Missę cum decima de Sancta Maria, quę fuit addita ab Vrbano II. in Concilio Placentino circa annum Domini 1080. & habetur in c. Sanctorum dist. 70.

Pela. II.

c. Inuenimus de consec. distin. 1.

c. Sanct. dist. 70.

De Canone Missę vsque ad post Consecrationem. Cap. VI.

1 *Quanam actiones Canonem praecedere debeant, & quomodo sint exercenda.*
2 *Cuius Episcopi nomen in Canone proferri debeat.*
3 *Principis Secularis nomen ne addatur, nisi ex priuilegio.*
4 *Celebrantes Regum, ac Principum memoriam faciant.*
5 *Episcopus sui met memoriam faciat in Canone.*
6 *Quo corporis gestu mentaliter Sacerdos oret.*
7 *Infra actionem cur ita dicatur.*
8 *In emendatis Missalibus deleta.*
9 *Obseruanda in Consecratione Hostiarũ minorum.*
10 *Obseruanda à celebrante in ipsa consecratione.*
11 *Modus in eleuatione Hostiæ, & Calicis obseruandus.*
12 *Modus quo Hostia, & Calix deponi debeant.*

1 Completa Pręfatione celebrans, antequam Canonem incipiat, debet eleuare manus, oculisq; ad Deum eleuatis, & sine mora demissis, ac manibus iunctis, & super Altare positis, profundè inclinatus, incipit *Te igitur*, &c. vbi est adnotandum (quod non ab omnibus obseruatur) omnes huiusmodi actus debere pręcedere, non autem comitari Canonis prolationem; verba autem Canonis *Te igitur*, &c. debent proferri à Sacerdote iam inclinato vsq; ad *Vti accepta habeas*, & tunc osculatur Altare in medio. Rit. Miss. VIII. 1.

2 Vbi dicitur *Et Antistite nostro N.* debet specificari nomen Episcopi Ordinarij in propria Diœcesi, in ea inquam, in qua celebrare contingit, & in hoc adnotanda sunt verba, quę in nouo Missali sunt addita (& non alterius Superioris) non enim debet Generalis, Abbatis, Prioris, vel alterius cuiuslibet siue Regularis, siue Sęcularis Superioris nomen specificari, quod magis explicatur in eadem noua Rubrica per sequentia verba (etiam si celebrans sit omninò exemptus, vel sub alterius Episcopi iurisdictione) & contrafacientes, declarauit Congregatio, facere contra charitatem, ac temeritatis notam incurrere, eosque animaduersione dignos. Rit. Miss. VIII. 2. Declar. Congr. Archie. VIII. po. 11 No. 1601.

3 Multò magis ex vi huius Rubricæ colligo, non esse alicuius Principis Sęcularis nomen in Canone explicandum, nisi ex speciali Sedis Apostolicæ gratia, vt fertur in Hispanijs à Pio V. fuisse concessum, vt Regis nomen in Canone addatur, & hoc tantùm in illis Regionibus; nam cum talis facultas sit localis, possũt ibi non solùm Hispani, verùm etiam Itali, & reliqui omnes, cum in Hispanijs celebrant, nomen Regis apponere, quod extra degentibus non licet. Cærem. Petr. de Ruyz Alcoz. tract. 2. de rubr. glos. 8. pag. 150.

4 Non erit autem incongruum Sacerdotes Ecclesiæ Sanctæ Ministros hoc loco monere, vt Regum, ac Principum, quorum auctoritate, ac pietate Christiana Respublica per Orbem longè, latèque

diffusa

diffusa moderatur, ac regitur, specialem, dum celebrant, in *Memento* memoriam habeant; passim enim docet Ambrosius consueuisse Patres ex antiqua, venerabilique maiorum traditione ante consecrationem pro Principibus, Regibus, ac reliquis orare. Vnde Card. Bellar. ait nomen Regis rectè adiungi in his regionibus, quę Regibus subsunt, nam & Innocentius III. & Bonauentura in expositione Canonis probant hunc vsum.

S. Ambr. lib. 4. de Sac. c. 4.

Bel. li. 2. de Sacr. cap. 21. Inn. III. S. Bon.

5 Quòd si celebrans fuerit Episcopus, Archiepiscopus, vel Patriarcha, omisso nomine Episcopi dicit, *vnà cum famulo tuo Papa nostro N. & me indigno famulo tuo, quem gregi tuo praeesse voluisti, &c.* Ipse verò summus Pontifex celebrans dicet, omissis alijs, *Et me indigno famulo, quem gregi tuo praeesse voluisti*, sic & Episcopus tempore sedis vacantis; reliqui verò Sacerdotes tempore sedis vacantis prædicta verba omittunt, nihil aliud addendo, nam tantùm Episcopi pro se ipsis hoc loco expressè orabunt.

6 Cum dicit *Memento*, non debet tenere manus iunctas supra faciem, vt à quibusdam fit, sed ante pectus vsque ad faciem capite aliquãtulum demisso, oculis clausis: in hoc enim variat hoc *Memento* à secundo vbi oratur pro mortuis; nam hic tenet oculos clausos, ibi verò apertos, aspiciendo Hostiam tunc consecratam.

Rit. mis. VIII. 3.

7 Illa pars Canonis, quæ incipit à Communicãtes, dicitur infra actionem, vel quia eo loco Sacerdos suas incipit dirigere preces ad diuinam illam actionem, quam transubstantiationem dicimus, vel quia Canon ipse, vt notãt periti Beletus videlicet, ac Episcopus *Mimatensis*, actio dicitur propter sacra mysteria, quæ in eo aguntur; & quia tunc cum Deo agitur causa nostra, post Canonem *Missæ*, & Commemorationem pro viuis sequitur pars ista, quam Rubrica notat hoc titulo *Infra actionem*; fortè melius intra actionem dici deberet, quia intra, seu in medio ipsius actionis, vel Canonis dicitur.

Io. Bel. c. 46. Dur. li. 4. c. 25.

8 Hoc loco in antiquis *Missalibus* habebatur *Communicantes, & Memoriam venerantes, in primis Gloriosæ, semperque Virginis Mariæ, &c.* at in emendatis nõ habetur ly *quę*, sed *in primis Gloriosæ semper Virginis Mariæ, &c.* quod etiam in Oratione *Acunctis* est accommodatum, vbi enim prius habebatur *Beata, & gloriosa semperque Virgine Maria*, modo dicitur *Beata, & gloriosa semper Virgine, &c.* ita enim essentialiter Beatæ *Mariæ* gloria, & virginitas cohærent, vt nullo vnquã modo disiuncta, aliqua indigeant nota, qua coniungantur, sed simpliciter vnita, mente concepta Oratione pariter explicentur.

Ex can. miss. emend.

9 Ante cõsecrationem, hoc est priusquam dicat, *Qui pridie*, &c. si adsit vas cum alijs Hostijs consecrandis, antequã accipiat Hostiam, monet noua Rubrica, vt discooperiat vas, & reposita Hostia post eleuationem supra Corporale, ipsum vas cooperiat.

Ri. Miss VIII. 5

10 In consecratione tàm Hostię, quã Calicis summo studio sunt attendenda, quæ Rubrica præcipit; quædam enim, præcedunt, quędam verò concomitantur ipsum consecrationis actum; & ipsorum rursus alia ad corporis dispositionem, alia verò ad verborum prolationem pertinent; nam ante Hostię consecrationem primò notat Rubrica, vt celebrãs dicendo *Qui pridie* extergat digitos; secundò subdens *Eleuatis oculis* eleuet, ac statim demittat; tertiò, dicens *Tibi gratias agens*, caput aliquãtulum inclinet; quartò cum subdit *Benedixit*, signet super Hostiam; in ipso verò actu consecrationis quinto loco notamus, eam inter indices, & pollices vtriusque manus teneri debere, sextò cubitis super Altare positis, septimò capite inclinato, verba consecrationis proferat distinctè, reuerenter, & secretò. Ante consecrationem verò Calicis celebrans primò discooperit Calicem, & si opus sit, extergit digitos; secundò stans ere-

Rit. Mis VIII. 4. & 5.

Rit. Mis. VIII. 5.

ctus

ctus dicit *Simili modo*, &c. Tertiò accipit Calicem ambabus manibus iuxta nodū infra cuppam dicens, *Accipiens & hunc præclarum Calicem*; Quartò aliquãtulum illum eleuat, ac statim deponit; Quintò dicens *Item tibi gratias agens* in noua rubrica est additū; (caput inclinat) Sextò dicens *Benedixit* sinistra Calicem infra cuppam tenens dextera signat super eum; in ipso verò actu consecrationis, quem septimo loco notamus, ambabus manibus tenet Calicem, videlicet sinistra pedem, dextera nodum infra cuppã; Octauo cubitis super Altare positis; Nonò, capite inclinato profert verba consecrationis, quæ, vt ex noua rubrica est explicatum, debent proferri attentè, continuatè, & secretò.

11 Celebrans eleuans Hostiam in altum, notat rubrica, vt quantum commodè potest, eam eleuet, semperq; oculos in eam intentos habeat, quod etiam in eleuatione Calicis faciet; vbi aduertere debet Sacerdos, vt ita sacra Hostia, & Calix consecratus eleuentur, vt commodè à circumstantibus conspici, & adorari possint; ac propterea ita manus celebrantis vsque ad frontem eleuentur, non tangendo frontem, sed rectam lineã formando intra Altare, & super Corporalia, vt continuato motu, graui tamen, & regulari, Hostia, & Calix eleuentur, ac inter eleuationem, & demissionem breuis morula interponatur, vt interim satisfiat circumstantibus, quibus adoranda exponitur; nam rubrica dicit, mox ipsam reponit.

12 Cum Hostiam deponit, quam vtraque manu eleuauit, notat rubrica noui Missalis (vt sola manu dextera eam super Corporale deponat) interim sinistrã super Corporale teneat, quòd item in repositione Calicis fieri debet: ipsa verò sinistra semper, cum Calix operitur, vel discooperitur, super Altare esse debet. Verba *Hac quotiescumque feceritis*, &c. dicuntur immediatè post Sanguinis consecrationem, & interim genuflexus Sacerdos adorat, non itaque dicantur, dum eleuatur, sed prius, ipsa enim eleuatio silentium sacrum requirit. Reuerenter Calicem eleuando caueat, ne ipsius pedem osculetur, vt superstitiosè à quibusdam fieri videtur.

Rit. mis. II. 7.

De Canone post Consecrationem vsque ad Postcommunionem. Cap. VII.

1 *Obseruanda ex emendati Missalis Rubrica.*
2 *Cruces cum Hostia quomodo efformandæ.*
3 *Oratio Dominica quomodo dicenda.*
4 *Quomodo Sacerdos se ipsum patena signabit.*
5 *Hostia diuisio quomodo fieri debeat.*
6 *Ad Agnus Dei quomodo procedendum.*
7 *In Ecclesia Lateranensi cur non dicitur Dona nobis pacem.*
8 *Modus seruandus in sumptione Hostiæ.*
9 *Celebrans Sanguinem sumpturus quomodo se gerat.*
10 *Si Particulæ consecratæ post Communionem remaneant.*
11 *Modus in purificatione tenendus.*

1 Post eleuationem celebrans extensis manibus prosequitur: *Vnde & memores*, &c. vbi cum subdit, *Hostiam puram*, &c. Sinistram ponit super Altare, prout in emendati Missalis rubrica habetur, non extra, sed infra Corporale; quod semper est post consecrationem obseruandum; si verò ipsum Altare sit osculaturus, vtramque manum ponit super Altare; dictis vs *Nobis quoque peccatoribus*, dextera pectus percutit, sinistram super Altare tenendo, similiter cū post *Pater noster*, Patenam tenens dextera, dicit *Libera nos*, &c. sinistram super Altare tenebit, aduertendo, vt manus nō extra, sed intra corporale teneantur. Rit. mis. IX. 1.

2 In efformatione Crucis cum Hostia magis decorè in ipsa actione procedi-

ditur, si, vt à quibusdam peritis satis accuratè obseruatur, non à parte inferiori; sed à latere aliquãtulum infra medium, Hostia accipiatur, qua recta linea, nulla prorsus Hostiæ inclinatione à labio ad labium intra Calicem prius ter signum Crucis efformabitur: deinde à labio Calicis ad pectus ita protrahatur, vt rectam former lineam, non extra, sed intra Corporalia; postea ipsam super Calicem tenens non vltra quatuor digitos subleuabit; non enim tunc populo ostendi, neq; in ista actione reuerentiæ signum dari debet, retrahendo pedem, vt ab aliquibus malè obseruatur.

3 Ab ipsis Apostolis iam tunc ab initio nascentis Ecclesiæ vsu receptum est, vt post consecrationẽ in Sacrificio Missæ Oratio Dominica recitetur, iuxta quam laudabilẽ consuetudinẽ celebrans cooperto Calice, adoratoque Sacramento, & manibus hinc inde super Altare positis in noui Missalis rubrica additur (intra Corporale) dicit intelligibili voce *Per omnia*, &c. & cum dicit *Oremus*, iungit manus, caput Sacramento inclinans, & cum incipit *Pater noster*, extendit manus, & stans oculis ad Sacramentum intentis prosequitur vsque in finem; & responso à Ministro, *Sed libera nos à malo*, in emendati Missalis rubrica, additur, (ipse submissa voce) dicet *Amen*. Rit. mis. X. 1.

4 In Oratione *Libera nos*, &c. dextera Patenam tenens, vt in noui Missalis rubrica habetur, sinistra posita infra pectus se ipsum signat eadem Patena dicẽs, *Da propitius*, &c. Malè nonnulli hanc rubricam, satisque superstitiosè explicantes arbitrantur, quod cum dicat, signans à fronte ad pectus, non signo crucis, sed recta linea se ipsum signare debeat, cum tamen communi sensu, & vsu intelligitur de signo crucis: non enim aliud signum Christianæ militię inuenitur, nisi signum Sanctæ Crucis, quo ex maiorum institutione, & antiquissima traditione cuncta in Ecclesia sanctificantur, nec vnquam aliquis rectæ lineæ signum in Ecclesia inductum ad aliquid significãdum inueniet.

5 Hostiæ diuisio à summo deorsum paulatim tamen, & ita leuiter fieri debet, ne aliqua particula, vel fragmentum exiliat.

6 Dicens *Agnus Dei*, dextera sibi pectus percutiens, vt ex noua rubrica habetur (sinistra super corporale posita) dicit *Miserere nobis*, insuper est additum (nec deinceps manus iungit, nisi post pectoris percussionem.) Rit. mis. X. 2. Ibid. 4.

7 Antiquitus semper, & vbique tribus vicibus in Missa dicebatur *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis*. Ioannes verò XXII. ante annos circiter ducentos, tempore schismatis, ad impetrandam fidelibus pacem, schismaque tollendum, nonnullas preces instituit, quibus, & Indulgentias concessit, vt colligitur ex Bulla, quæ in Archiuio Castri S. Angeli asseruatur, & inter cætera ordinauit, vt in tertio *Agnus Dei*, dum celebratur Missa, diceretur *Dona nobis pacem*: at Ecclesia Lateranensis tanquam antiquior, & aliarum Ecclesiarum quasi primogenita nunquam in *Agnus Dei* dicit *Dona nobis pacem*, sed ad antiquitatis conseruationem, ac memoriam tribus vicibus dicit *Miserere nobis*; quam consuetudinẽ omnes in ea Ecclesia celebrantes obseruant, licet non omnibus fortasse consuetudinis ratio innotescat. Epist. Tegast. li. 1. de cap. c. 18.

8 Dictis Orationibus, vtramque Hostiæ partem supra Patenam tenet, vt notat noua Rubrica, (inter pectus, & calicem parum inclinatus) interim non genuflectens, neque pedem retrahens, sed dextera ter, dicens *Domine non sum dignus*, percutit pectus, quo dicto se erigens format signum crucis cum Hostia, ita tamen, vt declarat noua rubrica (vt Hostia non excedat limites Patenæ) dicensque *Corpus Domini nostri Iesu Christi*, tunc se inclinans, & vt notat rubrica noui Missalis (cubitis super Altare positis) reuerenter Hostiam sumit, & bene- Rit Mis. X. 4.

tam in consecratione, quàm in assumptione, quę sunt partes essentiales sacrificij, requirit Rubrica, vt celebrans cubitos super Altare teneat, quia talis sacra actio supra ipsum Altare consecratū omnino perficitur, quod tunc plenè à celebrante præstabitur, cum cubitos super Altare, vt notat rubrica, tenebit.

9 Iunctis pollicibus, & indicibus accipit Calicem dextera manu infra nodū Cuppę, & vt recogniti Missalis rubrica addit (sinistra Patenam) dicens *Calicem salutaris accipiam*, &c. & signās se signo Crucis cum Calice dicit *Sanguis Domini nostri*, &c. ac manu sinistra supponens Patenam Calici, stans reuerenter sumit totum Sanguinem cum Particula in Calice posita vnico haustu, vt notat Paris de Crassis, nec lambat postmodum amplius Calicem; nam, si quid fortè reman serit, ablutione, ad purificatione sumetur.

Parif. de Crassis

10 Si peracta communione, in Altari adhuc remaneant Particulæ consecratæ, siue in Calice, siue in aliquo alio vase, monet rubrica, vt circa conuersiones, & genuflexiones seruentur ea, quæ dicta sunt Feria V. in Cœna Domini, & nos suo loco iam explicauimus supra.

Rit. mis. x. 7.

Sup. li. 2. sect. 7. c. 5. nu. 11.

11 Sumpto Sanguine, ac peracta cōmunione (si fortè sit facienda) celebrans antequam se purificet, diligenter perquirat fragmenta, si fortè aliqua, vel minima remanserit, dicensque secretò *Quid retribuam Domino*, &c. porrigit Calicem Ministro in cornu Epistolę, quo vinum infundente, quod decet esse album, ne purificatoria tingantur, se purificat, aduertens, vt vinū purificationis absorbens Sanguinis reliquias, omnesque partes illo intinctas purificet, eademque via, & modo, quo Sanguis, assumatur; deinde eodem pariter cornu epistolę aliquantulum procedens supra Altare, non autē extra, vt quidam malè faciunt, super Calicem pollices, & indices tenens vino, & aqua abluit, cauens, ne digitis labia, Calicisque os expurget, non enim hoc decet, quod & parum periti indecenter agunt; sed in medium rediens purificatorio digitos abstergens dicit *Corpus tuū Domine, quod sumpsi*, &c. eodemque loco, quo Sanguinem sumpserat, purificatorium sinistra Calici supponens, ablutionem sumit, deinde, & Calicē purificatorio extergit, tum ipsum super Calicem extendit, & desuper Patenam cum Palla; & plicato Corporali ipsum reponit in Bursa, & licet peritorum consilio, vbi plures Missæ celebrantur, ad maiorem celebrantium commoditatem extra Bursam accommodari posse cōcedatur, imò & Hispaniarum Ecclesijs à Pio V. indultum legatur, vt in Altari, quo plures celebrant, ipsum Corporale expansum remaneat, magis tamen decet, ac consultiùs meo iudicio semper complicatum intra Bursam ad hoc ordinatam reponetur. Dum autem ipsum Corporale complicatur, oportet aduertere, vt parua Palla celebrantium vsui accommodata, ita à latere reponatur, ne complicationem ipsam impediat, sed extra remaneat: coopertum itaque Calicem velo, bursaque Corporalium desuper posita in medio Altaris collocat.

Rit. mis. x. 5.

Cōfuet. Cleric. Regul. Theat.

De Orationibus Post communionem, & reliquis vsque ad finem. Cap. VIII.

1 *Antiphona, quę dicitur à Sacerdote, cur Communio dicatur.*
2 *Orationes dicendę in fine Missę.*
3 *Modus in benedictione seruandus.*
4 *Modus recedendi peracto Sacrificio.*

1 Antiphona, quę ante Orationem dicitur à Sacerdote, sub titulo Communionis, prænotatur; antiquitus namque Missæ Sacrificio fideles assistentes omnes Sacramento Corporis Christi reficiebantur, & interim aliquid ex Scriptura à Cantoribus præcinebatur, vnde factum est, vt illa Antiphona

Com-

Communio diceretur.

2 Lecta Communione celebrans procedit ad medium Altaris, & eo osculato vertit se ad populum, & dicit *Dominus vobiscum*; ac Orationem, vel Orationes eodem modo, ac numero, & Ordine, prout in principio dictæ sunt Collectæ: in emendati Missalis rubricis additur (quibus finitis claudit librum) idest cōclusione; maximè enim dedecet, si transeundo ad medium (vt quidam properantes indecorè) compleat verba conclusionis; omnia enim verba illa spectant ad Orationem vsque ad *Per omnia sęcula sęculorum Amen*, inclusiuè, idcirco eodē loco dici debent, & ipsis completis, & non ante claudendus est liber.

3 Ad benedictionem in fine Missæ, celebrans, dicto *Placeat*, &c. osculatur Altare more solito extensis hinc inde manibus, seque erigens, ac stans versus illud, prout in recogniti Missalis rubricis additur (eleuat ad cœlum oculos, & manus, quas extendit, & iungit) caputq; Cruci inclinans dicit intelligibili voce *Benedicat vos Omnipotnes Deus*, & iunctis manibus, & demissis ad terram oculis, vertens se ad populum in emendatis Missalibus additur (à sinistro latere ad dexterum) extensa manu dextera, iunctisque digitis; in emendatis etiam Codicibus additur (& manu sinistra infra pectus posita) semel benedicit populo dicens *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*, & circulum perficiens reuertitur ad cornu Euangelij, vbi dicto *Dominus vobiscum*, pollice dextero signat Altare, seu Librum in principio Euangelij, vt in emendati Missalis rubricis additur, & stans iunctis manibus legit Euangelium Sancti Ioannis, vel aliud, iuxta rubricas generales. Cum dicit *Et Verbum caro factum est*, genuflectit, in emendati Missalis rubricis additur (versus cornu Euangelij, & surgens prosequitur, vt prius.)

Rub. gene. miss. XIII. 2.

4 Omnibus absolutis Sacerdos cooperto capite accipit sinistra Calicē, dexteram ponens super bursam, ne aliquid cadat, descendensque ante infimum gradum Altaris reuerenter inclinat, In emēdati Missalis rubricis additur (vel si in eo est tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, aperto adhuc capite genuflectit.)

De Missa, quæ priuatè ab Episcopo celebratur. Cap. IX.

1 *Altare, in quo celebrat Episcopus quomodo ornandum.*
2 *Capellani Episcopi celebrantis.*
3 *Pręparanda Episcopo celebraturo.*
4 *Habitus Episcopi celebraturi.*
5 *Manipulus quomodo accipiendus.*
6 *Quando ab Episcopo dicatur Pax vobis.*
7 *Ad librum quomodo assistendum.*
8 *Capellani munus.*
9 *Liber Euangeliorum non traditur osculandus*
10 *Pax Prælatis pręsentibus danda.*
11 *Benedictio in fine Missæ quomodo danda.*
12 *Sacris vestibus quo loco exuatur Episcopus.*
13 *Capellani cuncta reponunt.*
14 *Mozzetta Episcopi quo loco tenenda.*
15 *Papa priuatè celebrante quid obseruandum.*

1 Altare, in quo Episcopus celebrare debet, sit decenter tobaleis mundis, ac pallio pro temporum, ac festorum qualitate ornatū; quatuor candelabra cum cereis mediam habebunt crucem argenteam, vel ex alia materia, diebus festis quatuor accendantur cerei, in Ferijs verò sufficiunt duo. Cærem. Episc. li. 1. c. 29.

2 Duo saltem Cappellani cottis mūdis induti ei inseruiant, decentiùs tamen erunt tres, quorum duo, in eleuatione Sacramenti post Episcopum celebrantē genuflexi à lateribus sustinent funalia accensa, tertius verò assistit ad librum, & cum opus est ad eleuationem tintinnabulum tangit; si verò fuerint duo, funalia à scutiferis, aut alijs Episcopi familia

ribus

ribus honeste indutis deferentur, vel saltem ipsi d ofunalia, seu cerei maiores ad eleuarionē accendantur super cādelabra magna prope Altare ad id parata.

3 Ante celebrationem per Capellanos omnia necessaria in Altari præparabuntur, paramenta quidem coloris tempori, ac festis congruentis, iuxta Missalis rubricas super Altare in medio aptari debent. Calix verò, Missale, & Manipulus super mensam. Insuper præter paramenta consueta, præparentur Crux pectoralis, & Annulus, nam reliqua Pontificalia tantùm in Missis solemnibus, & cum sacri Ordines conferuntur, adhiberi debent. Ante gradus Altaris sit puluinar ad genuflectendum in principio Missæ, & vbi Episcopus orauerit, surgens vt sacris se induat, amoueatur per aliquem scutiferum, seu familiarem Episcopi, & rursum post Missam apponetur.

4 In principio antequam sacris se induat ante gradus Altaris, Rochetto indutus cum Mozzetta in Diœcesi, & Mātellerto extra, Scutiferis, vel familiaribus ministrantibus deposita Mozzeta, seu Mantelletro, manus lauat, Mantile verò porrigitur ab aliquo ex Capellanis, quod etiam seruatur cum ad Offertoriū, & post Communionem secundò, ac tertiò manus lauabit.

5 Paramentis omnibus induitur à prędictis Capellanis, excepto Manipulo, nam ei imponitur in confessione, quādo dicit *Indulgentiam*, &c. & dum induitur Biretum in capite habebit, ipsum, cū accipit Albam, & Casulam amouendo.

6 Sacris indutus, amotoque bireto, ipsis Capellanis assistentibus, incipit, & prosequitur Missam, in qua ante primā Orationem conuertens se ad populum si dicatur *Gloria in excelsis* dicit *Pax vobis*: in reliquis prosequitur Missam ordine supra præscripto.

Rit. miss. V. 1.

7 Capellanus cum candelula à latere assistit ad librum, & etiam cum legit *Gloria*, vel *Credo*, similiter ad Canonem: idem ministrabit Calicem, amouendo & imponēdo Pallam eodem modo, quo dictum est de Diacono in Missa solemni.

8 Alter ex Capellanis, si duo fuerint vel vnus ex ipsis, si plures, ministrabit ampullas, & Mantile ad abstergendas manus post lotionem, atque tintinnabulum ranget ad eleuationem.

9 Liber Euangeliorum, Episcopo celebrante, nulli etiam magno Principi, aut Prælato Missæ præsenti post lectum Euāgelium osculandus traditur: sed si adesset aliquis Cardinalis, cui liber Euangeliorum porrigēdus esset, non idem liber, quo vtitur Episcopus, sed alius Codex porrigi debet. Cærem. Episc. vbi sup.

10 Si in Missa adesset aliquis Prælatus, vel Princeps, dicto *Agnus Dei*, ab vno ex Capellanis accipitur, & defertur Pax cum instrumento ordine suo loco supra præscripto. Sup. li. 2. sec. 2. c. 3 nu. 6.

11 In fine Missæ, nisi celebretur pro Defunctis, Episcopus daturus benedictionem in medio Altaris formans signū crucis in pectore dicet *Sit nomen Domini benedictum*, interim dexteram super Altare tenens, donec respondeatur *Ex hoc nunc*, &c. Deinde subdens *Adiutorium nostrum*, &c. eadem dextera manu signat signo crucis à fronte ad pectus, & à sinistro humero ad dexterum, rursumq; donec respondeatur *Qui fecit cælum*, &c. dexteram super Altare reponit. Dicens deinde *Benedicat vos omnipotens Deus*, eleuat ad cęlum simul oculos, & manus, & conuertens se ad populum, dum dicit *Pater* format signum crucis ad latus Epistolæ, dicens, *Et Filij* signat in medio; subdens verò *Et Spiritus Sancti* vertit se ad latus Euangelii eodem modo ibi existentes signando. Cærem. Episc. li. 2. c. 25.

12 Completa Missa descendens ab Altari adiuuantibus Capellanis deponit sacras vestes ante infimum gradum Altaris, caput interim bireto tegendo, ac demum reposita sibi Mozzetta, seu Mantellerto, genuflexus supra puluinum detecto capite ibidem orans gratias de more agit.

13 Capellani paramenta amouent, singula suis locis reponendo, & depositis superpelliceis, recedente Episcopo, cũ ipso recedunt, & in Altari tunc, & non prius extinguntur cerei.

14 Mozzetta Episcopo celebrante in propria Ecclesia reponitur expansa supra genuflexorium, ita vt Caputium sit versus Altare, ora vero circumcirca defluent, & cum inchoat Missam eodem loco reponitur ipsius biretum: extra Diœcesim Mantellettum reponunt familiares Episcopi complicatum supra aliquam mensam, vel alio loco congruo.

15 Papa priuatè celebrante, semper assistit Sacrista cum socio superpelliceis induti, & cũ ipsis ad minus alii quatuor Capellani, seu Acolythi Palatii Apostolici pariter superpelliceis induti: Sacrista assistit ad librum, & Calicẽ ministrat, reliqui adiuuant, adstantibus circumcirca extra Prelatis, Cubiculariis, & aliis Aulicis. Mozzetta reponitur super genuflexoriũ, & cum Missam inchoat pileolus reponitur supra Mozzettam.

SECTIO NONA.

De Missa solemni.

De Missa solemni, quę in Collegialibus celebratur. Cap. I.

1 *Missæ solemnis antiqua celebritas.*
2 *Hora celebrandi Missam solemnem.*
3 *Missæ votiuæ hora.*
4 *Quando tardius celebrandum.*
5 *Præparanda pro celebratione Missæ solemnis.*
6 *Quæ sonora, vel summissa voce dicenda.*
7 *Quando in Missa solemni sedendum.*
8 *Credentia vbi, & quomodo praeparari debeat.*
9 *Præparanda extra Altare.*
10 *Ordo procedendi ad Missam.*
11 *Ante Altare quomodo standum.*
12 *Vbi, & quomodo facienda sit Confessio.*
13 *Ad Introitum quid agendum.*
14 *Ad Gloria vbi & quomodo stabunt Celebrans & Ministri.*
15 *Ad Orationem, & Epistolam vbi, & quomodo standum.*
16 *Celebrans dat benedictionem Diacono antequam cantet Euangelium.*
17 *Celebrans vbi, & quomodo stabit ad Euangelium.*
18 *Ad Symbolum quomodo stabit.*
19 *Quomodo post Symbolum ministrandum.*
20 *Ad Præfationem quomodo standum.*
21 *Ad eleuationem genuflectendum.*
22 *Ministri vsque ad Postcommunionem quid præstabunt.*
23 *Communio quando cantari debeat.*
24 *Post Communionem quibus Cæremonijs dicantur Orationes.*
25 *De benedictione in fine Missæ.*
26 *Si sit legendum Euangelium peculiare in fine Missæ, à quo deferatur liber.*

1 Missa solemnis illa dicitur, quę cum Ministris celebratur, quęque in Ecclesiis Cathedralibus ac maioribus quotidie, in alijs verò Collegiatis saltem diebus festis celebrari debet: eius tanta erat antiquitus celebritas, vt nullo modo reliqs Sacerdotibus liceret priuatas Missas ante Tertiam celebrare, ne scilicet populus à publicis solemnibus distraheretur, sed vt omnes Sacerdotes videlicet, & populus ad publica Missarum solemnia, & prędicationem Verbi Dei conuenirent in vnum. Brucar. decr. li. 2. c. 54.

2 Huiusmodi Missa solemnis iuxta Romani Missalis Rubricas in duplicibus, & semiduplicibus, ac pariter in Dominicis, & infra Octauas, dicta in Choro Tertia, celebrari debet; in semiduplicibus Rub. gene. mil. XV. 2.

& ferijs per annum, dicta Sexta; in ferijs verò Aduentus, Quadragesimæ, quatuor Temporum, & Vigiliarum, quamuis sint dies solemnes, cantari debet post Nonam.

Rub. gene. Miss. XV. 5.

3 Missæ votiuæ, quæ pro re graui, vel publica Ecclesiæ causa solemniter celebrantur, post Nonam cantari debent; excipiuntur tamen ab hac regula prima, & secunda Missa Natiuitatis Domini, quæ hora suo loco præscripta celebrantur.

Declar. Congr.

4 Vbi propter loci frigiditatem, vel alia de causa populus tardiùs ad Ecclesiā accedit, declarauit sacra rituum Congregatio, quòd tunc magis præstat differri tempus recitandi Tertiam, quam debitum ordinem inuertere.

Sup. sec. 4. cap. 2. n. 1. & 2.

5 Pro Missarum solemnium celebratione summo mane pręparentur à Sacrista, & Acolythis deputatis omnia necessaria, prout suis locis est supra adnotatum, cum de Officio Ministrorum ageretur, & dum dicitur Tertia, Sacerdos cum Ministris in Sacristia sacris vestibus, quilibet proprii ordinis induatur.

Rub. gene. miss. XVI. 2.

6 Aduertat celebraturus, quòd præter ea quę sonora voce debet cantare, reliqua, quę in Missis priuatis dicuntur clara voce, in Missa solēni recitabit submissa voce, ita vt à Ministris astantibus, non autem ab alijs audiatur; ea autem, quę sonora voce intonari debeant, sunt in Rubrica expressa.

Rub. gene. miss. XVII. 6.
Declar. Congr.
Rub. gene. Miss. XVII. 7.

7 Vbi est consuetudo sedendi iuxta Rub. Missalis, Ministri vnā cū celebrante sedent, dum cantatur à Choro *Kyrie eleyson, Gloria & Credo*; additur etiam ex quadam declaratione Congregationis Sacrorum Rituum, si datur tempus, licebit etiam sedere, dum cantatur Epistola à Subdiacono, & Graduale à Cantoribus, quod etiam seruari potest in Prophetijs, quę Sabbato sancto cantantur. Cum sermo habetur intra Missarum solemnia celebrans cum ministris pariter sedet. Qui in Choro sunt, sicut & reliqui circumstantes sedent, quando celebrans sedet, vbi est consuetudo sedendi, & insuper dum cantantur Epistola, Prophetiæ, Graduale, Tractus, & Sequentia; etiam ab Offertorio vsque ad Pręfationem, & ad Antiphonam, quę dicitur Communio; hoc autem seruatur, vbi est consuetudo sedendi, atque ideo est aduertendum, quòd Cantores, dum cātant, non sedent, sicut nec in principio Missę, dum fit confessio, aliis genuflectentibus, ipsi Introitum cantantes non genuflectunt, sed stant.

Cærem. Episc. li. 1. c. 12.

8 Abacus, seu mensa, quam credentiā vocant pro Missa solēni à latere Epistolę in plano Presbyterij pręparari debet; eius mensura talis erit, vt omnia necessaria super eam possint apponi, lineo mantili mundo vsque ad terram pendēte contegetur; supra eam neque Sanctorum Reliquię, neque Imagines apponi debent, sed duo candelabra, Calix, Missalia, Velum oblongum, Ampullę vini, & aquę cum Peluicula, & Mantili, ac reliqua omnia, quę vsui esse possunt, iuxta solemnitates, ac functiones, quas exercere oportet, nec alio apparatu seu pompa vasorum ornabitur, nisi celebrante Episcopo, cui credentia solemni apparatu vasis argenteis referta debetur.

Rit. miss. XI. 5.
Cærem. Episc. li. 1. c. 12.

9 In Sacristia pręparetur thuribulum cum Nauicula, similiter aquę benedictę vas cūm aspersorio, item in loco remoto sit vas cum carbonibus accensis, & forcipibus pro vsu thuribuli; erunt etiam in promptu funalia, seu intortitia accendenda in eleuatione Sanctissimi Sacramēti.

Rit. Mis. XI. 5.

10 Post Tertiam, vel aliam Horā iuxta temporum opportunitatem, vt adnotauimus, procedit immediatè ad Missam primus omnium Cęremoniarius, quem sequitur Thuriferarius à sinistris habens Acolythum, post quos sequuntur Ceroferarii cum candelabris accensis, post eos succedit Subdiaconus habens post se Diaconum ambo iunctis manibus ante pectus, vltimus omnium celebrans capite cooperto, ac manibus

pariter

pariter iunctis, omnes incessu graui, oculisq; ad terram demissis, interim in Choro Cantores intonant Introitum.

11 Ante Altare peruenientes Thuriferarius cum Acolytho in medio plani, Ceroferarij verò hinc inde aliquantulum in gradibus Altaris distantes aditum præbent Ministris, ac celebranti, qui medius inter Ministros stans detecto capite, vnà cum alijs reuerentiam facit Cruci, & si in Altari sit Sanctissimum Sacramentum genuflectit, & tunc recedentibus Ceroferarijs Acolythi ad confessionem genuflectunt, & si sit dies Dominicus, prius fit aspersio, modo supra præscripto. Sup. sec. 2. c. 1.

12 Celebrans cum ministris ante infimum gradum stans, submissa voce facit confessionem, & in fine dicto à celebrante *Oremus*, omnibus surgentibus cum Ministris ascendit ad Altare, ipsis anteriores vestium eius fimbrias eleuantibus; ibique osculato Altari, ac ministrato incenso, proceditur ad thurificandum Altare, modo supra præscripto. Sup. sec. 2. cap. 2.

13 Post incensationem celebrans in cornu Epistolæ submissa voce legit Introitum; quo dicto Ministri alternatim respondent ad *Kyrie eleyson*: deinde vbi est consuetudo sedent, donec per Chorum cantentur *Kyrie*.

14 Cum dicitur vltimum *Kyrie*, celebrans cum Ministris procedens in medium Altaris clara, ac sonora voce cantat *Gloria in excelsis*, &c. Ministri verò statim ascendunt, simul summissa voce reliquum hymni prosequentes; quo completo genuflectentes recedunt post terga celebrantis ad adhuc stantis in medio, & vbi est consuetudo, sedent à latere Epistolæ. Rit. Mis. IV. 7.

15 Celebrans in fine Hymni accedit ad Altare, illudque osculatur, ac vertens se dicit *Dominus vobiscum*, quo dicto redit ad librum in cornu Epistolæ, ibique cantabit Orationem, vel Orationes post eum interim ministris stantibus. Dum cantatur Epistola, celebrans summissa voce illam cum reliquis vsque ad Euangelium in eodem loco stans legit, astante Diacono à dextris eius; dicto verò Graduali accedens ad medium iunctis manibus dicit *Munda cor meum, Iube Domine, & Dominus sit in corde meo*, &c. deinde vertens se ad librum in cornu Euangelij positum, Subdiacono assistente à sinistris eius, vel si non sit completa Epistola, vbi non est cantus, Diacono assistente, dicit summissa voce *Dominus vobiscum*, & legens titulum Euangelij se ipsum, & textum signabit, mox iunctis manibus Euangelium vsque in finem prosequitur, cui Minister assistẽs respondebit *Laus tibi Christe*, ipse verò non osculabitur librum, neq; dicet *Per Euangelica dicta*. Ri. Miss. V. 5.

16 Cantata Epistola, accedente Diacono cum libro, et benedicit, dicensque *In nomine Patris*, &c. sinistra posita supra pectus, producit signum crucis manu dextera supra Diaconum, quam deinde positam supra librũ Diaconus osculabitur, ac surgens procedit ad cãtandum Euangelium, vt suo loco dictum est. Rit. Mis. VI. 5.

17 Celebrãs post datam Diacono benedictionẽ ad cornu Epistolæ se confert, vbi stat facie ad Altare conuersa, donec Diaconus incipiat cantare Euangelium, quo incipiente statim se vertit respiciens versus cornu Euangelij, & sic stat iunctis manibus ante pectus, donec absoluatur Euangelium, & cum à Diacono dicitur *Sequentia S. Euangelij*, vel *Initium*, &c. signat se similiter inclinando, vel genuflectendo, cum opus est. Rit. mis. VI. 5.

18 Cantato Euangelio, Subdiacono deferente librum, celebrãs ambabus manibus illum sibi appropinquans principiũ Euangelij osculabitur, dicens *Per Euangelica dicta*, &c. non tamen librũ signabit, stansque ibidem à Diacono thurificabitur, ac statim se conuertens ad Altare in medio, stantibus post eius terga ministris dicit, si dicendum sit *Credo in vnum Deum*, ipsum summissa voce prosequendo, prout supra dictum est de Hymno Cærem. Epis. li. 1. c. 29.

Gloria in excelsis; ad Verſ. verò *Et incarnatus eſt*, genuflectit, quo completo Miniſtri recedunt vnus poſt alium, & vbi eſt conſuetudo ſedent à latere, Epiſtolæ.

Rit. miſ. VII. 9. 19 Cantato Symbolo, vel ſi non ſit dicendum, incenſato celebrante, ipſe Altare in medio oſculabitur, ſtatimque ſe vertens ad populum dicit *Dominus vobiſcum*; Miniſtri interim ſtant, vnus poſt alium, & dicto *Oremus* cum debitis reuerentijs, Diaconus quidem aſcendit ad Altare, Subdiaconus verò accepto Calice, & Acolythus ampullas deferens, vt proprijs locis de ſingulis dictum Sup. li. 2. ſec. 2. c. 2 nu. 4. eſt, celebranti miniſtrant; Thuriferarius quoque cum thuribulo, & nauicula accedit, ac ſtatim dicto: *Veni ſanctificator*, &c. miniſtratur incenſum pro Oblatis, prout ſuo loco dictum eſt, ſimiliter incenſatur Chorus; celebrans verò ſtatim, poſtquam fuerit thurificatus, lauat manus, dicentique *Orate fratres*, &c. Subdiaconus reſpondebit *Suſcipiat*, &c.

20 Cum dicitur Præfatio, miniſtri ſtant poſt celebrantem, & ad *Sanctus* Rit. miſ. VII. 3. hinc inde accedunt, vt ſuo loco dictum eſt; In Choro verò cantatur *Sanctus*, vſque ad *Benedictus qui venit* excluſiuè: reliqua omnia celebrans ipſe præſtabit, prout in Miſſis priuatis, niſi quòd Calix à Diacono diſcooperitur, ac cooperitur, cum opus eſt, qui etiam Miſſa lis folia vertit.

Cæræm. Epiſc. li. 2. c 8. Concil. Claran. Act. Eccl. Med. 21 Cum eleuatur Sacramentum Chorus ſilet, & omnes tàm in Choro, quàm extra genufleſtunt, & pulſantur campanæ, ſtatimque eleuato Calice, ſurgunt, & Chorus proſequitur cantando *Benedictus qui venit*, &c.

22 Cum dicitur Oratio Dominica, ad verba *Et dimitte nobis*, &c. Diaconus accipiens Patenam à Subdiacono celebranti porrigit, & dicto *Pax Domini*, & *Agnus Dei*, &c. miniſtratur Pax, Sup. li. 2. ſect. 2. c. 3. modo ſuo loco præſcripto.

23 Antiphona, quæ dicitur Communio, cãtari debet in Choro, vt notat Cæremoniale Romanum, immediatè cantato *Agnus Dei*, & accepta Pace, & omninò, dum fit communio. Cærem. Epiſc. li. 2. c. 8.

24 Celebrans ſumpta purificatione in cornu Epiſtolæ aſſiſtente à dextris eius Diacono, legit Communionem, oſculatoque Altari in medio ſe conuertens ad populum dicit *Dominus vobiſcum*, rediensque ad latus Epiſtolæ, cantat ibi Orationem, vel Orationes, interim miniſtri ſtant poſt eius terga vnus poſt alium; cantatis deinde Orationibus rurſum ad medium cum miniſtris, qui poſt eum ſtabunt, accedens oſculatur Altare, conuerſuſque dicit *Dominus vobiſcum*, & *Ite Miſſa eſt*, ſi dicendum ſit ſtans in medio iunctis manibus, ſi verò dicendum ſit *Benedicamus Domino*, non ſe conuertit.

25 Ad benedictionem omnes genuflectunt, miniſtri quidem hinc inde ſupra gradum ſupremum, Acolythi verò Ri. Miſſ. XII. 7. in plano, ipſe autem celebrans conuertens ſe, ac dicens *Pater*, & *Filius*, & *Spiritus ſanctus* ſemel tantùm ſignum crucis formabit, eadem voce, eodemque modo, ac in Miſſis priuatis.

26 Si aliquod peculiare Euangelium in fine legendum ſit, dicto per Rit. miſ. XII. 7. Diaconum *Ita Miſſa eſt*, Subdiaconus defert librum ad cornu Euangelij: dum dicitur Euangelium, Acolythus accipit biretum celebrantis, Ceroferarij verò cum candelabris accenſis accedunt in medium, ſtatimque lecto Euangelio, celebrans ac miniſtri cum debitis reuerentijs recedunt ordine, quo venerant, in Sacriſtiam, ibique paramenta deponentes; celebrans quidem à miniſtris, illi verò ab Acolythis adiuuantur. Si in fine Miſſæ facienda ſit proceſſio, celebrans non recedit, ſed ante infimum gradum Altaris depoſita Caſula, & Manipulo induitur Pluuiali, & reliqua proſequitur vt in proprio loco infra dicetur.

De

De Missa, quæ cantatur sine Ministris.
Cap. II.

1 *Præparanda pro Missa cantanda.*
2 *Modus & tempus procedendi ad Missam.*
3 *Legenda, atque cantanda.*
4 *Epistola à quo, vbi, & quomodo cantanda.*
5 *Quando, & quomodo thurificandum Altare.*

1 IN Ecclesiis minoribus, in quibus non est sufficiens numerus Ministrorum, cantari poterit diebus Dominicis per annum Missa sine Ministris, pro qua, dum dicitur Tertia, præparabitur supra Altare Missale, Calix, ac saltem quatuor candelæ, circa finem Tertiæ accendendæ.

2 Dicta Tertia, præcedentibus duobus Acolythis, quorum alter defert vasculum aquæ benedictę cum asperforio, sequetur celebrans indutus Pluuiali coloris tempori, & Officio conuenientis, & facit aspersionem modo supra præscripto, in cuius fine deponit Pluuiale, & Casula indutus facit confessionem Acolythis respondentibus, qui post eum hinc inde genuflectent. Si verò non sit facienda aspersio, procedit Casula indutus.

Sup. lib. 2. sect. 2. c.

3 Facta Confessione ascendit ad Altare, legitque Introitum, & *Kyrie* assistente Acolytho, deinde cantat clara voce principium Hymni *Gloria in excelsis*, &c. Orationem, vel Orationes, Euangelium initium Symboli *Credo in vnum Deum*, *Dominus vobiscum*, & *Oremus* ante Offertorium, cantat etiam Pręfationem, & Orationem Dominicam post eleuationem, *Per omnia*, & *Pax Domini*, post communionem verò cantat *Dominus vobiscum*, ac tandem *Ite missa est*, vel *Benedicamus Domino*, reliqua verò legit summissa voce, vel secretò, prout in reliquis Missis priuatis Acolytho respondente.

Rit. Mis. VI. 8.

Rit. Mis. VI. 8.

4 Epistolam cantabit aliquis Subdiaconus, vel etiam Acolythus superpelliceo indutus, modo supra præscripto, interim celebrans eam submissa voce legit, & in fine respondebitur *Deo gratias*, ac Graduale pariter leget.

5 Poterit, si videbitur incensari Altare, Thuriferario, & Acolytho ministrantibus, non quidem in principio Missę, sed ad Euangelium, & Offertorium, & ad Eleuationem Sanctissimi Sacramenti incensabit Thuriferarius; similiter temporibus, cum danda erit Pax, Acolythus assistens illam deferre poterit, & in fine omnibus completis recedit ordine quo venerat.

De Missa Pontificali ab Episcopo solemniter celebranda.
Cap. III.

1 *Præparanda ante celebrationem Episcopi.*
2 *Ordo procedendi ad Ecclesiam.*
3 *Ingressus Episcopi ad Ecclesiam.*
4 *Locus Episcopi, & Canonicorum in primo ingressu.*
5 *Tertia quomodo cantanda, & qua interim ab Episcopo agenda.*
6 *Paramenta quomodo Episcopo ministranda.*
7 *Ordo procedendi ad Altare.*
8 *Confessio quo ordine facienda.*
9 *Episcopus librum osculatur, & Altare incensat.*
10 *Introitus quomodo legendus.*
11 *Ad Gloria in excelsis quo standum.*
12 *Oratio quomodo dicenda.*
13 *Episcopus Subdiaconum benedicit, & Graduale legit.*
14 *Liber deferendus, & incensum ministrandum.*
15 *Ad Euangelium quo procedendum.*
16 *Si habendus sit Sermo quomodo procedendum.*
17 *Ad Symbolum quomodo standum.*
18 *Ad Offertorium quomodo procedendum.*
19 *Ordo procedendi ad Missam.*

20 *Oblatio quomodo facienda cum incensatione.*
21 *Pax à quo deferenda.*
22 *Manuum lotio post Purificationem facienda.*
23 *Benedictio danda in fine.*

Cærem. Episc. li. 1. c. 12. 1 EPiscopo solemniter celebraturo, Cæremoniarum Magister prius diligenter curabit, vt Ecclesia, Altare, sedes Episcopi, & abacus, seu credentia cum omnibus necessarijs opportunè ornentur, prout proprijs locis aliàs explicabimus. In Altari in quo celebrandum Sup. li. 1. sec. 1. c. 1. erit, amoto ex eo Sanctiss. Sacramento, si fortè ibi asseruetur, ad aliud sacellũ decenter ornatũ transferatur, septem candelabra in ipso aptentur, crux verò ante medium collocetur. Sedes Episcopi cum suo baldachino coloris aliorum paramentorũ ornabitur, gradus, ipsius tapetis, vel pannis viridis coloris tegantur, pariter gradus Altaris, & totius Presbyterij pauimẽtum tapetis, ac pannis cooperiantur. Credentia præparetur modo Sup. li. 1. sec 1 c. 1. nu. 3. supra præscripto. Ante Altare erit in plano faldistorium cum puluinaribus coloris paramentorum ad procumbendum. Pariter ante Altare Sanctiss. mi Sacramẽti parari debet genuflexorium coopertũ panno viridi, vel violaceo pro temporũ qualitate, & si Prælatus sit S.R.E. Cardinalis, cooperiatur holoserico violacei, vel rubei coloris iuxta habitum quo tũc temporis vti decet. Pro Prælatis Canonicis, Magistrantibus, & alijs præpa vbi sup. nu. 15. & 16. rentur sedes, vel scamna panno contecta, modo suo loco præscripto.

2 Hora congrua omnibus in Ecclesia rite dispositis, Magister Cæremoniarum, monito prius Episcopo de agendis, cum Capitulo alios præcedendo, ad locum habitationis Episcopi accedet, quòd si domus eius longè ab Ecclesia distaret, ante fores Ecclesiæ ipsum Rochetto atque Mozzetta indutum aduenientem excipere debent, qui tunc deposita Mozzetta Cappa induitur, & ita à Canonicis associatus procedit; scutiferi, atque familiares Episcopi, Nobilesque laici præcedant, post Laicos verò sequantur Ecclesiastici ordine suo.

3 Episcopo ad Ecclesiam accedente, pulsantur campanæ; in ipso verò ingressu etiam organa tanguntur. Ante Ecclesiæ ostium Magistro Cærem. subministrante, porrigitur Episcopo aspersorium à dignioti ex Capitulo cum osculo manus, & aspersorij; ipse verò detecto capite se prius, deinde alios aspergit: Canonici interim profundè inclinant, reliqui verò omnes genuflectunt.

4 Episcopus Ecclesiam ingressus primum omnium ante Altare Sanctissimi Cærem. Episc. li. 1. c. 1. & 15. Sacramenti genuflexus orabit, modo suo loco præscripto. Inde ad Sacellũ, vbi paramenta sumere debet, seu Sacrarium accedet, ibique in sede aliquãtisper quiescet, donec Canonici alio loco ibi proximo paramenta sumant, quilibet sui ordinis, & vbi est sacellum, seu locus congruus, ibidem ante Missam dicatur Tertia; si verò tale sacellum non habeatur, paratis Canonicis in Sacristia processionaliter ad Altare procedent, vbi cũ peruenerit Episcopus in medio genuflexus, aliis pariter suis locis genuflectentibus, aliquantisper orabit.

5 Episcopus ab Oratione surgẽs cum Cærem. Episc. li. 2. c. 8. Assistẽtibus ad sedem suam accedet, vbi stans detecto capite dicit prius secretò *Pater noster*, & *Aue Maria*, deinde *Deus in adiutoriũ*, &c. cantatoque Hymno intonabit antiphonã; Cantoribus inchoantibus *Legem pone*, &c. Episcopus sedet, & Cærem. Episc. li. 1 c. 9. adstantibus Diaconis assistentibus paratis cum Diacono Euãgelii, & Subdiacono, omnibus sacris vestibus indutis excepto manipulo, accedentibus Ministris de libro, & candela legit alternatim cum Assistentibus Psalmos *Quam dilecta*, &c. Subdiaconus cantaturus Epistolam acceptis ex credentia Sandalibus, adiuuãtibus scutiferis, & Acolythis Episcopi pedes modo alias præscripto calceat. Recitatis Psalmis, & calceatis iam Sãdalibus,

&

Sop.ll.2. sect. 2. c.5.

& calceis Episcopus surgens legit Versus, & Orationes ex libro à Capellano stante sibi ministrato. Assistentibus respondentibus; ac deinde deposita Cappa manus lauat modo suo loco praescripto: Cantores interim Psalmos grauiter, ac morosè prosequuntur, quò detur tempus Episcopo legendi Psalmos,& reliqua prosequendi.

Parif. de Crassis li.4. c.2.

6 Lotis manibus statim Acolythi paramenta sumentes ex Altari, vnus post alium singula deferunt Ministris assistentibus, qui hinc inde Episcopū adiuuant, & praecipuè Diaconus, & imponentes Amictum, Albam, Cingulum, Crucem pectoralem, Stolam, Pluuiale, & Mitrã, si interim Psalmi non fuerint completi, Episcopus sedet, donec perficiantur. Completis verò Psalmis,& repetita Antiphona, Episcopo surgente cum Mitra, Subdiaconus paratus cantat Capitulum in loco, vbi legi solet Epistola: Deinde Cantores cantat Responsorium Breu. cum Vers.& Episcopus accedentibus ceroferariis, Assistente parato librum sustinente, deposita Mitra cantat Orationem,qua cōpleta,dictoque *Benedicamus Domino*,ceroferariis recedentibus, Episcopus deposita Mitra,ac Pluuiali, adiuuantibus Diacono Euangelii, & Subdiacono induitur Tunicella, & Dalmatica, deinde sedenti imponuntur chirotecae dexterę per Diaconum,sinistrae verò manus per Subdiaconum,deosculatis prius manibus, deinde chirotecis, postea surgēti imponitur Casula,& si ei competat, Pallium modo suo loco praescripto. Sedenti deinde imponitur per Diaconum Mitra pretiosa, ac demum per Presbyterum assistentem imponitur digito annulari dexterae manus Episcopi Annulus Pontificalis,prius ipsum Annulum, deinde manum osculando: & tunc Diaconus,& Subdiaconus accipiūt suos Manipulos, & accedente Thuriferario per Presbyterum assistentem ministratur incensum.

Sup.li.1. sect.5.c. 11.nu 4. & 5. & sect. 10. c.10.n.8.

7 Imposito incenso, praecedente Magistro caeremoniarum, ac Thurifetario cum thuribulo processionaliter ad Altare proceditur: vltimus omnium procedit Episcopus celebrans Baculum Pastoralem sinistra tenens, quem ad gradus Altaris perueniens reddit Ministro, qui de eo inseruit, & deposita per Diaconum Mitra, facit profundam inclinationem Cruci, pariter & Ministri profundè cum ipso inclinant,Capellani verò, & Acolythi superpelliceis induti genuflectunt.

8 Episcopus habens à dextris Presbyterum assistentem, à sinistris verò Diaconum,& apud eum aliquantulum retro Subdiaconum:& hinc inde post se duos Diaconos assistentes facit cum eis confessionem, in qua Episcopo dicente *Indulgentiam*, &c. Subdiaconus Manipulū sinistro brachio eius cum osculo manus, & Manipuli imponit, & ligat. Prelati si adsunt, & Canonici bini in suis locis faciunt confessionem stantes, reliqui non parati genuflectunt.

9 Post confessionem Episcopus ad Altare ascendens, vbi illud in medio fuerit osculatus, Librum Euangeliorum sibi à Subdiacono à sinistris stante oblatum, adiuuante Presbytero assistente, vtraq; manu accipiēs osculatur in folio Euāgelii currentis; deinde incensū ministrante Diacono imponitur, & benedicitur, & Altare,ordine suo loco pręscripto incensatur.Incensato Altari imponiturEpiscopo Mitra à primo Diacono assistente, & in cornu Epistolę stans cum Mitra, incensatur à Diacono. Sup. sec 2. cap.2 nu.9.

10 Episcopus vbi fuerit incensatus, facta Cruci reuerentia in medio accepto Baculo, procedens medius inter Diaconos assistentes ad Solium ascendit, ibiq; deposita Mitra legit Introitum ex libro, quem sustinet super caput Capellanus seruiens de libro, & dicit cum suis Assistentibus *Kyrie eleyson*, quibus dictis sedet cum Mitra Auriphrygiata simplici,& Gremiali, & Assistentes hinc inde in suis scabellis tecto capite sedent,

& te-

& reliqua in suis locis. Diaconus, & Subdiaconus apud Altare stantes detecto capite dicunt *Kyrie*, & Episcopo sedente, & ipsi pariter in scabellis ibidem à latere Epistolæ tecto capite sedent.

11 Dicto vltimo *Kyrie eleyson*, omnibus surgentibus per Diaconos assistentes aufertur Episcopo Gremiale, deinde Mitra, & Pileolus. Episcopus surgens habens ante se librum sibi à Presbytero assistente, qui eum supra caput tenet, ministrarum, aliis pariter Ministris assistentibus, facie ad Altare conuersa, intonat Hymnum *Gloria in excelsis*, &c. reliqua cum Ministris submissa voce prosequitur; similiter Diaconus, & Subdiaconus suis locis in cornu Epistolæ apud Altare; Canonici verò bini in suis locis reliqua prosequuntur; & in fine Episcopus accepta Mitra simplici, & Gremiali sedet, alij pariter in suis locis sedent.

12 Cantato Hymno Episcopus deposito Gremiali, & Mitra, surgens facie ad Altare conuersa dicit *Pax vobis*, & Orationem; deinde sedet sedentibus omnibus, dum cantatur Epistola.

13 Post Epistolam Episcopus porrigit manum Subdiacono osculandam supra librum, formans deinde super illum signum crucis; & accedentibus Ministris de libro, & candela legit Graduale cum Versu, vel Tractu, seu Sequentia, & alia vsque ad finem Euangelii.

Sup. li. 1. sec. 7. c. 8 nu. 7. 14 Cũ cantatur vltimus Versus, Diaconus accedit cum libro, & dicit *Munda cor meum*, & incensum ante Euangelium per Presbyterum assistentem ministratur vt supra.

15 Diaconus cum Subdiacono, Thuriferario, & Ceroferariis procedit ad cãtandum Euangelium, vt suo loco est explicarum, quod dum cantatur, Episcopus (Ibid. n. 8.) deposita Mitra, & Gremiali, accipit sinistra Baculum, dextera se signans, deinde tenens Baculum inter ambas manus iunctas stat versus Diaconum cantantem, & completo Euangelio osculatur librum sibi à Subdiacono porrectũ; & à Presbytero assistente incensatur.

16 Si habendus sit sermo, obseruentur omnia, quæ suis locis habentur.

17 Si verò sermo non sit habendus, Episcopus, vbi post Euangelium fuerit incensatus, conuersus ad Altare, Presbytero assistente sustinente librum, alijsq; adiuuantibus incipit cantando *Credo in vnum Deum*, ipsum cum suis Ministris submissa voce prosequendo, quod pariter Diaconus, & Subdiaconus in Altari & Canonici bini in suis locis præstabũt, & ad Versum, *Et incarnatus est*, genuflectunt, deinde completo Symbolo, dum à Choro cantatur, sedent, & ad verba, *Et incarnatus est*, Episcopus, & Canonici profundè inclinãt, reliqui genuflectunt, in die verò Natiuitatis Domini, & Annunciationis B. Mariæ omnes genuflectunt, etiam Episcopus, & Diaconus cantato, *Et homo factus est*, defert Bursam Corporalium. (Sup. sec. 2. c. 6. n. 6)

18 Cantato Symbolo Episcopus deposito Gremiali, & Mitra surgit, & dicit *Dominus vobiscum*, & *Oremus*, deinde submissa, & intelligibili voce legit Offertorium ex libro sibi à Capellano ministrato, deinde Presbyter assistens librum defert ad Altare, ipse verò lecto Offertorio, sedet cũ Mitra pretiosa, depositisque Annulo, & Chirotecis sibi ab Assistentibus abstractis, lauat manus ordine præscripto; interim tanguntur organa. (Sup. li. 1. sect. 2. cap. 5.)

19 Lotis manibus, & resumpto Annulo Episcopus surgit, & sinistra deferẽs Baculum procedit ad Altare medius inter Diaconos assistẽtes, sequentibus Ministris de Mitra, & alijs, & ante infimum gradum perueniens, depositis Baculo, & Mitra, facit prius profundam reuerentiã Cruci, deinde adiuuantibus Presbytero assistente à sinistris, & Diacono Euangelij à dextris ascendit ad Altare, illudque in medio osculatur.

20 Ad Altare Subdiacono deferente Calicem, à Diacono fit prægustatio modo aliàs explicato, offerturque prius Hostia à Diacono in Patena oblata, deinde

pariter

pariter vino, & aqua degustatis, & Calici impositis, fit oblatio Calicis Episcopo pariter à Diacono porrecti. Incensum deinde ministratur in Altari à Diacono, & incensantur Oblata, pariter & Altare modo proprio loco in Capitulo de Thurificatione præscripto. Incensato Episcopo à Diacono ministratur aqua ad abluendas manus. Reliqua omnia vsque ad Communionem fiunt, prout in Ordinario, & de alijs Missis solemnibus est adnotatum.

Sup. sec. 2. cap. 2. nu. 14.

21 Dicto *Agnus Dei*, Presbyter assistens ascendit ad dexterum latus Episcopi celebrantis, accipit, & defert Pacem, modo suo loco præscripto, & interim Diacono supplenti ad librum, Subdianus, cum opus fuerit, Calicem discooperit.

Sup. sec. 2. cap. 3. nu. 3.

22 Post sumptam sacram Communionem, & facta digitorum ablutione, imponitur per Diaconum Mitra Episcopo, & sic stanti in cornu Epistolæ ministratur aqua ad abluendas manus, modo præscripto. Presbytero assistente deferente librum ad latus Epistolæ, Episcopus deposita Mitra legit Communionē, & prosequitur reliqua.

23 Dicto *Placeat*, &c. dat benedictionem, & in fine submissa voce dicit Euangelium S. Ioannis, & si sit Archiepiscopus deponit Pallium super Altare, reliqua verò paramenta in loco, vnde ea sumpserat. Recedens procedit associatus à Canonicis eodem ordine, quo venerat.

De Missa solemni coram Episcopo in propria Diœcesi celebranda. Cap. IV.

1 *Episcopus quomodo assistere debeat.*
2 *Confessio quomodo facienda.*
3 *Post confessionem Episcopi, ac celebrantis locus.*
4 *Incensum ministratur.*
5 *Introitus quomodo legi debeat.*
6 *Ad Orationem omnes stant, & ad Epistolam sedent.*
7 *Ad Euangelium quomodo procedendum.*
8 *Dum recitatur Symbolum quomodo procedendum.*
9 *Incensum ad Offertorium, quomodo ministrandum.*
10 *Ad Sanctus Canonici accedunt ad circulum.*
11 *Ad eleuationem quo loco Episcopus genuflectat.*
12 *Ad Agnus Dei fiunt circuli.*
13 *Pax quomodo deferenda.*
14 *Communio quomodo legenda.*
15 *Benedictio quomodo, & à quo danda.*
16 *Ordo recedendi.*
17 *Obseruanda celebrante Episcopo extero coram Episcopo loci.*
18 *Præsente S.R.E. Cardinali quænam obseruanda.*
19 *Episcopus Cardinalis coram Cardinali quo loco benedicit.*
20 *Episcopo extra Diœcesim solemniter celebrante quomodo procedendum.*

1 Diebus solemnioribus Episcopus cum Vesperarum Officio, vel solemnis Missæ celebrationi in propria Diœcesi interesse voluerit, à Canonicis associatus ad Ecclesiam procedit, ibique Pluuiali, ac Mitra indutus in Solio coloris aliorum paramentorum ornato assistet: diebus verò minus solemnibus eodem ordine procedens non cum Pluuiali, & Mitra, sed cum Cappa, & Bireto assistere poterit. Semper tamen hinc inde assistentes habebit duos Diaconos ex antiquioribus, suo habitu Canonicali indutos.

Cœrem. Episc. li. 1. c. 6.

2 In principio Missæ Episcopo ab Oratione surgente celebrans ante gradus Altaris ad eius sinistram accedens, habens pariter à latere sinistro Diaconū, & Subdiaconum, facit cum ipso confessionem, illo videlicet inchoante, ipse respondebit.

3 Peracta confessione, Episcopus, si Mitra vtatur, ea prius sibi imposita reue-

rentiam

rentiam facit Altari, & cum suis assistentibus accedit ad Soliũ; si verò *Mitra* non vtatur, recedit cũ bireto; Celebrans vero cũ suis Ministris Altare ascendens, ipsum in medio osculatur, ibique expectat, donec Thuriferarius accedat cum thuribulo.

Sup. sec. 2. cap. 3. n 5. & 6. 4 Episcopus in Solio sedens, accedẽte Thuriferario cum thuribulo, quem Cæremoniarius ducit, Presbytero assistente ministrante Nauiculam, incensum ponit in thuribulum, & benedicit modo suo loco præscripto. Thuriferarius verò imposito incenso thuribulum ad Altare deferens tradit Diacono, & ille celebranti, qui Altare incensabit more solito.

5 Post Altaris incensationem, dum cantatur *Kyrie eleyson*, Episcopus surgẽs, Capellano sustinente librum, & alio candelam ministrante, legit Introitum, & cũ suis Assistentibus alternatim dicit *Kyrie eleyson*, ac deinde cùm per celebrantem fuerit intonatus Hymnus *Gloria in excelsis Deo*, ipsum mediocri voce prosequitur cum suis Assistentibus, ac Canonicis, qui ad circulum accedunt ordine suo loco præscripto. Celebrans verò in Altari cum suis Ministris legit Introitum, ac dicit *Kyrie*, & *Hymnum*, deinde recedentes omnes in suis locis sedent. Sup li. 1. sec. 8. c. 5 nu. 5.

6 Ad Orationem Sacerdos Altare ascendens cum Ministris dicit *Dominus vobiscum*; Episcopus verò, & omnes alij detecto capite surgunt, & ad Epistolam, dum cantatur, sedent. Subdiaconus ipsam modo suo loco præscripto cantabit, in fine Episcopi manũ osculãdo. Episcopus, Capellano libro ante ipsum sustinẽte, adhuc sedens, Assistẽtibus detecto capite surgentibus, legit *Graduale*, *Tractum*, vel *Sequentiam*. Sup. li. 1. sec. 7. c. 4. nu. 11.

7 Ad Euangelium Episcopus imponit incensum, Presbytero assistente ministrante Nauiculam, Diaconus petit benedictionem, & ad cantandum Euangelium, modo suo loco præscripto procedit; quo completo Episcopus librum sibi à Subdiacono porrectum osculabitur, & si fuerit cum Pluuiali, & Mitra ab assistente Presbytero incensabitur, si autem cum Cappa, tantùm post Offertorium incensari debet. Sup. li. 1. sec. 7. c. 8 nu. 8. Cærem. Episc. li. 2 c. 9.

8 Dum cantatur Symbolũ accedentibus Canonicis ad circulum, Episcopus cum ipsis, & Assistentibus submissa voce ipsum recitabit, prout dictũ est de Hymno *Gloria in excelsis*, & dicto *Dominus vobiscum*, Episcopus Capellano sustinente librum legit *Offertorium*.

9 Post Offertorium accedente Thuriferario, Presbytero assistente ministrante Nauiculam, imponitur incensum, & benedicitur: deinde Thuriferario deferente thuribulum, vt supra, per Diaconum celebranti porrigitur, qui incensat Oblata, & Altare more solito; deinde incensato Altari Episcopus incensatur à Presbytero assistente.

10 In fine Præfationis, dum dicitur *Sanctus*, Canonicis accedentibus ad circulum, Episcopus cum ipsis, & Assistentibus dicit *Sanctus*, &c.

11 Ad eleuationem Episcopus de Solio descendens genuflectit in faldistorio in medio ante gradus Altaris præparato, & post eleuationem reuertitur ad Solium.

12 Ad *Agnus Dei* Canonici cum debitis reuerentijs accedunt ad circulum, & Episcopus cum ipsis eadem profert.

13 Presbyter assistens pacem accipit à celebrante, eamque defert Episcopo, qui eam dat duobus Diaconis assistentibus; & si celebrans habeat assistentem cum Pluuiali, postquam Episcopus dedit pacem assistentibus Diaconis, ipse in Choro ad locum Presbyteri assistentis, qui pacem dedit Episcopo, accedens ab eo accipit pacem, quam dabit alijs de Choro, ordine suo loco præscripto, quòd si celebrans non habeat Assistentem, postquam Presbyter assistens pacem dedit Episcopo, illam in Choro dabit Subdiacono. Cærem. Episc. li. 1. c. 24. Sup. sec. 2. cap. 3. nu. 3.

14 Dum

14 Dum celebrans legit Communionem, Episcopus Capellano sibi librum ministrante eam in sua Sede legit, & ad Orationem surgit.

15 dicto *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, Episcopus stans tecto capite, solemniter benedicit populo, & per celebrantem publicantur Indulgentiæ, forma in Cœremoniali Romano præscriptæ. Cærem. Episc. li. 1.c.25.

16 Peractis omnibus, ac sacris vestibus depositis, Episcopus cum cappa à Canonicis associatus recedit ordine, quo venerat.

17 Si Missa coram Episcopo loci ab alio Episcopo non suffraganeo celebretur, tunc non decet Episcopum loci Pluuiali, & Mitra indutum assistere, sed cum Cappa, & omnia debet deferre Episcopo celebranti præter absolutionem, & benedictionem post sermonem, atque concessionem Indulgentiarum, quæ omnino à proprio Episcopo peragenda sunt ad quem debent Canonici ad circulum accedere; Episcopus verò celebrans daturus in fine Missæ benedictionem solemnem vertet se inclinans versus Episcopum loci, quasi veniam petens, & ille annuet. Cærem. Episc. li. 1.c 9.

18 Si verò præsens sit S.R.E. Cardinalis, vel Metropolitanus, & omnino ipso Episcopo superior, Episcopus præsens, & nõ celebrãs debet se abstinere ab omnibus, & sedere vel in digniori sede Chori, vel in sede humiliori ex opposito sedis Cardinalis. Quòd si Episcopus loci etiam ipse esset Cardinalis, & non celebrans, tunc sedebunt in eodem loco, & plano sedibus æqualibus, ipse vero loci Episcopus in vltimo loco sedebit, & Episcopalia munia remittet exercenda Cardinali præsenti, vel si plures sint, priori in Ordine. Cærem. Episc. li. 1.c.14.

19 In fine Missæ, si Episcopus Cardinalis coram alio Cardinali præsente solemnem benedictionem sit daturus, nõ in Solio eã dabit, sed ad Altare accedens inde populo benedicet.

20 Episcopo in aliena diœcesi solemniter celebrãti non fiunt assistentiæ Canonicorum, sed Diaconus ac Subdiaconus in Altari ministrabunt, & Presbyter tantùm Pluuiali coloris cæterorum paramentorum indutus ei assistet; paramenta sumet in faldistorio à latere Epistolæ sibi parato, & omnia, quæ Episcopus exercet in solio, vt supra diximus, in eodem faldistorio præstabit; reliquis omnibus in Missa Pontificali præscriptis ritè seruatis.

De Missa pro Defunctis solemniter celebranda; & Absolutione ad Tumulum post eam facienda in Ecclesijs Collegiatis. Cap. V.

1 *Præparanda pro Missis Defunctorum.*
2 *Certorum qualitas.*
3 *Lectica mortuorum quomodo accommodanda.*
4 *Præparanda in Sacristia.*
5 *Hora celebrandi Missam solemnem pro Defunctis.*
6 *Obseruanda à singulis, cum pro Defunctis celebratur.*
7 *Candelæ quando distribuendæ, & accẽdendæ.*
8 *Celebrans quando, & vbi Pluuiali induatur.*
9 *Ordo procedendi ad Tumulum.*
10 *Incensum quomodo ministrandum.*
11 *Oratio in fine dicenda.*
12 *Signum Crucis super Tumulum, quomodo formandum.*
13 *Ordo recedendi.*

1 CVm solemniter in Collegiatis celebrandum erit Missæ Sacrificium pro Defunctis; Altare, & omnia paramentis nigri coloris, absque tamen Imaginibus mortuorum, & Crucibus albis, vt alicubi obseruatur, cooperiri debent, in ipso autem Altari præter Crucẽ, & candelabra, nullus omnino ornatus apponatur, non flosculi, non Sanctorum Cœrem. Episc. li. 1.c 11.

reli-

reliquiç, neque Imagines; & ante Altare sternatur vel tapetum, vel pannus violaceus, seu etiam niger. Supra credentiam necessaria tantùm apponantur cum duobus candelabris absque omni ornatu.

2 Cerei omnes erunt ex cera communi non alba, nisi fortè cum ij, pro quibus celebratur, cereos offerunt; tūc enim ne fidelium pietati derogetur, eorum deuotioni satisfacere decet, oblatos accendendo.

3 Si facienda sit Absolutio, in medio Ecclesię preparetur Lectica mortuorum, seu Tumulus; vel si solemniores fuerint exequiæ, etiam machina construatur, quam Castrum doloris dicunt, maioris, vel minoris altitudinis pro mortuorum qualitate, & hæredum arbitrio, quibus satisfieri oportet; supra Lecticam ipsam sternatur Pannus niger signo Crucis insignitus, vel etiam Culcitra ex holoserico.

4 In Sacristia præter alia paramenta sint in inprōptu Pluuiale pro celebrante, Crux processionalis cum hasta, Thuribulum cum Nauicula, vas aquæ benedictæ cum asperforio, & candelę distribuendę regulariter ex cera communi; vel etiam iuxta Offerentium voluntatem cerę albę.

Rub gene. miss. XV. 4. 5 Missa pro defunctis regulariter, iuxta rubricas Missalis, cantari debet post Primam; quòd si Officium fuerit solemne, vt in die Commemorationis omniū Defunctorum, vel in die obitus, quando Officium sepulturæ præsente corpore celebratur; vel etiam in alijs Officijs, & Anniuersariis, quæ solemniter celebrantur, post Nonam cantari debet; in quo casu Nona in Choro cum aliis Horis immediatè post Sextam cantabitur.

Rit. Miss. XIII. 6 In ipsa Missa non incensatur Altare in principio, & Ministri cum aliquid porrigunt, nunquam nec rem, quam porrigunt, neque celebrantis manum osculantur; seruatis omnibus, quæ suo loco

Sup. sec. 6. cap. 5. de Missis Defunctorum sunt ordinata.

7 Si facienda sit Absolutio, candelę distribuuntur post Epistolam, & accenduntur ad Euangelium, ad eleuationem in Missa, & post Missam ad Absolutionem.

8 Celebrans post Missam in cornu Epistolæ, deposita Casula, induitur Pluuiali, adiuuantibus Ministris. Rit. mis. XIII. 4.

9 Subdiaconus, pręcedentibus Acolythis, altero cum Thuribulo, altero vero cum vase aquę benedictę, deferens Crucem medius inter ceroferarios procedit ad Tumulum, & vbi est numerus Collegialium omnes incipiendo à iunioribus bini procedunt post Crucem; vltimus omnium procedit celebrans à sinistris habens Diaconum, & ante Sanctissimum Sacramentū transeuntes omnes genuflectunt, denique ad locum pręparatum peruenientes Cruci se inclinant. Subdiaconus cum ceroferariis sistit, se ad pedes Tumuli, contra Altare; reliqui hinc inde per ordinem à lateribus; celebrans verò cum Diacono ad caput ipsius inter Altare, & Tumulum à latere Epistolę facie conuersa ad Crucē, habens post se Acolythos cum thuribulo, vase aquę benedictę, & libro. Cantores intonant Responsorium *Libera me Domine*, dicuntque Versus. Cōsuet. Cleric. Regul. Theat.

10 In fine Responsorij, Diacono ministrāte nauiculam sine osculis; celebrās immittit, & benedicit incensum more solito. Dū dicitur *Pater noster*, celebrans Diacono à dextris eius eleuante fimbriā Pluuialis circuit Tumulum, & aspergit ter a dextris, & ter à sinistris, ac deinde eodem modo pariter incensat, & dum ante Crucem pertransit, ipse profundè caput inclinat, Diaconus verò genuflectit.

11 In fine Diacono sustinente librū, dicit Versus, & Orationem *Absolue*, vel eam, quę dicta est in Missa. In die commemorationis omnium defunctorum dicitur *Fidelium Deus*, &c. In obitu, & Officio Summi Pontificis, Cardinalis, vel Episcopi dicitur propria assignata

supra

supra in proprijs locis.

12 Post Orationem dicens *Requiem æternam*, &c. efformabit dextera signum Crucis supra Tumulum, sinistra posita infra pectus; interim Diacono eleuante fimbriam Pluuialis.

13 Dicto per Cantores *Requiescant in pace*, omnes ordine, quo venerant, recedunt, primò Acolythi cum thuribulo, & vase aquæ benedictæ, deinde Subdiaconus cum Cruce, tum reliqui per ordinem; Cruci, cum transit, omnes caput profundè inclinant; interim cerei in Altari, & in Tumulo existentes extinguuntur, & omnes in pace recedunt.

De Missa solemni pro Defunctis ab Episcopo celebranda. Cap. VI.

1 *Color paramentorum.*
2 *Omittenda in Missa pro Defunctis.*
3 *Sermo quando, & quomodo habendus.*
4 *Ad Absolutionem quomodo procedendum.*
5 *Tumulus quomodo aspergendus, & incensandus.*
6 *Ad Orationem ad Tumulum quomodo procedendum.*

1 Episcopo solemniter pro defunctis celebraturo omnia paramenta tam Altaris, quàm celebrantis, & ministrorum, faldistorium, in tegumenta librorum, & reliqua erunt nigri coloris.

2 Episcopus Pontificalibus se induēs non dicet Antiphonam, & Psalmos consuetos, sed tantùm Orationes pro paramentis incipiendo ab *Exue me Domine*, &c. Non vtitur in hac Missa Sandaliis, neque Chirotecis, nec Baculo Pastorali; sed aliis paramentis nigri coloris cum Mitra simplici induetur; tantùm Diaconus, & Subdiaconus Dalmatica, & Tunicella nigri coloris, & Presbyter assistens Pluuiali nigro induti ei ministrabunt; reliqui Canonici non induuntur sacris vestibus, vt in aliis Missis. In principio Missæ ad Altare ascendens, tantùm ipsum in medio, non autem librum osculabitur: Ministri ea omnia, quæ supra sunt adnotata, obseruabunt, addendo, quod in fine Missæ, cum non detur benedictio, Indulgentiæ non publicantur.

3 Si habendus sit sermo, fit post Missam ante Absolutionem in Pulpito panno nigro coöperto; nec petitur benedictio, sed sermocinaturus facta oratione ante Altare ascendit Pulpitum.

4 Finito sermone, vel Missa, Episcopus, deposita Casula, atque etiam Dalmatica, ac Tunicella, induitur Pluuiali nigro, & accipit Mitram simplicem, ante gradus verò Solii extenditur pannus niger, vel lectica mortuorum ante Presbyterium, vel alio loco congruo præparata, Episcopus autem cum aliis absoluentibus illuc accedet. Pót. Rom. tit. de off. post Mis. pro defunct. pag. 681. Cęrem. Episc. li. 2. c. 11.

5 Episcopus, dum cantatur Responsorium sedet, & in fine, Diacono ministrante nauiculam, imponit thus in thuribulum, & dicto vltimo *Kyrie* surgens deposita *Mitra* versus Altare dicit *Pater noster*, ipsum secretò prosequendo, & Diacono ministrante asperforium, eleuantibusque à dextris, & à sinistris fimbrias Pluuialis iisdem *Ministris*, ter aspergit super ipsum pannum, terque thuribulum ducens eodem modo thurificabit.

6 Thurificato Tumulo accedentibus duobus Ceroferariis cum candelabris, & cereis accensis, libro per Capellanum sibi ministrato more solito, Episcopus dicet Versum *Et ne nos inducas, &c.* & alios cum Oratione, quæ fuit dicta in Missa, & in fine repetito Versiculo *Requiem æternam*, dictoque Versu *Requiescant in pace* Episcopus depositis paramentis discedit.

De Missa solemni pro defunctis coram Episcopo celebranda. Cap. VII.

Cærem. Episc. li. 2. c. 13.

1 IN Missa solemni, quæ pro defunctis celebratur, omnia, vt supra, obseruari debẽt, exceptis aliquibus, quæ hic adnotantur. Episcopi sedes debet ornari nõ serico, sed pãno laneo violaceo.

2 Episcopus cum Cappa ad Missam accedens, confessionem facit ante gradus Altaris cum celebrante, idem Canonici in locis suis bini faciunt; Episcopus verò facta cõfessione cum suis assistentibus accedit ad sedem.

3 Seruatis omnibus, quæ supra sunt adnotata de omittendis in Missis pro defunctis, adde quòd Canonici non accedunt ad circulos in huiusmodi Missis.

4 Ad Orationem Episcopus descendens è Solio genuflectit ad faldistorium ante Altare, similiter omnibus genuflectentibus, quoties Episcopus genuflectit, & Oratione completa redit ad sedem suam.

5 Episcopo redeunte ad sedem Presbyter assistens accedit ad scabellum suæ assistentiæ.

6 Ad Offertorium Episcopus, ministrante Presbytero assistente nauiculam, imponit thus in thuribulum, & thurificatis Oblatis, & Altari, celebrans incensatur à Diacono, Episcopus verò à Presbytero assistente, & non alii.

7 Dicto *Sanctus*, Episcopus descendens è Solio ad faldistorium genuflectet, ibique manebit vsque ad *Agnus Dei* exclusiuè, & tunc rediens ad sedem dicet *Agnus Dei* cum suis Assistentibus.

8 Ad Orationem post communionẽ iterum descendens ante Altare ad genuflexorium, omnibus pariter genuflectentibus, genuflectet, & Oratione completa redibit ad sedem.

9 Si sermo sit habendus; sermocinator facta prius Altari reuerentia cum genuflexione, & Episcopo cum profunda capitis inclinatione ibit ad Pulpitum.

10 Si Episcopus ipse voluerit absoluere, deposita Cappa apud sedem suam, accipiet Amictum supra Rochettum, & Stolam, ac demum Pluuiale nigrum, & Mitram simplicem, & omnia vt supra præstabit.

De ordine Exequiarum solemnium, quæ post Missam ab Episcopo celebrantur. Cap. VIII.

14 *Quando huiusmodi exequiæ fieri debeant.*

Cærem. Episc. li. 2. c. 11. 1 IN exequijs solemnibus, quæ in obitu Summi Pontificis in Curia Romana, & extra, seu etiam pro S.R.E. Card. aut pro Metropolitano, & Episcopo proprio celebrantur, necnon pro Imperatore, Rege, Duce magnæ auctoritatis, vel Domino loci, aduertat Magister Cærem. vt omnia opportunè præparentur.

2 Altare solemniter ornabitur pānis nigri coloris, cuiusmodi etiā erunt paramenta Celebrantis, ac Ministrorum; Pluuialia verò eiusdemmet Celebrantis, & Episcoporum erunt vniformia.

3 In medio Ecclesiæ construatur machina lignea, quam Castrum doloris dicunt, maioris, vel minoris amplitudinis, ac altitudinis, prout videbitur, periti viri industria aptè disposita, ornatu lugubri cum insignibus demortui Principis, in medio loco eminentiori habens lectum, in quo sternatur pannus holosericus, vel aureus pariter cum insignibus Defuncti.

4 Vndiq; Ecclesia pannis nigri coloris tegatur, insignia, emblemata, enigmata, epigrammata, cum figuris exculptis, pariter ac depictis, gesta defuncti Principis repræsentantia, optimo ordine disponantur. Intortitia, ac cerei magni pōderis, non solùm supra ipsam machinam frequenti numero, optimo ordine, ac dispositione affigantur, verùm etiam circumcirca per Ecclesiæ ambitum distribuantur arbitrio eorum, ad quos spectat; fores Ecclesiæ exornari poterunt frondibus cypressinis cum gentilitijs defuncti, & inter mortis simulacra aptè dispositis, pariter, & per externum Ecclesiæ ambitum huiusmodi mortis insignia, vt moris est, affigi poterunt inter arma, seu gentilitia defuncti. Pridie ad Vesperum pulsantur campanæ sono funebri, similiter, & ipso die, quo celebrandæ erunt exequiæ, in aurora, prout fit in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum.

5 Mane hora cōgrua celebrato Missæ Sacrificio per Episcopum, modo supra præscripto, ac peracto sermone de laudibus defuncti Principis, in suggesto pānis luctuosis ornato cū defuncti insignibus, præter Episcopū celebrantem, qui depositis Manipulo, Casula, ac Tunicella, Pluuiali nigro indutus in Altari accipit Mitram simplicem, quatuor alij Prælati, vel ad minus quatuor ex Canonicis, vel Dignioribus illius Ecclesiæ parati in Sacristia, vel alio loco cōgruo ad id deputato, supra Rochettum, vel, si fuerint Regulares, supra superpelliceum Amictu, Stola, ac Pluuiali nigri coloris, acceptaq; Mitra simplici, si ea vti possunt, sin minus, cum bireto ad Episcopum celebrantem, vt supra indutum accedunt.

6 Interim Magister Cæremoniarū in quatuor angulis præparabit quatuor scabella pro ipsis quatuor Absoluentibus, & in capite loci in medio faldistorium pro Episcopo celebrante. Pōt. Ro. par. 3.

7 Circa lectum Scutiferi, ac familiares defuncti luctuosis vestibus induti adstabunt, flabella serica nigri coloris cum insignibus defuncti auro insculptis, ac si præsens adesset corpus, alternis vicibus continuò agitantes.

8 Omnibus dispositis, ordinatè procedendo ad locum funeris, præcedūt omnes duo Acolythi, alter cū thuribulo, alter verò cum vase aquę benedictæ, & aspersorio, sequitur Subdiaconus, qui ministrauit in Missa, paratus medius inter Ceroferarios deferens Crucē; procedunt postmodum Episcopi Absoluentes, vt supra parati, incedentes bini, primò iuniores, deinde seniores, quorum quilibet habebit post se suum Capellanū superpelliceo indutum, qui ei de Mitra inseruiet, atq; scutiferū deferentem cereum accensum, Post omnes sequitur Prælatus, qui Missam celebrauit, paratus vt supra, habens ad sinistram Diaconum Euangelij paratum, sequentibus Capellanis celebrantis superpelliceis indutis.

9 Ad locū peruenientes, Subdiaconus

deferens Crucem cum Ceroferarijs firmat se ad pedes lecti in medio; duo verò Acolythi deferentes thuribulum, & vas aquæ benedictæ, facta Cruci reuerentia, accedentes ad caput firmant se ex latere dextero: Prælati ad sua scabella interim accedunt, iunior ad angulum pedis dextri, qui est à sinistris Subdiaconi; & secundus, qui eum præcedit, ad angulum sinistri humeri, qui est à sinistris celebrantis; tertius verò Prælatus accedit ad angulum sinistri pedis, qui est à dextris Subdiaconi; quartus denique, qui est senior, ad angulum dextri humeri, qui est à dextris celebrantis; vltimus omnium Episcopus celebrans locum habebit in faldistorio in capite loci sibi parato, ita vt in eo sedens respiciat Crucem.

Pôt. Ro. p. 3. tit. de offic. post Miss. pro def. pa. 683.

10 Quilibet in scabello sibi parato in suo angulo sedeat, habens post se suum Capellanum, & Scutiferum; celebrans verò in faldistorio assistentibus sibi Diacono, ac alijs Capellanis, & ante omnes Magistro Cæremoniarum, vbi aliquantisper sedentes quieuerint surgit, & omnibus pariter deposita Mitra surgẽtibus, legit ex libro Pontificali Orationem *Non intres*, &c. Capellano ministrãte librum, & altero pariter cum candelula sibi assistente; qua Oratione completa, sedentibus omnibus cum Mitra, cantatur primum Resp. *Subuenite*, &c.

11 Inchoato Responsorio, Acolythi cum thuribulo, & vase aquę benedictæ accedunt ad angulum dexterum ad caput lecti, vbi est dignior Prælatus, ad eius dexteram se firmantes, & cum dicitur ℣. *Requiem æternam*, accedente Diacono, qui ministrabit nauiculam, Prælatus prędictus adhuc sedens imponit, ac benedicit incensum, & dicto *Kyrie eleyson*, omnibus detecto capite surgentibus, ipse pariter deposita Mitra surgens dicit intelligibili voce *Pater noster*, quod secretò completur; & interim circumiens lectum, incipiens a sua parte dextera tertiò aspergit quamlibet lecti partẽ, Diacono comitante, ac fimbriã Pluuialis à dextris eius sustinente, & transiens ante alios Prælatos, illos salutabit, & ante Crucem, illi reuerẽtiam faciet; eodem modo post aspersionem circumiens lectũ, tertiò in qualibet parte thuribulum ducet, & post thurificationem ad locum suum rediens, reddito thuribulo Diacono, stans ante scabellum dicit *Vers.* cum Oratione, *Deus cui omnia viuunt*, prout in Pontificali. Pôt. vbi sup. pag. 685.

12 Completa Oratione, inchoatur secundum ℟. *Qui Lazarum*, &c. interim sedentibus omnibus, & cum dicitur ℣. *Requiem æternam*, accedunt Ministri ad secundum digniorẽ Prælatum sedẽtem in angulo ad sinistrum pedem, videlicet à dextris Subdiaconi, & ministratur incensũ vt sup. dicto; *Kyrie eleyson*, simili modo aspergitur, & incẽsatur lectus circumcirca, ac demum dicit *Vers.* & Orationem *Fac quæsumus Dñe*, prout in Pontificali, qua completa, omnes pariter tecto capite sedent, & cantatur ℟. *Domine quando veneris*, &c. & tertius dignior Prælatus, seruatis omnibus, quæ supra à primo, & secundo sunt peracta, dicet Orationem *Inclina*, qua finita, sedẽtibus pariter omnibus dicetur Resp. *Ne recorderis*, &c. postea iunior Prælatus omnia præstabit, vt supra, & in fine dicet Orationem *Absolue quæsumus*, prout in Pontificali. Vbi sup. pag. 686

13 Tandem dũ cantatur vltimũ Resp. *Libera me Domine*, &c. sedentibus omnibus, Diaconus, & Acolythi accedunt ad Episcopum celebrantem, & dum dicitur ℣. *Requiem æternam*, ministrant incẽsum, deinde dicto *Kyrie eleyson*, omnibus surgentibus, & ipse deposita Mitra surgens, dum dicitur *Pater noster*, aspergit, & thurificat Tumulum eodem modo, quo alij, & in fine dicitur *Vers.* cum Oratione *Absolue quæsumus Domine*, &c. *vt defunctus*, &c. & responso per Chorũ *Amen*, subdit *Requiem æternam*, & Cantores ℣. *Requiescant in pace*: & tunc Prælati accipientes Mitras reuertuntur ad Sacristiam, vel alium locum deputatum, vbi reponere debent paramenta.

14 Obseruandũ tamen hoc loco est,

quòd

quòd huiusmodi solemnes exequiæ cum quatuor Prælatis Assistentibus fiunt tantùm in exequiis, quæ solent fieri solemni apparatu post obitum alicuius ex supra prænominatis; in exequiis verò (Sup. n. 1.) anniuersariis quantumuis solemnibus non fiunt huiusmodi quatuor Absolutiones, sed vnà tantùm à celebrante ordine supra notato post Missam.

SECTIO DECIMA.

De Processionibus.

Generalia in omnibus Processionibus obseruanda. Cap. I.

1 *Processiones cur supplicationes, ac Litaniæ dicebantur.*
2 *Origo processionum.*
3 *Antiquissimus processionum vsus.*
4 *Crux in omnibus processionibus præferri debet.*
5 *In Metropolitanis Ecclesijs Archiepiscopo præsente quomodo Crux deferẽda.*
6 *Sodalitates Laicorum quomodo procedant.*
7 *Ordo inter Regulares in processionibus obseruandus.*
8 *Clerici Regulares Theatini velum in Cruce non deferunt.*
9 *Singulæ Collegiatæ propriam Crucem habebunt.*
10 *Cerei prope Crucem semper deferendi.*
11 *Obseruanda in processione solemni.*
12 *Procedentes quem ordinem obseruare debeant.*
13 *Cerei quomodo deferendi.*
14 *Ordo in reuerentijs, & alijs occurrentibus seruandus.*
15 *Antiphona, ac reliqua quomodo cantanda.*
16 *Quando in processionibus bireto sit vtendum.*
17 *Campana in processione pulsanda.*
18 *Obseruanda cum per viam ad aliquã Ecclesiam diuertit processio.*
19 *Color paramentorum in processionibus.*
20 *Episcopi, ac Prælatorum locus in processione.*
21 *Principum, Magistratuum, atque Nobilium Laicorum locus.*

1 Quia sacris solemnijs non solùm stantes in Choro, vel circa Altare prisci æui fideles orãtes adstare, verùm etiam publico conuentu cantantes, atque psallentes supplicationibus, sacrisque precibus de loco ad locum religiosa obseruatione procedere consueuerant; idcircò hoc loco agere debemus de Processionibus, quas supplicationes pariter, ac Litanias maiores dixisse legimus, antiqui enim Græci processiones ipsas πρὸ ὁδοῦ, hoc est progressum dixerunt; & quia in huiusmodi progressibus, seu processionibus supplicabundi fideles incedebant, idcirco etiam τὴν λιτὴν, idest Litaniam processionẽ ipsam dicebãt; sic in Nouella 123. Omnibus Laicis interdicitur Litanias facere sine Sanctis Episcopis, quæ verba exponens Litaniarũ loco supplicationes interpres posuit; nullã enim processionẽ sine supplicationibus, atque precibus vnquam factam legimus, vt propterea iure omnis processio supplicatio dici valeat, non tamen è contra.

(Gretser. lib. 1. de process. c. 1.) (Iustiniani Nouell. 123 c. 32.)

2 Hanc autem Ecclesiasticam institutionem antiquissima Sanctorum Patrum consuetudine confirmatam, ad imitationem populi Dei ex Aegyptiaca seruitute liberati in terram promissam procedentis. Hiericuntinosque muros circuientis, seu etiam Dauidis, ac Salomonis, quorum alter Arcã in tabernaculum, alter verò in Templum à se constructum cum Hymnis, & Canticis sub alis Cherubim mystico Sacramento collocandam detulisse legitur: vel quod fortè magis consonat, eiusdẽ Christi Domini nostri in mundum progredientis de sinu Patris in vterum Virginis, vel de Præsepe ad Templum, cum Virgine Matre, sanctissimoque Ioseph solemniter procedẽtis, vel de Bethania in Hierusalẽ,

(Ratior. Diu. off. li. 4. c. 6. nu. 11.)

tãquam ouis ad victimã cum Apostolis, & turbis ramis de arboribus cęsis, vestibusque in terrã stratis Osanna clamantibus ad imitandum humilitatis exemplum Patri obediens ad mortem crucis oblatus lætus processit, religiosa Christianorum pietas cursu temporis perpetuò coluit.

3 Frequentissimum autem, pariter ac antiquissimum hunc ad sacra loca cum publico conuentu Christianorum procedendi vsum tam in Orientali, quàm in Occidentali Ecclesia, superuacaneum est longa oratione probare, cum & in ipsis incunabulis nascentis Ecclesiæ in sacris Historiis cum Crucibus argenteis nõ solùm Catholicos procedere consueuisse legamus; immo & ipsos Arianos eodem modo solemni pompa per mediam vrbẽ ad instar Ortodoxorum frequenter processisse testetur Socrates, & alii sacrarum Historiarum scriptores veteres: nostrum tñ institutum de more tenentes, ea tantùm, quæ ad sactos ritus in ipsis processionibus, iuxta maiorum instituta spectare videntur, hoc loco adnotabimus.

Soc. li. 6. c. 8. Tolom. li. 8. c. 8.

4 Generale autem est, idque in omnibus processionibus pręcipuum, vt Crux processionalis cum hasta præferatur; sic olim, auctore Chrysostomo, argenteas Cruces cum ardentibus facibus supplicabundi fideles pręferre consueuisse legimus, quam laudabilem consuetudinẽ, ad hæc vsque tempora, piè, ac religiosè Ecclesia vniuersalis custodit, & sicut antiquis temporibus velum ligno suspensum, quod Labarum dicebatur, militaribus Ordinibus præferebatur; ita post Cõstantinum piissimum Imperatorem addito signo Crucis quadratæ figurę, cęlitus in victorię signum declaratæ, non solùm militaribus turmis, verùm etiam Ecclesiasticorum Choris, dum proceditur, militię Christianę vexillum pręfertur cum velo appẽso, in quo S. Patroni, seu Titularis Imago sit diligenter depicta ex serico auro, atque argento intexto, forma quadrata, laciniisque sericeis, & aureis

Eus. li. 9. Hist. c 9. & lib. 1. de vita Constit. Solom. li. 8. c. 8. Niceph. lib. 13. c. 8. Gretser. de cruce to. 1. li. 2. c. 27. Bell. cõtro. to. 2. li. 2. c. 27

ornato coloris Sancti, cuius Imago in eo repręsentatur, conuenientis iuxta locorum consuetudinem; in Cathedralibus quidem, vt Sãctus Carolus in institutione supellectilis Ecclesiasticę adnotauit, maioris, in Parochialibus verò minoris amplitudinis.

Act. Eccl. Med. p. 2. li. 2.

5 In Ecclesijs Metropolitanis pręter Crucem, quæ pręfertur ante Beneficiatos, & Mansionarios, iuxta locorum consuetudinem, cum velo, si eo vti consueuerint, cum Imagine Sancti Patroni, ante Canonicos immediatè defertur Crux Archiepiscopalis sine velo; nam Canonici cum Archiepiscopo vnum corpus constituunt. Quòd si Archiepiscopus, Patriarcha, vel Primas in loco suæ Prouincię sine Capitulo incedat, vel sine paramentis, quando videlicet Pręlatus pręcedit, Canonici sequuntur, tunc Crux Archiepiscopalis pręferri debet immediatè ante Archiepiscopum, vel Patriarcham, Crucifixi Imagine ad Prælatum conuersa.

Cœrem. Episc. li. 1. c. 15.

6 In generalibus processionibus, & quoties plures Ecclesiasticorum Ordines iam Regularium, quàm Sęcularium conueniunt, ante quemlibet Ordinem sua Crux deferatur hoc ordine: Primùm procedunt Laicorum sodalitates cum proprio vexillo serico oblongo in hasta appenso, in cuius summitate parua Crux erit; velum verò erit coloris cuiuslibet sodalitatis proprij, cum Imagine Sancti, seu mysterij, sub quo militat; deferatur autem à Sodale sacco induto eodem modo, quo alii eiusdem sodalitatis confratres. Et vbi plures Sæcularium sodalitates conueniunt, antiquitatis ordo consuetus inter ipsas seruetur, ita vt prius recentiores, deinde per ordinem antiquiores ordine, iuxta locorum consuetudinem procedant.

7 Inter Regulares eadem respectiuè seruentur; & quia Clerus Sęcularis Regularẽ Clerũ pręcedit, ideo Regularium Ordines eodẽ modo, seruato ordine antiquitatis, atq; locorũ cousuet. procedant,

primò

primò Mēdicātiū,deinde Monachorū,& post ipsos Canonici Regul. si cū cottis, & sine cappis fuerint;& vbi aliqua exorta fuerit contentio,cū protestatione prçscripiū ordinē tenētes, quilibet post suā Crucem cum vero, in quo erit figura Patriarchæ illius Ordinis, vel Sancti Titularis ordinarè procedant.

Cōsuet. Cleric. Regul. Theat. 8 Singulariter in nostra Congregatione Cruce sine velo vtimur ex immemorabili consuetudine ab antiquis Patribus accepta; cum enim sub vexillo Sanctę Crucis ex instituto maiorum militemus, iure optimo non aliam Imaginem, sed nudam tantùm Crucem cum hasta absque velo deferimus.

9 Clericorum verò sçcularium singulç Collegiatç suam deferre debent Crucem cum hasta, atque etiam vbi est consuetudo cum velo appenso, in quo sit Imago Sancti illius Ecclesię Titularis.

10 Prope Crucem semper hinc inde Acolythi ceroferarij candelabra cum cereis accensis deferre debent ex antiquissima Patrū institutione; sicut enim, cum in Choro diuina celebrantur Officia,semper in Altari Crux media inter duo candelabra cum cereis accensis esse debet, ita cum è Choro Ecclesiastici per Ecclesiam,vel extra procedunt, Crucem ipsam inter duos cereos in candelabris accensos deferre debent.

Ration. Diu.Offic.lib.4. c 6 n.18 & lib 6. cap. 101 nu. 8. 11 In solemnibus processionibus in primis Crucem prçcedere debet Acolythus Thuriferarius cum thuribulo prunis accensis referto cum aromatibus, quò bonus odor vndique difundatur: Subdiaconus verò Crucem deferens, Amictu,Alba,Cingulo,& Tunicella coloris conuenientis,sicut & reliqui Ministri semper induį debet.

D Bern. ser. 1. in festo Purific. B. Mariæ. Gretser lib. 1. de process. cap. 1. 12 Post Crucem bini omnes non absque mysterio, vt notat S.Bernardus, incedere debent,prçcipuè viri Religiosi, licet & terni, & quaterni nec non turmatim aliquando fideles processisse leguntur, iuniores prçcedunt, sequuntur seniores, quilibet suo ordine,& loco,pari passu, ęquali inter se seruata distantia, atque proportione trium videlicet, vel quatuor passuum, inuicem, si opus fuerit se expectantes,ne fortè disgregentur; & modestò eos,qui sequuntur, obseruantes, nulloque sibilo, vel strepitu procedentium silentium turbantes. Omnes benè compositi, demissis ad terram oculis, corpore tamen erecto, grauiter, ac modestè incedant à dextra ad sinistram se conuertentes, hoc est à latere Epistolę egredientes ad latus Euangelii, cum redeunt,se se conuertentes; hoc enim in omnibus conuersionibus, quæ fiunt in Ecclesia obseruari debet. Act. Eccl.Med. p.2.

13 Si cerei deferantur, is, qui à dextris erit, dextera manu, qui vero à sinistris, sinistra accensum cereum elatum ęquali portione cum suo collaterali deferet, altera manu pectori admota; librū tenentes omnes ęquali disciplina, vt castrorum acies ordinata singula exequantur.

14 In principio processionis primò Altari,deinde Episcopo reuerentiam faciunt, pariter transeuntes ante Altare, in quo Sanctissimum Sacramentum asseruatur, vel sacra Hostia eleuatur, omnes genuflectunt bini suo ordine, exceptis deferente Crucem cum ceroferarijs, qui nunquam genuflectere debent. Per angustiorem locum transeundo, iunior præcedit, subsequitur maior, statimque vbi angustiam loci transierint, eodem modo, quo prius,se iungent, & vbi procedentium numerus dispar fuerit, duo vltimi medium habebunt seniorem, qui etiam poterit solus, maximè si fuerit Prçlatus, ac loci Superior, post alios incedere.

15 Dum proceditur,cantantur Antiphonę,Psalmi,Hymni,vel Litanię, iuxta præscriptam formam, Antiphonę quidem à Cantoribus designatis inchoantibus, reliquis omnibus simul prosequētibus; Psalmi verò,& Hymni ab iisdem Cantoribus inchoantur, à cęteris alternatim prosequuntur, videlicet à medio,

& infra

& infra feniores primum Verfum, à medio & fupra iuniores fecundum, & fic deinceps alternatim vfque ad finem æquali difciplina profequuntur. Si cantandæ erunt Litaniç, Cantores in medio processionis ipfas inchoabunt, reliqui omnes fimul vel refpondebunt, vel fi folemniter cantentur, eadem repetendo fimul pariter cātabūt; interim, qui filent quæ ab alijs cantantur attendant, cauentes ne inuicem tunc temporis colloquantur.

16 Dum per Ecclefiam proceditur, omnes erunt aperto capite; extra Ecclefiam verò (fi non deferatur Santifsimum Sacramentum, vel Sanctorum reliquiæ, quia tunc omnes aperto capite femper incedere debent) caput tegant: cum ante Imagines Sanctorum pertranfeunt, caput detegant, & ante Altaria in via aptata detecto, & inclinato capite bini conuerfi reuerentiam faciant: Bireto clerici, Cucullа Monachi, nullus tamen pileo vtatur; femperque ex libro cantanda legantur.

Ration. diu Of. fic. lib. 4. c. 6. n. 16. 17 Cum extra Ecclefiam proceditur; prius viç, vnde tranfeundum erit, decenter aptentur, & tranfeunte processione omnes campanç pulfentur, ipfarum nāq; fonus turbarum defignat clangorem, quo muri Hiericuntini à filijs Ifrael luftrati corruerunt; vnde & myfticè talibus cęremonijs carnis concupifcentia in nobis deftrui defignatur.

18 Si dum proceditur, ad aliquan Ecclefiam diuertendum erit, illius loci Clerus fuperpelliceis mundis, vel fi fuerint Regulares habitu fui Ordinis, vfque ad Ecclefię ianuam obuiam procedere debēt, & fi cātentur Litaniç, vel aliud, Cantores ianuam Ecclefię ingrefsi defiftunt à cantu, & ibi fono campanarum, & organorum excipiuntur, & vbi ante Altare celebrans peruenerit, Cantores inchoāt altiori, & folemniori tono Antiphonam Sancti Titularis illius Ecclefię, deinde fubdunt Verfum, & celebrans dicit Orationem, non quidem quę dicit folet in die festo, fed in Suffragijs modo adnotato in loco proprio de Commemorationibus. Si proceffio fit folemnis, & in Altari fit expofita aliqua facra Reliquia, feu deuota Imago, decet, vt prius à celebrante incenfetur, deinde dicatur illius Sancti Oratio. Sup. li. 2. sec. 3. c. 4 nu. 8.

19 Si proceffio fit indicta à Romano Pontifice, vel Epifcopo, feu alio loci Superiore habente auctoritatem, in qua pro imminentibus neceffitatibus diebus Dominicis, & feftis poft Tertiam ante Miffam folemnem Litaniç dicendç crūt per Ecclefiam; tunc intra Ecclefiam, feu etiam circa eius atrium procedendo à latere Epiftolç ad latus Euangelij cantabuntur Litaniç, in quibus celebrans, ac Miniftri iuxta confuetudinem Ecclefiç Romanç erunt induti paramentis coloris Officio, & Miffç, quæ immediatè poft de die celebrari debet pro dierum qualitate, congruentis. Quando verò huiufmodi Litaniæ cum procefsionibus celebrantur, vel tempore Iubilei, feu Indulgentiarum, vel quolibet alio tempore, pro qualibet Ecclefiæ necefsitate, ficut in Litanijs maioribus, & diebus Rogationum, procedendum erit cum paramentis violaceis. In procefsionibus vero Sanctifsimi Sacramenti quocumque tempore femper paramenta erunt alba, excepta Feria fexta in Parafceue; fimiliter pro gratiarum actione, & in translatione Corporum, vel Reliquiarum Sanctorum, erunt alba, & fi Martyris fuerit translatio, rubea, ficut & in procefsione, quę fit ad implorandam gratiam Sancti Spiritus, in qua dicetur Miffa de Spiritu Sancto. Cōfuet. Vrbis.

20 Si procefsioni interfit Epifcopus loci, vel alius Prçlatus, eorum locus femper erit immediatè poft celebrantem; procedet autem Epifcopus in propria Ecclefia Cappa indutus, reliqui Prçlati cum Rochetto, & Mantelletto, quilibet iuxta gradum dignitatis, & Ordinem fuç promotionis.

21 Magiftratus immediatè poft Ecclefia-

clesiasticos procedunt, inter quos primū locum obtinebit omniū supremus Princeps, vel Gubernator, reliqui togati, ac nobiles subsequentur, omnes cum intortitijs accensis, si in processione deferatur Sanctissimum Sacramentum, vel Sanctorum Reliquiæ, iuxta consuetudinem locorum, & ipsorum deuotionem.

De Processione Sanctissimi Sacramenti in Collegiatis celebranda.
Cap. II.

1 *Processionum Sanctissimi Sacramenti antiquitas.*
2 *Præparanda pro processione.*
3 *Via quomodo ornanda.*
4 *In Missa ante processionem agenda.*
5 *Obseruanda post Missam ante processionem.*
6 *Ordo procedendi.*
7 *Obseruanda in regressu processionis.*
8 *Sacramentum quomodo reponendum.*
9 *Incensum quomodo ministrandum.*
10 *Benedictio quomodo danda.*

1 VEtustissima Sanctorum Patrum consuetudine celebres semper processiones illas fuisse legimus, quibus Sacratissima Eucharistia circumfertur, prout pia fidelium deuotione solemni ritu celebrari consueuerunt; in ipsa præcipuè Feria V. in Cœna Domini, & Feria VI. in Parasceue maioris hebdomadę, quæ quia speciales requirunt ritus, suis locis explicabuntur. Omnium autem solemnissima ea omninò censeri debet, quæ in vniuersali Ecclesia Feria V. post festum Sanctissimæ Trinitatis peracta iam Octaua Pentecostes, ex Vrbani IV. Romani Pontificis institutione, in ipso festo Corporis Christi celebratur. Ad quam non solùm Clerus sæcularis, verū etiam omnium Ordinum Regulares, nec non piorum sodalitates, iuxta Tridentini Concilij decreta conuenire debent; ac propterea tanquam omnium aliarum exemplar eius ordinem non incongruè hoc loco explicabimus.

Const. 1. Vrb. IV. Bull. to. 1. p. 94.

Concil. Trident. sess. 43. c. 5.

2 Ipsa die, qua solemnis processio sacratissimi Christi Corporis celebrari debet, præparabit Sacrista in Calice pro Missa solemni duas Hostias, item Tabernaculum ostensorium ad deferendum in eo Sacratissimum Christi Corpus, Crucē processionalem; congruum funalium, seu cereorum numerum; duo thuribula; velū oblongum celebrantis humeris imponendum; paramenta solemnia pro celebrante, & Ministris albi coloris; & etiā Pluuiale in processione deferendum à celebrante; item baldachinum album. Opportunè per Cursorem intimentur omnes, qui processioni interesse debent, vt hora congrua in Ecclesia conueniant, & suo ordine adnotentur, quò postea quilibet suo loco vocatus statim procedat.

Cœrem. Episc. l. 1. c. 33.

3 Viæ, per quas processiō transire debet, bene mundentur; aulæis bolosericis, picturis, alijsque ornamentis politè, & decorè parietes aptentur; floribus, ac frondibus virentibus passim cōspergantur, omni profano ornatu omnino amoto. Altaria etiam ante Ecclesias, vnde transeundum erit, eleganter ornata cum luminibus, & aliis Ecclesiasticis ornamētis erigantur. Arcus, quos triumphales vocant, congruis locis si disponantur, cum emblematibus, mysticis figuris, ac versibus laudabile erit, quæ omnia ad præparationem præcipuè spectare videntur.

4 Ad ipsam modò sacram actionem explicandam deueniendo, paratis iam omnibus, Missæ sacrùm hora congrua solemniter celebrabitur; in ipsa duæ Hostiæ consecrantur, quarum altera in ipsa Communione de more assumpta, altera intra Tabernaculū, antequam celebrans purificationem sumat, reponitur. Accedente namque Subdiacono cum Tabernaculo ostensorio ex credentia desumpto à latere Epistolæ Altaris, Diacono ibidem ministrante, celebrans sua manu imponit sacram Hostiam in lunulam, quę

est in

est in medio Tabernaculi inter sphęram chrystallo loco conspicuo posita,& cum debitis reuerentijs per Diaconum in medio Altaris supra Corporale apratur. Sacerdos, ac Ministri quoties accedunt ante Sacramentum;vel recedunt,genuflectunt, aliaque omnia circa conuersiones obseruant, prout suis locis est ordinatum.

Sup.li.2. sec.7.c.5 nu.11.

5 Celebrans completo vltimo Euangelio in fine Missæ ante infimum gradum Altaris descendens Ministris adiuuantibus deposita Casula accipit Pluuiale. Subdiaconus, qui Crucē deferre debet, induitus Amictu, Alba, & Tunicella albi coloris, & Sacerdotes, qui hastas Baldachini deferre debent, & ipsi induti Pluuialibus, vel saltem stolis albis supra superpelliceum ante Altare accedūt:Acolythi prunas Thuribulis imponunt, omnibusque ante Presbyterium ordinatè accedentibus, celebrans stans ante gradus Altaris imponit incensum in duo Thuribula ab Acolythis sibi allata,quod ministratur sine osculis,neque benedicitur;deinde genuflexus ter ducens Thuribulum cum debitis inclinationibus Sanctissimum Sacramentum incensat.Incensato Sacramento Subdiaconus velum oblongum super humeros celebrantis imponit, qui genuflexus accipit de manu Diaconi Sanctissimum Sacramentum, ac surgēs ipsum in medio Altaris ad populum conuersus eleuatum tenet, Ministris hinc inde fimbrias Pluuialis eleuatas tenentibus. Interim Cantoribus inchoantibus reliqui prosequuntur Hymnum *Pange lingua gloriosi*,&c.additis, si longior fuerit processio, alijs Hymnis,& Psalmis,puta *Sacris solemnijs*, *Verbum supernum*,&c. *Iesu nostra redemptio*; *Aeterne Rex altissime*; item *Te Deum laudamus*, *Benedictus*, *Magnificat*,&c.

Rit. Rō. titul. de process.

6 Per Magistrum Cæremoniarum ordinatur processio, vt supra, in qua vltimo loco procedit Clerus Ecclesię Collegiatę, quem pręcedit Subdiaconus paratus deferens Crucem medius inter Ceroferarios cum candelabris,& ceteis accensis sequuntur reliqui bini cereos manu gestantes modo supra pręscripto. Prope Sacramentum hinc inde semper curabit Magister Cæremoniarum, vt adsint funalia accensa. Duo Thuriferarij continuò Sacramentum ipsum incensabunt immediatè ante celebrantem procedentes, ita tamen ne terga vertant Sacramento, semper facie ad ipsum Sacramentum conuersa simul gressus mouentes,ac pariter simul Thuribulum eleuantes. Deferentes verò Baldachinum aduertant,vt semper graui passu incedāt ipsum semper supra Sanctiss. Sacramentum deferentes. Celebrans sub Baldachino incedens cum Ministris, qui fimbrias Pluuialis eleuatas à lateribus tenebunt alternatim cum ipsis recitabit submissa voce Psalmos, & Hymnos, Choro interim cantante, campanæ continuè pulsantur.

Cærem. Epis. li. 2.c.33.

7 Ad Ecclesiam reuersi, vbi ante Altare peruenerint, Subdiaconus deponit Crucem loco congruo,& ceroferarij cādelabra supra credentiā,ac prope Altare genuflectūt;reliqui quoq; hinc inde per ordinē genuflectunt adhuc cereos accēsos tenentes; & cum celebrans ante cancellos, vel ad gradus Altaris peruenerit, amouetur Baldachinum per Ministros Ecclesiæ ad hoc deputatos, & qui illud deferebant, eodem loco genuflectunt.

8 Celebrans ante gradus Altaris Sacramentum in manu Diaconi deponit, cum debitis reuerentijs; nam Diaconus antequam Sacramentum accipiat, vtroque genuflexo reuerenter illud adorat, celebrante interim versus eum immobiliter stante, deinde accepto Tabernaculo Sacramenti vtraque manu aliquantulum illud eleuatum versus celebrantē tenens consistit, donec ab illo adoretur; deinde celebrans reddito Tabernaculo Diacono vtroque genuflexo ipsum reuerenter adorat. Tum Diaconus Altare ascendens ipsum in medio super Corporalia collocabit, celebrante interim in

gradu

gradu Altaris inferiori genuflexo manente, atque Subdiacono pariter ad eius sinistram in plano genuflexo.

Sup. n. 5. 9 Diacono ad Celebrantem redeunte ministratur incensum, interim dum cantatur *Tantum ergo Sacramentum*, Celebrans Sacramentum incensat, vt supra, & dum Cantores subdunt *Panem de Cœlo*, &c. Choro respondente *Omne delectamentum*, &c. Celebrans stans, ministris hinc inde adhuc genuflexis, librũq; sustinentibus dicet *Dominus vobiscum*, & Orationem *Deus, qui nobis*, &c.

10 Dicta Oratione Sacerdos Altare ascendens cum debitis reuerentijs accipit Tabernaculum vtraque manu ante faciem eleuatum, & ad populum conuersus, Ministris & omnibus reuerenter genuflexis, cum illo efformando signum Crucis semel tantùm, nihil dicens adstantes benedicit, rursumque Tabernaculum super Altare reponit, & cum debitis reuerentijs ante infimum gradum recedẽs genuflectit, donec sacra Hostia per Diaconum intra Tabernaculum reponatur. Reposito Sacramento, clausoque ostiolo Tabernaculi Celebrans surgit, & omnibus alijs pariter consurgentibus, tunc & non prius extinguũtur cerei, & cessat sonus campanarum. Omnibus ordinatè recedentibus vltimus omnium procedit Celebrans cum Ministris capite cooperto, & in Sacristia sacras vestes deponunt.

De Processione Sanctissimi Sacramenti Corporis Christi ab Episcopo celebranda. Cap. III.

1 *In Missa, & post Missam Episcopi, & Canonicorum habitus.*
2 *Ordo processionis.*
3 *Clerus sæcularis quo ordine procedat.*
4 *Incensum quomodo ministrandum.*
5 *Deferentis Mitram locus.*
6 *Prælatorum locus, & habitus.*
7 *Ad Altaria per viam erecta quomodo procedendum.*
8 *Obseruanda in regressu processionis.*
9 *Sacramentum quomodo in Altari reponendum, & incensandum.*
10 *Benedictio danda cum Sacramento, & Indulgentia publicandæ.*

1 IN Cathedralibus quando Sanctissimum Sacramentum deferri debet ab Episcopo, Missa solemnis cantabitur ab aliquo Canonico; Episcopus sacris indutus cum Pluuiali, ac Mitra assistit, cantata Missa Celebrans cum Ministris in Sacristia paramenta deponit, & vnà cum aliis Canonicis accipit paramẽta suo ordini congruentia; similiter reliqui Canonici sacris induuntur vestibus, videlicet Dignitates Pluuialibus, Presbyteri Planetis, Diaconi ac Subdiaconi Dalmaticis, & Tunicellis, vt fieri solet Episcopo celebrante. Octo pariter Beneficiati, qui intra Ecclesiam deferre debẽt hastas Baldachini, Pluuialibus albi coloris induuntur. Cærem. Episc. li. 2. c. 33.

2 Ordine processionis prius descripto absque aliqua contentione omnes procedunt, & si aliqua lis præcedentiæ exorta fuerit, de mandato Episcopi absq; prẹiudicio iurium ambarum partium procedant, vel omnino a processione abstineant, donec lis fuerit determinata, procedunt autem omnes cum cereis, vel facibus accensis, primò Confraternitates Laicorum, quælibet sub suo Vexillo, deinde Religiosorum Ordines, secũdùm eorum antiquitatem, vel iuxta consuetudinem; singulis Ordinibus sua Crux à Subdiacono parato inter Ceroferarios delata præferatur. Post Religiosos sequũtur Officiales, Nobiles, ac Magistratus intortitia accensa turmatim deferentes. Concil. Trident. sess. 25. c. 13.

3 Clerus sæcularis subsequitur hoc ordine: primò deferẽs Crucẽ Ecclesiæ Cathedralis, medius inter duos Ceroferarios cũ cereis accensis; Clerici Seminarij, si adsũt, superpelliceis induti, post eos Curati Ecclesiarum Parochialium cum Cottis; tum Ecclesiæ Collegiatæ cum

eorum insignibus, si aliàs deferre solent; vltimo loco procedit Clerus Ecclesię Cathedralis cum octo Beneficiatis, vt supra paratis, qui in principio processionis deferre debent hastas Baldachini; & si processioni adsit Archiepiscopus, Subdiaconus paratus medius inter Ceroferarios deferet Crucem Archiepiscopalem ante Canonicos paratos paramentis albis, immediatè ante Episcopum de Baculo seruiens vtraque manu ipsum à terra eleuatum defert. Altaribus hinc inde ibūt octo Capellani cum Cottis, funalia accensa deferentes.

4 Omnibus dispositis, Episcopus in sua sede, ministrante Presbytero assisten te, imponit incensum in duo Thuribula sine osculis, & sine benedictione deinde accedens ad Altare ante gradus genuflexus cum debitis inclinationibus ante, & post Sanctissimum Sacramentum incensat, ter ducens Thuribulum. Dein de accepto Sacramento, procedit eodē modo, quo supra explicauimus, Acolythis continuè ipsum Sacramentum incensantibus, & Cantoribus Hymnos dicentibus, Episcopus cum suis Assistentibus alternatim submissa voce Psalmos, & Hymnos recitabit.

Sup c. 2. nu. 5.

5 Post Episcopum immediatè erit Mitram deferens superpelliceo indutus, qui velo ad collum pendente ipsam manibus eleuatam gestabit.

6 Si adsint Prælati; procedent immediatè post Episcopum cum Mantelletto supra Rochettum, & si sint ipsi Episcopo Superiores, puta Legatus à latere, Nuntius Apostolicus habens facultatem Legati, vel Metropolitanus, ibūt cum Cappa; præsentibus verò Cardinalibus, soli ipsi Cardinales erunt cum Cappis rubeis, cęteri cum Mantelletto supra Rochettum.

7 Poterit Episcopus per viam, vbi Altaria erecta, ac decenter constructa inuenerit, super illa deponere Sanctissimum Sacramentum, & aliquantisper quiescere, & ibidem, antequam discedat, thurificabit Sanctissimum Sacramentum, & Orationem de eodem cantabit; quod tamen non ad singula Altaria, sed rarò arbitrio Episcopi fiet.

8 In regressu processionis ante fores eiusdem Ecclesiæ vnde discesserant, Nobiliores Laici accipiunt hastas Baldachini, & Episcopus vsque ad Cancellos, vel Presbyterium, vel ad gradus Altaris, iuxta Ecclesiæ structuram, vel situationem sub Baldachino deducitur.

9 Episcopo perueniente ad supremū gradū Altaris; Diaconus à dextris cum reuerentia, & genuflexione accipit de manu ipsius tantis Sanctissimum Sacramentum, & super Altare collocat; interim Cantores grauiter, ac deuotè cantabunt Versum *Tantum ergo Sacramentum*, &c. & Episcopus aliquantulū retro cedens imponit incensum in alterum ex duobus Thuribulis, ministrante nauiculam Presbytero assistente sine benedictione, & osculis, vt supra; deinde genuflexus super puluino cum debitis inclinationibus ter Sanctissimum Sacramentum incensat, & duo Cantores dicunt Versum *Panem de cælo*, &c. cum suo Responsorio, Episcopus verò surgens cantabit ex libro Orationem *Deus qui nobis*, &c. & Diaconi assistentes hinc inde genuflexi librum sustinebunt.

10 Finita oratione, Episcopus ad Altare accedens accipit Tabernaculum, Sanctissimi Sacramenti, & ad populum conuersus illud ambabus manibus eleuatum tenēs ter cum illo format signum Crucis super populum nihil dicens, iterumq; Sacramentum super Altare reponit, ac genuflectit. Presbyter verò assistēs in cornu Epistolæ facta Sanctissimo Sacramento reuerentia, ad populum conuersus publicabit Indulgentias ab Episcopo concessas omnibus, qui processioni interfuerunt; & vbi Episcopus aliquantisper orauerit, reponitur Sanctissimum Sacramentum intra Tabernaculum, & tunc, & non prius extinguuntur funalia; & Episcopus cū Canonicis recedens in

Sacri-

Sacriſtiam paramenta deponit, ac deinde more ſolito aſſociatus ab eis redibit in domum ſuam.

Ordo ſeruandus in translatione Reliquiarum, atque Sanctorum Imaginum, & proceſsione pro eis facienda. Cap. IV.

1 *Antiquus Eccleſiæ vſus transferendi Reliquias Sanctorum.*
2 *Corpus B. Andreæ Auellini quando, & quomodo fuerit translatum.*
3 *Recognitio ſacrarum Reliquiarum ab Epiſcopo Ordinario facienda.*
4 *In translatione Reliquiarum Indulgentia à Rom. Pont. impetranda.*
5 *Congregatio de agendis inſtituenda.*
6 *Inuitandi ad Translationem.*
7 *Apparatus ante Translationem faciendus.*
8 *Secunda recognitio quando fieri debeat.*
9 *Tertia recognitio.*
10 *Sanctorum Reliquiæ exponendæ, & excubiæ faciendæ.*
11 *Miſſa ſolemnis celebranda cum ſermone de Sanctis.*
12 *Veſpera ſolemnes celebrandæ.*
13 *Præparanda pro proceſsione.*
14 *Ad proceſsionem conuenientes quomodo recipiendi.*
15 *Mazzerij proceſsionem ordinantes.*
16 *Cerei, & funalia quomodo diſtribuenda.*
17 *Baldachinum quando, & quibus aſsignandum vt deferatur.*
18 *Campanarij munus in proceſsione.*
19 *Ordo procedendi.*
20 *Reliquia à quibus deferenda.*
21 *Quomodo deferenda.*
22 *Celebrans quomodo, & quo loco incedat.*
23 *Muſicorum Chorus.*
24 *Liber proceſsionis ordinandus.*
25 *Cantanda in proceſsione.*
26 *Ante Altaria quid agendum.*
27 *Reliquiæ ſuper Altare in regreſſu proceſsionis incenſandæ.*
28 *Index Reliquiarum, & preces in tabella ſcribendæ.*
29 *Anniuerſaria Translationis celebritas recolenda.*
30 *In Translatione ſacrarum Imaginum obſeruanda.*

1 Inter præcipua Chriſtianæ pietatis officia, quę in Eccleſia celebrãtur, ex antiquiſſima Sanctorum Patrum traditione, non immeritò Sanctarum Reliquiarum ex minus ornato ad auguſtiorem locum translationes connumerãdas credimus. Sic olim Patres diuino afflatos ſpiritu ſeruorũ Dei veſtes, cineres, aliaſq; Reliquias omni cura conquiſitas à remotiſſimis terrarum oris, tanquam fida præſidia, tutaq; propugnacula ad ſuas Eccleſias maximo honore, & reuerentia detuliſſe memoriç proditum eſt; multòq; magis eorum ſacra corpora, quę aliquando fuerunt viua membra Chriſti; pręclariſſimaque diuinorum operum inſtrumenta, atque Sancti Spiritus templa ad æternam vitam ſuſcitanda, & glorificãda, detecta, conquiſita, & inuẽta ſolemni ornatu decentiori tandem loco omnibus adoranda collocaſſe legimus; quod ex ſacratiſſimæ Crucis, nec non Prothomartyris corporis inuẽtione, quę per ſingulos annos religioſiſſimè colitur, aliiſque ſacris Hiſtorijs, prout in Martyrologiis legitur, facilè colligi poteſt.

Concil. Trident. ſeſſ. 25. de inuocat. venerat. & reliq. Sanctorum.

D. Aug. de Ciuit. Dei lib. 22. c. 8.

2 Et quia in dies, quod antiquis temporibus accidit, facilè cõtingere poteſt; nõ incõgruè hoc loco à maioribus acceptã formã traditurí, eaadnotabimus, quę à Patribus noſtrę Congreg. aliàs, ac nouiſſimè Neap. in noſtra Eccl. S. Pauli maioris peracta fuere; cum die 29. Septẽbris Archangelo Michaeli Sacra anni 1624 B. Andreę Auellini noſtri Ordinis Sacerdotis, atque nunc eiuſdem Ciuitatis Patroni ab Vrbano VIII. Pont. Max. in Beatorũ numerum relati ſacrũ corpus decẽtiori loco in eadẽ Eccleſia reponendum, pluribus lętitiæ ſignis, tubarum, videlicet clangore, tympanorum ſonitu, nec non

sclopororum, ac tormentorum, seu bumbardarum boatu vndique, ac maximè ex Regia Arce, alijsque Castris editis, iisdē Clericis Regularibus processionaliter nobili Prælatorum, Principum, ac Magistratuum comitatu sacrum pignus circumferentibus; insuper & ipso Prorege D. Antonio Aluarez de Toleto summa pietate, ac singulari religionis exemplo semper accensam facem vsque in finem deuotè deferente, sequentibus supremi Collateralis Consilij amplissimo Senatu, Regnique Proceribus, more maiorum honorificè delatum augustissimo tādem loco reconditum pijssimè fuit.

Concil. Trid. sess. 25. dein. uoc. &c. 3 Cum igitur aliquod Sanctorum corpus, siue corpora, seu eorum sacræ Reliquiæ ex aliquo loco non ita decenti in honestiorem, ac magis congruum trāsferri debent, primum omnium (etiam si in exempti Ecclesia fuerint) debent ab Episcopo loci Ordinario ad instantiam Rectoris, & Capituli, seu etiam illius Ecclesiæ Collegij iuris ordine seruato publicè recognosci. Debet autem ipse Episcopus, vel eius Vicarius statuta die, & hora personaliter ad locum accedere cum aliquibus ex Capitulo Cathedralis & Collegialibus illius Ecclesiæ, alijsque nobilibus Viris Laicis, ac Medecis anathomistis, factaque prius oratione diligenter loco, & Arca, in qua includuntur, recognitis; inspecta (si forte in ea inueniatur) ipsa exteriori inscriptione; deinde amoto operculo attendantur inscriptiones, si quæ intra Arcam inueniantur, & omnia per notarium inscribantur, singulę etiam Reliquiæ recognoscantur, & ab Anathomistis explicetur, quæ partes corporis sint, & vel in eodē loco reponātur, vel si in alia Arca, seu Tabernaculo sint recludenda, prius ab Episcopo benedicatur ea benedictione, quæ habetur in Pontificali Romano, deinde singulæ distinctè reponantur suis locis, & Notarius à Rectore Ecclesiæ præsentibus testibus rogatus, omnia, ac singula adnotabit, rursumque fidis clauibus in Arca claudantur, & de his omnibus publicum documentum conficiatur, interposito Episcopi decreto, qui earum veritatem, & identitatem approbabit, omnibusq; fidelibus publicè venerandas, vt exponi possint, si videbitur, decernet. Pōt. Ro. de ben. pa. 512.

4 Antequam solemnis translatio fiat, approbatis ab Episcopo loci sacris Reliquijs modo præscripto, decet, vt Romanus Pōtifex certioretur, & ab ipso Indulgentiæ processionem comitantibus, vel Sanctorum Reliquias visitantibus concedantur, prout in Actis Ecclesię Mediolanensis non semel à S. Carolo illius Ecclesię Archiepiscopo in huiusmodi translationibus, quas vt plurimum in Prouinciali Synodo pręsentibus Episcopis Cōprouincialibus celebrabat, factum legimus, nec nō etiā ab Illustriss. Card. Gabriele Paleotto Archiepiscopo Bononię si eruditione, pietate, atque prudentia, pariter ac dignitate Sancto Carolo Collega coniunctissimo, quater in Prouinciali Concilio Sanctorum Reliquias solemni pompa cum Indulgentijs à Gregorio XIII. & Clemente VIII. respectiuè ad id impetratis translatas memorię proditum est. Act. Eccl. Med. par. 2. Gusan. in vita S. Caroli. Archie. Bonon. par. 4. de iac. reli. translat. pa. 276.

5 Vt autem cuncta suo ordine disponantur satis laudabiliter peritissimorum virorum sacrę Theologiæ, atque vtriusque iuris Doctorum, & in Ecclesiasticis rebus nō mediocriter eruditorum Congregatio prius pro huiusmodi trāslationibus faciendis cogi consueuit, quod & exemplis omnibus testatum reliquerunt Sanctissimus Ecclesiæ Mediol. Antistes, nunquamque satis laudatus Cardinalis Borromæus, & Paleottus Ecclesiæ Bononiensis pariter Pręsul amplissimus, ambo sacri Cardinalium Senatus purpura, eodem ferè tēpore, regione, ac moribus proximi dignissimè decorati. vbi sup. pa. 280.

6 Ad solemnitatem translationis huiusmodi maximè confert frequens populorum concursus; ideo opportuno tēpore aliquibus antea diebus Episcopus Pastoralibus litteris suū ponebit populū, Archie. Bonon. vbi sup. pa. 281. 283. & 294.

vt ie-

vt ieiunijs,orationibus,eleemosynis peccatorum Sacramentali confessione, alijsque pijs operibus quisque se disponat, quò Sanctis ipsis placere, eorumque sacræ translationi interesse, qua decet mentis,& corporis puritate valeat; Et in hoc eiusdem S.Caroli Pastoris egregij exempla nos docent: inuitari etiã debent Episcopi viciniores, Abbates, ac reliqui Prelati, nec nõ Religiosorũ Ordines vnà cum Clero sæculari,pijsq; Sodalitaribus, necnon Principes, Magistratus, virique nobiles. Die Dominico immediatè futuram solemnitatem precedente, Parochi in Missis Parochialibus,necnon Concionatores in Cathedrali,& reliquis Ecclesijs futuram solemnitatem pronunciabunt, monentes omnes, vt pietatis operibus sese disponant, frequentesque, vt decet, ad Sanctorum Reliquias venerandas concurrant.

Act. Eccl. Med.

7 Interim Ecclesia solemni apparatu aulæis sericeis auro, & argento intextis vndique ornabitur; atrium quoque, & ianuæ vario ornatu,apposita Sanctorum Imagine supra ostium; omniaque, ac singula decenti, & graui ornatu conspicua erunt. Viæ, vnde transeundum erit, mundabuntur, pretiosissimisque aulæis vario ornatu sacro Sanctorum triumpho disponentur. Altaria per loca,vnde transeundum erit, maximè ante Ecclesias erigentur ornatissima cum luminibus decentissimè aptata.

8 Et quia non semel tantùm, sed ex antiqua Sanctorum Patrum traditione iterum,ac tandem tertiò huiusmodi Sanctorum Reliquiæ recognosci debent; ideò post primam illam recognitionem, quæ omnem actum precedere debet, secunda tunc adhibebitur, cum accepto Breui Indulgentiarum à Romano Pontifice in Theologorum Congregatione de futura translatione agi debet, & tunc eadem obseruabuntur, quę supra.

Archie. Bonon. part. 4. pag. 281 & 283.

9 Vltima tandem recognitio tunc fieri debet, cum omnibus bene dispositis instat tempus celebrandi hanc sacram actionem; vnde pridie diei præscriptæ Episcopus cum Canonicis Cathedralis, & Clero illius Ecclesiæ, in qua Sanctorum Reliquiæ asseruantur,summo mane,apertis loculis, Reliquias ipsas recognoscens super Altare reponet;& post prandium solemnibus Vesperis celebratis, quæ erunt de festo Translationis duplicis Officij ritu iuxta Rubricas Breuiarij Romani,Reliquiæ transferendæ exponentur hoc ordine.

Archie. Bonon. vbi sup. pag. 282.

10 Celebrans sacris vestibus indutus ad locum Collegialiter cum Clero accedens, accensis cereis, vbi aliquantisper orauerit, incensabit Reliquias, deinde cum Hymno, & Psalmis super Altare maius, vel si magis videbitur ad alium locum congruum ad id paratum ac bene ornatum,ipsis populo adorandas deferet; cãntata prius Antiphona cum Versu, & Oratione Sancti, vel Sanctorum, quorum Reliquiæ ibi asseruantur: accensis pluribus circumcirca cereis, ac funalibus Clerus Ecclesię per vices orationi vacans diu, noctuq; excubias ante Sanctorum Reliquias celebrabit, vsque dum solemni processione transferri debeant.

11 Mane hora congrua cantabitur Missa solemnis de Sanctis, intraque eam habebitur sermo de meritis, & virtutibus illorum Sanctorum, hortando omnes ad eorum piam venerationem: si processio mane fiat, post Missarum solemnia celebrabitur, qua peracta Sanctorum Reliquiæ expositę super Altare communi fidelium pietate adorandę manebunt vsque ad vltimam diei horam; si verò magis congruum videbitur, vt solemnis processio differatur post Vesperas, tunc eodem loco Reliquiis permanentibus, orantium Clericorum assistentia continuabitur per vices eodem modo, quo supra.

Card. Paleot. vbi sup.

12 Vesperæ hora congrua solemniter celebrabuntur de Sãctis,& post ipsas ordinabitur processio;nec in fine Vesperarũ

in eo casu Episcopus benedicet populo, cū potiùs peracta processione solemniter benedicere debeat. Et licet processio facta fuerit mane, cum Sanctorum Reliquiæ adhuc expositæ super Altare detineri debeant, Vesperę hora congrua solemniter celebrabuntur, ac tandem Sanctorū Reliquię suis locis per Episcopum ad stantibus Canonicis, & aliis, fidis clauibus claudentur, quo actu tota hęc sacra actio terminabitur, quem Notarius Episcopi adnotare, scriptisque posterorum memoriæ demandare debet.

13 Pro ipsa autem processione præparentur prius Crux processionalis, candelabra, thuribula, paramenta omnium ministrorum, ac Sacerdotum coloris congrui, baldachinum pariter coloris Sancti, cuius Corpus, vel Reliquiæ sunt transferendę, Labarum, seu vexillum cum Imagine Sancti, vel Sanctorum diligenter depicta, funalia numero, & ordine bene disposita.

14 Ad vitandam omnem confusionem, si ad processionem conuenire debeant diuersi Ordinis, & gradus Congregationes, singulis locus congruus bene dispositus designetur, alius locus pro Religiosorum Ordinibus, alius pro Clericis sęcularibus, alius pro Capitulo, alius pro Pręlatis, item alius pro Magistratibus, ac nobilibus Viris, prout loci capacitas, ac dispositio permiserit; ac denique pro Collegialibus Ecclesiæ in Sacristia super scamna paramēta optimo ordine disponentur, quibus suo tempore omnes indui debent, præcipuè celebrans cum suis Assistentibus, nec non sacrorum pignorū portitores. Hæc autem omnia prius in Congregatione disponantur, & in tabella designentur, deputando singulis peragendis expeditos, idoneosque ministros, qui pręter Magistrum Cæremoniarum, quę sui muneris fuerint, iuxta distributionem factam, exequiquàm diligentissimè curabunt.

15 Designentur duo Mazzerii, qui processionem dirigant, superpelliceis induti, baculos coloris Sancto congruētis, auroque ornatos manibus deferentes, qui cum opus fuerit, loca, vnde transeundum erit, discurrant, &, vt ordinatè procedatur, attendant.

16 Magister Cęremoniarum iuxta præscripta singulos Ordines suo loco pcedere iubeat. Deputatos ad distribuendos cereos cum alijs sibi ad hoc munus ministrātibus, pariterq; ad ipsos accedendos designabit; cū autē processio redierit, idem à suis adiutus opportunè vt extinguantur, inuigilabit, habens ad hoc parata vasa cum aqua, ne fumo Ecclesia obumbretur, ac deturpetur, item in capsulis extincta funalia reponenda curabit.

17 Deputati ad baldachinum opportuno tempore ipsum ad gradus Altaris, vel ante cancellos, prout loci structura requirere videbitur, deferent, ac sustinebunt hastas, & quibus in Congregatione fuerit decretum tradent, quæ per viā loco, & tempore si mutari debeant, omnia executioni mandari diligenter curabunt. In ingressu Ecclesiæ pariter ante gradus Altaris, vel ante cancellos Presbyterij ipsi baldachinum accipient, & suo loco reponent.

18 Campanarum minister, dum fit processio, ne earum sonus cesset, aduertat, Cursor Episcopalis Curię, vel alius deputatus, seu etiam plures, prout videbitur vias, vnde transeundum erit, præcurrant, Ecclesiarum item ministros, & campanarios monebunt, vt eas pulsent.

19 Ordo procedendi talis erit, pręcedunt omnes tibicines, quos immediatè sequuntur Sodalitates, quęlibet ordine sibi pręscripto sub proprio vexillo cū cereis accensis: post Sodalitates sequitur Labarum, seu vexillum cum Imagine Sancti, vel Sanctorum delatum à viris Laicis suis hastis coloratis, atque auro illitis bene suffultum, qui tanquam vexilliferi onus sustinebunt; de-

putati

putati verò nobiles viri ex illustrioribus,quibus congruere visum fuerit, duo hinc inde eius extremitatibus floccos manibus tenebunt. Ante Labarū erit canentium musicorum Chorus, deinde nobilium adolescentiū turma, qui splendidè ornati detecto capite incedunt; sequuntur post Labarum viri nobiles cum facibus accensis: deinde Religiosorum Ordines,modo supra præscripto.

Sup.c.1. num.6. Gusan. in vita S.Caroli 20 Decet, vt Sanctorum corpora ab Episcopis, vel Abbatibus Mitratis deferantur, prout legimus à S. Carolo Borromęo fuisse obseruatum, cuius exempla sequutus est pariter Cardinalis Paleottus,quem laudabilem ritum à maioribus acceptum, etiam posteri si imitentur,erunt in laudem;vel saltem à Presbyteris paratis deferantur.

21 Sacra igitur pignora, si plura fuerint, pluribus loculis à ministris paratis deferri debent humeris delata sub baldachino, si paruæ fuerint arculę, ipsis infixo, si verò arca fuerit maior, baldachini hastę deferentur à deputatis.

22 Si in processione deferenda sit aliqua insignis Reliquia, videlicet Crucis Dominicę lignum, vel aliquid tale vasculo accomodatum à Superiori parato cum suis assistentibus pariter paratis, sub baldachino deferri debet. Principes, Magistratus, & Nobiles Laici processionem sequuntur cum facibus accensis.

23 Ante Sanctorum Reliquias musicorum canētium Chorus, qui & Clerici superpelliceis induti esse debent, sacro mysterio, ipsisque Sanctis congrua in Congregatione designata cantabit.

Archie. Bonon. part. 4. pag.301. 24 S.Carolus,& Card.Paleottus proprios libellos in huiusmodi processionibus ordinarūt,prout & Romę in extraordinarijs processionibus imprimi solent; q arbitrio Episcopi de consilio Congr. ad hoc ordinatę exequi omnino debet.

Rit.Rō. de process. 25 Regulariter in huiusmodi processionibus iuxta præscripta in Rituali Romano cantari debent Litanię cum speciali inuocatione eorū Sanctorū,quorum Reliquiæ deferuntur. Itē Psalmi,& Hymni de proprio,vel cōmuni Sanctorū,quorum deferuntur sacra pignora cū Antiphonis, & Responsorijs,additis etiam, si videbitur,Antiphonis ex Pontificali Romano,quę habentur in Ecclesię cōsecratione,dum deducuntur Reliquiarum loculi,quibus accōmodari possunt & Psalmi,prout S.Carolus, & Paleottus in suis translationibus fecerunt,arbitrio Cōgregationis, pręcipuè Psalmi laudum satis congruunt, & vltimus omnium in ingressu Ecclesię cantari poterit Hymnus *Te Deum laudamus*. Pōt.Ro. Tit.de consec.Ecclesi pag. 251. Archie. Bonon.

26 Ante Ecclesias, vel in angulis viarum Ecclesiis proximioribus, vnde processio transire debet,à Presbyteris,& Collegialibus Altare erigatur bene ornatum cum luminibus, aliisque piis, & Ecclesiasticis ornamentis; circa Altare verò adsint Sacerdotes, & Clerici illius Eccesię superpelliceis induti, & cum inde Sanctorum Reliquiæ transire debent, Sacerdos Pluuiali indutus, imposito incenso in thuribulū sibi ab Acolytis ministratū, Sanctorum Reliquias reuerenter triplici ductu ante, & postea profundè inclinans incensabit; interim portitiores, & omnes sistunt, & si plures sint loculi, singuli debent incensari, primò qui primo loco deferuntur, deinde alij suo ordine.

27 In ingressu Ecclesiæ cantato Hymno *Te Deum laudamus*, Reliquiæ super Altare repositæ incensantur, eorumque Antiphona cū Versu à Cantoribus, Orō verò à celebrante cantabitur, & si reponendę,vel recludendę sint,sub Altari, vel alio loco incōtinenti tūc reponantur. Si adsit Epus loci ordinarius, solēniter populo benedicet:In loco quo recōdūtur, diligenter inscribantur eorū nomina, & tempus depositionis, & in actis Ecclesiæ singula diligenter adnotentur.

28 Index Reliquiarum in tabella cō scriptus à latere loci appensus pendeat omnibus perspicuus, cum Precibus, &

Orationibus dicendis in honorem, & cultum illorum Sanctorum, quorum Reliquiæ ibi sunt. Lampas ante ipsas sacras Reliquias semper ardeat, ipsumque Altare sit decenter ornatum.

29 Huiusmodi translationis anniuersaria festiuitas in posterum, vel eodem die, vel certa Dominica iuxta locorum consuetudinem dupiici ritu celebretur, & in Oratione, vbi habetur *Natalitia*, dicatur *Translatio*.

30 Eadem respectiuè in translatione Sanctorum Imaginum seruari debent, prout Romæ nostris tēporibus Sacratissimam Deiparæ Imaginem à S. Luca depictam Paulo V. Pont. Max. in celeberrimum, & augustissimum Sacellum ab eodē Pontifice in Ecclesia Sanctæ Mariæ Maioris constructum solemniter translatam vidimus ann. Dom. 1612. cuius memoria quotannis die 27. Ianuarij, & per totam Octauam eo loco recolitur. Officiū Translationis Imaginis B. Virginis erit sicut in festo ad Niues, exceptis lectionibus secundi Nocturni, quæ erunt ex Officio B. Mariæ in Sabbato, videlicet currentis, præcedentis, ac subsequentis mensis, quod & in alijs votiuis festiuitatibus B. Virginis per annum occurrentibus generaliter obseruari poterit.

Constit. Pauli V. 86. immēsæ bonitatis. Bul. to. 3 pag. 519

De solemni Processione pro gratiarum actione, vel lætitiæ causa facienda. Cap. V.

1 *Præparanda pro processione facienda.*
2 *Missa pro gratiarum actione celebranda.*
3 *Processio quomodo ordinanda.*
4 *Chori musicorum, & lætitiæ signa.*
5 *Exemplum celebris processionis S. Caroli.*
6 *Cantanda in processione pro gratiarum actione.*
7 *Differentia inter processionem generalem, & particularem.*
8 *Processiones quæ in Sanctorum festiuitatibus instituantur, quo ordine celebranda.*
9 *Quomodo processio Sanctissimi Rosarij.*
10 *Item processiones Sanctæ Crucis, vel Mysteriorum Passionis Dominicæ.*

1 PRo gratiarum actione de acceptis à Deo beneficijs pia fidelium Religio plura grati animi signa edere cōsueuit; vt autem ordine cuncta fiant, primum omnium loci Episcopus re maturè considerata, Pastoralibus literis, Clerū, & populum monebit, vt ad sacram hanc actionem ieiunijs, & orationibus sese disponant, statua die solemnia celebranturi. A Parochis pariter, atque Concionatoribus præcedenti die festo moneatur populus. Ecclesia maior solemni apparatu vndique ornetur, Altaria bene disponantur, atrium, Ecclesiæ fores, & cuncta sint bene disposita. Et quia huiusmodi solemnes actiones diebus festis celebrari debent, Vespere præcedentis diei in maiori Ecclesia, nec non in alijs in signum lætitiæ pulsantur campanæ, addito etiam turbarum clangore, accenduntur per Ciuitatem, præcipuè in eminentioribus locis luminaria, & tormentorum in Arce sono, alijsque lætitiæ signis fidelium mentes ad recognoscenda diuina beneficia, gratiasque omnium bonorum datori agendas ritè disponuntur. Viæ mundantur pro processione, & ornatur eodem modo quo supra.

2 Ipsa die hora congrua frequēti populo ex omnibus Ordinibus in Ecclesia conueniente celebrabitur Missa solemnis de Sanctissima Trinitate, addita Oratione pro gratiarum actione, absq; alia Oratione, in paramentis albis, & in ipsa Missa dicitur *Gloria*, & *Credo* prius tamē in ipsa Ecclesia à Collegialibus cantabitur, seu etiam priuatè celebrabitur Missa Conuentualis de die.

3 Completa Missa ordinabitur processio eodē modo, quo supra in qua deferēs Crucē, celebrās, ac reliqui ministri

omnes

omnes albis vestibus erunt induti Sodalitates, Religiosorum Ordines, Clerus, & reliqui eodem ordine procedent, quo supra. Celebrans cum Ministris vltimus omnium incedet; post celebrantem erit loci Episcopus Cappa violacea, seu etiã, si fuerit Cardinalis, rubea indutus, reliqui Prælati exteri post ipsum sequentur Rochetto induti cũ vestibus, & mãtelletto violacei coloris; post Prælatos erit Principum, Magistratuum, atque Nobilium locus.

4 Vndique musicorum Chori cum Cytharis, fistulis, & alijs instrumentis lętitiæ signa dabunt; atque cum graui, & Ecclesiastica modestia omni profanitate remota cerni debent Altaria per viam, emblemata, picturæ, additis trophæis, & si quæ alia Christiana pietas inspirauerit.

Gusan. in vita S. Caroli. 5 Inter cætera pietatis officia, quorũ pręclara posteris ad imitandum exempla reliquit Sanctissimus Mediolanensis Ecclesiæ Antistes Carolus Cardinalis Borromęus, celeberrima fuit illa processio, quam pro gratiarum actione in sua Mediolanensi Ciuitate cũ vniuerso Clero, & populo à mane ad Vesperam celebrauit ipsa die S. Sebastiani Martyris anno 1578. pluribus Precibus ex libello ad hoc ab ipso ordinato, Deo gratias agendo, cuncta lustrando ciuitatem cum sacris reliquijs, quas Clerus vniuersus cum apparatu luminum fere immenso non solùm Clericorum, verùm etiam laicorũ deferre iussus est, in qua supplicatione frequens populus cum Clero vsque ad noctem perseuerasse legitur. Immò & ad Ecclesiam tedeuntes vespere, Sanctus Episcopus quasi nihil egisset, Sanctissimã Eucharistiam per Ecclesiam omnibus Sacrorum Ordinum Choris, cũ Hymnis, & Psalmis ducentibus super Altare exposuit Quadraginta horarum Orationem instituens.

Rit. Ro. Titu. de procefs. 6 Regulariter in ipsa processione iuxta præscripta in Rituali Romano primum omnium cantari debet Hymnus *Te Deum laudamus*, deinde subduntur Psalmus videlicet 65. *Iubilate Deo omnis terra*, 80. *Exultate Deo adiutori nostro*, 95. *Cantate Domino Canticum nouum*, *Cantate Domino*, &c. 99. *Iubilate Deo omnis terra, seruite*, &c. 116. *Laudate Dominum omnes gentes*, & Psalm. *Laudate Dominum de cœlis* 148. cum duobus sequentibus; item Canticum *Benedicite omnia opera Domini Domino*, & Canticũ Zacharię *Benedictus*, &c. Omnia, vel aliqua, prout longitudo processionis postulauerit. In fine post reditum ad Ecclesiam dicuntur ante Altare maius Versus, & Orationes, prout in Rituali Romano. Si adsit Episcopus ordinarius loci dabit solemnem benedictionem, & si habenda sit Concio, benedictio post Concionem dabitur.

7 Verùm quia huiusmodi processiones alio, & alio modo celebrari potertũ, ad nostros Ecclesiasticos exactè instruendos hoc loco adnotabimus: Si processio sit generalis ab Episcopo loci indicta, omnes Sodalitates, Religiosorum itẽ Ordines, pariter & Clericorum, Magistratus, & vniuersi Ordines populi modo præscripto conuenire debent; deferens Crucem, celebrans, atque Ministris albis induentur, Celebransq; vel nihil, vel aliquam Reliquiam deferet; in ipsa autem processione Clerus, ac Laici non deferẽt luminaria, & tecto capite procedent; prope celebrantem ob reuerentiam Reliquię, quam defert, erunt aliqua Funalia, & si Reliquia fuerit insignis etiam sub Baldachino deferetur: quòd si in processione solemniter deferantur Reliquiæ, prout obseruauimus in S. Carolo; tunc omnes detecto capite accensos cereos manu gestare decet. Si processio nõ fuerit generalis, à Clero illius Ecclesię in qua celebratur, procedi debet vel intra Ecclesiam, vel etiam extra post Missam solemnem.

8 Eadem respectiuè seruari debent in ijs processionibus, quæ in Sanctorum festiuitatibus in aliquibus Ecclesiis cele-

brantur

brantur, in quibus ob populi pietatem, vel Sanctorum Reliquiæ, seu etiam Imagines depictę, vel insculptę deferuntur; sunt enim processiones lętitiæ, vnde celebrantis, & ministrorum indumenta erunt coloris Sancto, cuius memoria celebrantur, congruentis.

9 Similiter in processionibus Sanctissimi Rosarij, in quibus à Patribus Ordinis Prædicatorum Beatissimę Virgini addictissimis deferri consueuit Imago Virginis Gloriosę, eodem modo cum luminibus procedendum erit in paramẽtis albis, lęta Cantica ad Virginis Matris laudem spectantia canendo cum tubarum clangore, & aliorum instrumentorũ melodia.

10 Pariter cum aliqua Sanctę Crucis particula, vel Mysterij Dominicę passionis Imago defertur, eodem modo procedendum erit, cum hoc tamen discrimine; nam in mysterijs Passionis paramenta erunt rubra, sicut etiam si processio fit pro festo Sancti Spiritus, vel Apostoli, seu Martyris, cum color paramentorum, vt supra iam diximus, mysterio, & Sancto, in cuius honore, & veneratione processio celebratur, respondere debeat.

De Processione ordinanda ad recipiendum Imperatorem, Regem, Reginam, magnosq; Principes in aliquem locum insignẽ solemniter ingredientes.

Caput VI.

1 *Processio ad Imperatorem recipiendum ordinanda.*
2 *Si adsit Legatus Crucis eius locus.*
3 *Imperator in ingressu Ecclesiæ quomodo recipiendus.*
4 *Ordo ad recipiendum Regem.*
5 *Ad Magnos Principes.*
6 *Ad Imperatricem, & Reginam.*

1 Imperatori ad aliquem locum insignem solemni equiratu accedenti Clerus Vrbis venit obuiam processionaliter, sicut dictum est de receptione Pręlati; ante portam Ciuitatis offertur ei Crux osculanda, quam ipse ex equo descendens supra tapetum ibidem stratum genuflexus veneratur, Clerus procedit processionaliter ante Imperatorẽ, Pręlatus loci Superior vltimus omnium in processione incedit Pluuiali indutus, quem Imperatoris armiger gladium deferens immediatè sequitur. Cærem. Rom. li. 1. sec. 13. c. 1. Sup. li. 1. sect. 10. c. 7. n. 10

2 Si in eo loco adesset Legatus, qui Imperatorem recipere deberet, & cum ipso equitare; tunc deferens Crucem Legati procederet à dexteris deferentis gladium Imperatoris; ipse verò Imperator sub Baldachino ducitur vsque ad Ecclesiam. Clerus in processione cantabit Antiphonam, *Ecce ego mitto Angelum meum*, cum Psalmis, & Hymnis, prout videbitur. Põt. Ro. p. 3. tit. ordi. ad recipien dũ processionaliter Imper. pag. 672.

3 Imperatore Ecclesiam ingrediente, Pręlatus loci superior, Pluuiali vt supra indutus ipsum & alios aspergit, deinde procedunt ad Altare, vbi Imperatore in Faldistorio sibi parato genuflexo Pręlatus in cornu Epistolæ Altaris stans dicit Versus, & Orationes, prout in Põtificali, deinde benedicit solemniter populo more solito, & hoc si nõ adsit Legatus; nã eo pręsente non Episcopus, sed Legatus debet benedicere. Data benedictione, Pręlatus depositis sacris vestibus associat Imperatorem vsque ad locum suæ habitationis.

4 Eodem modo recipitur Rex, mutatis tantùm Antiphona, Versibus, & Orationibus, quę dicuntur, prout in Pontificali. Põt. vbi sup. tit. ordo ad reci. Regẽ pag. 673.

5 Eodem pariter modo recipitur Primogenitus Regis, & Principes Magni, puta, si sint Electores Imperii, & similes, mutatis tantùm precibus, prout in Pontificali Romano habetur. Põt. vbi sup. pag. 675.

6 Eadem respectiuè obseruari debẽt in receptione Imperatricis, Reginę, vel Ibidem pag. 677.

Principissæ Magnæ potentiæ, Precibus tantùm, & Orationibus mutatis iuxta præscripta in ipso Pontificali Romano.

De Processionibus faciendis in festo S. Marci pro Litaniis Maioribus, & supplicationibus, quæ fiunt diebus Rogationum, & similibus. Cap. VII.

1 *Litaniarum maiorum antiquitas.*
2 *Observanda in ista processione.*
3 *Litaniæ quando, & quomodo cantandæ.*
4 *Ad Ecclesias cum divertitur quid agendum.*
5 *Litaniæ Rogationum quomodo celebrandæ.*
6 *Ad pluviam petendam.*
7 *Ad aeris serenitatem.*
8 *Tempore penuriæ.*
9 *Tempore mortalitatis.*
10 *Tempore belli.*
11 *Pro quacumque tribulatione.*

S. Greg. lib 2. Regist.

1 ANnua Litaniarum maiorum celebritas non quidem à S. Gregorio Papa, vt quidam arbitrantur, sed multo antea instituta, prout ex eiusdem Pontificis decreto colligitur, ad S. Petrum ab ipso primùm indicta creditur: vnde posteris ad hęc vsq; tempora ad S. Petrum illius diei statio perseuerat: dicuntur autem Litaniæ maiores ad differentiam aliarum; cum enim plures fieri soleant Litanię per annum pro consuetudine cuiusque Ecclesiæ, vt ab alijs has solemniores, & antiquiores distinguerent, maiores dicere consueuerũt; quæ, & ab vniuersali Ecclesia ex antiquissima consuetudine in die festo Sancti Marci hoc ordine celebrantur.

2 Ipso die S. Marci, etiamsi de Sancto non celebretur, hora congrua conuocatur Clerus in maiori Ecclesia, omnibusq; superpelliceis indutis, præcedente Cruce cũ candelabris, & cereis accensis, vltimus omniũ erit celebrans Pluuiali violaceo indutus, vel saltem Stolã violaceam supra superpelliceum habens; in maioribus tamen Ecclesijs non solùm ipse Pluuiali indui debet, verùm etiam ministri paramentis sui ordinis violacei coloris. Conuenientibus omnibus ante Presbyterium, per Cantores designatos inchoabitur Antiphona *Exurge Domine*, prout in Rituali Romano, quam canentiũ Chorus prosequitur, omnibus interim adstantibus detecto capite, post Antiphonam eodem ordine inchoabunt, Choro prosequente, Vers. *Deus auribus nostris*, &c. & Vers. *Gloria Patri*, rursumque repetent Antiphonam *Exurge Domine* &c. (Rit. Rõ. de proces.)

3 Completa Antiphona genuflectunt omnes & duo Cãtores designati inchoabunt Litanias, cæteris eadẽ voce respondentibus. Cum cantatum fuerit *Sancta Maria ora pro nobis*, surgunt omnes, & ordinatè procedentes, more consueto prosequuntur Litanias; & si longior sit processio, vel repetantur Litaniæ pluries vsque ad Preces, vel dicantur Psalmi ex Pœnitentialibus, vel Gradualibus; Hymni verò, & Cantica lætitiæ in huiusmodi processionibus luctuosis numquam dicuntur.

4 Si ad vnam, vel plures Ecclesias in via sit diuertendum, in ingressu Ecclesiæ intermittuntur Litaniæ, vel Psalmi, & Cantoribus inchoantibus cãtabitur Antiphona Sancti Patroni illius Ecclesię, postquam ijdem Cantores intonabunt Versum, & celebrãs paratus subdet Orationem congruam, non quidem eam, quę in die festo illius Sãcti dici solet, sed quę in Suffragijs, quę fiunt in Commemorationibus per annum: egredientes verò resumunt Litanias, vel Psalmos ab eo loco, quo eas intermiserunt, eodem ordine procedentes vsq; ad Ecclesiam designatam, vbi peruenientes dicunt Preces, quę habentur in Breuiario Romano in fine Litaniarum post septẽ Psalmos, & completis Precibus cantabitur Missa, Rogationum cum paramentis violaceis sine Commemoratione Sancti currentis. (Sup. li. 2. sec. 3. c. 1 nu. 8.)

5 Eo

5 Eodem modo celebrantur Litaniç Rogationum feria II. III. & IV. ante Ascensionem . .

6 Si processio, & Litaniç fuerint ad petendam pluuiam, eodem modo procedendum erit: in Litanijs tamen bis dicetur *Vt congruentem pluuiam fidelibus tuis concedere digneris, Te rogamus*, &c. Et in fine dicto *Pater noster*, dicitur Psalmus 146. *Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus*, quo finito dicuntur Preces. ℣ *Aperi Domine cœlum nubibus*, &c. prout in Rituali Romano.

Ritual. Ro. tit. de process.

7 Ad serenitatem verò postulandam, omnia fiunt eodem modo, & ordine, quo supra: in Litaniis verò bis additur ℣. *Vt fidelibus tuis aeris serenitatem concedere digneris, Te rogamus audi nos*: & in fine dicto *Pater noster*, dicitur Psalmus 66. *Deus misereatur nostri*, &c. cum Versibus, & Orationibus proprijs in Rituali Romano assignatis.

8 Si processio fiat tempore famis, addito in Litanijs Versu, *Vt fructus terræ dare, & conseruare digneris*, atq; iterum repetito; in fine dicto *Pater noster* additur Psalmus 22. *Dominus regit me*, cum Versibus, & Orationibus proprijs in Rituali assignatis; in reliquis omnia, vt supra seruantur. Missa *Salus populi*, in qua dicetur Oratio *Da nobis quæsumus Domine* fine *Gloria*, & *Credo*.

9 Tempore mortalitatis, & pestis in Litanijs bis additur *A peste, & fame, Libera nos Domine*, nec non ℣ *Vt à pestilentiæ flagello nos liberare digneris*; & in fine post *Pater noster* dicitur Psalmus 6. *Domine ne in furore tuo*, &c. cum Versibus, & Orationibus proprijs, reliquis more solito in processione obseruatis. Missa *Recordare*, &c. fine *Gloria*, & *Credo*.

10 Si processio fiat tempore belli, quod ab infidelibus imminet, dicetur in Litanijs Versus *Vt inimicos Sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, Te rogamus audi nos*, cui additur Versus *Vt Turcarum*, vel *Hæreticorum conatus reprimere, & ad nihilum redigere digneris, Te rogamus audi nos*. In fine Litaniarum dicetur Psalmus 78. *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam*, &c. cum Versibus, & Orationibus proprijs in Rituali assignatis. Missa *Reminiscere*, &c. fine *Gloria*, & *Credo*.

11 In processionibus, quę fiunt pro quacumque tribulatione, canitur Litaniæ, vt supra, in quarum fine dicetur Psalmus 19. *Exaudiat te Domine in die tribulationis*, &c. vel Psalmus 90. *Qui habitat in adiutorio Altissimi*, &c. cum Versibus, & Orationibus proprijs in Rituali contentis. Missa *Salus populi*, prout in Missali fine *Gloria*, & *Credo*.

De Processionibus in Vrbe faciendis, ac modo accedendi ad Ecclesias tempore Anni Sancti.
Cap. VIII.

1 *Ad Ecclesias quomodo accedendum.*
2 *Sodales quomodo procedere debeant.*
3 *Ecclesias visitantes quid agere debeant.*
4 *Scalam Sanctam quomodo ascendere debeant.*
5 *Ieiunia, & alia pœnitentia opera quomodo exercenda.*
6 *Quæ opera satisfactionis exerceri debeant.*

1 QVia in Anno Sancto Iubilei ex maiorū institutione in Romana Ecclesia celebranda, quamplura pietatis opera à fidelibus populis religiosè exercētur, nostri propositi institutum tenentes, omissis alijs suo loco tractandis, de ipsis processionibus modò agemus: cum inter cętera fideles vt Indulgentias consequantur, Ecclesias visitare, in ipsisque pias ad Deum preces fundere debeant, decet (si corporis valetudo permiserit) vt singuli pedestres, vel saltem in signū pietatis per aliquod viç spatium ipsas adeant; interim omni confabulatione remota, Psalmos Pœnitētiales, Litanias, piasque Preces recitabunt, vel Rosarium

B. Virginis, seu Coronam dicent, siue silentio aliquod Passionis Dominicæ mysterium meditantes deuotè procedent. Sodales, seu Confratres saccis induti post Crucem, seu suæ Sodalitatis vexillum bini incedentes, Litanias, pariter ac Psalmos, aliasque pias preces deuotè cantabunt. In huiusmodi processionibus satis commendatur eorum pietas, qui discalceati procedunt; flagellantium quoque se supplicationes maiorum exemplo in huiusmodi tempore quidquid obtrectet Hæretici, Catholica religio semper amplectitur; & vt monet Apostolus, qui manducat non manducantem non spernat; sic in Dei amore tepidi, parumque feruentes si imitari pigeat, saltem ne dament, neuè impediāt: est enim hic annus benignitatis Diuinę, quæ talibus promeretur operibus; qui eos sequuntur fideles, eadem clara voce cum ipsis cantantes, vel alia submissa voce recitantes, seu silentio meditantes deuotè incedant.

Gretser. de process.

3 In ingressu Ecclesiæ ante Portam Sanctam genuflexi vbi aliquantisper orauerint, Crucem in limine Ostij insculptam exosculentur; Psalmumque *Iubilate Deo omnis terra* recitantes per ipsam Portam lætantes deuotè ingrediantur, ac prius Sanctissimum Sacramentum venerantes, Sanctorum deinde Reliquias, quæ in Ecclesia custodiuntur, visitantes in suis Altaribus, Preces congruas ex tabella ibi affixa, vel alias deuotè recitabunt. Altaria designata visitantes quinquies per singula recitabunt Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, satisque laudabiliter addi poterit Oratio illius Sancti, cui Altare est dicatum, videlicet cuius imago in ipsius Icone conspicitur: Orantes iuxta mentem Romani Pontificis preces fundere debent. Maximè etiam cōgruit, si Orationibus, & alia pietatis opera coniungātur, pręcipuè eleemosynę, & ieiunia, quò faciliùs veniam, quam precantur, impetrare possint fideles.

4 Semel saltem ob memoriam Dominicę Passionis hoc tempore Scalam sanctam flexis genibus pijs orationibus, ac meditationibus Passionis Christi conscendere quisque debet; quin si pluries repetatur, multiplicabit Deus, & augebit gratię suæ dona; ascendentes verò, antequam superiori gradu genu figant, reuerenter, ac deuotè locum, vbi stetisse creduntur Dominici corporis pedes, osculando adorabunt.

5 Qui corpore valent, feria IV. VI. & Sabbato tribus videlicet hebdomadæ diebus, cum Iubilei indulgentias suscipiunt, laudabiliter ieiunabunt; vel saltem se ipsos mortificando in qualitate, & quantitate ciborum abstinentiæ virtutem exercebunt, & qui hoc non valent, peccata sua eleemosynis redimant.

6 Non solùm disciplinantium Sodalitates, hoc tempore remissionis, & Indulgentiæ, pœnitentiæ signa dabunt, verùm & singuli fideles iuxta proprium donum in cinere, & cilicio apprehendendo disciplinam, Pœnitentiam agere debent. Et quia nō omnia possumus omnes, robusti, ac validi corporalibus operibus; delicati, ac diuites eleemosynis, & orationibus, vt fiat æqualitas, vacare debent: Infirmi verò ac debiles interiori saltem pietatis affectu, æquo animo aduersam valetudinem, atque inopiam sustinentes satisfacient.

De Processione Confraternitatum ad Vrbem in Anno Sancto Iubilei. Cap. IX.

1 *Confraternitates in Ciuitatibus singulis tempore Iubilei erigendæ.*
2 *Liber Confratrum nomina continens.*
3 *Confraternitatis insignia & habitus.*
4 *Clericorum locus & habitus.*
5 *Statuta Confraternitatis Peregrinorū.*
6 *Ministrorum electio.*
7 *Obseruanda in Cathedrali ante discessum.*

8 *Ordo procedendi.*
9 *Ad hospitia quomodo se gerant.*
10 *Mane ante discessum quid agendum.*
11 *Exercitia spiritualia in itinere agenda.*
12 *Ad conspectum Vrbis peruenientes quid agendum.*
13 *Ad Ecclesias quomodo procedendum.*
14 *Ordo accedendi ad Domum Lauretanam.*
15 *In reditu obseruanda.*
16 *Congregatio quando dissoluenda.*

Archiep. Bonon. p. 4. tit. de Iubileo,& peregri. in Anno Sancto.

1 DEcet, vt Anno Iubilęi in singulis Ciuitatibus, iuxta regulas traditas à S.Carolo Card. Borromęo, & Gabriele Cardinale Paleotto Anno Iubilæi 1575. Romam peregrinaturis, Sodalium Confraternitates instituantur, in quibus singuli priusquam adscribatur ad Indulgentias consequendas sese disponant, & tanquam aduenæ, & peregrini futuram, ac permanentem quęrentes Ciuitatem, velut morti proximi terrena despiciẽtes, familiaribus, ac domesticis rebus benè dispositis, supernæ patriæ Ciuium societati coniungi studeant.

2 Confratrum nomina, qui sanctam peregrinationem suscipere intendunt, decet, vt in libro scribantur, qui ad perpetuam rei memoriam custodiatur, & vt omnia ordinatè fiant, distinguantur Peregrinorum ordines.

3 Vexillum ante vniuersam societatem præferendum Imaginem Sancti Patroni loci, vnde proceditur, depictam habeat: Confratrum vestes omnes eiusdem erunt coloris vsque ad genua productæ; paruula lacerna ex corio humeros tegãt, hastasque peregrinantium manibus gerant, nigro galero caput tegant omnes eodem modo induti, cauẽtes ne aliquod vanitatis signum admittant.

4 Post laicos sequentur Clerici, ac Sacerdotes, quos crux præibit: eorum habitus erit vestis breuior cum manicis pendentibus, qua Clerici in itinere vti debent sine vllo ornamento; poterunt & ipsi lacerna ex corio vti, hastasq; manibus gestare absque vllo ornamento.

5 Itinerantium præscribantur ordines, ac statuta ab omnibus seruanda; pro expensis in communi faciendis, quilibet suam ratam deponat: Omnes, ac singuli suo loco assignato procedant; in omnibus superiorum mandatis obediant; Vno tantum equo, ac famulo quisque vti poterit, suis tamen expensis, & si quis pluribus indigeat, à Superioribus Congregationis, qui habita ratione personæ, & casuum cuncta moderari poterunt, licentiam petat.

6 Statuatur in primis Gubernator, qui vniuersæ Congregationis curam gerat, adhibito, vbi opus fuerit, Consiliariorum eligendorum suffragio; deputentur insuper duo, quorum alter vt depositarius dati, & accepti rationem habeat, alter expensas faciendas curabit: Duo, pluresuè forarij deputentur, qui itineris, & hospitiorum loca disponant: Duo Sacristæ, qui Missarum celebrandarum, & Communionis Confratrum faciendæ, & cereorum, & eorum, quę ad diuinum cultum spectant, curam gerant: Duo, quibus Infirmorum, ac debilium curæ sit, vecturas, cum opus est, prouidentes, & si quis tam grauiter ægrotet, vt vlterius progredi non possit, vel in eodem loco, iuxta ipsius ægrotantis indigentiam curari faciant, vel prouideant, vt ad commodiorem locum deducatur; & vbi conualuerit, vel ad destinatum locum, vel ad patriam, vnde discesserat omni meliori modo reducatur. Pro huiusmodi verò euentibus, qui accidere possunt, à superioribus deputentur tot numero Officiales, quot res ipsa requirit.

7 Antequam ex Vrbe discedant, ad Ecclesiam omnibus conuenientibus, per Episcopum, vel loci superiorem celebretur Missæ Sacrificium in paramentis violaceis pro peregrinantibus, prout in Missali Romano, vel si fuerit dies festus, saltem in Missa currenti dicatur Oratio pro peregrinantibus, & omnes per manus sui

Rit. Ro. de benediction. Peregrinorum.

Pastoris

Pastoris sacro Christi corpore reficiantur. In fine Missæ cum precibus in Rituali Romano notatis ab eodem Superiore dicente *Pax, & benedictio*, prout in Rituali, benedicuntur, & asperguntur aqua benedicta, deinde cum cantu discedunt, quilibet suo ordine procedens, donec è Ciuitate per aliquod spatiū elongentur. In reliquo viæ spatio poterunt, in turmas, pluraque membra, prout Superioribus visum fuerit, diuidi; ita tamen vt semper principalibus locis approximantes simul vniantur ad processionem.

8 In egressu è Ciuitate, seu alio loco omnes ordinatè procedunt; in ipso autem itinere poterit diuidi societas in plura membra, prout videbitur, & cuilibet membro à Superiore, & Consiliarijs aliquis præficiatur. Vrbem ingressuri, aut locum præcipuum saltem quarta parte miliarij omnes suo ordine procedant; habitu Sodalitatis induti, ac processionaliter Diuinas canentes laudes, & Preces, & antequam ad hospitium se recipiant, in Cathedrali, siue principali Ecclesia, quam visitare debent, cantabunt aliquem Psalmum cum Antiphona Sancti illius loci, in cuius fine Sacerdos cantabit Orationem.

9 Ad hospitiū peruenientes silētium seruent, modestiam, & Christianā disciplinam præferentes. Vnà omnes ante cœnam Litanias dicent, & ad mensam accedentibus fiat benedictio à Sacerdote; item post mensam gratiarum actio.

10 Mane omnes Missæ interfint, Sacerdotes, quoad fieri potest, celebrēt, vel saltem sacram Communionem sumant, laici quoque ipsam frequentent, & post Missam itinerarium omnino dicatur, & eodem ordine, quo supra, omnes vnà processionaliter cantantes discedant.

11 In toto itinere semper deuotè se gerant, Orationes ac Preces recitantes, vel aliquod meditantes: Idcirco religiosi viri per turmas à Superioribus diuisi pias vitæ, ac Passionis Christi meditationes opportunis tēporibus proponant; quandoque ex Sanctorum vitis aliquod exemplum; non nunquam etiam aliquod dubium ex sacra Scriptura proponentes.

12 Ad Sanctam Vrbem peruenīetes, vbi eminus eam conspexerint, omnes simul genuflexi orantes adorabunt, terramq; sanctam osculantes, Sanctis Apostolis Petro, & Paulo sese cōmendabunt; dicentes Antiphonam *Petrus Apostolus, & Paulus Doctor gentium ipsi nos docuerunt legem tuam Domine*; itē ℣. *Constitues eos Principes*, &c. & Orationem *Deus cuius dextera*, &c. quā dicet Sacerdos; Vrbem processionaliter ingredientes cum cantu Litaniarum, & Psalmorum habitu præscripto induti primùm ad Sanctum Petrum accedunt, vbi cum aliquantisper orauerint, ad hospitium se recipient, & si quis ad domum alicuius amici diuertere voluerit, à Superioribus licentiam petat, à quibus concedatur, dūmodo in omnibus publicis actionibus cum alijs in habitu præscripto conueniat.

13 Quam primùm in Vrbe confiteantur, & statuta die omnes simul in Ecclesia hospitio proximiori sacram Communionem sumant; deinde ad Ecclesias visitandas omnes processionaliter Preces, ac Diuinas Laudes in habitu, & ordine, vt supra, incedant; pariter ad benedictionem Summi Pontificis, vnà omnes eodem ordine procedentes, deuotè & humiliter loco designato genuflectant. Sup. c. 8.

14 Accepto Iubileo omnes eodem ordine processionaliter procedendo recedent, & si ad Domum Lauretanam etiam peregrinari placuerit, eadem respectiuè obseruabunt; eminus sacram ædē conspicientes genuflexi omnes Virginem salutabunt, terramq; osculabuntur, dicentes Antiphonam *Alma Redemptoris*, &c. cum Verf. *Angelus Domini*, & Orationem *Gratiam tuam quæsumus Domine*, quam dicet Sacerdos. Ad ipsam Domum, cum peruenerint, decet,

vt omnes pariter sacram communionem sumant, & ordine, quo supra recedant: Idem respectiuè obseruandum in visitatione aliorum locorum, vel corporum Sanctorum.

15 In ipso reditu peruenientes ad patriam rectã ad Cathedralem, seu principalem Ecclesiam se conferant, vbi de incolumi reditu, Indulgentijs, alijsque acceptis beneficiis Deo gratias agentes, cantabunt Hymnum *Te Deum laudamus* cum Precibus, & Orationibus, quæ habentur in Rituali Romano, cum agitur de processionibus habendis pro gratiarum actione.

Rit. Ro. tit. de process.

16 Completo itinere, Congregatio dissoluitur, eius tamen Ministri rationem reddant de acceptis, & expensis, & omnibus in libro adnotatis, etiam ordine itineris, & quæ notatu digna in ipso acciderint, decet, vt ad futuram rei memoriam liber, in quo omnium nomina inscripta erunt, cum actis, & itinerario in Archiuio Curiæ Episcopalis asseruetur.

Ordo seruandus in processionibus, quę fiunt tempore Iubilei per Orbem omnibus Ecclesijs à Romano Pontifice indicti.
Cap X.

1 *Iubileum quando, & qua de causa indicitur.*
2 *Iubileum quomodo publicandum.*
3 *Liber Litaniarum, & Precum.*
4 *Dies processionis & ordo.*
5 *Ecclesiasticorum, & Laicorum habitus.*
6 *Cantanda in processione.*
7 *Communio generalis in Dominica facienda.*
8 *Obseruãda in alijs sequentibus diebus, durante adhuc Iubileo.*
9 *A confessarijs obseruanda.*

1 NOn solùm in ipso anni Sancti Iubileo, quod statis temporibus Romæ celebratur; & quandoque elapso anno Apstolica benignitate etiam aliis locis conceditur; verùm etiam in principio sui Pontificatus, nec nõ alijs temporibus ingruentibus Ecclesiæ necessitatibus, consueuerunt Romani Pontifices ad diuinam opem implorandam vniuersale Iubileum indicere: Idcirco quomodo in huiusmodi occasionibus procedendum sit: hoc loco agere debemus.

2 Cum primùm igitur literarum Apostolicarum, quibus Iubileum indicitur, notitia quoquomodo habebitur, debent Episcopi locorum superiores ipsarum literarum transumpta latino pariter, ac vulgari idiomate, vt imprimantur ordinate cum assignatione Ecclesiarum, quæ visitari debent tam in Ciuitate, quam in aliis locis suæ Diœcesis, paternæ omnes monendo, vt iuxta Pontificis mentem sese disponant. Die Dominico præcedente hebdomadam, in qua celebrari debet, per Concionatores in pręcipuis Ecclesiis, maximè in Cathedrali, & per Parochos in suis Parochiis, nec non per Archipresbyteros Rurales in aliis locis nõ solùm Iubileum publicetur; verùm etiam explicetur, doceanturque fideles, qua pietate, animiq; dispositione talem, ac tantam gratiam consequi feliciter possint.

3 Libellus Litaniarum cum precibus opportuni, prout rei, ac temporis ratio postulauerit, imprimatur, iuxta formam in Vrbe traditam.

4 Processiones celebrentur feria IV. VI. & Sabbato eodem ordine, quo supra dictum est de Litaniis maioribus, in paramentis violaceis. Ad ipsas inuitentur opportunè omnes Confraternitates, Religiosorum Ordines, & vniuersus Clerus sæcularis, nec non Magistratus, ac viri Nobiles, vniuersusque populus, ordine supra præscripto. Sup. num.

5 Epi-

5 Episcopus, ac pariter Prælati omnes in huiusmodi processionibus, & diebus, quibus ieiunatur, vti debent vestibus luctuosis; sæculares quoque laici, præcipuè Nobiles hortari debent, vt omni pompa se posita, modestè, humilique habitu, ieiunijs, & orationibus vacantes, diuinam gratiam consequi mereantur. Episcopus procedit Cappa indutus post celebrantem paratum, reliqui Prælati Rochetto, & Mantelletto induti post Episcopum procedent, sequuntur deinde Magistratus, Togati, atque viri Nobiles mixtim.

6 In principio processionis cantabitur Antiphona *Exaudi Domine*, &c. prout in Litanijs maioribus, deinde dicentur Litaniæ; proceditur autem ab Ecclesia maiori ad Ecclesias designatas, quæ decenter ornari debent, atq; etiam, si videbitur, poterit in eis exponi Sanctissimum Sacramentum, vt fit in celebratione Orationis quadraginta horarum: Ad ipsas autem diuertentes recitabunt preces vt supra. Sup. c. 1. num. 18.

7 Die Dominico completis iam in præcedenti hebdomada supplicationibus, atq; ieiunijs, erit generalis Communio pro Indulgentijs consequendis; vnde & Ecclesiæ ornatus erit solemnis, & Ecclesiastici luctuosis depositis vestibus induent vestimenta lætitiæ, solemnitatibus iuxta cuiuslibet gradum congruentia.

8 Et si Iubileum Apostolica auctoritate per plures hebdomadas prorogetur; in prima tantùm hebdomada fiunt processiones, & in illa solùm Ecclesiastici vtentur habitu luctuoso: Ecclesiæ tamen ad Indulgentias deputatæ durante Iubilei tempore semper erunt decenter ornatæ, cum cereis accensis, earumque fores omnibus semper patebunt.

9 Confessarij quoque in suis sedibus ad cōfessiones excipiendas sint semper parati, sicut & in prima hebdomada, admonentes fideles de iis omnibus, quæ peragi debent, vt Indulgentias consequantur; ab ipsorum siquidem fideli administratione, quibus aperiendi, atque claudendi tunc maximè potestas amplissima traditur, vniuersa populi salus pendet.

SECTIO VNDECIMA.

De benedictionibus Sacerdotalibus.

De ordinariis benedictionibus, quæ fiunt à Sacerdote. Cap. I.

1 *Benedictionis nomen quid significet.*
2 *Benedictionum distinctio.*
3 *Solemnes benedictiones quænam sint.*
4 *Obseruanda in omni benedictione.*
5 *Ordo benedicendi aquam die Dominico.*

1 Benedictionis nomine, quod multipliciter in Scripturis sacris accipitur, hoc loco illam precationem intelligimus, qua Ecclesiastico more rebus ipsis, super quas ab Ecclesiæ ministris ritè effunditur, specialis sanctitas, atque religio impertitur; vt propterea deinceps tali benedictione sanctificatæ res in profanos vsus conuerti non possint.

2 Benedictionum namq; vt ex distinctione more suo loquitur Caiet. duplex est genus; aliæ enim dicuntur constitutiuæ, aliæ inuocatiuæ; constitutiuas dicit illas, per quas personæ, vel res dum benedicuntur, diuino cultui mancipantur; Inuocatiuas verò dicit illas, per quas personis, vel rebus diuinum auxilium imploratur, cuiusmodi sunt illæ, quibus Sacerdotes benedicunt populū, sponsos, milites, domum, agros, ac similia Benedictiones itaq; siue cōstitutiuæ, siue inuocatiuæ, de quibus hoc loco agere intendimus, aliæ sunt ordinariæ, atque priuatæ, aliæ solemnes; & rursum aliæ Sacerdotales, quæ à Sacerdotibus fiunt; aliæ Pontificales, quæ ad Episcopum spectant. Sacerdos igitur, cuius muneris Caiet. 2. 2. q. 88. art. 11.

D. Tho. ad Rom. 12. lec. 3. est, vt docet D. Thomas precibus, ac cæremonijs loco, ac tempori congruentibus res benedicere, certis Orationibus ab Ecclesia institutis rebus ipsis supernaturalem virtutem precatur, quam Deus ipse per benedictionem confert, non quidem infallibiliter, prout in Sacramentis, in quibus expressum Dei pactum habemus; sed sua benignitate, & Ecclesię potestate desuper ipsis singularem infundit virtutem perpetuo, dum durant, inhęrentem: ita vt tali benedictione alia ad Dei cultum sint apta, alia ad supernaturales effectus producendos suo vsu, tunc maximè cum quis pia intentione, ac constanti fide ipsis vtitur, sint eleuata.

3 Benedictiones solemnes, atque extraordinariæ sunt Candelarum, Cinerum, atque Palmarum, & similes, quæ suis locis explicandę remittuntur; priuatæ, seu ordinariæ hoc loco præscribi debent.

4 Sacerdos in omni benedictione salrem superpelliceo mundo, & Stola erit indutus; Episcopus verò Stolã super Rochettum habebit: Minister Sacerdoti in seruiẽs accedat & ipse superpelliceo nõ do indutus, vasculũ aquę benedictę cum suo aspersorio deferens, ac librum Rituale, seu Missale: Episcopo plures Capellani superpelliceo induti inseruiunt, librũque Pontificalẽ ministrant, Semper vel apud Altare, vel in Sacristia, siue Oratorio, in quo sit Crux cum cereis accẽsis, benedictiones fieri debent: res verò benedicendę, maximè si fuerint esculentæ, non quidem super Altare, sed super mẽsam reponantur. Sacerdos stans detecto capite, iunctisque manibus benedictionis verba ex libro legit. Ante quamlibet benedictionem semper præmitti debet Versus *Adiutorium nostrum*, &c. quem cum profert, signat se signo Crucis deinde subdit Vers. *Dominus vobiscum*, tum dicit Orationem, vel Orationes assignatas non memoriter, sed ex libro clata, ac distinctè illas legendo. Ad verba benedictionis dextera extensa format signum Crucis super rem benedicendam, nihil enim in ipsis, vt notat D. Augustinus, sine signo Crucis ritè perficitur. Denique aspersione aquę benedictę quęlibet sanctificantur, atque benedicuntur; quando verò benedicitur Crux, facta benedictione, Sacerdos genuflexus ipsam adorat, & osculatur, idem pariter faciunt circumstantes.

Rit. Ro. tit. de bened. rub. de bene. reg. gener.

D. Aug epi. 118 ser. 181 & tract. 18 in Ioan.

5 Singulis diebus Dominicis, & quãdocumque opus fuerit, præparatis per Ministrum in suis vasis sale, & aqua munda in Ecclesia, vel in Sacristia, accẽsis ante Crucem cereis, Sacerdos superpelliceo, ac Stola violacea indutus, accedente ministro pariter superpelliceo induto, qui librum ante Sacerdotem apertum sustinebit, dicet primò Versum *Adiutorium*, &c. quo dicto exorcizat, prout in Missali, salem, ac deinde aquam; lectis exorcismis immittit salem in aquã ad modum Crucis dicens semel *Commixtio salis, & aqua*, &c. quo peracto dicens prius Vers. *Dominus vobiscum* subdit Orationem *Deus inuictę virtutis auctor*, &c. qua completa aspergit se, & ministrũ; deinde fit solemnis aspersio, modo præscripto.

Ri. par. Miss. in fin. Rit. Ro. titul de bened.

Sup. li. 2. lec. 2. c. 1.

De benedictione locorum.
Cap. II.

1 *Ordo procedendi in benedictione domus.*
2 *Benedictio facienda in Sabbato sancto.*
3 *Benedictio frugum.*
4 *Ordo benedicendi alia loca.*
5 *Obseruanda in alijs similibus benedictionibus.*

1 AD domum benedicendam accedens Sacerdos superpelliceo, & Stola alba indutus, cum ministro pariter superpelliceo induto, & vas aquę benedictę cum aspersorio deferente, primum domum ingrediens dicet *Pax huic domui*, Resp. *Et omnibus habitantibus*

Rit. Rõ. titul. de bened.

in ea,

in ea, deinde circuit domum, singula loca aspergendo recitans primò Antiphonam *Asperges me Domine*, &c. deinde alternatim cum Ministro Psalmum *Miserere mei Deus*, & si opus fuerit recitabit deinceps Psalmum *Qui habitat in adiutorio altissimi*, vel alios, prout videbitur, & in fine repetita Antiphona, dicet Versus cum Oratione *Exaudi nos Domine Sancte Pater*, &c. poterit etiam, si videbitur, in eodem loco recitari Euangelium Zachæi, quod habetur in Missali in Dedicatione Ecclesiæ, vel Euangelium *Intrauit Iesus*, quod legitur in festo Assumptionis B. Virginis, vel Euangelium Centurionis, quod habetur feria IV. Cinerum, vel etiam Euangelium Sancti Ioannis *In principio*, &c. arbitrio Sacerdotis, seruata forma tradita in Rituali Romano, vbi agitur de visitatione Infirmorum.

Rit. Ro. tit. de visit. & cura infir.

2 In Sabbato sancto benedicuntur cubicula, & singula loca cuiuslibet domus: Sacerdos igitur indutus superpelliceo, & Stola alba duobus Acolythis pariter superpelliceo indutis altero cum vase aquæ benedictæ, & aspersorio, altero verò cum libro ministrantibus ingrediens domum in porticu dicit *Pax huic domui*, ibidemque manens dicit Versum *Adiutorium*, &c. *Dominus vobiscum*, & Orationem *Benedic Domine* &c. prout in Missali in benedictione loci; deinde accepto ab Acolytho aspersorio cum osculis aspergit se, & Acolythos dicens Antiphonam *Vidi aquam*, incipit Psalmum *Miserere mei Deus*, quem recitabit alternatim cum Acolythis, qui ipsum præcedentes per totam domum circumcirca incedunt; ipse verò Sacerdos aperto capite aspergit singula loca ter, in medio, à dextris, & à sinistris loci, & si quis locus fuerit clausus, aspergit pariter ter ipsum ostium. Et si domus plura habeat membra principalia, in singulis aliquantulũ subsistens, aperto capite dicet Versus *Ostende nobis Domine*; &c. *Domine exaudi*, *Dominus vobiscum*, & Orationem *Exaudi*, &c. si opus fuerit, Psalmus *Miserere* repeti pluries poterit, vel etiam dicentur alij congrui, videlicet *Qui habitat*, vel *Ecce nunc benedicite*, &c. prout videbitur. Completa aspersione totius domus Acolytho sustinente librum dicet Versus, vt supra, cum Oratione *Exaudi nos Domine*, &c.

3 Simili modo benedicuntur fruges addita propria Oratione, quæ in Rituali habetur. Rit. Ro.

4 Pari modo benedicitur thalamus, Nauis, & quælibet alia loca, videlicet iisdem circumstantiis seruatis, quoad habitum Sacerdotis, & Ministrorum: alio tamen modo proceditur, nam primum omnium dicitur Vers. *Adiutorium* cum aliis Versibus videlicet *Domine exaudi*, &c. ac deinde dicuntur Orationes propriæ in Rituali cuilibet benedictioni assignatę, quibus dictis res benedicta aspergitur ter, in medio videlicet à dextris, & à sinistris.

5 Eadem respectiuè obseruari poterunt in benedictionibus esculentorum in Paschate, & aliis temporibus, nec non in similibus benedictionibus, quæ habentur in Rituali Romano, titulo de benedictionibus, & specialiter in Rubricis de benedictione sacratum vestium, mapparum, corporalium, ac etiam vasculi Sãctissimi Sacramenti, quæ vltimæ benedictiones, sicut & sacratum vestium regulariter spectant ad Pontificem; fieri etiam possunt à Superioribus locorum, & aliis priuilegiatis talem facultatem habentibus. Rit. Ro. & Pont. part. 2. de bene. Sacerd. indum.

De benedictione Peregrinorum. Cap. III.

1 *Peregrinaturi quomodo se disponere debeant.*
2 *Missa pro Peregrinis celebranda.*
3 *Habitus Sacerdotis benedicentis Peregrinos.*
4 *Benedictio dãda Peregrinis, & quomodo.*

5 *Ordo recipiendi Peregrinos redeuntes.*

Rit. Rom. de bened rub. de bene. Peregr.

1 EX antiquissima Ecclesiæ institutione fideles ad loca sancta peregrinantes interius, exteriusque religiosè se disponere debent; acceptis in primis à suo Episcopo, seu loci Ordinario literis commendatitijs, rebusq; suis bene dispositis, peracta peccatorum suorũ confessione, ipso die, quo discessum parant in habitu sancto sumentes vasa trãsmigrationis, instrumenta videlicet peregrinorum; hastam, pileum, lacernam ex corio, & vestem vsque ad genua productam, & si plures sint adid congregati, vexillum præferant cum Imagine Sancti Patroni in ipso depicta.

2 Ad Ecclesiam tali habitu accedentes interius, exteriusq; bene dispositi assistant sacrificio Missæ, quod à proprio Sacerdote celebrari decet pro Peregrinantibus in paramentis violaceis, seu etiam de die in paramentis congruis pro dierum, & officiorum qualitate, in quo saltem post Orationem diei dicatur Oratio pro Peregrinantibus, & in fine singuli de manu proprij Sacerdotis reficiantur Sacramento Corporis Christi, taliq; muniti sacro viatico prospere suum aggrediantur iter. Completa Missa omnes genuflexi benedictionem sui Superioris expectent.

3 Sacerdos igitur Peregrinos benedicturus Sacerdotalibus vestibus adhuc indutus, si post Missæ celebrationem hoc fiet, vel si extra Missam superpelliceo, & Stola violacea dicet super ipsos *In viam pacis*, &c. cum reliquis, quæ habentur in Rituali, quæ preces, si vnus fuerit Peregrinus dicuntur in numero singulari, si verò plures in plurali, & si ipsemet Sacerdos fuerit peregrinationis comes dicat in numero plurali primæ personæ.

4 In fine dicens *Pax, & benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti descendat super vos, & maneat semper. Amen*, Signum Crucis dextera extensa super ipsos efformabit, deinde eos asperget aqua benedicta.

5 In reditu eodem modo in Ecclesiam conuenientibus omnibus Peregrinis genuflexis, Sacerdos indutus, vt supra, superpelliceo, & Stola violacea dicet super eos ℣. *Adiutorium*, & Antiphonam *Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum*, deinde Psalmum *Beati omnes, qui timent Dominum*, in cuius fine repetitur Antiphona, & dicuntur Preces, quæ habentur in Rituali, quibus recitatis Sacerdos prius ipsos aspergit, deinde benedicit dicens vt supra *Pax, & benedictio Dei omnipotentis, &c.* Ritual. Rom.

De benedictione nouæ Crucis, vel Imaginis Sanctorum.
Cap. IV.

1 *Crucis benedictio singularis.*
2 *Crux benedicta adoratur.*
3 *Sanctorum Imaginum benedictio.*
4 *Benedictio Imaginis B. Virginis.*

1 IN benedictione nouæ Crucis, vel Imaginis Sanctorum Sacerdos eodem habitu cum suis ministris obseruatis circumstantijs loci, luminum, & alijs, vt supra, dicet Orationes in Rituali assignatas, & cum peruenerit ad verba Vers. *Sanctificetur hoc signum*, &c. asperget ipsam Crucem aqua benedicta; subdens verò *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, ter dextera efformat signum Crucis super ipsam. Rit. Rom. de bened. Pôt. Rom. p. 2. rub. de bene. nouæ Crucis.

2 Copleta benedictione genuflexus orans adorat, & osculatur ipsam Crucẽ, idem fit à circumstantibus.

3 Sanctorum Imagines benedicuntur eodem modo, quo dictum est de Crucis benedictione, cum expressa nominatione cuiuslibet Sancti, cuius est Imago, explicando, si sit Apostolus, Martyr, Confessor, Pôtifex, seu Virgo, prout in Rituali, & in fine Imago aspergitur aqua benedicta, reuerenterque colitur,

diuerso tamen modo; nam Christi Domini nostri, sanctæque Crucis Imago profundè adoratur adoratione Latriæ; Beatæ semper Virginis Imago singulariter inter cæteros Sanctos adoratione singularis excellentiæ colitur, quæ dicitur Hyperduliæ; aliorum verò Sanctorum Imagines Duliæ adoratione venerantur. Vnde Imagines à Sacerdote more Ecclesiastico benedictæ, à fidelibus reuerenter coli debent, & quia Sacerdotali benedictione præter sanctitatem, quam ex suo prototypo, quem repræsentant, habent, singularis eis impertitur sanctitas; ac propterea, antequam exponantur, decet, vt à Sacerdote modo præscripto benedicantur.

4 Beatæ Virginis Imago benedicitur eodem modo, quo aliæ sanctæ Imagines, addita insuper speciali benedictione ex Pontificali Romano infra explicandà.

Inf. sect. 12. ca. 3. num. 7.

De benedictione primi lapidis facienda à Sacerdote ab Episcopo delegato.

Cap. V.

1 *Crux apponenda in loco vbi erit Altare.*
2 *Indumenta Sacerdotalia pro lapidis benedictione.*
3 *Benedictio primarij lapidis.*
4 *Lapis imponendus, & fundamenta aspergenda.*

Rit. Ro. tit. de bened. rub. propria.

1 Sacerdos potest licentia accepta ab Episcopo, pridie quàm primarium lapidem benedicat, ligneam Crucem in loco, vbi debet esse Altare, figati ipseque vel alius Sacerdos præparet etiam lapidem quadratum, & angularem, qui in fundamento locari debeat.

2 In die, quo lapis est benedicendus, paretur loco congruo mensa cum sacerdotalibus indumentis albi coloris, videlicet Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluuiali, quibus indutus adstantibus Sacerdotibus, & Clericis superpelliceo indutis, benedicit aquā more solito, prout in diebus Dominicis, nisi prius illam habeat in promptu iam benedictam, & inchoata Antiphona *Signum salutis*, &c. cum Psalmo *Quam dilecta*, &c. quæ cantantur à Choro, aspergit locū, vbi Crux posita est, cum aqua benedicta, & finito Psalmo versus locum per eum aspersum dicit Orationem *Domine Deus*, &c. prout in Rituali.

3 Postea stans benedicit primum lapidem dicens Versum, & Orationem ibidem adnotatam, postquam aspergit lapidem aqua benedicta, & accepto cultro, per singulas partes sculpit in eo signum Crucis, dicens, *In nomine Patris*, &c. subdens Orationem *Benedic Domine*, &c. deinde genuflexus dicit Litanias.

4 Dictis Litanijs, Sacerdos inchoat Clericis prosequentibus Antiphonam *Mane surgens*, &c. cum Psalmo *Nisi Dominus*, &c. quo dicto tangit, & ponit primum lapidem in fundamento dicens *In fide Iesu Christi*, &c. prout in Rituali, & interim Cementarius locat ipsum lapidem cum cemēto, postea Sacerdos spargit aquam super lapidē dicens Antiphonam *Asperges* cum Psalmo *Miserere*, &c. quo dicto spargit aquam super omnia fundamenta, si sint aperta, si verò non, circuit aspergendo fundamenta dicens Antiphonam *O quam metuendus*, &c. cū Psalmo *Fundamenta*, &c. quibus completis stans dicit Orationes in Rituali assignatas, ac demum deponit sacras vestes.

De benedictione nouæ Ecclesiæ, vel Oratorij facienda à Sacerdote ab Episcopo delegato.

Cap VI.

1 *Ordo procedendi ante ostium loci, qui benedici debet.*
2 *Ordo ingrediendi Ecclesiam.*
3 *Altaria paranda.*
4 *In benedictione Oratorij priuati quomodo procedendum.*
5 *Ordo reconciliandi Ecclesiam, vel Oratorium.*

Noua

Rit. Ro. tit. de bened. rub. propr.

1 Noua Ecclesia, siue publicũ Oratorium, antequam in eo sanctissimum Missæ Sacrificium celebretur, debet à Sacerdote de Episcopi licentia, iuxta Ritualis Romani formam, benedici. Antequam autem benedicatur, sit locus vacuus, & nudus, ac pariter Altaria nuda, excludaturq; populus, donec compleatur benedictio, prouideaturque, vt Ecclesia possit liberè circumiri tàm exterius, quàm interius, si fieri potest, pareturque vasculum cum aqua benedicta, & aspergillum de herba hyssopo factum, & mane hora congrua in aliquem locum viciniorem conueniat Clerus, omnes superpelliceis induti; Subdiaconus deferẽs Crucem Tunicella alba indutus, vel Acolythus cum cotta, medius inter ceroferarios cum cereis accensis, vltimus omniũ Sacerdos medius inter Ministros Stola, ac Pluuiali albo super Albam indutus, procedant ordine ad Ecclesiam nouam, siue Oratorium, ibiq; ante ianuam principalem sistant; ipse verò Sacerdos stans facie conuersa ad ianuam, Ministris tenẽtibus hinc inde librum Rituale dicit absolutè Orationem *Actiones nostras*, &c. deinde inchoat Antiphonam *Asperges me*, &c. cum Versu *Gloria Patri*, &c. in fine; interimque accepto aspergillo ex herba hyssopo ad eius dexteram se conuertens processionaliter cum Clero procedit circumdans exterius Ecclesiam Diacono à dextris, & Subdiacono à sinistris fimbrias Pluuialis eleuantibus, Acolytho verò tenente vasculũ aquę benedictę, aspergit parietes in superiori parte, & in fundamentis cum aqua benedicta dicens *Asperges me*, &c. & reuersis ad locum, vnde processio initium habuit, repetitaque Antiphona à Clero, Sacerdos stans, vt prius, versus Ecclesiam dicit *Oremus*, & Ministri *Flectamus genua*, & *Leuate*, ipse verò subdit Orationem *Domine Deus*, prout in Rituali.

Rit. Rõ. titul. Rit. benedi-cẽd. Ec-cles. vel Orato.

2 Ecclesiam intrantes ad Altare maius procedunt Litanias decantãres, quas decet cãtari Choro respondente, dictoq; Vers. *Vt omnibus fidelibus Defunctis*, &c. Sacerdos surgens dicit, *Vt hanc Ecclesiam, & Altare*, &c. dicens *Benedicere* manu dextera benedicit Ecclesiam, & Altare, deinde genuflexus, vt prius, prosequitur Litanias Cantoribus dicentibus, *Vt nos exaudire digneris*, dictoque vltimo *Kyrie eleyson*, Sacerdos surgens dicit *Oremus*, & Ministri *Flectamus genua*, & *Leuate*, ipse verò Orationem *Præueniat*, &c. postquã distans ab Altari congruenti spatio genuflexus, & se signans dicit, *Deus in adiutorium meum intende*, & statim surgit, Choro respondente *Domine ad adiuuandum me festina*, postea stans dicit *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, & Chorus respondet *Sicut erat*, &c. deinde Sacerdos subdit *Oremus*, Ministri verò *Flectamus genua*, & *Leuate*, & ipse dicit Orationem *Omnipotens*, qua dicta inchoat Antiphonam *Benedic Domine*, quæ cantabitur à Choro cum Psalmis *Ad Dominum cum tribularer*, *Leuaui oculos meos*, & *Lætatus sum*, & in fine repetitur Antiphona; interim Sacerdote aspergente parietes in parte superiori, & inferiori inchoando aspersionem à parte Euangelij dicet *Asperges*, &c. postea reuersus ad Altare dicto *Oremus*, & à Ministris *Flectamus genua*, & *Leuate*, dicit Orationem *Deus qui loca*, &c.

3 A Clericis parantur Altaria paramentis coloris tempori, & officio congruentis, populusque ingreditur Ecclesiam; ipse verò Sacerdos acceptis paramentis congruis dicit Missam currentem: Ecclesia autem hoc modo a simplici Sacerdote benedicta debet omninò opportuno tempore postea ab Episcopo consecrari.

4 In benedictione priuati Oratorij dicũtur omni meliori modo eędem Orationes, & Preces; tamen Sacerdos superpelliceo, ac Stola alba indutus omnia priuatè pręstabit, assistentibus duobus, vel saltem vno Ministro cum vase aquæ benedictę, & aspersorio, atque libro Rituali.

5 Et quia in Ecclesia, si fuerit pollu ta, amplius celebrare non licet, donec reconcilietur iuxta sacros Canones, vt fusius Ioan. à Turrecrem. & Sylu. & alij omnes docent; idcircò si fuerit Ecclesia reconciliãda, seu etiam Oratorium, eadem respectiuè obseruentur, quę de benedictione sunt dicta, aliquibus tantùm mutatis, prout in Rituali.

Ioan. à Turrecr. Sylu. ru consf. 2. num 8.

De benedictione noui Cœmeterij facienda à Sacerdote ab Episcopo delegato.
Cap. VII.

1 *Præparanda pro benedictione noui cœmeterij.*
2 *Paramenta Sacerdotis pro benedictione cœmeterij.*
3 *Candela accendenda super paxillum.*
4 *Litaniæ dicen la ante Crucem.*
5 *Ordo reconciliandi cœmeterium.*

1 PRidie quàm fiat benedictio, disponantur omnia in cœmeterio be nedicendo, in cuius medio figatur lignea Crux ad staturam hominis, in cuius summitate, atque etiam in extremis brachiis accommodentur cuspides ferrei, vt in eis candelæ affigi possint; & ante ipsam pa riter paxillus ligneus tridens altitudinis vnius cubiti, in cuius summitate sint tres cuspides, in quibus possint commodè af figi tres candelæ; in terra verò sternatur tapetum ante Crucem, vbi Sacerdos, ac ministri debent genuflectere.

Rit. Ro tit. de bened. ub. de bene. noui cæmeterij.

2 Mane hora congrua omnibus in Sacristiã conuenientibus superpelliceis indutis, Sacerdos ab Episcopo delegatus accipit paramenta sui ordinis, videlicet Amictum, Albam, Cingulum, Stolam, & Pluuiale albi coloris, post quem sequuntur duo Acolythi cum thuribulo, & vasculo aquę benedictæ cum aspergillo.

3 Accenduntur deinde tres candelæ super ligneum paxillum, omnibusque Clericis ordine procedẽtibus ad cœmeterium, post omnes sequitur Sacerdos, qui perueniens ante Crucem, detecto capite facit profundam inclinationem, & immediatè dicit Orationem *Omnipotens Deus*, &c. prout in Rituali.

4 Omnibus genuflexis ante Crucem dicuntur à Cantoribus Litanię, cęteris respondentibus, & cum dictum fuerit *Vt omnibus fidelibus Defunctis*, &c. Sacerdos surgit, & clara voce producens manu signum Crucis dicit *Vt hoc cœmeterium purgare, & benedicere digneris*, &c. deinde vt prius genuflectẽs Litaniæ perficiuntur, quibus finitis surgunt omnes, & Sacerdos Crucem aspergit aqua benedicta dicens *Asperges me*, &c. cum Psalmo *Miserere mei*, qui dicitur totus ab adstantibus cum *Gloria Patri*, &c. & interim Sacerdos circuit, & perambulat totum cœmeterium, incipiens ab eius dextera aspergendo vbiq; aqua benedicta, & reuersus ante Crucem, ad ipsam respiciens dicit Orationem *Deus qui es*, &c. prout in Rituali; qua completa figit in summitate Crucis vnã ex tribus candelis ardentibus, & alias duas similiter accensas in duobus brachijs eiusdem Crucis, deinde ministrato incenso aspergit, ac thurificat Crucem, quibus peractis cum ministris redit in Sacristiam, ordine, quo venerãt, ibique paramenta deponit.

5 Pro reconciliando verò cœmeterio procedit Sacerdos ab Episcopo habẽs facultatem cum Clericis paratus, vt supra, paramentis albis, accedensq; ad cœmeterium immediatè dicit Litanias, vt supra, quibus completis omnes surgunt; ipse verò accepto aspergillo inchoat Antiphonam *Asperges*, quam Chorus prosequitur dicendo Psalmum *Miserere mei*, &c. & interim circuit cœmeterium, incipiens ab eius dextera aspergendo vbique, pręsertim vbi violatio commissa est, deinde redit ad locum, vbi Litanię dictę fuerunt, ibiq; dicit *Oremus*, & ministri *Flectamus genua*, & *Leuate*, ipse verò dicit Orationẽ *Domine*, &c. prout in Rituali, ac tandem reuertuntur ad Sacristiam ordine, quo venerant.

Rit. Rõ.

De

SECTIO DVODECIMA.

De benedictionibus, & Consecrationibus Pontificalibus.

Ritus obseruandi in benedictionibus priuatis ab Episcopo faciendis. Caput I.

1 *Quænam ab Episcopo priuatè benedicantur.*
2 *Locus benedictioni congruus.*
3 *Crux ante Archiepiscopum quomodo tenenda.*
4 *Habitus Episcopi in benedictionibus.*
5 *Credentia quomodo præparanda.*
6 *Magistri cæremoniarum assistentia.*

1 QVia ad Episcopum spectat non solùm solemni benedictione alíqua consecrare, verùm etiam quolibet die, hora, & loco per annum potest ipse benedicere non solùm sacerdotalia indumenta; signum sanctæ Crucis; Imaginem B. Mariæ Virginis; capsulas, quibus Sanctorum Corpora, vel Reliquiæ reconduntur, Calices, & reliqua vasa sacra; sed etiam militantium arma, & vexilla; idcirco de singulis hoc loco ordinarè acturi, prius priuatas, mox solemnes benedictiones, & consecrationes, quæ ab Episcopo fiunt, explicabimus.

2 Generatim autem commune erit omni benedictioni ab Episcopo faciendæ siue in Ecclesia, siue in Oratorio, vel Sacristia; prout decet, siue etiam in quolibet loco, cum liberum ei sit, & liceat in omni loco priuatè benedicere: dum aliquid tale est benedicturus, adsint ei duo, vel tres Capellani superpelliceis induti, quorum alter instruat de libro, alter de Mitra, & tertius vasculum aquæ benedictæ cum aspersorio ministrabit, & vbi thuris ministerium requiratur, necessarius est etiam quartus, thuribulum cum nauicula ministrans, atq; etiam alii seu tiferi, & familiares, quò res, quam agit grauiter, ac decenti decore pertractetur.

3 Si sit Archiepiscopus, sit ante ipsũ in benedictione deferens Crucem Archiepiscopalem cum duobus ceroferariis, & si sit Episcopus Crux sit vel in Altari, vel supra credentiam, seu alio loco congruo cum duobus cereis accensis.

4 Episcopus benedicens nequaquã Sacerdotalibus, sed Pontificalibus induetur, videlicet saltém supra Rochettũ habeat Stolam, & in capite Mitram simplicem.

5 Supra credentiam sint omnia necessaria, & vasa ad abluendas manus, cũ linteaminibus mundis ad eas abstergendas; & cum opus fuerit à suis scutiferis, & familiaribus ante, & post consecrationem ei ministretur.

6 Decet etiam, vt Magister cæremoniarum prouideat, quò omnia necessaria opportunè disponantur; & peracta sacra functione quælibet, quibus debentur, distribuat.

De benedictione Calicis, & aliorum Sacrorum vasorum, & indumentorum ab Episcopo facienda. Cap. II.

1 *Episcopi habitus in benedictione.*
2 *Forma vngendi Patenam.*
3 *Episcopus cum Mitra procedit ad benedictionem Calicis.*
4 *Vnctio Calicis cum Mitra facienda.*
5 *Oratio dicenda sine Mitra super Calicem, & Patenam.*
6 *Calix mundandus.*
7 *Tabernaculi, vel vasculi Sanctissimæ Eucharistiæ benedictio.*
8 *Indumenta sacra, & corporalia quomodo benedicenda.*

1 EPiscopus igitur omnibus paratis, vt supra ad locum accedens, vbi aliquãtisper orauerit, imposita sibi Stola circa collum supra Rochettum, & Mitra *Pōt. Ro. par. 2. de consecr. Patenæ, & Calic. pag. 491.*

tra

tra ſimplici, adſtantibus miniſtris ſuperpelliceis indutis, dicit Verſum *Adiutoriũ*, &c. & *Oremus dilectiſſimi*, &c. quibus dictis depoſita Mitra dicit *Dominus vobiſcum*, & Orationem *Omnipotens*, &c.

2 Completa Oratione accipit Mitrã, & Capellano ad eius dexteram miniſtrante vaſculum Chriſmatis, intincto in ipſo dexteræ manus pollice, format ſignum Crucis ſuper Patenam ab ora in oram, & mox linit, & perungit totam eius ſuperficiem cum ipſo pollice, dicẽs, *Conſecrare*, &c.

3 Deinde ſtans cum Mitra procedẽs ad benedictionem Calicis dicet *Oremus Fratres chariſſimi*, &c. tum depoſita Mitra dicit *Dominus vobiſcum*, & Orationẽ *Dignare Domine*, &c.

4 Completa Oratione Epiſcopus cũ Mitra accepto pollice dexteræ manus Chriſmate ſibi à Capellano miniſtrato, format ſignum Crucis intra ipſum Calicem à labio ad labium, deinde linit, & perungit interius totum ipſum, dicens, *Conſecrare*, &c.

5 Poſt Calicis vnctionem depoſita Mitra dicit ſuper Calicem, & Patenam iam conſecratam ℣. *Dominus vobiſcum*, cum Oratione *Omnipotens*, &c. Poſtremo dicta Oratione aſpergit aqua benedicta Calicem, & Patenam.

6 Capellani Epiſcopi Calicem conſecratum, & Patenam mundant diligenter mica panis, ipſas verò exterſiones proijciunt vel in ignem, vel in Sacrarium.

7 Si verò benedicendum ſit vaſculũ pro conſecranda Sacra Euchariſtia, vel Tabernaculum ad ipſam deferendã; non requiritur Chriſma, ſed Epiſcopus ſtans ſine Mitra dicit ℣. *Adiutorium*, &c. *Dominus vobiſcum*, & Orationem *Omnipotens*, &c. deinde aſpergit aqua benedicta, neque aliud requiritur.

8 Sacra indumenta ab Epõ, vt ſupra, induto, adſtãtibus Miniſtris benedicuntur hoc modo: In primis depoſita Mitra ſtans dicit ℣. *Adiutoriũ, &* ℣. *Dñs vobiſcũ*, & Orõnes in Põtificali deſignatas; ad benedictionis verba format ſignum Crucis ſuper ipſa indumenra, ac deinde aſpergit aqua benedicta, quę omnia obſeruantur etiam in benedictione Corporalium.

De benedictione Crucis, & aliarum ſacrarum Imaginum, nec non capſulæ Reliquiarum.
Cap. III.

1 *Pro benedictione Crucis dicenda.*
2 *Benedictio incenſi, & Crucis aſperſio, & incenſatio.*
3 *Orationes aliter in lignea, ac lapidea Cruce dicenda.*
4 *Benedictio Crucis pectoralis.*
5 *Oratio dicenda ſuper eum, qui accipit Crucem.*
6 *Dicenda in benedictione Imaginis Sanctorum.*
7 *Ordo benedictionis Imaginis B. Mariæ Virginis.*
8 *Ordo benedicendi capſulam Reliquiarum.*

1 PRo benedictione nouæ Crucis omnia ſuperius notata præparari debent; inſuper & Thuribulum cum prunis accenſis. Paratis omnibus, adſtantibus Miniſtris, Epiſcopus ante Crucem benedicendam ſtans cum Mitra dicit ℣. *Adiutorium*, *Dominus vobiſcum*, & Orationes *Benedic Domine*, &c. deinde aliam *Rogamus te*, &c. cum ſua Præfatione, poſt quam ſubdit alias Orationes, prout in Pontificali, videlicet *Deus qui beata Crucis*, &c. & *Sanctifica Domine*, &c. Põt. Ro. p. 2. rub. de bene. nouę crucis pag. 498.

2 Oratione Completa, Capellano ſuſtinente thus in peluicula, ſeu nauicula, Epiſcopus ſtans ſine Mitra ipſum benedicit dicens, *Domine Deus*, &c. prout in Põtificali, deinde ipſum imponens in thuribulum prius Crucem aſpergit, mox incenſat.

3 Si Crux fuerit lignea Epiſcopus poſt aſperſionem, & incenſationem ſtans ſine Mitra dicit *Sanctificetur*, &c. efformans

mans super ipsam signum Crucis ad verba benedictionis. Quòd si fuerit ex lapide, vel metallo, Episcopus stãs, vt supra, sine Mitra dicet Orationem *Deus gloria*, quæ habetur in Pontificali recognito; Orationesq; cōpleta Crucem adorat, & osculatur, quod etiam, ab alijs fieri poterit.

Pōt. Rō. p. 2. rub. propr. 505. & 531. 4 In benedictione Crucis pectoralis, vel proficiscentium in subsidium terræ sanctæ, Episcopus stans sine Mitra dicit Vers. *Adiutorium*, &c. *Dominus vobiscum*, cum Oratione *Omnipotens Deus*, &c. qua dicta aspergit ipsam aqua benedicta, deinde subdit super eum, qui ipsam recepturus est, ante ipsum genuflexum Orationem *Domine Iesu Christe*, &c.

Pōt. Ro vbi sup. pag. 533 5 Oratione completa Episcopus sedens cum Mitra imponit Crucem militi profecturo in subsidium Christianorum, & defensionem fidei, dicens: *Accipe signum Crucis*, &c. super ipsum dextera signum Crucis efformans, deinde aqua benedicta eundem aspergit, qui genuflexus manum Pontificis osculatur, & recedit.

Pōt. Ro. pag. 509 6 Episcopus Imaginem benedicturus deposita Mitra dicit ℣. *Adiutorium nostrum*, &c. *Domine exaudi*, & *Dominus vobiscum*, cum Oratione *Omnipotens*, &c. prout in Pontificali; explicans in ipsa nomen Sancti, cuius est Imago, quam benedicit, vel si plures sint, singulos nominando, formans dextera signum Crucis ad verba benedictionis, gradum, & ordinem ipsius Sancti explicabit, puta si fuerit Apostolus, Martyr, Confessor, Pontifex, vel Virgo; & completa benedictione imaginem ipsam aqua benedicta aspergit.

Pōt. Ro. pag. 505. 7 Pro benedictione Imaginis B. Virginis insuper adhiberi debet thuribulū, & Episcopus in principio stans detecto capite dicit ℣. *Adiutorium*, & *Dominus vobiscum*, deinde aspergit figuram ipsam aqua benedicta: Subdens postmodum Antiphonam *Sub tuum præsidium*, Imaginem ipsam thurificat ter ducens thuribulum, post Antiphonam dicitur Psalmus *Fundamenta*, deinde Antiphona *Aue Maria*, cum Psalmo *Ad te leuaui*; dum cantantur Antiphona, & Psalmus, Episcopus reassumpta Mitra post incensationem sedet; & completis Antiphonis, & Psalmis, deposita Mitra surgens dicit Orationem *Deus qui Virginalem aulam*, &c. Post Orationem inchoat Antiphonam *O gloriosā Dei genitrix*, qua incæpta sedet cum Mitra, donec compleatur. Subditur deinde Canticum *Magnificat*, & tunc surgens stat sine Mitra vsque ad finem Cantici; quo completo dicit Orationes *Deus, qui de Beatæ Mariæ*, &c. & *Omnipotens sempiterne Deus*, &c. ad verba benedictionis bis dextera formãs signum Crucis super Imaginem; & completa Oratione aspergit ipsam aqua benedicta.

8 Eodem modo, quo Sāctorum Imagines benedicuntur capsulæ, quibus Sāctorum corpora, vel eorum Reliquiæ includi debent: nam in primis Episcopus habitu, vt supra, stans cum Mitra dicit *Adiutorium nostrum*, &c. & *Oremus dilectissimi*, &c. Deinde deposita Mitra extensis manibus ante pectus dicit Præfationem, prout in Pontificali, qua completa rursum stans sine Mitra dicit Vers. *Dominus vobiscum*, & Orationem *Domine Deus*, &c. prout in Pontificali, & Oratione completa aspergit capsulam aqua benedicta. Pōt. Ro. vbi sup. pag. 512

De benedictione armorum, ensis, seu vexilli bellici, atque noui Militis.

Cap. IV.

1 *Benedictio armorum, seu vexilli militaris.*
2 *Traditio ensis, siue vexilli.*
3 *Benedictio adhibenda in creatione noui militis.*
4 *Modus accingendi militem.*
5 *Militi quomodo calcaria imponenda.*

1 Epi-

Pôt. Ro. p. 2. rub. de bene. noui militis 274

1 EPiscopus benedicturus arma, vel ensem, seu vexillum bellicum omnibus more solito depositis super Altare, seu mensam extensis, vel ab aliquo ministro ante se tentis, illo, qui ea accipere debet, ante se genuflexo, deposita Mitra dicit Vers. *Adiutorium*, *Dominus vobiscum*, & Orationes, efformans dextera extẽsa signum Crucis primò super his, quæ benedicit; deinde ea aspergit aqua benedicta.

2 Benedictis ense, seu vexillo, sedens cum *Mitra* tradit Equiti ante se genuflexo ea cum verbis, quæ in Pontificali habentur; post quę in traditione vexilli dat Equiti pariter ante se genuflexo osculum pacis dicens *Pax tibi*, & ille Pontificis manu osculata reuerenter recedit. Si huiusmodi arma tradi debeant post *Missarum* solemnia, Episcopus in eodem habitu, quo *Missam* celebrauit, in faldistorio ante medium Altaris sedens, vel stans omnia, vt supra, pręstabit.

Pôt. Ro. p. 2. tit. de bene. ensis pa. 536.

3 In creatione noui militis habetur singularis benedictio ensis cum pluribus Orationibus, prout in Pontificali, deinde benedictum ensem, & aspersum aqua benedicta, Episcopus sedens cum *Mitra* tradit militi ante se genuflexo in manu dextera, dicens in eius traditione *Accipe gladium*, *&c.* prout in Pontificali habetur.

Pôt. Ro. p. 2. tit. de bene. noui militis pag. 274.

4 Ense benedicto, Scutiferi Episcopi reponunt illum in vaginam, traduntque Episcopo, qui eo cingit militem, dicens *Accingere gladio*, &c. tunc Miles ense accinctus surgit, & ducens illum de vagina, ter vibrat, & super brachium sinistrum tergit; Episcopus ensem euaginatum dextera accipiens militem ante se genuflexum ter cum ipso leuiter percutit, semel tantùm dicens *Esto miles pacificus*, &c. Deinde reposito ense in vaginam, Episcopus dextera dat leuiter alapam nouo militi dicens *Exciteris à somno*, &c. & in fine dans osculum pacis dicit, *Pax tecum*.

5 Milites adstantes imponunt nouo militi calcaria, & Episcopus sedens cum Mitra dicit Antiphonam *Speciosus forma*, &c. postea surgens sine Mitra, stans versus nouum militem dicit *Dominus vobiscum*, & Orationem *Omnipotens*, &c. qua completa miles osculatur manum Episcopi, & depositis ense, & calcaribus recedit in pace.

De benedictione campanę. Cap. V.

1 *Campanę benedicendæ quomodo suspendi debeant.*
2 *Præparanda supra credentiam.*
3 *Pro Episcopo præparanda.*
4 *Diaconus paratus quo loco assistere debeat.*
5 *Episcopus quo ordine ad benedicendam campanam accedat.*
6 *Psalmi ab Episcopo dicendi.*
7 *Benedictio salis, & aquæ.*
8 *Campana lauanda, & extergenda.*
9 *Signum Crucis efformandum cum oleo infirmorum.*
10 *Septem Cruces efformandæ super campanam oleo infirmorum.*
11 *Quatuor Cruces efformandæ cũ Chrismate.*
12 *Campana quomodo suffumiganda.*
13 *Euangelium à Diacono cantandum.*
14 *Agenda post Euangelium.*

1 CAmpanæ solemni benedictione Ecclesiastico ritu prius, quam in campanili turri suspendantur benedici debent: In primis itaque loco congruo suspendi, & ita eleuari, & accommodari debent, vt possint circumiri, & intus, & extra tractari.

Pôt. Ro. p. 1 rub. de bene. sign. vel cãpanę pa 515.

2 Prope ipsã cãpanã sternatur credẽtia, in qua apponatur vas aquæ benedictę cũ aspersorio, vas cũ sale, vas aquę benedicendę, vasa olei Sãcti, videlicet cũ oleo infirmorũ, & Sãcto Chrismate; thimiama

Dd cum

cum thure, & myrrha, & thuribulum cū igne, vasa ad abluendas manus, peluicula cum mica panis ad abstergendos digitos, nec non linteamina munda, præter consueta ad detergendas manus, & alia ad extergendam campanam, postquam fuerit aqua lota.

3 Pro Episcopo paretur faldistorium in loco benedictionis, nec non congruo loco paramenta sternantur, videlicet Amictus, Alba, Cingulus, Stola, & Pluuiale albi coloris, Mitra simplex, & Baculus pastoralis.

4 Præter ministros superpelliceo indutos ei assistere debet Diaconus indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Dalmatica albi coloris.

5 Hora congrua Pontifex adstantibus Diacono parato, & Capellanis superpelliceo indutis, accipit supra Rochettum, Amictum, Albam, Cingulum, Stolam cum Pluuiali, ac Mitram simplicem, & sinistra tenens Baculum pastoralem accedit prope campanam.

6 Episcopus ante campanam in faldistorio sibi parato sedens cum Mitra dicit alternatim cum suis ministris Psalmos *Miserere mei Deus*, &c. totum cum Vers. *Gloria Patri*; ac pariter sequentes, videlicet *Deus in nomine tuo*; *Miserere mei Deus*, *Miserere mei*; *Deus misereatur nostri*; *Deus in adiutorium meum*; *Inclina Domine aurem tuam*; & *De profundis*.

7 Completis Psalmis Episcopus surgit, & Capellano sustinente peluiculam cum sale, habens ante se vas aquæ benedicendæ stans cum Mitra benedicit salem, & aquam dicens Vers. *Adiutorium* deinde *Exorcizo*, &c. ad verba benedictionis dextera formans signum Crucis super salem, & Diaconus eleuat interim fimbriam Pluuialis. Peracto exorcismo salis Episcopus deposita Mitra dicit Vers. *Dominus vobiscum*, & Orationem *Immensam clementiam*, &c. deinde eodem modo stans cum Mitra exorcizat aquam, & post exorcismum deposita Mitra dicit Versus *Domine exaudi*, *Dominus vobiscum*, & Orationem *Deus qui ad salutem*, & aliam *Benedic Domine*, &c. ad verba benedictionis efformans signum Crucis super aquam, & tunc Diaconus eleuabit fimbriam Pluuialis dexteram. Quibus peractis stans, vt prius, sine Mitra mittit salem in aquam in modum Crucis, dicendo *Commixtio*, &c. subdens Vers. *Dominus vobiscum*, cum Oratione *Deus inuictæ virtutis*, &c.

8 Post Orationem Episcopus stans cum Mitra, accepto vase aquæ benedictæ incipit lauare campanam, & ministris prosequentibus lotionē lauantibus eam intus, & extra totaliter, ac deinde linteo mūdo extergentibus, ipse sedebit in faldistorio dicens alternatim cum suis Capellanis Psalmos *Lauda anima mea Dominum*, *Laudate Dominum*, *quoniam bonus est psalmus*; *Lauda Hierusalem Dominum*; & *Laudate Dominum de cælis*, dicens in fine cuiuslibet *Gloria Patri*, &c. prout in Pontificali. Pōt. Ro. vbi sup. pa. 522.

9 Completis Psalmis Episcopus surgens cum Mitra Capellano sibi ministrante oleum infirmorum cum pollice dexteræ manus facit signum Crucis super campanam ab extra; qua inuncta, deposita Mitra dicit Orationem *Deus, qui per Beatum Moysen*, &c. & completa Oratione, acceptaque Mitra extergit cum linteo mundo Crucem à se factam.

10 Episcopus stans cum Mitra inchoat Antiphonam *Vox Domini*, &c. quam Cantores prosequuntur cum Psalmo *Afferte Domino*, &c. in cuius fine dicitur *Gloria Patri*, & repetitur Antiphona: Et interim pollice dexteræ manus, Capellano sibi ministrante oleum infirmorum, format septem Cruces exterius super campanam dicens, cum quamlibet format, *Sanctificetur, & conseruetur*, &c.

11 Deinde Capellano ministrante sanctum Chrisma, pariter pollice dexte-

ræ manus format pari distantia quatuor Cruces eadem verba ad quamlibet Crucem repetendo: quibus peractis,& completis Psalmis,& Antiphona à Cantoribus,stans sine Mitra subdit Orationem in Pontificali.

Omnipotens sempiterne Deus, &c. prout

12 Episcopus sedens cum Mitra imponit in thuribulum thymiama, Thus, & myrram, si omnia haberi poterunt, deinde thuribulum supponitur căpanę, vt totum fumum recipiat: Interim Cantores cantant Antiphonam *Deus in sancto*,&c.cum Psalmo *Viderunt te aquę Deus*, &c. prout in Pontificali; Et completo Psalmo Episcopus reposita Mitra surgit,& dicit Orationem *Omnipotens dominator*,&c. (Pont. p. 528.) (Pôt. Ro. pa.530.)

13 Post Orationem Diaconus sacris vestibus albi coloris indutus, Capellano sustinente librum ante ipsum,dicit Vers. *Dominus vobiscum*,& Euangelium,prout in Pontificali.

14 In fine Euangelij Episcopus osculatur librum sibi à Capellano porrectum, & dextera eleuata simpliciter efformat signum Crucis super campanam iam benedictam nihil dicens,& reassumpta Mitra reuertitur ad locum,vbi paramenta accepit, ibique dimissis sacris vestibus,recedunt omnes in pace. (Pôt. Ro. pa.531.)

De benedictione, & coronatione noui Regis,atque Reginę. Cap. VI.

1 *Disponenda ante noui Regis coronationem.*
2 *Praparanda pro celebrante.*
3 *Sedes Regis quomodo disponenda.*
4 *Tentorium Regis, & Regina locus.*
5 *Celebrans,& Episcopi quomodo parandi.*
6 *Locus Metropolitani, & Episcoporum Comprouincialium.*
7 *Rex quomodo in Ecclesiam excipiendus.*
8 *Metropolitanus electum Regem admonet.*
9 *Iuramentum ab Electo prestandum.*
10 *Litania quomodo dicenda.*
11 *Versus,& Orationes super Electum dicendę.*
12 *Electus Rex quomodo inungatur.*
13 *Confessio quomodo fieri debeat.*
14 *Rex Electus in Sacristia lauatur, abstergitur,& induitur.*
15 *Oratio dicenda in Missa.*
16 *Rex ad Altare ductus gladium à Metropolitano accipit.*
17 *Corona imponitur, & sceptrum Regi datur.*
18 *Rex inthronizatur.*
19 *Cantatur Hymnus Te Deum.*
20 *Missa quomodo prosequenda.*
21 *Aurum quomodo offerendum.*
22 *Secreta dicenda pro Rege,& Pax danda.*
23 *Rex quomodo communionem sumat.*
24 *Metropolitanus prosequitur, & complet Missam.*
25 *Regina quomodo benedicatur.*
26 *Quomodo ad Metropolitanum deducatur.*
27 *Oratio, & Prefatio pro Regina dicendę.*
28 *Regina quomodo vngenda.*
29 *Quando, & quo loco Regalibus induatur.*
30 *Quo loco assistat ad Missam, & quomodo.*
31 *Cum Rege offert aurum.*
32 *Cum eodem accipit Pacem.*
33 *Si Regina iam coronata voluerit Regem coronari.*
34 *Si Regina vt Regni Domina sit coronanda.*

1 CVm nouus Rex coronari debet, decet vt omnes Episcopi Prouincię conueniant,& in præcedenti hebdomada triduanum ieiunium indicetur, videlicet IV. & VI. feria, ac Sabbato; (Pôt. Ro. rubr. de bened.& coronat. Reg.p.1. 224.)

in ipsa verò Dominica, qua coronatur Rex, Ecclesia Cathedralis solemni ap paratu ornabitur, cum sedibus celebrantis, & Episcoporum assistentium ante Altare dispositis.

2 Pro Metropolitano celebraturo omnia in Altari, & credentia erunt solemnia; additis insuper gladio, corona, & sceptro, quæ super Altari apponi debent; supra credentiam verò præter consueta apponatur oleum Cathecumenorum, & bombyx ad ligandum, & extergendum brachium Regis post vnctionem.

3 Sedes Regalis loco congruo, atque eminenti feticis, & aulæis ornata præparetur; ita tamen disposita, ne eius altitudo excedat supremum gradum Altaris, & si benedicenda sit etiam Regina, pro ipsa paretur alia sedes.

4 Sit tamen loco congruo in eadem Ecclesia tentorium, seu papilio, sub quo Rex vestes Regales suo tẽpore recipiet; & locus remotus ornatus cum suis sedibus pro Regina, vbi cum suis matronis manebit in principio Missæ, donec & ipsa sit benedicenda.

5 Metropolitanus celebraturus hora congrua in Ecclesiam cum Episcopis Prouincialibus conueniens, vbi ante Altare aliquantisper orauerit, solemniter se induet Pontificalibus paramentis, adiutus à ministris sacris vestibus indutis: Episcopi verò Comprouinciales induũtur supra Rochettum Amictu, Stola, Pluuiali albo, & Mitra simplici.

6 Omnibus paratis Metropolitanus cum Mitra sedet in faldistorio ante medium Altaris; Episcopi verò hinc inde in suis sedibus quasi coronam ei facientes.

7 Rex militaribus vestibus indutus cum suis Prælatis non paratis, Baronibus, ac Nobilibus accedens ad Ecclesiam excipitur à duobus Episcopis paratis, qui veniunt ei obuiam, & cum Mitris aliquantulum ei se inclinantes ipsum excipiunt, & capite detecto medium illum habentes ducunt ad Metropolitanum, cui Rex prius reuerenter, atque humiliter se inclinat, & prior Episcoporum detecto capite intelligibili voce petit, vt ipsum Regia dignitate decoret, ad interrogata respondens prout in Pontificali. Post interrogationes, & responsiones duo Episcopi, qui Regem deduxerunt, sedent spatio congruo ante Metropolitanum, facie ad illum conuersa, medium habentes ipsum Regem. Põt. Ro. pag. 236.

8 Metropolitanus, vbi aliquantulum Rex cum Episcopis sibi assistẽtibus quieuerit, ipsum eodem modo inter ipsos sedentem ad monet dicens *Cum hodie*, &c. prout in Pontificali. Põt. Ro. vbi sup.

9 Post monitionem electus Rex ante Metropolitanum detecto capite genuflexus facit professionem, præstitoque iuramento eius manum reuerenter osculatur. Metropolitanus deposita Mitra surgens dicit cum alijs Episcopis pariter deposita Mitra stãtibus Orationem *Omnipotens*, &c.

10 Post Orationem Metropolitanus procumbit supra faldistorium, reliqui Prælati ante suas sedes, Rex verò ad sinistram Metropolitani se prosternit, & omnibus genuflectentibus Cantores dicunt Litanias; in quibus cum dictum fuerit *Vt omnibus fidelibus defunctis*, &c. Metropolitanus surgens accepto Baculo pastorali in sinistra manu, dicit super Electum Regem bis *Vt hunc electum*, &c. producendo semper super eum signum Crucis; idem faciunt Episcopi parati, permanentes tamen genuflexi. His dictis Metropolitanus redit ad accubitum, & Cantores prosequuntur Litanias.

11 Finitis Litanijs Metropolitanus deposita Mitra surgit, Episcopis adhuc genuflexis manentibus, & conuersus ad Coronandum adhuc prostratum dicit super eum Versus, & Orationes, prout in Pontificali. Põt. Ro. pa. 231.

12 Post Orationes Metropolitanus sedet cum Mitra, & Episcopis cum suis Mitris circumstantibus Electum coram

se ge-

se genuflexum ad modum Crucis inungit oleo Cathecumenorum in brachio dextero inter iuncturas manus,& cubiti, atque inter scapulas, dicens Orationes, prout in Pontificali. Post vnctionem dictis Orationibus Metropolitanus lauat, & abstergit manus.

Pót. Ro. pag. 231.

13 Lotis manibus descendens ante Altare, deposita Mitra, facit confessionem, & Episcopi parati stantes sine Mitris bini pariter in suis locis faciunt confessionem; Rex verò ad partem se retrahens cum suis Prælatis domesticis idem facit. Finita confessione, Metropolitanus ascendens ad Altare procedit ad Missam vsque ad *Alleluia*, vel vltimum Versum Tractus, vel Sequentiæ exclusiuè.

14 Rex interim in Sacristiam, vel sub papilione ductus abstergitur bombyce, & induitur Regalibus indumentis, & ita ornatus cum suis Prælatis, Baronibus, & Nobilibus ducitur ad Solium sibi in Ecclesia loco eminenti paratum, ibique in aliquo faldistorio ornato genuflexus procumbit ad Missam; Prælati Regis non parati illi circumstantes pariter genuflexi legunt Missam vsque ad vltimum Versum, vt supra.

15 In Missa, quę erit de die, dici debet Oratio pro ipso Electo cum Oratione diei sub vno *Per Dominum nostrum*, &c.

Pót. Ro. vbi sup. pag. 234.

16 Cantato Graduali Rex à suis associatus medius inter duos Prælatos paratos accipit gladium euaginatum de manu Metropolitani dicentis *Accipe gladium*, &c. quo deinde à ministris in vaginam reposito Metropolitanus accingit Regem dicens *Accingere*, &c. Rex accinctus surgit, & eximit ensem de vagina, illumque vibrat, & tergit super sinistrum brachium, & iterum in vaginam reponit, & coram Metropolitano genuflectit.

17 Metropolitanus sumptam coronam de Altari, adiuuantibus Episcopis paratis, capiti Regis imponit dicens. *Accipe coronam*, &c. Dicta Oratione dat Regi adhuc genuflexo sceptrum dicens *Accipe virgam*, &c. eique surgenti discingitur ensis, & datur alicui, qui illum cum vagina ante Regem immediatè deferat.

Pót R. pag. ...

18 Metropolitanus à dextris, & dignior ex Prælatis à sinistris Regem sceptrum in manu, & coronam in capite ferentem medium habentes ducunt ad Solium, ipsumq; inthronizantes, dicit Metropolitanus, *Sta & retine*, &c. prout in Pontificali.

Pót. Ro. vbi sup. pa. 235

19 Metropolitanus deposita Mitra stans conuersus ad Altare inchoat Hymnum *Te Deum laudamus*, quo incepto accedit ad dexteram Regis, ibique manet vsque ad finem Hymni; deinde ibidem dicit Versum, *Firmetur*, &c. cum suis Orationibus.

20 Finitis Orationibus Metropolitanus cum Prȩlatis paratis redit ad faldistorium, ibique Missam prosequendo dicit vltimum Versum, & Euangelium, ac reliqua vsque ad Offertorium inclusiuè.

21 Dicto Offertorio, Rex à suis Prælatis, & Baronibus associatus offert Metropolitano sedenti aurum, quantum sibi placet, & Metropolitani manum recipientis osculatur, & ad Solium suum reuertitur.

22 Metropolitanus in faldistorio sedens lauat manus, surgensque accedit ad Altare, vbi prosequitur Missam vsque ad Communionem dicens cum secreta diei assignatam pro Rege sub vno *Per Dominum nostrum*, &c. Dicto *Agnus Dei*, defertur Pax Regi cum instrumento à digniore ex Prælatis paratis.

23 Sumpto sanguine Metropolitanus in Altari communicat Regem in supremo gradu Altaris genuflexum; ipse verò priusquam communionem sumat, osculatur manum dexteram Metropolitani, sumptaque communione se

purificat ex Calice sibi à Metropolitano porrecto, deinde ad Solium reuertitur.

24 Metropolitanus sumpta ablutione accipit Mitram, lauat manus, & prosequitur Missam dicens *Post communionē* diei cum assignata pro Rege sub vno *Per Dominum nostrum*, &c. & in fine Missæ dat solemnem benedictionem more solito, & omnibus recedentibus ipse, & Prælati depōnūt sacras vestes, & ad propria reuertuntur.

Pōt. Ro. rubr. de bened. & coronat. Reginæ p. 1. 242. 25 Si Regina eodem tempore sit benedicenda inthronizat o Rege Metropolitanus reuertitur ad Altare, vbi Rex coronam habens in capite, & sceptrum in manu à suis associatus accedens, facta Metropolitano reuerentia stans detecto capite petit Reginam benedici, & ad Solium suum reuertitur.

26 Regina, quæ in aliquo loco remoto in Ecclesia à principio steterat, crine soluto, & capite velato in vestibus com munibus à duobus alijs Prælatis ex pri mis post eos, qui Regem deduxerunt, & ipsa dedicitur ante Altare ad Metropolitanum associata à suis matronis, ibiq; ante eum genuflexa illius manum osculatur; deinde Metropolitanus procumbit cum Mitra in faldistorio, & Regina ad eius sinistram in terram se prosternit, & dicuntur Litaniæ.

27 Completis Litanijs Metropolitanus deposita Mitra surgēs dicit ad illam ante se genuflexam Orationem, & Præfationem Prælatis adstantibus eadem submissa voce prosequentibus.

28 Expleta Præfatione Metropolitanus sedens cum Mitra inungit in modū Crucis oleo Cathecumenorū illius brachium dexterum inter iuncturas manus, & cubiti, atq; inter scapulas dicens *Deus Pater*, &c.

29 Regina inuncta ducitur, & ipsa ad papilionem, ibique Regalibus vestibus induitur, & ad Metropolitanum reducta genuflectit, & ab eo adhuc cum Mitra in faldistorio sedente accipit coronam, deinde sceptrum.

30 Regina coronata ab Episcopis paratis, qui eam duxerunt, ad suum thalamum ducta sedet in Solio cum matronis, à quibus fuerat associata, & deinde metropolitanus prosequitur *Missam* vsque ad Offertorium.

31 Post Offertorium Regina, & Rex à suis associati offerunt Metropolitano aurum, eiusque manum osculantur, & ad thalamum redeunt.

32 Dicto *Agnus Dei*, Regi, & Reginæ datur Pax cum instrumento à primo ex Prælatis paratis; ambo à suis associati ad Altare accedentes in supremo gradu genuflexi à metropolitano sacram communionem sumunt, eius manum prius osculantes: ambo successiuè ex Calice de manu metropolitani purificanter, & simul sumpta communione, & purificatione reuertuntur, & omnia, vt supra perficiuntur.

33 Si verò Regina Regni Domina iam pridem benedicta, quem sibi elegerit consortem voluerit coronari, statuta die paratis omnibus, vt supra, metropolitano, & Prælatis in Ecclesia constitutis, venit Reginalibus induta, coronam habens in capite, & sceptrum in manu, ascendit ad thalamum suum, & metropolitano, ac reliquis Prælatis paratis descendit, & cum reuerentiis ante ipsum sedentem cum *Mitra* petit Regem consortem suum benedici. Rex militaribus vestibus à suis associatus venit ad Ecclesiam, & ante Presbyterium excipitur à Prælatis, & priore ex Prælatis expostulante à metropolitano, vt illum benedicat, omnia fiunt, vt supra. Pōt. Ro. part. 1. rub. pro- pr. 273.

34 Si sola Regina vt Regni Domina sit coronanda, tunc parabitur vnus tantum thalamus, & omnia fient eodem ordine, quo supra in coronatione Regis est explicatum, excepta traditione gladij.

De benedictione sacrarum Virginum ab Episcopo facienda.
Cap. VII.

Pôt. Ro. part. 1. Rubr. de bene. & consecr. Virgin pa. 186.

1 Benedictio Sacrarum Virginum non nisi in die Dominico, & intra Missarum solemnia fieri debet; prius tamen de earum ętate, meritis, & proposito debet Episcopus singulas inquirere, an scilicet vigesimumquintum annum compleuerint; & si habeant voluntatem laudabiliter in sancto proposito perseuerandi.

2 Præparentur pro ipsis benedicendis, & consecrandis vestes, vela, annuli, & coronę singulis tradendę. Deputentur Matronę, quę Virgines associare debeant. Ordinetur in ipsa Ecclesia, prędter alia Altaris ornamenta, credentia cum paramentis Pontificalibus, & reliqua necessaria pro Episcopo celebraturo; item pro ipsis Virginibus consecrandis papilio, siue alius locus congruus, ad quem Virgines ipsę conuenire debent, & suo tempore vestibus benedictis indui.

3 Hora congrua Episcopus ad Ecclesiam conueniens, Pontificalibus indutus procedet ad Missam, quę erit de die cum Collecta pro Virginibus sub vno *Per Dominum nostrum, &c.*

4 Dicto Graduali, Episcopo sedente in Faldistorio ante medium Altaris, Virgines in vestibus, quibus in Monasterio vti consueuerant, sine velis, sine mantellis, & sine cucullis è Monasterio egressę, singulę associatæ à duabus Matronis senioribus è propinquis Ecclesiam ingrediuntur. Archipresbyter superpelliceo, & Pluuiali indutus cantat Antiphonam *Prudentes Virgines*, tunc ipsæ accendunt cereos suos, & progrediuntur binę, & pręcedente Archypresbytero procedunt ad Altare maius extra Chorum, ita tamen vt Episcopum sedentem ad Altare à longe possint videre, ibique genuflectunt; deinde Archipresbyter petens ab Episcopo, vt illas benedicat, & Episcopo dicenti, *Scis illas esse dignas?* Respondet, prout in Pontificali pag. 188. Pôt. vbi sup pag. 187.

5 Vbi Episcopus dixerit circumstantibus *Auxiliante Domino*, &c. vocat Virgines in cantu dicens *Venite*, cui Virgines respondent, *Et nunc sequimur*, & statim surgentes seriatim accedunt vsque ad introitum Chori, exterius tamen genuflectentes; postea Episcopus secundò eas vocans in cantu altiùs dicit *Venite*, & ipsæ respondent, *Et nunc sequimur in toto corde*, & procedentes ad medium Chori genuflectunt: tertiò tandem altiori tono eas vocat dicens *Venite filiæ, audite me, timorem Domini docebo vos*, & ipsæ surgentes respondent; *& nunc sequimur*, &c. & magis appropinquantes ascendunt Presbyterium, vbi omnes ante Pontificem genuflectunt, & capita profundè vsque ad terram inclinant: deinde singulæ successiuè caput aliquantum erigentes cantant *Suscipe me*, &c. prout in Pontificali pag. 190. Quibus Versis cantatis singulæ surgentes à ma-

tronis coram Episcopo ordinantur ad modum coronę.

6 Quibus peractis Episcopus cōmuniter eas interrogat *Vultis in sanctæ Virginitatis proposito perseuerare?* & singulæ respondent *Volumus*, & deinde quęlibet ante Pontificē genuflexa, manibus iunctis inter ambas manus Pontificis interrogata ab eo, *Promittis te Virginitatem perpetuò seruare?* respondet, *Promitto*; & Episcopus dicit *Deo gratias*: & illa osculata manu Pontificis recedens genuflectit in loco sui Ordinis, & sic per Ordinē, omnes genuflexæ interrogatæ, *Vultis benedici?* respondent *Volumus*.

7 Episcopo ante Altare in Faldistorio procumbente, ministris hinc inde genuflexis, & Virginibus ad modum coronę post Pontificem super tapeta prostratis, dicuntur à Cantoribus Litaniæ, in quibus post Vers. *Vt omnibus fidelibus defunctis*, &c. dicitur Versus, *Vt has præsentes ancillas tuas*, &c. Interim Episcopus surgens cum Mitra, Baculum sinistra tenens eas benedicit, deinde iterum procumbens prosequitur Litanias vsque in finem; ipsisque completis pariter genuflexus ante Altare sine Mitra inchoat Hymnum *Veni Creator Spiritus*.

8 Post Hymnum Virgines recedunt ad locum congruum pro eis paratum, & interim Episcopus benedicit earum vestes, Vela, Annulos, & Coronas, prout in Pont. pag. 182. Quibus ad ipsas delatis, demissis quotidianis vestibus, induuntur; deinde binæ, & binę redeunt ad Pontificem cantantes Responsorium *Regnum mundi*, &c. & ante Altare coram Pontifice ad modum coronę genuflectunt; Episcopus verò surgens deposita Mitra cōuersus ad Virgines dicit Orationem *Respice Domine*, &c. subdens extensis manibus Præfationem, prout in Pontificali pag. 196.

9 Completa Pręfatione Pontifex accepta Mitra inchoat Responsorium *Veni electa mea*, &c. vt in Pontif. pag. 209. & dum cantatur, sedet cum Mitra. dicto Responsorio surgunt Virgines, & duæ primæ ex eis coram Pontifice genuflexæ cantant Antiphonam *Ancilla Christi sum*, &c. qua dicta Pontifex tertiò interrogat eas de proposito Virginitatis, illis respondentibus *Volumus*; & tunc imponitur Velū super caput cuiuslibet, quod depēdeat super scapulas; & super pectus, & vsque ad oculos singulis dicens *Accipe*, &c. & ipsæ cantant Antiphonam *Posuit signum*, deinde à Matronis ductæ redeunt ad loca sui ordinis. Omnibus velatis Pontifex deposita Mitra surgens conuersus ad eas dicit ℣. *Dominus vobiscum*, cum Oratione *Famulas tuas*, &c. prout in Pont. pag. 211.

10 Completa Oratione Pontifex accepta Mitra sedens vocat Virgines incipiens Antiphonam *Desponsari*, &c. qua completa binę à Matronis deducuntur ante Pontificem, qui accipiens annulum dextera manu sua, & dexteram Virginis cum sua sinistra mittit annulum digito annulari cuiuslibet, dicens, *Desponso te*, &c. quo facto ambæ simul genuflexæ cātant Antiphonā *Ipsi sum desponsata*, &c. & redeunt cum Matronis ad loca sua; vbi genuflexæ simul leuantes in altum, & ostendentes dexteras manus cantant Antiphonam *Annulo suo*, &c. Deinde Pontifex cum Mitra surgens illas benedicit dicens: *Benedicat vos*, &c. prout in Pont. pag. 213.

11 Pontifex stans cum Mitra vocat Virgines cum cantu, dicēs Antiphonam *Veni sponsa Christi accipe*, &c. quæ dum cantatur, Pontifex sedet cum Mitra. Et ipsæ binæ à Matronis ductę corām Pontifice genuflexę accipiunt singulę suam coronam, quam cum imponit Pontifex dicit *Accipe coronam*, &c. deinde ambę simul decantant Antiphonam *Induit me Dominus*, &c. qua cantata reducuntur à Matronis ad loca sua. Omnibus coronatis, & ad loca sua reductis, ac stantibus Pontifex deposita Mitra surgēs ad ipsas conuersus dicit Vers. *Dominus vobiscum* cū Oratione *Da quæsumus*, &c.

postea

postea omnibus genuflectentibus Pontifex stans, vt prius subdit orationem *Te inuocamus*, &c. qua complera Virgines surgentes cantant Antiphonam *Ecce quod concupiui*, &c. Pontifex iunctis ante pectus manibus dicit super Virgines stantes & humiliter inclinãtes benedictionẽ *Deus plasmator*, &c. & postea illis genuflectẽtibus, ipse accepta *Mitra* stans subdit aliam benedictionem *Benedicat vos*, &c. prout in Pont. Pont.p. 218.

12 Post benedictionem Pontifex sedens cum *Mitra* pronunciat anathema; ne quis eas à diuino seruitio abducat, dicens: *Auctoritate Omnipotentis Dei*, &c. prout in Pont. pag. 219. ac deinde manentibus ipsis in ordine suo, prosequitur *Missam* vsque ad Offertorium inclusiuè; Deinde quælibet ante Episcopum sedentẽ in faldistorio accedens, genuflexa offert cereũ accẽsum, & Episcopus prosequitur *Missam*, in qua consecrantur Hostiæ pro Virginibus, & dicitur pro ipsis Oratio, cum Oratione diei sub vno *Per Dominum*, &c.

13 Communicato Pontifice, & ipsæ binę accedentes ante eum genuflexæ sacram communionem sumunt, deinde cantant simul omnes Antiphonam *Mel & lac*, &c. prout in Pontif. Perficitur deinde Missa, in qua dicitur Postcommunio pro Virginibus cum Oratione diei sub vno *Per Dominum*, &c. & in fine Pontifex dat solemnem benedictionem. Pont.p. 222.

14 Data benedictione, si visum fuerit, vbi est consuetudo, poterit Pontifex dare facultatem Virginibus benedictis incipiendi Horas Canonicas, & legendi Officium in Ecclesia, dicens super ipsas Orationem *Exaudi*, &c. Deinde accepta Mitra tradit illis Breuiarium, quibus ambabus manibus ipsum tenentibus dicet *Accipite*, &c. Postmodum surgens Mitra deposita, & conuersus ad Altare inchoabit Hymnum *Te Deum laudamus*, quo complero dicitur Vers. *Confirma*, & stans in cornu Epistolæ ex libro super Altari reposito dicit Orationem *Actiones*, &c. prout in Pontif. Pont.p. 223.

15 Virgines consecrandæ ad portam Monasterij genuflexæ præsentantur Abbatissę à Pontifice dicente *Vade*, &c. prout in Pontificali: tandem Pontifex ad Ecclesiam reuersus deponit sacras vestes, & recedit in pace.

Obseruãdũ tñ hoc loco est circa praxim huius cęremonię, q in hac Neapolitana Ciuitate, quę pluribus est Sãctimonialium locis referta, nequaquã, cũ Moniales ipsæ velantur, ac benedicuntur, septa Monasterij egrediuntur; sed in loco, quo sacra Communione refici solent, omnia ante Episcopum ritè perficiũtur, atque ibidem, videlicet in ipsa interiori Ecclesia eriguntur papiliones, nec à Matronis, sed à Sanctimonialibus eiusdem Monasterij benedicendæ ante Episcopũ ducuntur; strictissimum clausurę ius Sacri Tridentini Concilii, ac Summorum Pontificum decretis firmatum in suo vigore, ac robore conseruantes. Cõc.Tr. sess.25. de reg. c.5. Pius V. const. 8. circa pastoralis. Gregor. XIII. cõstit. 28. vbi gratiæ.

De benedictione Abbatissæ facienda ab Episcopo. Cap. VIII.

1 *Obseruanda pro benedictione Abbatissa.*
2 *Locus electa, in principio Missa.*
3 *Electa quomodo ante Episcopum iuramentum praestet.*
4 *Litania cum alijs precibus dicenda.*
5 *Regula Abbatissa tradenda.*
6 *Ad Missam, & Offertorium quomodo procedendum.*
7 *Abbatissa Communione sumpta inthronizatur.*
8 *Reuertitur ad Monasterium, & quomodo.*
9 *Benedictio in fine danda.*

1 In benedictione Abbatissæ, quæ non nisi die Dominico fieri debet eadem obseruari oportet, quæ supra in benedictione Virginum, quoad ornatum Ecclesię, & Missam solemnem, quę erit Pôt. Ro. p.1. rub. de bene. Abbatissæ 170.

de die

de die cum Collecta pro Electa dicenda cum Oratione diei sub vno *Per Dominum*, &c.

2 Electa in Choro in suo habitu existenre, proceditur ad Missam vsque ad *Alleluia* si dicitur, vel vsque ad vltimum Versum Tractus, vel Sequentię exclusiuè.

3 Electa à matronis associata è monasterio egrediens Pontifici pręsentatur, & in manibus habēs cedulam scriptam, & suo pendenti sigillo sigillatam, genuflexa ante Episcopum sedentem in faldistorio ante medium Altaris præstat ei iuramentum fidelitatis; deinde tradit ei cedulam.

Pont. p. 172. 4 A sinistris Episcopi procumbit ad Litanias, in quibus dicto *Vt omnibus fidelibus defunctis*, Episcopus surgens cum Baculo dicit, *Vt hāc præsentem Electam*, &c. bis ipsam benedicens, ac deinde iterum procumbens prosequuntur Litanię, quibus cōpletis Electa adhuc prostrata manente, Pontifex stans versus illam dicit *Pater noster*, &c. Versus, & Orationes prout in Pontificali, quibus completis Electa surgens ante Pontificem genuflectit, & ipse prosequitur Præfationem, in qua dicens *Propitius infunde*, &c. manus imponit super caput Electæ, donec dicat
Pont. p. 174. *Separetur indigna*; nam tunc amouens manus prosequitur præfationem, cum quatuor sequentibus Orationibus.

5 Post Orationes Pontifex sedet accepta Mitra, & tradens regulam in manibus Abbatissę coram se genuflexę, dicit *Accipe regulam*, &c. Et si antea non fuit
Pont. p. 180. velata, benedicitur, & imponitur illi velum.

6 Pontifex deinde procedit ad Missam, cui Abbatissa assistit in loco ad partem sibi parato. Et dicto Offertorio pręcedentibus duobus famulis cum intortitiis accensis, ipsa associata à duabus matronis coram Pontifice sedente in faldistorio ante medium Altaris genuflexa offert ei duo intortitia, & Pontificis ea recipientis manum osculatur, & reuerti tur ad locum suum; Pontifex verò lotis, ac tersis manibus prosequitur Missam, in qua dicitur secreta pro Electa cum secreta de die sub vno *Per Dominum*.

7 Pontifex postquam se communicauerit Abbatissam communicat, & prosequendo Missam dicit Postcommunionem diei cū alia pro Electa sub vno *Per Dominum*; ac dicto *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, accepta Mitra inthronizat Abbatissam in sede, tum à dextris eius deposita Mitra conuersus ad Altare incipit Hymnum *Te Deum*, quem Chorus prosequitur.

8 Interim Pōtifice manēte sine Mitra apud sedē, Abbatissa associata à matronis reuertitur ad Monasterium, & à senioribus excepta ante Portam, ad Chorum perducitur, vbi Moniales omnes faciunt ei reuerentiam, & ab ea benignè ad osculum recipiuntur.

9 Completo Hymno, Pontifex stans sine Mitra, Abbatissa sedente in Choro in sua sede dicit Versus, & Orationem, prout in Pontificali. Et in fine accepta Mitra dat solemnem benedictionem, depositisque sacris vestibus omnes recedunt. Pont. p. 185.

De benedictione solemni, quæ datur ab Episcopo in fine Missę, Concionis, Vesperarum, Processionum, & aliarum solemnium functionum.

Caput IX.

1 *Ordo quo Episcopus solemniter benedicit.*
2 *Episcopus benedicens populo Baculum tenebit.*
3 *Si sit Archiepiscopus ante se crucem tenebit.*
4 *Benedictio in fine Vesperarū, & Laudū.*
5 *Indulgentia quando concedantur cum Benedictione.*
6 *Si Episcopus fuerit Cardinalis quid addendum.*

7 Bene-

1 EPiſcopus in fine Miſſæ ſolemnis dicto *Placeat tibi Sancta Trinitas*, &c. ſolemniter populo benedicturus accedit ad medium Altaris cum Mitra, & pollice dextræ manus format ſibi ſignum Crucis in pectore dicens, *Sit nomen Domini benedictum;* interim ſiniſtrã ſuper Altare tenens, & Choro reſpondente *Ex hoc nunc, & vſque in ſæculum,* etiam ipſam manum dexteram ſuper Altare tenebit, deinde ſubdens *Adiutorij*, &c. eadem dextera ſignat ſe ſigno Crucis à fronte ad pectus, & à ſiniſtro humero ad dextrum, & Choro reſpondente *Qui fecit cœlum, & terram,* rurſum ipsã dexteram ſuper Altare reponit.

2 Deinde eleuans oculos, & manus, ſimulque iungens dicit *Benedicat vos Omnipotens Deus*, & conuertens ſe ad populum accipit manu ſiniſtra Baculum, dextera verò, cum dicit *Pater*, ſignat populum ad latus Epiſtolæ, deinde ſubdẽs, *& Filius*, ſtans in medio, ſecundò benedicit populum in medio Eccleſiæ ſtantẽ, ac tandem vertens ſe ad latus Euangelij, cum ſubdit, *& Spiritus ſancti*, tertiò ſignat populum perficiendo circulum.

3 Si Prælatus ſit Archiepiſcopus in loco ſuæ Prouinciæ, Capellanus deferet ante illum Crucem, quam genuflexus tenebit, ipſe verò Archiepiſcopus ſtans ſine Mitra prius caput Cruci inclinat, deinde eadem format benedicit populo.

4 Eodem modo detur benedictio in fine Veſperarum, ac Laudum, cum Epiſcopus ſolemniter celebrat, ſimiliter in fine proceſſionis, poſtquam in Eccleſiam peruenerit.

5 In fine benedictionis in Miſſa, non autem ad Veſperas conceditur ab Epiſcopo quadraginta dies Indulgentiarum, & ſi Epiſcopus fuerit Cardinalis centum dies, quę Indulgentia Epiſcopo celebrãte publicatur à Presbytero aſſiſtẽte hoc modo. *Reuerendiſſimus in Chriſto Pater, ac Dominus D N. Dei, & Apoſtolica Sedis gratia Epiſcopus N. dat, & concedit omnibus hic præſentibus quadraginta dies de vera Indulgentia in forma Eccleſiæ conſueta; Rogate Deum pro felici ſtatu Sanctiſſimi Domini noſtri Domini Papæ N. Dominationis ſuæ Reuerendiſſimæ, & S. Matris Eccleſiæ.*

6 Si Epiſcopus eſſet Cardinalis additur nomen ipſius, videlicet, *Reuerendiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus N. Tituli Sancti N Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis N. & Epiſcopus* N. *dat, & concedit*, vt ſupra, *centum dies, &c.*

7 Si ſermo habeatur intra Miſſam, ſtatim completo ſermone, Diaconus, qui cantauit Euangelium ſtans ante Epiſcopum capite inclinato cantabit confeſſionem in tono, qui habetur in fine Cęremonialis Epiſcoporum; interim ſermozinator in Pulpito genufle&tet, & cõpleta confeſſione ſurgens publicabit Indulgentias, vt ſupra.

8 Publicata Indulgentia Epiſcopus, depoſita Mitra, leget ex libro per Miniſtrum de eo ſeruientem ſuper caput ſuſtentato in tono Orationis ad populum *Precibus, & meritis*, &c. & *Indulgentiam, abſolutionem*, &c. deinde conuerſus ad populum ſubdet, *& Benedictio Dei Omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper*, Reſp. *Amen*, ter ſignans dextera ſuper populum ad ſingula verba, ad latus

ſini-

finiſtrum, videlicet, in medio, & ad latus dextrum.

9 Quando publicantur Indulgentiæ poſt Sermonem, qui habetur intra Miſſam, in fine licet detur benedictio, vt ſupra, non tamen in eo caſu publicantur Indulgentiæ, quando verò non habetur Sermo, Indulgentiæ in fine Miſſæ publicantur, Epiſcopo celebrante, per Presbyterum aſſiſtentem, vel eo non celebrante, per ipſum Canonicum celebrantem.

10 Epiſcopus non celebrans, ſed præſens ad Miſſam, & Veſperas benedictionem dat in ſua ſede eminenti.

11 Præſente Cardinali Legato à latere Epiſcopus in ſua Diœceſi, vel Prouincia abſtinebit non ſolùm à benedictionibus ſolemnibus, ſed priuatis, nec permittet deferri ante ſe Crucem, etiam ſi ipſe Archiepiſcopus eſſet Cardinalis. Idem ſeruandum ab Epiſcopo coram quolibet Cardinali; celebrans verò Epiſcopus debet per aliquem ſuum Capellanum Cardinali præſenti ſignificare, vt omnia Epiſcopalia munia exercere, & benedictiones dare dignetur, quòd ſi ille ex vrbanitate, vt decet, facere recuſauerit, poterit Epiſcopus celebrans prædicta omnia exercere.

12 Epiſcopus Cardinalis non celebrans, ſed aſſiſtens, præſente alio Cardinali non Legato debet Cardinalem præſentem rogare, vt omnes benedictiones thuris, & miniſtrorum faciat, ac in fine ſolemniter populo benedicat, quòd ſi ille noluerit, poterit ipſe Cardinalis Epiſcopus prædicta omnia exercere; benedictionem verò in fine propter reuerentiam Cardinalis præſentis non in ſede, ſed in Altari dabit: ſi verò ipſe Cardinalis Epiſcopus præſente alio Cardinali non Legato celebret, benedictiones, & omnia alia munia Epiſcopalia præſtabit.

13 Epiſcopus præſente Metropolitano ceſſabit à benedictionibus; ſimiliter præſente Nuntio Apoſtolico habente facultates Legati à latere procedet, vt dictum eſt, præſente Cardinali.

14 Papa eodem modo cum Cruce ſtans ſine Mitra ſolemniter benedicit in Capella poſt Sermonem, & in fine *Miſſæ*, ac Veſperarum.

51 Quando publicè benedictio datur, finita *Miſſa*, præcedentibus Prælatis, & Cardinalibus, Papa ſub Baldachino defertur ad locum publicæ benedictionis, vbi ſolemniter benedicit populo, & publicantur Indulgentiæ Plenariæ, quas Diaconus à dextris aſſiſtens pronunciat Latinè, qui verò eſt à ſiniſtris Italicè.

SECTIO DECIMATERTIA.

De Conſecratione Eccleſiæ.

De benedictione primi lapidis pro Eccleſia ædificanda. Cap. I.

1 DEſignato loco; quo Eccleſia ædificari debet, apertiſque fundamentis, ſaltem vno, alijs deſignatis, præparetur lapis quadratus, & angu- Pōt. Ro. part. 2. rubr. de bene. & impoſition. primi lapidis 281.

laris

laris benedicendus ab Episcopo, & ponendus in fundamento Crucibus vndique insculptis; accommodetur etiam capsula lapidea, cui includantur Agnus Dei cerę benedictæ; promptuaria item ęrea cum Imagine alicuius Sancti, vel viuentis Pontificis; vas olei; necnon cedula ex charta pergamena, in qua inscribatur Ecclesiæ fundationis tēpus, quo Pontifice, sub quibus Principibus, & quo Episcopo sit impositus primarius ille lapis Ecclesię ędificandę; ipsa verò cedula inuoluta reponatur in aliquo instrumento stanneo, & omnia simul in ipsa vrnula bene claudantur, superposito cemento cum puluere carbonum, & ita in primario ipso lapide ponatur.

2 Pridie quā lapis benedici debeat, in loco vbi esse debet Altare, figatur Crux lignea, & ipso die, quo lapis benedici debet, præparetur loco futurę Ecclesię credētia, in cuius medio sit Crux, & duo candelabra cū cereis accensis; itē pro Episcopo, Amictus, Alba, Cingulus, Stola, & Pluuiale albi coloris cū Mitra simplici. Ante credentiā ipsam in terra sternatur tapetum, & statuatur faldistorium coopertum suo in tegumēto albi coloris. A latere sit alia credentia cum vase aquę benedictæ, & aspersorio; sit insuper vas aquæ benedicendæ; peluicula cum sale, culter ad sculpendas Cruces in lapide benedicendo; vasa ad abluendas manus, & mantilia ad tergendas, necnon Pontificale, & Baculus pastoralis.

3 Ministri Clerici superpelliceis induti erunt, videlicet deseruiens de libro, item de Mitra; tertius deferens Baculum, & duo alij ad minus, prę̄ter scutiferos, & familiares Episcopi.

4 Statuta die hora congrua Capellani Episcopi superpelliceis induti et assistētes induunt Episcopum supra Rochettum, siue sit Regularis supra superpelliceum Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluuiali albo, eiusque capiti imponunt Mitram simplicem.

5 Episcopus indutus Baculū sinistra tenēs accedit ad locū Ecclesiæ fundādę, ibiq; exorcizat, & benedicit salē, & aquā, facta vtriusq; cōmixtione, prout in Pont. pa. 281.

6 Post aquæ benedictionem Episcopus cum *Mitra* accedens ad locum, vbi Crux posita est, eam aspergit dicens Antiphonam *Signum salutis*, &c. cum Psalmo *Quàm dilecta*, &c. deinde deposita Mitra in eodem loco dicit Orationem *Domine Deus*, &c. in qua inuocare debet expressè nomen Sancti, vel Sanctæ, in cuius honorem Ecclesia fundatur, prout in Pontificali. pa. 287.

7 Quibus completis ante Crucem stans sine Mitra benedicens lapidem dicit Versum, & Orationes *Domine Iesu Christe*, &c. & *Domine sancte*, &c. post quas aspergit lapidē ipsum aqua benedicta, & accepto cultro, per singulas partes insculpit signum Crucis, prout in Pont. pa. 288.

8 Benedicto lapide Pontifex in faldistorio procumbens cum Mitra dicit Litanias, quibus completis surgens, deposita Mitra, dicit Orationem *Actiones*, &c.

9 Parato cemento cementario assistente, Pontifex cum Mitra inchoat Antiphonam *Mane surgens*, &c. quam prosequuntur Cantores cum psalmo *Nisi Dominus*, &c. prout in Pont. pa. 289.

10 Finito psalmo Pontifex tangit, & ponit primarium lapidem in fundamento, dicens, *Infundere*, &c. Interim cementarius locat, & adaptat ipsum lapidem cum cemento, illoque recedente, Pontifex spargit super ipsum aquam benedictam dicens Antiphonam *Asperges* cum psalmo *Miserere*, &c.

11 Dicto psalmo Pontifex spargit aquam benedictam super omnia fundamenta, si sint aperta, si verò non, circuit aspergendo fundamenta designata, dicēs Antiphonam *O quam metuendus est*; &c. cū psalm. *Fundamenta eius*, &c. & aspersa tertia parte fundamentorum, stans sine Mitra dicit *Oremus*, & Ministri *Flectamus genua*, & *Leuate*, postea subdit Orationem *Omnipotens*, &c. prout in Pont. pa. 291.

12 Deinde dicēs Antiph. *Pax æterna*,

&c.& procedēs cum Mitra aspergit aliam tertiam partem fundamentorum, ac dicit *Omnipotentem*, &c. postea inchoat Antiphonam *Bene fundata est*, &c. quam prosequuntur Cantores vnà cū Psalmo *Lætatus sum*, &c. prout in Pont.

Pōt. Ro. pa. 195.

13 Interim Pontifex procedit aspergendo vltimam tertiam partem fundamentorum, & in locum, vbi lapidem reposuerat, rediens stans sine Mitra dicit *Oremus*, & Ministri *Flectamus genua*, & *Leuate*; ipse verò subdit Orationē *Deus, qui ex omnium*, &c.

14 Post Orationem Pontifex inchoat Hymnum *Veni creator Spiritus*, quem Chorus prosequitur vsque ad finem, omnibus in primo Versu genuflectentibus, etiam ipso Pontifice, qui postea consurgens stat detecto capite, & in fine dicit Orationes *Descendat*, &c. & *Deus qui*, &c. prout in Pontificali.

Pōt. Ro. pag. 196

15 Completis Orationibus, (si videbitur) Pontifex sedens cum Mitra exhortatur populum ad nouę Ecclesię constructionem, mysteria, quę in ea continentur explicans; & in fine dat solemnem benedictionem concedens Indulgentias.

16 Si Episcopus voluerit, expleta benedictione, in eodem loco celebrare, acceptis paramentis Missalibus poterit celebrare Missam de Sancto, in cuius nomine Ecclesia fundata est; Missa autem erit votiua sine *Gloria*, & *Credo* eo modo, quo dictū est in proprio loco de Missis votiuis.

De benedictione Cœmeterij. Cap. II.

1 *Cruces quot, & quomodo preparandæ.*
2 *Credentia quomodo aptanda.*
3 *Paramenta Pontificis.*
4 *Ministri quales requirantur.*
5 *Ordo quo Episcopus accedere debet.*
6 *Litaniæ quomodo dicendæ.*
7 *Salis, & aquæ benedictio.*
8 *Crucis prima aspersio, & thurificatio.*
9 *Secundæ Crucis.*
10 *Tertiæ Crucis.*
11 *Quartę Crucis.*
12 *Quintę Crucis.*
13 *Benedictio solemnis populo danda.*
14 *Missa quomodo celebranda.*

1 PRo Cœmeterio benedicendo parentur in ipso loco quinque Cruces; quarū vna in medio omnibus altior; aliæ quatuor, vna ante ipsam Crucem mediam, alia retro, reliquæ duæ à dextris, & sinistris collocentur; ante quamlibet Crucem figatur in terra ligneum instrumentum, in quo tres candelæ affigi debent; in summitate verò cuiuslibet Crucis erunt tres cuspides ferrei, in quibus suo tempore poni debent cerei; pariter & à lateribus hinc inde; scala insuper, per quam Pontifex ascendens possit attingere summitatem Crucis. Præparentur propterea tres candelæ trium vnciarum, vel circa per singulas Cruces.

Pōt. Ro. p. 2. rub. de cœmeterij bened. 445

2 Aptetur credentia, in qua sint Pontificale, Mitra, vas aquæ benedictę cum aspersorio, thuribulum cum nauicula, vasa ad abluendas manus, mappę ad abstergendas, peluicula cum sale, & vas magnū repletum aqua benedicenda.

3 Pro Pontifice præparentur Amictus, Alba, Cingulus, Stola, Pluuiale albi coloris, Mitra simplex, & Baculus pastoralis: Ante Crucem mediam sternatur Tapetum, & desuper apponatur faldistorium cum puluino.

4 Ministri erunt superpelliceis induti, inter quos deferens Crucem medius inter duos Ceroferarios cum cereis accensis, deseruiens de libro, de Mitra, deferens vas aquæ benedictę, thuribulum, faldistorium, Cantores, atq; Scutiferi.

5 Die statuta, siue sit ferialis, siue festiua, hora cōgrua Episcopus indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, ac Pluuiali albi coloris cum Mitra simplici, & Baculo pastorali, habens circumcirca Ministros superpelliceis indutos, accedit ad cœmeterium benedicendū, ibiq; super faldistorio sibi parato sedens breui sermone popu-

lum

lum de sanctitate, & immunitate loci illius admonet. Post sermonem affiguntur, & accenduntur quindecim candelæ tres ante quamlibet Crucem in instrumento ligneo præparato; deinde Pontifex accedens ante mediam Crucem stans sine Mitra dicit Orationem *Omnipotens*, &c. prout in Pontificali, in quibus cum dictũ fuerit, *Vt omnibus fidelibus defunctis*, &c. surgens, Baculumque pastoralem sinistra tenẽs producit signum Crucis super cœmeterium ter dicens *Vt hoc cœmeterium*, &c. ac deinde iterum procumbit, donec compleantur Litaniæ.

Pont. p. 456.

7 Post Litanias surgens Pontifex, stansque cum Mitra benedicit salem, & aquam, ac miscet more solito.

pont. p. 282.

8 Post aquę benedictionem Pontifex cum Mitra accedens ad Crucem, quæ est ante mediam ad pedes cœmeterij, in ipso videlicet ingressu inchoat Antiphonam *Asperges*, quam Clerici prosequuntur cum Psalmo *Miserere*, in cuius fine dicitur ℣. *Gloria Patri*, & repetitur Antiphona: Interim Põtifex circuit, & aspergit totum cęmeterium vbique, incipiens à dextris, & expleto circuitu rediens ante ipsam Crucem, vnde processit, deposita Mitra dicit ibi Orationem *Deus, qui es*, &c. Completa Oratione imponit incensum in thuribulum, terque Crucem ipsam thurificat, deinde vnam ex tribus candelis accensis, mediam videlicet in summitate Crucis figit, mox alias duas in duobus brachijs.

pont. p. 459.

9 Accedens deinde Põtifex ad Crucem retro mediam positam in capite videlicet cœmeterij, aspergendo semper aqua benedicta cęmeterium circuit, dicens Psalmos: *Domine ne in furore*, &c. & *Beati quorum*, &c. non dicendo in fine eorum Versum *Gloria Patri*, sed completo circuitu stans ante ipsam Crucem deposita Mitra dicit Orationem *Domine sancte*, &c. deinde imposito incenso in thuribulum; ipsam triplici ductu thurificat, & tres candelas in eius summitate infigit, primò mediam in supremo loco, deinde alias duas in duobus brachijs.

pont. p. 462.

10 Tertiò accedens ad Crucem, quæ est à dextris mediæ, prius circuit cęmeterium aspergendo aqua benedicta, & dicendo Psalmum *Domine ne in furore*, &c. sine *Gloria Patri*: quo dicto deposita Mitra stans ante ipsam Crucem dicit Oratione *Domine Deus*, &c. deinde ministrato incenso ipsam thurificat, & eodem modo, quo supra, figit in eius summitate tres candelas, primò mediam supremo loco, mox alias duas à lateribus.

pont. p. 464.

11 Quartò accedens ad Crucem, quæ est à sinistris mediæ, circuit aspergendo cęmeterium, interim dicens Psalmum *Domine exaudi orationem meam*, sine *Gloria Patri*; quo completo stans ante ipsam Crucem, deposita Mitra, dicit Orationem *Domine Iesu Christe*, &c. postea thurificat ipsam Crucem, & in eius summitate candelas accensas figit, vt in præcedentibus.

pont. p. 466.

12 Quintò Pontifex rediens ad Crucem mediam aspergendo semper cęmeterium cũ aqua benedicta dicit cũ Ministris Psalm. *De profundis*, & *Domine exaudi*, &c. sine *Gloria Patri*, &c. deinde ante ipsam Crucẽ stans dicit Orationẽ *Adesto*, &c. & extensis manibus ante pectus subdit Præfationem, qua completa ipsam incensat, & in eius summitate figit tres candelas accensas, vt supra; subdens post modum *Oremus*, & ministris dicentibus *Flectamus genua*, & *Leuate*, dicit Orationem *Domine sancte*, &c.

pont. p. 468.

pont. p. 473.

13 Dat post hæc solemnem benedictionem, dicens: *Sit nomen Domini benedictum*, &c.

14 Celebrabitur deinde in Ecclesia ab Episcopo, vel alio Sacerdote Missa de die, in qua dicetur Oratio pro benedictione cęmeterij sub vno *Per Dominum*, &c.

De reconciliatione Ecclesiæ, & cęmeterij. Cap. III.

1 *Habitus Episcopi in reconciliatione Ecclesiæ, & cœmeterij.*
2 *Ordo procedendi.*

3 *Aquæ benedictio,et aspersio quõ facieda.*
4 *Ad Litanias quomodo procedendum.*
5 *Oratio dicenda versus Altare.*
6 *Secunda benedictio aquæ cum sale, ci nere,& vino.*
7 *Aspersio Ecclesiæ facienda per circuitũ.*
8 *Dicenda in Presbyterio.*
9 *In fine agenda.*
10 *Obseruanda quando tantùm Ecclesia reconcilianda.*
11 *Quando cæmeterium tantùm.*

1 ECclesia, & Cæmeterium, si fuerint polluta,quolibet die reconciliari possunt ab Episcopo sacris indu- Pōt.Ro. 2. rub. Eccl. Cœ et. re. concil. 4.
to,videlicet Amictu,Alba,Cingulo,Stola ac Pluuiali albi coloris cum Mitra simplici, Assistentibus Capellanis superpelliceis indutis,vt supra.

2 Hora congrua paratis omnibus in loco benedictionis videlicet vase aquæ benedictæ, vase cũ sale,faldistorio, & reliquis proceditur ad locum hoc ordine: prçcedit Thuriferarius cum thuribulo,& alter Accolithus cùm vase aquç benedictç,sequitur deferẽs Crucem medius inter duos Ceroferarios cum cereis accẽsis; deinde reliqui Capellani superpelliceis induti,vltimus omnium incedit Episcopus paratus deferens sinistra Baculũ pastoralem,quem sequuntur familiares, & Scutiferi.

3 Si cçmeterium simul, & Ecclesia sint benedicenda,Episcopus ante cçmeterium prius accedens ibi benedicit salem, & aquam, atque commiscet more solito,deinde,inchoat Antiphonã *Asperges*,&c. quam Chorus prosequitur cum Psalmo *Miserere*; interim circuit aspergendo aqua benedicta alternatim nunc ad murum Ecclesiæ, nunc ad terram cçmeterij, & specialiter ad loca contaminata,& rediens ad locum,vbi aquam benedixit,completo Psalmo, & repetita Antiphona, stans sine Mitra dicit Orationem *Omnipotens*, &c.cum alijs sequentibus.

4 Completis orationibus, acceptaq; à Pontifice Mitra,Cantores inchoant Litanias, & proceditur ad Ecclesiam ipsas cantando,vbi ante Altare maius Pontifice procumbente super faldistorio sibi parato, cum dictum fuerit *Vt omnibus fidelibus defunctis*, &c. surgens Pontifex cum Pastorali in sinistra ter dicens *Vt hanc Ecclesiam*,&c. format signum Crucis super Altare,Ecclesiam,& Cçmeteriũ per singulas vices, quibus dictis iterum super faldistorio accumbit, donec compleantur Litaniæ,prout in Pont. Pont.p. 477.

5 Litaniis completis surgit Pontifex, & stans deposita Mitra dicit versus Altare *Oremus*, & ministri *Flectamus genua*, & *Leuate*: ipse verò subdit Orationem *Deus qui*,&c. vt in Pontificali: qua completa ante faldistorium genuflectẽs Pont. p. 472.
dicit *Deus in adiutorium meum intende*, & Choro respondente *Domine ad adiuuandum*, &c. surgit; eadem secundò, & tertiò eodem loco repetendo,semperq; altiùs vocem eleuando genuflectit, & surgit,vt supra.

6 Põtifex in Presbyterio benedicit aliã aquã in vase paratã cũ sale, cinere,& Pōt.Ro. tit. de coes.Ec-
vino,prout in secunda aquæ benedictione,quç fit in dedicatione Ecclesiç. clef.pag. 316.

7 Completa benedictione cum Orationibus,Pontifex inchoat Antiphonam *Exurgat Deus*, quã Chorus prosequitur cũ Psal.repetendo per singulos Vers. eãdẽ Añam,interim circuiendo ter Ecclesiã intrinsecus ipsã aspergit, in primo circuitu superiorẽ partẽ parietũ, in secũdo inferiorẽ in tertio verò pauimentũ Eccl. specialiter aspergẽdo loca cõtaminata.

8 Post aspersionẽ Põtifex in Presbyterio stans cũ Mitra versus Altare dicit *Deũ indultorem*,&c.prout in Pont.post quam Pōt. Ro. pag.460.
depositaMitra extensis manibus ante pectus cõpetenti voce dicit Præfationẽ, qua cõpleta accepta Mitra ascẽdit ad Altare,& ibi inchoat Antiph. *Introibo*,quã prosequitur Chorus cum Psal. *Iudica me Deus*,in cuius fine nõ dicitur ℣. *Gloria Patri*,sed repetitur Antiph. & postea Põtifex dicit *Oremus*,&ministri *Flectamus genua*,

nua,& *Leuate*;ipse verò subdit Orationē *Deus qui*,&c. prout in Pont.

pont. p. 487.

9 Post Orationem inchoat Antiphonam *Confirma hoc Deus*,&c.quam Chorus prosequitur cum Psalmo *Exurgat Deus*, in cuius fine dicetur Vers. *Gloria Patri*,& interim Pontifex stat in eodem loco cum Mitra, ac omnibus completis surgens deposita Mitra dicit Orationem *Deus,qui Ecclesiā*, &c.in fine populo benedicens;&si celebrāda sit Missa,erit dedie,addita propriaCollecta dicenda cum oratione diei sub vno *Per Dominum*.

10 Si Ecclesia tantū sine cœmeterio reconciliari debeat,tūc non in cæmeterio, sed ante Portā principalem Ecclesiæ paratur faldistorium, ibiq; primò aqua benedicitur ab Episcopo, & omittitur secū da Oratio *Dñe pie*,&c.ac dicta Orone *Aufer à nobis*, &c. immediatè dicuntur Litaniç,in quibus nulla fit cęmet.memoria

Pōt.Ro. p.1.rub de recō. cęm.sine Eccl.recōc.488.

11 Si verò cęmeterium tātùm, quod ab Ecclesia est separatum,fuerit pollutū, tunc in eius reconciliatione faldistorium parabitur in medio cęmeterij, vbi ab Episcopo parato,vt supra,cantantur Litaniç,in quibus post ℣. *Vt omnibus fidelibus defunctis*, &c. dicitur *Vt hoc cæmeterium reconciliare*,&c.Finitis Litanijs Pontifex surgens ab accubitu benedicit aquam simpliciter, deinde dicens Antiphonam *Asperges me*,&c. & Psalmum *Miserere* cum Mitra circuiendo totum cæmeterium,incipiens à dextera vndique ipsum aqua benedicta aspergit, præcipuè in locis contaminatis, atque pollutis, ipsoque asperso rediens ad locum, vbi Litaniæ dictæ fuerunt, stans sine Mitra ante faldistorium dicit *Oremus*,&Ministri *Flectamus genua*,& *Leuate*;ipse verò subdit Orationem *Domine pie*,&c.qua completa dat solemnem benedictionem.

De Præparandis ante consecrationem Ecclesiæ. Cap.IV.

1 IN Ecclesijs Deo dicandis, ac solemniter consecrandis antiquissimam Sanctorum Patrum institutionem fideliter custodimus; magnam profecto opus mystica vnctione pluribus ablutionibus,benedictionibus,orationibus, circuitionibus, sactisque ritibus Catholica Ecclesia de more perficere solet, ad quę quia plura requirūtur,præparanda prius adnotabimus.

Pōt. Ro. p.2. rub. de Eccl. dedicat. sāct. cōsecr.497

2 Prouidēdum in primis est,vt completa Ecclesiæ materiali structura, exterius circuiri possit, interius verò parietibus duodecim Cruces vel depingantur, vel quod magis decet, periti sculptoris arte in lapide insculpantur, videlicet ex porphyro super marmoreum lapidem ipsi parieti aptandum; erunt à terra circa decem palmos eleuatæ tres pro qualibet ex quatuor partibus.

3 Ante quamlibet Crucem figātur clauus,cui aptari possit candelabrum ad formam cornucopiæ,in quo candela affigi debet; erit autem hoc instrumentum,vel ex auricalcho,vel ex ligno inaurato effabrè elaboratum, quod non solùm in ipso consecrationis actu inseruiet:verum etiam quotannis in ipsa anniuersaria die, quæ solemniter celebrari debet,à primis Vesperis,& tota die,cum

diuina celebrãrur Officia, ante ipsas Cruces candelæ accendi debent.

4 Scala item, seu machina lignea, super quã Episcopus cum ministris ad vngendas Cruces ascendere possit, fabricetur, ad quam hinc inde per gradus ascensus pateat trium, vel quatuor graduum, habens in summitate congruum spatium amplitudinis, ita vt in ea consistere possit Episcopus inungens ipsas Cruces cum duobus ministris ei assistentibus, altero videlicet à dextris cum vasculo olei, altero à sinistris cum libro: vt autem huiusmodi machina commodè deduci possit, aptentur in inferiori parte eius rotulæ ferreæ, eritque hæc scala instrumentũ ipsi Sacristæ postmodum opportunum non solùm ad accendendos huiusmodi cereos, verùm etiam ad alia Ecclesiastica munia.

5 In primis pridie illius Dei, quo Ecclesia cõsecrari debet, Episcopus, & Clerus illius Ecclesiæ, ac etiam alij, qui eius consecrationem petunt, debent Ecclesiastico more ieiunare.

6 Altaria omnia erunt nuda absque omni ornatu, sine Cruce, sine candelabris; corum tamẽ tobaleæ mundę, & alia otnamenta ab Episcopo benedicenda loco congruo preparentur. Fõtes aquę benedictę bene mundati erunt vacui; ipsa verò Ecclesia clausa manebit vsque ad tempus consecrationis.

7 Pro cineribus aptandis in pauimento Ecclesię, opportuno tempore *Magister* Cęremoniarum curabit, vt ex ipsis duę lineę efformentur in modum Crucis, latitudinis vnius palmi, & longitudine pertingentes ab angulo Ecclesię è sinistra manu per Portam principalem intrantis, ad angulum transuersum illius, idest ad caput Ecclesię à latere Epistolę, quod est ad dexteram manum intrantis; & aliam ab angulo Ecclesię à dextera manu intrantis ad caput Ecclesię à latere Euangelij; vel quod magis expedit, loco primæ lineæ instrumento ligneo ad modum capsulæ, absque tamen fundo, aptentur vigintiquatuor areolæ ex cinere, æquali, atque conuenienti spatio inter se distãtes, in quibus alio instrumento efformentur vigintiquinque elementa Alphabeti Gręci, ita vt Episcopus cuspide Baculi pastoralis super ipsas efformet postmodum Alphabetum; similiter in secunda linea efformentur viginti tres areolæ pro Alphabeto Latino, ipsæque lineæ Alphabeti imprimantur pariter ligneis instrumentis ad id fabrefactis, prout dictum est de Alphabeto Græco; non enim alio modo poterunt, cum tempus instat, neque à Magistro Cęremoniarum opportunè disponi, neq; ab ipso Episcopo efformari; itaque Magister Cęremoniarum pridie designabit huiusmodi lineas cum lapide, vel carbone; adaptans in ipsis ligneo instrumento vtriusq; Alphabeti imagines.

8 Ante Ecclesiam ornetur, & bene disponantur locus pro conseruãdis Sanctorum Reliquiis in nocturnis vigilijs, prout dicetur: & si locus non sit ad id congruus, disponantur aliquod tentoriũ, seu papilio decenti ornatu. Arcula verò pro Sanctorum Reliquijs panno aureo contecta, cum suo baldachino, & baculis, quibus gestari possit super humeros, aptetur; pariter ante fores Ecclesiæ faldistorium pro Episcopo, item aliud intra Ecclesiam.

9 In ipsa Ecclesia præparentur supra credẽtiam loco congruo vasculum Sancti Chrismatis, & ampulla; oleum Sanctum Cathecumenorum pariter in vasculo, & ampulla; duę libræ thuris in peluicula, cuius medietas sit in granis; peluis cineribus referta; peluicula salis; duo vasa aquę benedicendę, aliud extra, aliud intra Ecclesiã in Presbyterio; vas vini; aspersoriũ de herba hyssopo confectũ; duę libræ gossipij, siue bombycis pro extergendis Crucibus, quę fiunt in parietibus Ecclesię, & in stipite Altaris, quinque Cruces paruę factę de candelis cerę subtilis pro quolibet Altari consecrando; paruę spatulę ligneę ad

abra-

abradendū de Altari combustiones candelarum, & thuris; vas, in quo ipsæ rasuræ deponantur; prunæ accensæ in suo vase pro thuribulo; thuribulum cum nauicula, vas aquę benedictæ cum aspersorio, & Pontificale.

10 In alio loco prope Altare sit in promptu calx; arena, siue pulueres ex tegulis tritis ad faciendum cementum pro liniendo sepulchro Reliquiarum, & iuncturam mēsæ Altaris cum stipite; duodecim candelæ ante Cruces accendendæ; duo intortitia, quæ accensa debent præcedere Pontificem; vasa ad abluendas Pontificis manus, & mappæ ad abstergēdas; Mantilia item ex tela grossa ad extergendā mensam Altaris, quoties opus fuerit; tela linea cerata pro quolibet Altari consecrando ad ipsius mensam cooperiendam.

11 Paramenta pro Episcopo, videlicet Amictus, Alba, Cingulus, Stola, ac Pluuiale albi coloris, Mitra simplex, & Baculus pastoralis in loco cōsecrationis pręparentur ante fores Ecclesiæ; item in Sacristia, vel alio loco congruo Ministrorum paramenta scilicet duorum Diaconorum, & Subdiaconi, qui debēt Episcopo ministrare; pro celebratione verò Missæ Pontificalis post consecrationem celebrandę omnia necessaria pro Episcopo, & Ministris opportuno loco, intortitia pariter, & cerei disponantur.

De depositione Reliquiarum Sanctarum ad Vesperum præcedentis diei facienda.

Cap. V.

1 *Sanctorum Reliquiæ quomodo in Arcula collocari debeant.*
2 *Quomodo ad locum paratum deferendæ.*
3 *Quomodo ibi aptanda.*
4 *Vigilia ante eas celebranda.*

1 Ante diem consecrationis post Vesperas circa serum Episcopus indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, ac Pluuiali albi coloris, assistentibus Diacono, & Subdiacono suis paramentis pariter albis indutis, Sanctorum Reliquias in Altari consecrando includēdas reponit in decenti vasculo mundo, & cum eis tria grana thuris, nec non chartulam pergamenam, in qua sit inscriptum nomen consecrantis, tempus consecrationis cum nominibus Sanctorum, quorum reliquiæ ibi reconduntur, & concessio Indulgentiarum, & clausum, ac sigillatum vasculum in Arcula clauibus obserata, ac benè ornata includit.

2 Omnibus vt supra benè dispositis, Diacono parato ministrante incensū Episcopus in thuribulū ponit, ac benedicit, tripliciq; ductu ipsas Reliquias thurificat; mox Subdiaconus paratus cum Cruce medius inter ceroferarios, alios omnes pręcedens, processionem ordinabit ad locum paratum, reliqui bini cum cereis accensis sequētes; feretrum à Leuitis in humeris gestabitur, Sacerdotibus paratis Baldachini hastas deferentibus; Thuriferarios Sanctorum reliquias continuè per viam incēsabit, Episcopus post feretrum Sacrorum pignorum cum Mitra incedet, post Episcopum Prælati, si adsint, Magistratus, ac reliqui Togati cū Viris nobilibus mixtim.

3 Cum ad locum peruenerint, rursum Episcopus Sāctorum Reliquias thurificabit, & super Altari decenter ornato cum luminibus collocabit; vbi verò aliquantisper orauerit, recedunt omnes.

4 Ecclesiæ Clerus celebrabit in ipsa nocte vigilias ante Sanctorum reliquias, ac in primis cantabunt Nocturnum, & Laudes Matutinas in honorem eorum Sanctorum, quorum Reliquię in vrna sunt reconditæ, deinde per vices ante ipsas Orationi tota nocte vigilantes assistentes.

De agendis ab Episcopo mane diei consecrationis antequam Ecclesiam ingrediatur. Cap. VI.

1 SVmmo mane omnibus in loco consecrationis bene dispositis, adstantibus in Sacristia Clericis, atque Presbyteris superpelliceis, & duobus Diaconis suo Diaconali habitu indutis, necnon Subdiacono parato; accedente Episcopo in suo habitu quotidiano, in Ecclesia ipsa accenduntur duodecim candelæ ante Cruces, & in eius medio supra tapetum stratum ponitur Faldistorium ornatum; alio pariter Faldistorio ante fores Ecclesię super tapetum præparato, omnibusque inde exclusis, ac clausis ianuis, vno tantùm Diacono parato intus manente, proceditur ad locum extra Ecclesiam, vbi pridie Sanctorum Reliquiæ fuerunt repositę.

2. Pręcedit Subdiaconus deferēs Crucem medius inter ceroferarios; sequuntur Clerici; atque Presbyteri bini, post ipsos erit Diaconus; vltimus Episcopus in suo habitu, & post ipsum viri nobiles, eiusque familiares. Ad locum peruenientes omnes genuflectunt, & Episcopo inchoante, & Clericis prosequentibus dicuntur submissa voce septem Psalmi pęnitentiales cum Antiphona *Ne reminiscaris* fine Litanijs.

3 Interim Episcopus induitur paramentis sibi in loco supra credentiam pręparatis, & à clericis adiuuante Diacono ministratis, videlicet Amictu, Alba, Cingulo, Stola, ac Pluuiali coloris, Mitram simplicem accipiens in capite, & Baculum pastoralem in sinistra manu.

4 Septem Psalmis completis Pontifex cum Ministris, & Clero accedit ante fores Ecclesiæ consecrandę, ibique stans sine Mitra inchoat Antiphonam *Adesto*, &c. quam Chorus prosequitur, deinde eodem modo dicit Orationem *Actiones*, &c. postquam accepta Mitra, & in Faldistorio ante fores Ecclesię præparato procumbente dicuntur Litanię vsque ad Versum *Ab omni malo*, &c. exclusiuè. Pōt.p.2. pag. 299

5 Surgens Pontifex, & stans cum Mitra benedicit salem, & aquam prima benedictione, quę habetur in Pontificali, deinde accenduntur duo intortitia deferēda ante Episcopum à duobus Acolythis, & Pontifex stans sine Mitra aspergit se, & circumstantes inchoando Antiphonam *Asperges me*, &c. quam Chorus prosequitur; interim imposita sibi Mitra pręcedentibus Acolythis cum intortitijs accensis, & Clero, ac populo incipit circuire Ecclesiam ad manum dexteram, spargens aquam benedictam forinsecus supra parietes Ecclesię, & cęmeterium, dicens *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: finita Antiphona Clerici cantabunt Responsorium *Fundata est*, &c. & completo circuitu Pontifex ante ostium perueniens stans sine Mitra dicit *Oremus*, dictoque à Ministris *Flectamus genua*, & *Leuate*, subdit Orationem *Omnipotens*: qua dicta Pontifex accepta Mitra ad ostium Ecclesię appropinquans percutit illud semel cum inferiori parte Baculi pastoralis super liminare dicens intelligibili voce *Attollite portas*, &c. & Diaconus intus existens, dicit alta voce *Quis est iste Rex glorię?* cui Pontifex respondet, *Dominus fortis, & potens*. Pōt.p.2. tit. de bened. primi lapidis pag. 282. Pōt. Ro. pa. 302.

6 Secundo Episcopus pręcedentibus Acolythis cum intortitijs circuit Ecclesiam aspergendo parietes circa fundamentum, & cœmeterium dicens, vt Pōt. Ro. pa. 304.

supra *In nomine Patris*, &c. Cantoribus interim cantatibus Resp. *Benedic Domine*; expleto circuitu stans deposita Mitra ante ostium dicit, vt supra, aliam Orationem, qua completa, acceptaque Mitra, rursum Baculo tangit ostium super liminare dicens *Attollite portas* cum responsionibus.

Pont. p. 306. 7 Tertiò eodem modo cum intortitijs, Clero, & populo circuit Ecclesiam incipiens ad sinistram manum aspergendo parietes in media parte, videlicet circa altitudinem faciei suæ, & cæmeteriũ dicens, vt supra, *In nomine Patris*, &c. Choro interim canẽte resp. *Tu Domine*, &c. expletoque cantu, & circuitu dicit tertiam Orationem eodem modo, quo supra, & ante ostium accedens percutit cum Baculo dicens *Attollite*, &c. vt supra.

8 Cum subdit Episcopus *Aperite, aperite, aperite*, facit Crucem super liminare in ostio cum inferiori parte Baculi dicens *Ecce signum Crucis*, &c. & statim aperitur Ecclesiæ ostium, pro ut in Pontificali. Pōt. Ro. pag. 308.

De agendis ab Episcopo in ipsa consecratione intra Ecclesiam ianuis adhuc clausis, & populo exrra manente.

Cap. VII.

1 Episcopus cum Ministris, Cantoribus, & Cementarijs intrat Ecclesiam, demissis ab exrta reliquo Clero, ac populo, clauditque ostium, & ingrediẽs dicit *Pax huic domui*, cui Diaconus, qui est intus, respondet *In introitu vestro*, & omnes dicunt *Amen*; postea Cantores cantãt Antiphona *Pax æterna*, & aliam Antiphonam *Zachæe*, &c. prout in Pontificali. Pōt. Ro. pag. 309

2 Pontifex cantatis Antiphonis ad medium Ecclesiæ in faldistorio parato, deposita Mitra procũbens inchoat Hymnum *Veni creator Spiritus*, &c. & completo primo Versu surgens stat sine Mitra vsque ad finem; sparguntur interim cineres, nisi prius, quod magis decet, fuerint dispositi.

3 Completo Hymno, Pontifice procumbente cum Mitra supra faldistorio, dicuntur Litanię, in quibus suo loco nominatur bis ille Sanctus, in cuius honore, & nomine Ecclesia, vel Altare dedicatur & illi, quorum reliquiæ in ẽo includendæ sunt. Vbi fuerit dictum *Vt omnibus fidelibus defunctis*, &c. Pōtifex surgens, Baculumque sinistra tenens dicit *Vt locum istum*, &c. itẽ *Vt in eo Angelorũ custodia*, &c. deinde dexterã in altũ extẽdẽs producit communiter super Ecclesiam, & Altare consecrandum ter successiuè signũ Crucis dicens *Vt Ecclesiã*, &c.

quibus

quibus dictis iterum super faldistorio recumbit, & Cantores prosequuntur Litanias vsque ad finem, post quas surgens sine Mitra dicit *Oremus*, & Ministri *Flectamus genua*, & *Leuate*; ipse verò subdit
Pôt. Rô. pag. 311.
Orationes *Preueniat*, &c. & *Magnificare*, &c. prout in Pont.

4 Post Orationes dicitur Antiphona *O quam metuendus est* cum Cantico Zachariæ *Benedictus*, & post quemlibet Versum repetitur Antiphona; interim Pontifex, dum prędictum Canticum cãtatur, accepta Mitra incipiẽs ab angulo Ecclesiæ ad sinistram intrantis extremitate Baculi signat super cineres sparsos distinctis literis Alphabetum Gręcum, deinde producens ab angulo Ecclesiæ ad dexteram intrantis eodem modo in descripta
Pôt. Ro. pag. 314
linea signat super cineres Alphabetum Latinum, prout in Pont. Post effotmatũ Alphabetum versus Altare maius consecrandum accedens congruenti spatio ab illo distãs deposita Mitra genuflexus dicit *Deus in adiutorium meum intende*, deinde Choro respondente, surgit, & stat sine Mitra, & idem secundò, & tertiò re-
Pôt. Ro. p. 315.
petit voce semper altius eleuata, prout in Pont.

5 Pontifex in eodem loco stans benedicit secundam aquam eam, & salem, exorcizando, atque benedicendo cineres, miscet salem cum cineribus dicens *Commixtio salis, & cineris*, &c. deinde accipiens pugillum mixturæ salis, & cinerum ter immittit in aquam ad modum Crucis qualibet vice dicens *Commixtio salis, cineris, & aquæ*, &c. Benedicit deinde vinum, ac deinde in modum Crucis mittit in aquam dicens *Commixtio vini,*
Pôt. Ro. pa. 318.
salis, cineris, & aquæ pariter fiat, &c. prout in Pont. subdit postea Vers. cũ Orõne *Omnipotens*, &c. qua completa assumpta
Pôt. Ro. pa. 319.
Mitra dicit super aquam iuxta Pontificale emendatum *Sanctificare*, &c. legendo, non cantando in tono Præfationis, pro-
Pôt. Ro. pa. 320.
ut in vetustis Codicibus habebatur, dictoque *Stabilitas parietum*, prout in Pontificali, accedit ad ostium Ecclesiæ, & cũ extremitate Baculi pastoralis format; signum Crucis in parte superiori, & aliud in parte inferiori intrinsecus, quo facto, deposito Baculo prosequitur dicens *Sic positis* &c. vsque in finem, prout Pôt. Ro. pa. 321.
in Pont. Responso *Amen*, rediens ad locum, vbi aquam benedixit stans versus Altare maius Mitram pariter in capite tenens dicit *Deum Patrem*, &c. prout in Pôt. Ro. pa. 322.
Pontif.

6 Completa Oratione proceditur ad benedicendum, & consecrandum Altare; & ideo si plura Altaria tunc in eadem Ecclesia fuerint consecranda, omnia, quæ sequuntur in actibus, & ceremoniis sub iisdem verbis in singulis Altaribus successiuè sicut in primo Altari repetuntur.

7 Pro consecratione Altaris Pontifex stans ante illud cum Mitra inchoat Antiphonam *Introibo*, &c. quam Chorus prosequitur cum Psalmo *Iudica me Deus*, &c. repetendo Antiphonam post quemlibet versum: Interim Pontifex intincto pollice dexterę manus in aqua vltimò benedicta, facit Crucem cum eo, Pôt. Ro pa. 322
& aqua in medium tabulę Altaris dicẽs *Sanctificetur*, &c. prout in Pont. Eodem modo cum pollice in eadem aqua intincto efformat quatuor Cruces in quatuor cornibus Altaris semper repetendo *Sanctificetur*, primam videlicet in parte posteriori à latere Euangelij, quę est à dextris Altaris, secundam in parte anteriori in cornu Epistolę, quę est à sinistris Altaris transuersa prima, tertiam in dextera anteriori, & quartam in sinistra posteriori tertia transuersa: Psalmo, & Antiphonis completis, & factis Crucibus Pôtifex sine Mitra dicit Orationem *Singulare*, &c.

8 Post Orationem Pontifex stans ante medium Altaris inchoat Antiphonã *Asperges*, &c. quam Chorus prosequitur cum Psalmo *Miserere*, &c. dicendo tres primos Versus Psalmi, prout in Pontif. Pôt. R pa. 3
Interim Pontifex stans cum Mitra, acceptoque aspersorio de herba hyssopo fa-

cto,

ĉto circuit,& aspergit Altare, & ad medium,vnde discesserat,redit.Secundò repetēs Antiphonam,vt prius, dicit *Asperges*,quam Chorus cum tribus sequentibusVersibus prosequitur,& ipse,vt prius circuit,& aspergit Altare; idem facit tertiò, quartò,quintò,sextò,& septimò,semper repetens Antiphonam, quam Chorus prosequitur subdens tres sequentes Versus Psalmi,& in fine non dicitur *Gloria Patri*, sed per singulas vices circuit, & aspergit Altare vsque septies.

9 Deinde ter circuit, & aspergit Ecclesiam interius; primò incipiens retro Altare maius ad dexterā partē circuiens Ecclesiam,& parietes illius,aspergit eam à parte inferiori circa terram,rediens vsque ad locum retro Altare, vnde discesserat;Interim Chorus cantabit Antiphonam *Hęc est domus Domini*,&c.cum Psalmo *Lętatus sum*,&c. sine *Gloria*. Secundò per eandē viam procedens circuiens aspergit parietes Ecclesiæ in medio,idest circa altitudinem faciei suę rediens ad locum,vnde discessit, interim cantabitur Antiphona *Exurgat Deus*, & Psalmus; videlicet à ly *in Ecclesijs*, & deinceps sine *Gloria*. Tertiò denique circuit Ecclesia incipiens à sinistra parte, & aspergit parietes illius altiùs quàm secundò, rediens ad locum, vnde discessit, & interim dicitur Antiphona *Qui habitat*,cum Psalmo sine *Gloria Patri*.

Pōt. Ro. pag.328.

Pōt.Ro. pag.330

10 Post trinam circuitionem Pontifex stans cum Mitra, aspergit cum prædicta aqua pauimentum Ecclesiæ per medium, incipiens ante Altare vsque ad Portam principalem, deinde per transuersum de vno pariete ad alium;interim cantantur Antiphonę tres,videlicet, *Domus mea*,&c. *Domine dilexi*,&c.& *Non est hic aliud*,&c.

Pōt. Ro. p.332.

11 Dictis Antiphonis, factisque prædictis aspersionibus Pontifex stans cum Mitra in medio Ecclesiæ versus ad Altare maius inchoat Antiphonam *Vidit Iacob*,&c. quam Chorus prosequitur; ipse verò aspergit aqua pauimentum versus quatuor partes,Orientem videlicet, Occidentem,Aquilonem,& Austrum; deinde deposita Mitra ibidem in medio Ecclesiæ conuersus ad Portam principalem dicit Orationes *Deus qui loca*, & *Deus Sanctificationum* singulis Orationibus pręmittendo *Oremus*, & *Flectamus genua*, & *Leuate*.

Pont. 334.

12 Ibidem stans conuersus ad portā, & manibus ante pectus extēsis dicit Præfationem,quæ habetur in Pontificali.

Pont. 335.

13 Pontifex Pręfatione finita, accipiens Mitram,accedit ad Altare, & ibi cū pręmissa aqua facit maltam, seu cementum, quod mox deposita Mitra benedicit, deinde, prout in emendato Pontificali est additum,cementum benedictum, reseruatur, & residuum aquę benedictę funditur ad basem,seu pedem stipitis Altaris per circuitum.

14 Pontifex benedicto cemento procedit processionaliter cum Cruce, & Clero ad locum;in quo nocte præcedenti Reliquiæ fuerunt reseruatæ, & deferţur Chrisma vsque ad fores Ecclesię,vbi antequam locum ingrediatur, stans ab extra, deposita Mitra, dicit Orationem, *Aufer à nobis*,&c. deinde cum Clero ingreditur, & Chorus cantat Antiphonas *O quam gloriosum*,&c.*Mouete vos Sancti*, &c. *Ecce populus*, &c. & *Via Sanctorum* cum Psalmo *Venite exultemus*,&c.prout in Pontif. vel si videbitur omissis prædictis poterit cantari Responsorium Sancti, cuius sunt Reliquię. Finitis Antiphonis, vel Responsorio, Pontifex stans ibidem sine Mitra dicit Orationem, *Fac quæsumus*,&c.

Pont. 343.

Pont. 345.

15 Imposito incenso in thuribulum, ordinatur processio, in qua præcedit deferens Crucē medius inter Ceroferarios, sequitur Clerus, deinde cereos deferentes ante Sanctorum Reliquias, quæ à Sacerdotibus in feretro ornato portantur, thuriferario continuè ipsas incensante. Post Reliquias sequitur Pontifex paratus cum suis Ministris, interim per viam cantantur Antiphonę, *Cum iucunditate*,

Pont. 346.

Pont.p. 346. te,&c. *Ambulate Sancti Dei*, *&c.* & *Iſtorum eſt enim*.

16 Ad Eccleſiam cum fuerit peruentum, Cantoribus extra fores Eccleſię prędictas Antiphonas cantantibus, Pontifex præcedentibus ceroferarijs, Cruce, thuriferario, & Sacerdotibus feretrum Reliquiarum portantibus, circuit ab extra Eccleſiam cum ipſis reliquijs populo
Pont.p. 348. ſequente, & clamante *Kyrie eleyſon*, prout in Pont.

17 Quibus peractis ſedens cum Mitra ad fores Eccleſiæ in faldiſtorio ibi
Pont.p. 349. parato admonet populum forma in Pötificali præſcripta.

18 Facta à Pontifice monitione, Archidiaconus, vt habetur in Pontificali emendato, legit duo decreta Concilij Tridentini, videlicet ſeſſ.25.de Regular.
Pöt. pa. 352. cap.11. ſi quem Clericorum, & ſeſſ.25. cap.12. de reformat. Non ſunt ferendi, &c.

19 Lectis per Archidiaconum Decretis Concilii Pontifex monet fundatorem, qui, prout ſibi videbitur, reſpondebit de dote Eccleſiæ, de numero Clericorum, &c. de quibus omnibus formabitur publicum Inſtrumentum. Iubet deinde Pontifex, vt orent pro fundatore, & pro illo, qui eam dotauit, participes eos efficiens omnium bonorum, quæ in ea fiunt, necnon vt orent pro eo, qui eam conſecrari petijt.

20 Pontifice ſedente ante Eccleſiam, priuſquam quis eam ingrediatur; cantabitur Reſponſorium *Erit mihi Dominus*, deinde depoſita Mitra conuerſus ad oſtium Eccleſiæ ſtans dicit *Oremus*, & Miniſtri *Flectamus genua*, & *Leuate*, & ipſe ſubdit Orationem *Domum tuam*, &c. Deinde cum pollice in ſacro Chriſmate intincto ſignat in modum Crucis
Pöt.pa. 355. oſtium Eccleſiæ exterius dicens *In nomine Patris*, &c.

De ingreſſu Epiſcopi cum Clero, & populo ad Eccleſiam, & agendis in ea. Cap.VIII.

1 *Ingreſſus Reliquiarum, & populi in Eccleſiam.*
2 *Cantanda ante Altare.*
3 *Cruces faciendę cum Chriſmate in Altari.*
4 *Reliquiæ in Altari recondendæ.*
5 *Lapis ſancto Chriſmate ſignandus.*
6 *Prima Altaris incenſatio.*
7 *Secunda incenſi miniſtratio.*
8 *Cruces cum oleo Cathecumenorum faciendæ.*
9 *Tertia incenſi miniſtratio.*
10 *Aliæ Cruces cum oleo Cathecumenorum faciendæ.*
11 *Quarta incenſi miniſtratio.*
12 *Cruces cum Sancto Chriſmate in Altari faciendæ.*
13 *Quinta incenſi miniſtratio.*
14 *Oleum Cathecumenorum, & Chriſma in Altari ſpargendum.*
15 *Antiphona cum Pſalmo, & Oratione dicenda.*
16 *Duodecim Cruces vngendę, & incenſandę.*
17 *Altare quomodo incenſandum.*
18 *Cruces ex candelis, & incenſo accendendæ.*
19 *Oratio cum Præfatione, & alijs dicẽda.*
20 *Cruces cum Chriſmate in Altari faciendæ.*
21 *Tobaleæ benedicendæ.*
22 *Altare quomodo ornandum.*
23 *Vltima Altaris thurificatio.*
24 *Pontifex induitur pro Miſſa.*
25 *Luminaria in Altari accendenda.*
26 *Miſſa qualis dicenda.*
27 *Benedictio in fine danda.*

1 PResbyteri eleuant feretrum Reliquiarum, & Clero proceſſionaliter cum eis ingrediente Eccleſiã, populus proſequitur, & tunc Põtifex inchoat Antiph. *Ingredimini Sancti*, quã

pa. 356. Chorus proſequitur cum alia *Gaudent in cælis*,&c.

2 Perueniendo ante Altare, in quo Reliquiæ ſunt condendæ, feretrum reponitur loco congruo cum luminaribus,& Pontifex ſtans cum Mitra inchoat Antiphonam *Exultabunt*, &c. quam Chorus proſequitur cum Pſalmo *Cantate* in cuius fine non dicitur *Gloria Pa-* pa. 356. *tri*, ſed repetitur Antiphona, & dicitur Oratio *Deus*,&c.

3 Pontifex ſtans cum Mitra ſignat pollice ſancto Chriſmate intincto confeſſionem, idest ſepulchrum Altaris, in quo Reliquiæ ſunt reponẽdæ,& quatuor angulos Altaris in ſingulis formans ſignum Crucis;& dicens *Conſecretur*,&c.

4 Recondit deinde vaſculum Sanctarum Reliquiarum ſigillatum in ſepulchro Altaris, & inchoat Antiphonam *Sub Altare*, quam Cantores proſequuntur; ipſe verò depoſita Mitra thurificat Reliquias,qua poſtmodum accepta adaptando lapidem ſuper ſepulchrum ipſum claudit;interim ſiniſtra ſuſtinẽs lapidem, pollice dexteræ manus ſancto Chriſmate intincto format ſignum Crucis in ipſius medio ſubtus dicens *Conſecretur*, &c.& coaptando tabulam, ſiue lapidem ſuper ſepulcrum linit cum cemento inchoans Antiphonam *Sub Altare Dei*,quã Chorus proſequitur cum alia *Corpora Sanctorum*, &c. poſt quam depoſita Mi- pa. 362. tra dicit Orõnem *Deus qui*,&c. qua dicta cũ Mitra incipit firmare lapidẽ cũ cemento,& cementarij ſubſequuntur.

5 Pontifex iterũ pollice dexteræ manus ſancto Chriſmate intincto format ſignum Crucis ſuper eandem tabulam ſiue lapidem dicens *Signetur*,&c.

6 Miniſtrato deinde incenſo more ſolito,inchoat Antiphonã *Stetit Angelus*, quam dũ Chorus proſequitur,thurificat Altare vndique ad dextrum,& ſiniſtrum latus,ante,& deſuper,donec cãtus finitur. Poſt incenſationem depoſita Mitra pa. 365. dicit Orationẽ *Dirigatur*, &c.qua completa ſedet cum Mitra,& Miniſtri extergunt menſam Altaris cum linteo mundo.

7 Pontifex thurificat Altare in medio ad modum Crucis, & iterum incenſum imponit,& benedicit,tradens thuribulum vni Sacerdoti ſuperpelliceo indu- Pont. p. 432. to,qui continuè Altare circuit incenſando,donec conſecratio perficiatur, excepto eo ſpatio,quo Pontifex accipit ab eo thuribulum,vt incenſet.Et tunc ſtans cũ Mitra inchoat Antiphonam *Dirigatur*, quam dum Chorus proſequitur, circuit ter Altare à dextris continuè ipſum thurificando.

8 Inchoata deinde Antiphona *Erexit*,&c. quam Chorus proſequitur cum Pſalmo *Quam dilecta* ſine Verſu *Gloria Patri*, intingit pollicem dextræ manus oleo Chatecumenorum,& cum eo in medio Altaris,& in quatuor eius cornibus in locis,in quibus fecerat Cruces cũ aqua benedicta, videlicet in medio in cornu Euangelij in parte poſteriori, in ſiniſtra anteriori, videlicet lateris Epiſtolæ,in dextera anteriori, ſcilicet lateris Euangelij,in ſiniſtra poſteriori lateris Epiſtolæ format Cruces,dicens ad ſingulas *Sanctificetur*,&c. Pont. p. 367.

9 Pontifex tertiò accepto thuribulo à Sacerdote Altare incenſat; & impoſito,& benedicto,vt prius incenſo inchoat Reſponſorium *Dirigatur*,& Choro proſequente interim ſemel circuit Altare à dextris illud thurificando, & completo Reſponſorio depoſita Mitra dicit Orationem *Adſit*,&c.

10 Poſt Orationem inchoat Anitphonam *Mane ſurgens*, quam Chorus proſequitur cum Pſalmo *Bonum eſt*,&c. ſine Verſu *Gloria Patri*; dum dicitur Antiphona, & Pſalmus, Pontifex facit quinque Cruces cum pollice de oleo Cathecumenorum in eiſdem locis Altaris, vt prius, dicens ad ſingulas Cruces *Sanctificetur*, &c.

11 Pontifex iterum impoſito, & benedicto incẽſo inchoat Reponſ. *Dirigatur* Cantoribus proſequẽtibus,vt ſupra; inte-

interim circuit semel à dextris Altare incensando, deinde reddito thuribulo Sacerdoti, & deposita Mitra dicit Orationem *Adesto*, &c. & aliam *Omnipotens*, pa. 370. &c. prout in Pont.

12 Episcopus inchoat Antiphonam *Vnxit te Deus*, quã Cantores prosequuntur cum Psal. *Eructauit*, &c. sine Versu *Gloria Patri*; interim accepta Mitra facit quinque Cruces pollice dexteræ manus de sancto Chrismate eodem modo, pa. 373. & in locis, quibus fecit, dicendo ad singulas *Sanctificetur*, &c.

13 Imponitur, & benedicitur incensum, inchoatur, & dicitur Antiphona *Dirigatur*, vt supra, & Pontifex circuit semel Altare ad sinistram illud incensans, deinde reddito thuribulo Sacerdoti, & deposita Mitra dicit Orationem *Descendat*, &c.

14 Post Orationem Pontifex inchoat Antiphonam *Sanctificauit*, &c. quã Cantores prosequuntur cum psalm. *Deus noster*, &c. sine Versu *Gloria Patri*; interim accepta Mitra spargit vtraq; manu phialas olei Cathecumenorum, & Chrismatis super Altare illud manu dextera confricans, liniens, & perungens.

15 Pontifex inchoat deinde Antiphonam *Ecce odor*, &c. quam Cantores prosequuntur cum psalmo *Fundamenta* sine Versu *Gloria Patri*, quo completo stans cum Mitra dicit *Lapidem*, &c. Post hæc inchoat Antiphonam *Lapides pretiosi*, &c. quam Cantores prosequuntur cum psalmo *Lauda Hierusalem*, &c. & pa. 377. Responsorijs sequẽtibus *Hæc est Hierusalem*, &c. & *Platea Hierusalem*, &c.

16 Dum prædicta cantantur, Pontifex cum Mitra vngit Chrismate singulas duodecim Cruces depictas in parietibus Ecclesiæ, incipiens retro Altare, & procedẽdo ad dexteram ad vnamquamque Crucem dicens *Sanctificetur*, &c. & pa. 379. qualibet peruncta accipit thuribulum, & illam incensat.

17 Perunctis, ac thurificatis omnibus Ecclesiæ Crucibus, Pontifex reuertitur ad Altare, ibiq; stans cum Mitra inchoat Antiphonam *Aedificauit Moyses*, quam Chorus prosequitur, ipse verò interim super Altare incensat: subdens deinde pag. 38 Orationem *Dei Patris*, &c.

18 Deposita Mitra benedicit incensum, dicens Versus cum Oratione *Domine Deus*, &c. in cuius fine ipsum aspergit aqua benedicta: deinde reassumpta Mitra, ex ipso format propria manu quinque Cruces, quamlibet ex quinque granis super quinque loca Altaris, in quibus alias Cruces efformauit aqua, oleo, & Chrismate, & super qualibet Cruce thuris ponit vnam Crucem factam de candelis subtilibus ad mensuram Crucis de granis incensi factę, & cuiuslibet Crucis capita accenduntur, vt cum ipsis thus comburatur. Accensis Crucibus deposita Mitra coram Altari genuflexus inchoat *Alleluia* cum Versu *Veni Sancte Spiritus*, vel tempore Septuagesimæ omisso *Alleluia*, dicit Versum prædictum, surgens deinde inchoat Antiphonam *Ascendit fumus aromatum*, & aliam *Stetit Angelus*, &c. quas Cantores prosequuntur; quibus completis stans adhuc sine Mitra dicit Orationem *Domine sancte*, pa. 38 &c. Ministri adstantes combustis candelis, & thure, spatulis ligneis ad id paratis cineres combustionis abradunt, & proijciunt in sacrarium.

19 Pontifex stans sine Mitra ante gradus Altaris versa facie ad Altare dicit Orationem *Deus omnipotens*, &c. post quam extensis manibus dicit Præfationem; deinde inchoat Antiphonam *Confirma hoc Deus*, quam Cantores prosequuntur cum psalmo *Exurgat Deus*, &c. pa. 38.

20 Inchoata Antiphona Pontifex accepta Mitra pollice dexterę manus intincto Chrismate facit Crucem in fronte Altaris nihil dicens; postmodum completa Antiph. cum psalm. dicit Orationẽ *Maiestatẽ*, &c. deinde inungit Chrismate pa. 391 pariter pollice in modũ Crucis cõiunctiones mensę, seu tabulę Altaris, siue stipitis in quatuor angulis, ad singulas Cruces

dicens

dicens *In nomine Patris,& Filij, & Spiritus sancti*; deinde deposita Mitra dicit Orationem *supplices te*, &c. Subdiaconi post hæc abstergunt diligenter cum mantilibus telæ grossæ mensam Altaris. Et Pontifex in sede cum mica panis fricat, ac bene purgat manus lauans, ac tergens.

Pōt. Ro. p. 2. tit. de bene. Tobal. 21 Pontifex stans sine Mitra benedicit tobaleas, & alia vasa ad cultum Altaris spectantia, dicens Orationes in Pontificali assignatas,& in fine aqua benedicta illa aspergit.

22 Subdiaconi sternunt super Altare pannum lineum ceratū ad mensuram Altaris factum, deinde vestiunt Altare, &
pa. 292. imponunt desuper Crucem, & alia ornamenta. Dum ornatur Altare, Pontifice inchoante, & Cantoribus prosequentibus, cantantur Antiphonæ, & Responsoria in Pontificali assignata cum psalmo
pa. 298. *Deus Deus meus*, &c.

23 Finito psalmo Pontifex inchoat Antiphonam *Omnis terra*, quam Cantores prosequuntur; ipse verò interim Altare ascendens ter in modum Crucis ipsum incensat, stans post modum ante
pa. 309. medium Altaris dicit Orationes *Descendat*, & *Omnipotens*, &c.

24 His dictis in Sacristia deposito Pluuiali accipit Sandalia dicens Psalmos consuetos, deinde lotis manibus Pontificalibus induitur.

25 Clerici in Ecclesia luminaria accendunt, & omnia pro Missarum solemnibus disponuntur.

26 Missa erit de die Dedicationis Ecclesiæ in paramentis albis.

27 In fine Episcopus dabit solemnem benedictionem populo, & publicabit Indulgentias vnius anni.

De Consecratione Altaris seorsum ab Ecclesia. Cap. IX.

1 *Dies consecrationis Altaris.*
2 *Reliquiæ quomodo disponendæ.*
3 *Septem Psalmi quando dicendi.*
4 *Litaniæ quomodo dicendæ.*
5 *Prima Crucis signatio cum aqua benedicta.*
6 *Septies Altare aspergitur, & cementum benedicitur.*
7 *Reliquiæ accipiendæ, & deferendæ.*
8 *Secunda signatio sepulchri Altaris cum Chrismate.*
9 *Sepulchrum claudendum, & tertia signatio cum Chrismate.*
10 *Prima Altaris incensatio.*
11 *Secunda incensatio in modum Crucis.*
12 *Tertia incensatio ad dexteram.*
13 *Quarta signatio cum oleo Cathecumenorum.*
14 *Quinta Altaris signatio oleo Cathecumenorum.*
15 *Quinta Altaris thurificatio.*
16 *Sexta Altaris signatio.*
17 *Sexta Altaris thurificatio.*
18 *Oleum Cathecumenorum, & Chrisma super Altare spargendum.*
19 *Septima Altaris signatio cum thure, & candelulis accensis.*
20 *Præfatio dicenda.*
21 *Altaris vnctio cum Chrismate.*
22 *Benedictio tobalearum.*
23 *Vltima Altaris incensatio.*

1 Altaris consecratio quocumque die de iure fieri potest; decētius tamen fiet diebus Dominicis, vel festis. Pōt. Ro. p. 1. rub. de Altaris cõsec. quæ fit sine Ecclesiæ Depic. 400.

2 Die præcedenti Reliquiæ in Altari, vel Altaribus recondendæ in vasculo cum tribus granis incensi ab Episcopo reponuntur cum chartula, vt supradictum est in consecratione Ecclesiæ, & ante illas tota nocte celebrantur pariter vigiliæ; parentur ideo vasa necessaria cum oleo, vino, aqua sale, & reliquis, calx, arena ad faciendum cementum, spatulæ ligneæ ad abradendum, thus, Cruces ex candelis, & omnia, vt supra. Sup. c. 5. num. 1. ibid. n. 4.

3 Ipso die Pontifex accedens ad Ecclesiam in suo habitu quotidiano dicit cum Clericis septem Psalmos pœnitentiales sine Litanijs; interim induitur, vt supra, Amictu, Alba, Cingulo, Stola, Sup. c. 6. num. 3.

Pluuiali albo,& Mitra ſimplici,& accipit ſiniſtra Baculum paſtoralem.

4 Ante Altare conſecrandum accedens Epiſcopus ſine Mitra inchoat Antiphonã *Adesto*,&c.deinde dicit Orationem *Actiones*, &c. poſtea procumbet ad Litanias,in quibus ſuo loco Sãctos, quorum Reliquię ibi ſunt,nominahit,dictoq; *Vt omnibus fidelibus defunctis*,dicit *vt Altare hoc*,&c.ter ſignãs dextera ſuper Altare cõſecrandũ,&c.ſtans poſt modũ cũ Mitra ter dicit *Deus in adiutorium*.

Põt. Ro p.2 titul. de bene. primi lapidis p. 282. 5 In eodẽ loco ſtans benedicit aquã cum ſale cineres,& vinũ:ad Altare aſcendens dicit Antiph. *Introibo* cum Pſalmo *Iudica me Deus*, quæ proſequuntur à cãtoribus.Interim facit Crucem cum aqua in medio Altaris, & in angulis, vt ſupra, dicens *Sanctificetur*,&c. & in fine ſubdit

Põt Ro. pa. 406. Orationem *Singulare*, &c.

6 Oratione expleta ſepties, prędicta aqua cum aſperſorio facto de hyſſopo aſpergit tabulam Altaris dicens,vt ſupra,

Sup. c 7. num. 14. *Asperges*,cum pſal. *Miserere*, & in fine Orationem;facit cemẽtum, & benedicit vt ſupra, ac reſeruat.

7 Proceſſionaliter ad locum Reliquiarum procedens priuſquam locum ingrediatur,dicit Orationem *Aufer*, &c. & in

pa. 408. greſſus dicit Orationem *Fac nos*, &c. & acceptis reuerenter Reliquijs, proceſſionaliter ad Altare conſecrandũ illas portat; interim cantantur Antiphonæ,& re

Sup c 7. nu. 1. ſponſoria, vt ſupra, & eas decenti loco cum luminibus propè Altare reponit, ſubdens Antiphonam *Exultabunt* cum

Põt. Ro pa. 410. Pſalm. *Cantate*,&c.& repetita Antiphona dicit Orationem *Deus qui*,&c.

8 Signat Chriſmate ſepulchrum Altaris dicens *Consecretur*, &c. recondit ibidem vaſculum Reliquiarum inchoans Antiphonam *Sub Altare*,&c. imponit & benedicit incenſum, & Reliquias incenſat: deinde lapidem, ſeu tabulam Altaris inungit Chriſmate dicens *Consecretur*, &c.

9 Claudit ſepulchrum aptans lapidem deſuper, ac dicens Antiphonam *Sub Altare*, &c. & *Corpora Sanctorum*, &c. cũ Oratione *Deus qui*, &c. & cementarij cum cemento benedicto firmant ipſum lapidem;Pontifex verò pollice dexteræ manus format cum Chriſmate ſuper ipſum Crucem dicens *Signetur*, &c. Pont.p. 412.

10 Inchoat Antiphonam *Stetit Angelus*,quam Miniſtri proſequuntur;interim incenſat vndique Altare,ad dexteram,& ad ſiniſtram,ante, & deſuper, quo finito ſtans ante Altare ſine Mitra dicit *Oremus: Dirigatur*, &c. Poſt hæc accepta Mitra ſedet, & Miniſtri extergunt menſam Altaris cum linteo mundo.

11 Pontifex thurificat ſuper menſam in modum Crucis in medio, & in quatuor eius cornibus: ponit iterum incenſum in thuribulum,& benedicit, ac tradit Sacerdoti,qui continuè circuit Altare incenſando, donec conſecratio perficiatur.

12 Iterum Pontifex ſtans cum Mitra inchoat Reſponſorium *Dirigatur*, quod Miniſtri proſequuntur,& interim ipſe Altare circuit ter ad dexteram thurificando; inchoat poſtea Antiphonam *Erexit Iacob*, quam Miniſtri proſequuntur cum Pſalmo *Quam dilecta*, & in quolibet Verſu repetitur Antiphona. Pont p. 413.

13 Pontifex interim oleo Cathecumenorum format ſignum Crucis in medio,& in quatuor cornibus dicens, dum ſingulas Cruces format,*Sãctificetur*,&c. deinde accepto thuribulo à Sacerdote, impoſito,& benedicto incenſo, inceptoque Reſponſorio *Dirigatur* Miniſtris illud proſequentibus, circuit ſemel Altare ad dexteram illud thurificando, dein de reddito thuribulo Sacerdoti, dicit Orationem *Adsit*,&c. pont.p. 415.

14 Pontifex inchoat Antiphonam *Mane surgens*, quã Miniſtri proſequuntur cum Pſalmo *Bonum est*, &c. ipſam in fine cuiuſlibet Verſus repetentes: interim Pontifex accepta Mitra facit quinque Cruces cum pollice de eodem oleo Cathecumenorum in eiſdem locis

Altaris dicens *Sanctificetur*,&c.

15 Accepto thuribulo à Sacerdote, imposito, & benedicto incenso inchoat Responsorium *Dirigatur*, quod ministri prosequuntur,& ipse circuit semel Altare ad dexteram illud incensando, ac deposita Mitra dicit Orationes *Adesto*, &c. Pontif. pa. 417. & *Omnipotens*, &c.

16 Incipit deinde Antiphonam *Vnxit te*, quam ministri prosequuntur cum Psalmo *Eructauit*, &c. repetendo Antiphonam in fine cuiuslibet Versus, & Pōtifex interim facit iterum quinque Cruces cum sancto Chrismate, dicens *Sancti-* pa. 418. *ficetur*,&c.

17 Accepto thuribulo à Sacerdote, imposito, & benedicto incenso inchoat Responsorium *Dirigatur*, quod ministri prosequuntur, & circuiens Altare semel ad sinistram incensat,& restituit thuribulum Sacerdoti, & dicit Orationem, *De-* pa. 419. *scendat*,&c.

18 Inchoat Antiphonam *Sanctificauit*, quam ministri prosequuntur cum Psalmo *Deus noster*, ipsam in fine cuiuslibet Versus repetentes; interim spargit Sup. c. 8 num. 15. oleum Cathecumenorum, & Chrismæ super Altare eodem modo, quo supra; subdit deinde Antiphonam *Ecce odor*, quam ministri prosequuntur cum Psalmo *Fundamenta*,&c.& in fine stans cum Pōt.Ro. pa. 421. Mitra dicit *Lapidem*, &c. cum sequenti Antiphona,& Oratione.

19 Benedicit incensum; format ex ipso quinque Cruces; superimponit alias Cruces factas de candelis cereis, easque accendit, vt thus comburatur, dicens, vt supra Antiphonas, & Orationes, deinde cineres cum spatulis ligneis abraduntur, & collecti in aliquo vase proijciuntur in sacrarium.

Sup.c.8. num. 30. 20 Pontifex dicit Orationem,& Pręfationem, vt supra.

21 Post Præfationē inungit Chrismate frontē Altaris dicēs Orōnes, vt sup. deinde coniunctiones mēsæ, seu stipitis Altaris;& Subdiaconi mantilibus telę grossæ mensam Altaris abstergunt.

22 Pontifex, vt supra fricat manus, & lauat: benedicit tobaleas, & ornamenta Altaris ponuntur super altare à ministris.

23 Pontifex incensat Altare in modum Crucis,& stans in medio dicit Orationes, & omnibus completis celebrat Missam, in cuius fine dat solemnem benedictionem.

Obseruanda in cōsecratione Altaris, cuius sepulchrum est in summitate stipitis tabula lapidea cooperiendum.
Cap. X.

1 *Varietas sepulchri Reliquiarum.*
2 *Benedictio aquæ & cementi.*
3 *Reliquiarum reportatio, & tabulæ eleuatio.*
4 *Antiphona cantanda.*
5 *Altare signandum, & aspergendum.*
6 *Altare thurificandum.*

1 PRæscripta forma seruatur, quando sepulchrum Reliquiarum est Pōt.Ro. p. 1. rub. propr. 437. in medio tabulę Altaris à parte superiori, vel in stipite à parte anteriori, vel posteriori. Quando verò sepulchrum est in medio summitatis stipitis, & desuper est ponenda tabula, siue mensa Altaris, tunc alio modo est procedendum.

2 Finita benedictione aquæ cum vino, & cinere, quæ fit post Litanias, pro ut in Pontificali, & dicta Oratione *Omnipotens sempiterne Deus*, &c. Pontifex pa. 403. facit cementum, & benedicit, prout in pa. 408. Pontificali.

3 Benedicto cemento, tabula ipsa Altaris à stipite separata iacente, debet fieri reportatio Reliquiarum, & Pontifice accedente ad locum, vbi sunt Reliquiæ depositæ, ab extra dicit Orationē *Aufer*, &c. qua dicta Sacerdotes,& Leuitę eleuāt tabulā, siue mensam Altaris,& collocant eam super stipitem, & cementarij cum prędicto cemento

benedicto ipsam liniunt,& firmant;interim cantatur Responsorium *Vos Sacerdotes*. Pót. Ro. pa. 438.

4 Leuate deinde ara,& cum prędicto cemento bene firmata, cantabitur, Pontifice inchoante,& reliquis prosequentibus, antiphona *Sub Altare Dei*,&c.& cótinuantur reliqua vsque ad Orationem *Dirigatur*,&c. inclusiuè. Pót. Ro. pa. 410.

5 Dicta Oratione *Dirigatur*, vt supra, Pontifex accedit ad Altare cum Mitra, ibique ea deposita inchoat Antiphonã *Introibo ad Altare Dei*, quã ministri prosequuntur cum Psalmo, prout habetur in Pontificali, interim inungens Altare, aqua benedicta,& signans in quinque partibus signum Crucis ad singulas dicens *Sanctificetur*, &c. & completa Antiphona cum Psalmo subdit Orationem *Singulare*,&c. circuit deinde septies Altare aspergens ipsum aqua benedicta, vino, cinere, & sale cum aspersorio ex hyssopo dicens Antiphonam *Asperges* cum Psalmo *Miserere*, postea in medio Altaris subdit Orationem *Deus qui es visibilium*, &c. Oratione dicta sedet cum Mitra, & Ministri extergunt mensam Altaris cum linteo mundo. Pót. Ro. pa. 404. pa. 406. pa. 407.

6 Tunc Pontifex thurificat super illam in modum Crucis, & in quatuor angulis,& reliqua fiunt vsque in finẽ, prout habetur in Pontificali. Pont. à pa. 441. vsq; ad 436.

De consecratione Altaris portatilis. Cap. XI.

1 *Tempus, & locus Altaris consecrandi.*
2 *Preparanda pro consecratione.*
3 *Dicenda pro consecratione.*
4 *Secunda aqua benedictio.*
5 *Primò Cruces cum aqua in Altari signanda.*
6 *Altaria ter in circuitu aspergenda, & extergenda.*
7 *Prima tabula incensatio.*
8 *Secundò Cruces oleo Cathecumenorum facienda.*
9 *Secunda tabula incensatio.*
10 *Tertiò Cruces cum oleo Cathecumenorum facienda.*
11 *Tertia tabula incensatio.*
12 *Quartò Cruces de Sancto Crismate facienda.*
13 *Quarta tabula incensatio.*
14 *Vnctio sepulchri, & clausura.*
15 *Oleum Cathecumenorum, & Sanctum Chrisma in Altaris superficie spargenda.*
16 *Incensi & Candelarum Cruces.*
17 *Dicenda ante Altare.*
18 *Præfatio dicenda.*
19 *Vltima Altaris incensatio ad modum Crucis.*
20 *Altare abstergendum, & Missa celebranda.*

1 Altare portatile quocumque die, & loco, ieiuno quidem stomacho, consecratur ab Episcopo saltem Stola supra Rochettum induto, ac Mitra simplici; decentiùs tamẽ parabitur Amictu, Alba, Cingulo, Stola, ac Pluuiali albi coloris,& Mitra simplici;& licet in loco publico, Ecclesia videlicet, Oratorio, vel Sacristia id præstari deceat; priuatè tamẽ in camera, vel alio loco secreto, arbitrio Episcopi perfici poterit. Pót. Ro. p. 2. rub. de Altaris portatil. cô. sec. 419.

2 Præparari in primis debẽt Sanctorum Reliquiæ cum tribus granis incensi singulis Altaribus recondendæ, ante quas duo cerei continuò in candelabris accensi ardeant; sanctum Chrisma in vasculo,& ampulla; Oleum Cathecumenorum etiam in vasculo,& ampulla; media libra thuris, cuius medietas fit in granis; thuribulum cum nauicula, & cochleari; vas cum prunis ardentibus; vas aquæ mundæ benedicendæ; vas salis; vas cinerum; vas vini; aspersorium factum de herba hyssopo; mantilia ex tela grossa ad extergenda Altaria consecranda; quinque Cruces paruæ ex candelis cerę subtilis singulis Altaribus affigendæ; spatulę ligneæ paruæ ad abradendum combustiones candelarum;& vas, in quo rasurę

depo-

deponantur, vasa ad abluendas manus Pontificis, & mantilia ad abstergendas. Altaria ipsa consecranda supra Altare, vel aliquam mensam loco congruo reponantur.

3 Episcopus ad Altaria consecranda accedens, Mitram in capite habens, Pôt.Ro. pa. 440. absolutè dicit Orationem *Deum Omnipotentem*, prout in Pontificali. Deposita Mitra genuflexus ante Altare consecrã dum dicit *Deus in adiutorium*, & Choro respondente surgit, quod secundò, ac tertio semper eleuando vocem facit.

4 Benedicit aquam cum sale, cinere, & vino, vt in consecratione Ecclesiæ, Pôt.Ro. pa. 316. & vbi fit mentio de Ecclesiæ consecratione omittitur, & solùm de Altaris, vel Thabulæ dicitur.

5 Post aquæ benedictionem Pontifex signat cũ aqua benedicta signo Crucis ipsum Altare in medio, & in quatuor angulis, in qualibet Cruce dicens *San-* Pôt.Ro. pa. 442. *ctificetur*, &c. prout in Pontificali.

6 Inchoat Antiphonam *Asperges*, quam Ministri prosequuntur cum Psalmo *Miserere*, &c. interim Pôtifex aspersorio facto de herba hyssopo, aspergit ter circuiendo Altare, vel Altaria, & Mini- Pôt.Ro. pa. 443. & 444. stri abstergunt tabulam cum panno lineo, & in fine deposita Mitra dicit Orationem *Deus qui es*, &c.

7 Pontifex inchoat Antiphonam *Dirigatur*, &c. quam Ministri prosequuntur, ipse verò thurificat ter tabulam per circuitum.

8 Post incensationem Pontifex inchoat Antiphonam *Erexit*, quam Ministri prosequuntur cum Psalmo *Quàm dilecta*; interim inungit oleo Cathecumenorum ipsam tabulam in medio, & in Pôt.Ro. pa. 445. quatuor cornibus, dicens, dum singulas Cruces facit, *Sanctificetur*, &c.

9 Secundo dicens *Dirigatur*, vt supra, incensat semel tabulam per circuitum, & in fine deposita Mitra dicit Orationem *Adsit*, &c.

10 Pontifex inchoat Antiphonam *Mane surgens*, quã Ministri prosequuntur cum Psalmo *Bonum est*; ipse interim facit quinque Cruces cum pollice de oleo Cathecumenorum in eisdem locis, vt supra, dicens, dum singulas Cruces Pôt.Ro. pa. 446. facit, *Sanctificetur*, &c.

11 Tertiò dicens *Dirigatur*, Ministris prosequentibus, thurificat tabulam Pôt.Ro. pa. 447. per circuitum, & in fine dicit Orationem *Adesto*, &c.

12 Pontifex inchoat Antiphonam *Vnxit te*, &c. quam Ministri prosequuntur cum Psalmo *Deus noster*; ipse interim facit quinque Cruces de Sancto Chrismate in medio, & in quatuor angulis Altaris, dicens ad quamlibet Crucem *San-* Pôt.Ro. pa. 448. *ctificetur*, &c.

13 Inchoata Antiphona *Dirigatur*, quam Ministri prosequuntur, semel thurificat tabulam per circuitum, deinde Pôt.Ro. pa. 449. dicit deposita Mitra Orationẽ *Exaudi*.

14 Pontifex accepta Mitra inungit sepulchrum, in quo sunt Reliquiæ reponendæ, formando in medio signum Crucis pollice intincto Chrismate dicens, *Consecretur*, &c. deinde recondit Reliquias cum tribus granis in tabula, & se- Pôt.Ro. pa. 449. pulchrum claudit, subdens Orationem *Deus qui*, &c.

15 Clauso sepulchro, dictaque Oratione, Pontifex inchoat Antiphonam *Ecce odor*, quam Ministri prosequuntur cum Psalmo *Fundamenta*, &c. Interim accepta Mitra spargit oleum Cathecumenorum, & sanctum Chrisma, dextera confricans, liniens, & perungens totum lapidem; & Psalmo completo stans cum Mitra dicit *Lapidem*, &c. quibus peractis Pont.p. 450. fricat manus mica panis, quam proijciũt Ministri in Sacrarium.

16 Pontifex dicta Oratione inchoat Antiphonam *Aedificauit*, quam Ministri prosequuntur; ipse verò subdit Orationẽ *Dei Patris*, &c. & benedicit incensum, ex ipso formans deinde propria manu quinque Cruces, quamlibet de quinque granis incensi super quinque loca Altaris, in quibus Cruces formauerat, ponens desuper Cruces candelarum, quas

accendit, vt cum ipsis thus comburatur.

17 Interim flexis genibus dicit Versum *Veni Sancte Spiritus*, &c. cui, si tempus patitur, præmittit *Alleluia*, deinde inchoat Antiphonas *Ascendit fumus*, &c. & *Stetit Angelus*, &c. Ministris prosequentibus, ipse verò subdit Orationem *Huius Altaris*. Pont. p. 452. Combustis candelis Ministri cū spatulis ligneis abradunt cineres illius combustionis, quas collectas in aliquo vase proijciunt in Sacrarium.

18 Pontifex stans sine Mitra ante Altare dicit *Supplices*, &c. subditque Pont. p. 453. Præfationem.

19 Post Præfationem Pontifex inchoat Antiphonam *Confirma hoc Deus*, &c. subditque Orationem *Quacumque*, &c. deinde Antiphonam *Omnis terra*, quam Ministri prosequuntur, & ipse interim accepta Mitra incensat tabulam Pont. p. 454. ad modum Crucis, deinde dicit *Descendat*, &c.

20 Vltimò Ministri extergunt tabulam, Pontifex verò fricat manus mica panis, & lauat, & si videbitur, poterit ce- Pont. p. 455. lebrare Missam, prout in Missali de ipsa die Dedicationis Altaris.

SECTIO QVARTADECIMA.

De Sacramentorum administratione.

De modo quo Sacramenta à Sacerdotibus administrari debent. Cap. I.

1 *Sacerdotum puritas quanta esse debeat.*
2 *Exteriores ritus in Sacramentorum administratione obseruandi.*
3 *Præparatio Sacerdotis necessaria.*
4 *Habitus Sacerdotis atque ministri.*
5 *Attentio, & intentio necessaria.*
6 *Quæ clara voce dicuntur quomodo proferenda.*

1 CVm sancta sanctè administrari debeant, nihilque sanctius in domo Dei, quæ est eius Ecclesia ipsis Sacramentis à Christo Domino institutis habeatur; Sacerdotes Dei eorum ministri in primis corde puro, ac cōscientia munda ad illa tractanda accedant; quamuis enim diuinam, quam habent, virtutem Sacramenta nunquam amittant, illa tamen indignè ministrantibus perniciem, & mortem inferūt sempiternam, ex quo vt munus suum impleant, vberioremque ex eorum vsu in dies, annuente Deo, gratiam consequantur, sanctitatem vitæ, integritatem, ac morum grauitatem apprimè sectati, summoque studio, atque conatu eos amplecti oportet; sic enim decet, vt ex fontibus Saluatoris puris manibus sitientibus aquam, hauriant, atque propinent. Cōc. Trid. sess. 22. de sacr. miss. c. 4.

2 Et quia non facilè sine exterioribus adminiculis ad rerum diuinarum cognitionem extolli humana mens potest, pia mater Ecclesia, præterea, quæ de essentia Sacramentorum sunt, ritus quosdam, sacrasque cęremonias ex antiqua Apostolorum, ac Sanctorum Patrum traditione, nec non Sacrorum Canonum, Summorumque Pontificum sanctione in Rituali Romano ordinauit, quæ quia non absque peccato omitti, vel immutari possunt; fidelis seruus in dispensatione alendæ familiæ destinatus singula diligenter, ac religiosè attēdat oportet, quò gloriam à Domino tamquam dispensator prudens, & villicus vtilis consequatur, & super omnia bona constituatur. Cōc. Tr. sess. 22. de sacr. miss. c. 5.

3 Antequam autem ad Sacramenta ministranda accedat (si commodè fieri potest) orationem præmittat, atque sacras actiones, ac cęremonias omnes pręuideat, earumque virtutem, vsum, atque vtilitatem consideret. Rit. Ro.

4 In omni item Sacramentorum administratione superpelliceo sit indutus, & Stola eius coloris, quem Sacramenti ritus exposcit, vt proprijs locis dicetur, Rit. Ro.

adhi-

adhibito etiam saltem vno, vel pluribus clericis pro locorum, & temporum opportunitate, qui pariter erunt superpelliceis induti; vasa, ac reliqua instrumenta pro eorum vsu cum libro Rituali habeat in promptu.

5 Cum ad Sacramenta ministranda accedit, silentio rem, quam tractaturus est, attendat, atque in ipsa administratione actualem attentionem, vel saltem virtualem habere studeat; in quolibet Sacramento, quoad fieri potest, peculiarem finem intentens, quem si ignoret, vel actu non recolat, saltem intendat facere, quod in eo facit Ecclesia.

6 Sacramentum administrans Orationes, & preces deuotè, ac religiosè ex libro leget, clara, & intelligibili voce cuncta pronuncians; præcipuè verò attentè, ac distinctè proferat verba, quæ ad illius formam spectant; cæremonias, ac ritus decenter, ac graui actione peragens, se ipsum, ac reliquos ad reuerentiã, deuotionẽ, ac spiritualium mysteriorum, quæ peragit considerationem excitabit; & his quidem in genere adnotatis, ad singularia deueniamus.

De necessarijs in Sacramento Baptismi requisitis. Cap. II.

1 *Baptismus ianua Sacramentorum.*
2 *Necessaria respectu baptizandi.*
3 *Materia, & forma baptismi.*
4 *Patrini in Baptismo necessarij, & quot.*

Cõc.Tri. sess.6 c.4. de Iustif.

1 Baptismi Sacramentum, quod aliorum omnium principium est, diciturque Sacramentorum ianua, vitæque æternæ ostium, sine quo nemo saluari potest, quodque inter cætera primum obtinet locum, summo studio, sedulaque diligentia administrari debet.

2 Essentialia in primis considerando, baptizandus homo rationali anima informatus esse debet; vnde monstra, ac inanimatus fœtus excluduntur; similiter aliàs baptizatus nequaquam poterit baptizari, in dubio tamen poterit sub conditione: Minister verò baptizans in casu necessitatis absque solemnitate poterit quilibet esse siue vir, siue mulier, siue fidelis, siue infidelis etiam hæreticus, si tamen habeat intentionẽ faciendi, quod facit Ecclesia; nam talis intentio necessariò requiritur; semper tamen minus digno præsens dignior præferri debet, puta Sacerdos non Sacerdoti, Diaconus alijs inferioris ordinis, & sic de singulis; vir etiã præfertur mulieri, dummodò non sit pater baptizandi, qui non nisi necessitate vrgente hoc præstare debet.

D Th. 3. p. q. 67. art. 4.

3 Aqua naturalis, in qua baptizandus saltem per aspersionem intingatur necessaria materia erit, conueniens tamen est aqua benedicta Sabbato Sancto, Paschæ, & Pentecostes, in qua baptizandus, vel immergatur, vel abluatur, infundendo ipsam supra caput aliquo vase ad id deputato, quod regulariter fieri solet. Forma verò est *Ego te baptizo, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, vel si minister rationabiliter dubitet, an puer sit baptizatus, dicat, *Si non es baptizatus, ego te baptizo*; ita tamen vt cum formam profert, simul materiam applicet, deceteque vt tamdiu ablutio continuetur, donec formæ verba à Ministro proferantur.

D.Th. 3. p.q.66. art. 3.

4 In baptismo solemni requiruntur etiam Patrini, vnus, vel ad summum, iuxta Tridentini Concilij decreta, duo, quorum vnus sit vir, altera mulier, duo autẽ viri, vel duæ mulieres non admittantur, neque Pater, neque Mater baptizandi, neque hæretici, neque publicè criminosi, neque infames, neque impuberes, neque insani, qui non sint mentis compotes, neque qui rudimenta Fidei non nouerunt, neque Monachi in Claustris perpetuò degentes, sed adulti Sacramento Confirmationis consignati, quorum nomina in libro à Parocho adnotari debent.

Cõc. Tr. sess.24. cap.2.de reform.

De Baptiſmo ſolemniter miniſtrando.
Cap. III.

1 *Quo loco Baptiſmus conferri debeat.*
2 *Præparanda pro Baptiſmate.*
3 *Agenda, atque dicenda in limine Eccleſiæ.*
4 *Introductio infantis in Eccleſiam.*
5 *Exorciſmus, & inunctio ante fontem facienda.*
6 *Interrogationes facienda.*
7 *Baptiſmus quomodo conferatur.*
8 *Vnctio Chriſmatis in capite baptizati.*

Rit. Rō. de Sacr. Bapt.

1 SOlemne Baptiſma non niſi in Eccleſia Parochiali, in qua ſint fontes decenter in loco congruo accommodati, & à proprio Parocho miniſtrari debet, & ſi in alia Eccleſia, in qua non ſint fontes, miniſtretur, non niſi de ipſius Parochi, vel Ordinarij licentia fiat, & aqua baptiſmalis de fonte in aliquo vaſe decenti in eam aſportetur.

2 Præparentur inſuper vaſcula olei ſancti Cathecumenorum, & Chriſmatis; vaſculum cum ſale benedicendo, vel iam benedicto peculiari benedictione, quę in Rituali habetur; vaſculum, ſeu cochlea re ex argento, vel alio metallo nitidum ad aquam Baptiſmi fundendam ſuper caput baptizati; peluis ad excipiendam ipſam aquam è capite baptizati defluentem, quæ poſtea in ſacrarium proijciatur; Bombaciū ad abſtergenda loca ſacro oleo inuncta; medulla panis ad abſtergendos digitos Sacerdotis; & vas pro manuum lotione poſt Baptiſmum; alba veſtis, ſiue linteolum candidum; cereus, ſeu candela baptizando tradenda; duæ ſtolæ pro miniſtro, altera violacea, altera alba mutandæ, prout dicetur.

Rit. Ro. tit. Ordo Bapt. paruulorũ.

3 Omnibus bene diſpoſitis, Sacerdos lotis manibus, atque ſuperpelliceo, ac ſtola violacea indutus, adhibito Clerico ſuperpelliceo pariter induto, ad tantum Sacramentum miniſtrandum ad limen Eccleſię accedit, vbi, qui infantem detulerunt, expectant, ibique informat ſe prius, an baptizandus ad ſuam Parochiam ſpectet, vel habeat licentiam proprij Parochi; ſi ſit maſculus, vel fœmina; qui ſint Compatres, quos moneat, vt pro baptizando ad interrogata reſpondeant, acceptoque nomine baptizandi, quem deferens ſuper brachium dexterum tenere debet, nominatim baptizandum interrogat, prout in Rituali; *N. Quid petis à* Eccl*e*ſia Dei? cui Patrinus reſpondet *Fidem*; Sacerdos: *Fides quid prodeſt?* cui Patrinus reſpondet, *Vitam æternam*: Sacerdos, *Si igitur vis ad vitam ingredi*, & cætera, quæ ſequuntur. Deinde ter exſufflat leniter in faciem Infantis, & dicit ſemel. *Exi ab eo, vel ab ea immunde ſpiritus, & da locum Spiritui ſancto Paraclito*: poſtea pollice facit ſignum Crucis in fronte, & in pectore infantis dicens: *Accipe ſignum Crucis tam in fronte, quàm in corde, ſume fidem*, &c. Subdens Orationem *Preces noſtras*, &c. qua completa imponit manum ſuper caput baptizandi, dicens Orationem *Omnipotens*, &c. deinde benedicit ſalem, ſi antea non fuerat benedictus, dicens *Exorcizo*, &c. poſtea immittit modicum ſalis in os infantis, & dicit *Accipe ſalem*, &c. ſubdens Orationem, & exorciſmum, poſt quē pollice ſignat infantem in fronte, dicens, *Et hoc ſignum Sanctę Crucis, quod nos*, &c. Et impoſita manu ſuper caput infantis profert Orationem *Æternam*, &c.

4 Completa Oratione Sacerdos imponit extremam partem Stolæ ſuper infantem, & introducit eum in Eccleſiam, dicens, *N. Ingredere templum Dei*, &c.

5 Ingreſſus Eccleſiam procedit ad fontem, ibique cum ſuſceptoribus dicit *Credo*, & *Pater noſter*, & antequam accedat ad Baptiſterium dicit exorciſmum *Exorcizo te*, &c. poſtea digito accipit ſaliuā oris ſui, & tangit aures, & nares infantis; tangendo autem vtramque autem dicit *Ephpheta*, &c. nominatimque interrogat baptizandum *N. Abrenuncias ſathanæ?*

ibana? cui respondet Patrinus *Abrenuncio, & omnibus operibus eius?* Resp. *Abrenuncio. Et omnibus pompis eius?* Resp. *Abrenuncio.* Deinde Sacerdos intingit pollicem in oleo Cathecumenorum, & infantem vngit in pectore, & inter scapulas, in modum Crucis dicens, *Ego te linio oleo*, &c. statimq; loca inuncta bombacio, ac similiter pollicem abstergit mica panis.

6 Deposita postmodum stola violacea, sumit aliam albi coloris, facitque confessionem fidei expresso nomine baptizandi, dicens *N. Credis*, &c. cui Patrinus respondet *Credo*, similiter in secunda, & tertia interrogatione, subinde interrogat etiam expresso nomine baptizandi *N. Vis baptizari?* Resp. Patrinus *Volo*.

7 Tunc baptizat vel per ablutionem, vel per immersionem, interim Patrinus, vel Matrina, vel vterque, si ambo admittantur, infantem tenent; Sacerdos verò accepto vasculo aquã baptismalẽ ter in modum crucis fundit super caput infantis, semel distinctè, & attentè proferens verba formæ, scilicet *Ego te baptizo*, &c. ita vt dicens *In nomine Patris*, primò fundat, *& Filij*, secundò, *& Spiritus Sancti*. Tertiò; Si verò baptizet per immersionem, vbi est consuetudo, Sacerdos accipit infantem, & aduertens ne lædatur, cautè immergit, & trina mersione baptizat, & semel tantùm dicit *N. Ego te baptizo*, &c. statimque Patrinus, vel Matrina, vel vterque simul infantem de Sacro Fonte leuant, suscipientes illum de manu Sacerdotis.

8 Deinde intincto pollice sacro Chrismate inungit infantem in summitate capitis in modum crucis, dicens, *Deus omnipotens*, &c. tum abstergit pollicem suum, & locum inunctum bombacio, & imponit capiti baptizati loco vestis albæ linteum album, dicẽs, *Accipe vestem*, &c. postea dat ei, vel Patrino candelam accensam, dicens, *Accipe*, &c. Postremò dicit *N. Vade in pace*, &c. abstersoque pollice mica panis lauat manus, & paramenta deponit; antequam verò infans ex Ecclesia asportetur, aut susceptores discedant, eorum nomina in libro iuxta formam in Rituali Romano traditam describantur. Rit. Ro. in fin. tit. Formulæ Eccles.

De Baptismo Adultorum. Cap. IV.

1 *Requisita in Baptismo Adulti.*
2 *Habitus Sacerdotis, & agenda in principio baptismi.*
3 *Obseruanda si sint plures baptizandi.*
4 *Baptizandus in Ecclesiam quomodo introducatur.*
5 *Baptizandus procumbit, adorat, & exorcizatur.*
6 *Interrogationes faciendæ.*
7 *Olei Cathecumenorum vnctio.*
8 *Mutatio paramentorum, & baptismi collocatio.*
9 *Nouiter baptizatus ab Episcopo confirmandus, atque communicandus.*

1 Adultis Baptismi Sacramentum non nisi ab Episcopo, vel de licentia Episcopi in Sabbato sancto Paschæ, & Pentecostes solemniter conferri debet, extra tamen id tempus, cum res postulauerit, baptizandus prius in Christiana fide bene instructus, quolibet tempore poterit baptizari, Patrinus assistet, ipse verò Cathecumenus ad Sacerdoris interrogationes respondebit, quòd si sit mutus, vel surdus, vel ignotæ linguæ per Patrinum, vel alium interpretem saltem nutu suum assensum explicabit; decet autem, vt regulariter (nisi aliter ex rationabili causa faciendum erit) antecipandium à ieiuno ieiunis in Ecclesia ministretur. Rit. Ro. de Sacr. Baptism. tit. ordo baptizãdi Adultorum.

2 Præter ea, quæ dicta sunt supra de Baptismo paruulorum, addi hic debet pro Sacerdote Pluuiale etiam violacei coloris, quo indutus cum Clericis facta prius Oratione genibus flexis ante gradus Altaris, deinde surgens dicit *Deus*

in

in adiutoriū meum intende, &c. cū Antiphona *Effundam super vos*, &c. & Ps. *Domine Dominus noster*, &c. *Afferte Domino*, &c. *Quemadmodum desiderat*, &c. repetiraque Antiphona cum precibus, & Orationibus, quæ dicuntur in singulari numero, si vnus, vel plurali, si plures sint baptizandi, procedens ante fores Ecclesiæ interrogat Cathecumenum, prout in Rituali, & post interrogationes ter exsufflat in faciem eius, semel dicens *Exi ab eo*, &c. tum in modum crucis halat in faciem ipsius, & dicit *N. Accipe Spiritum bonum*, deinde facit crucem cum pollice in fronte, & in pectore eius dicens *N. Accipe*, &c. in quibus verbis est obseruandum: quòd verba *Horresce Idola, respue simulacra*, dicūtur ad cōuersum ex paganis, qui si fuerit Hebræus loco eorum dicuntur *Horresce Iudaicam perfidiam, respue Hebraicam superstitionem*, si verò fuerit Mahumetanus, dicuntur *Horresce Mahumeticam perfidiam, respue prauam sectam infidelitatis*; si ex hęreticis, qui in eius Baptismo debitam formam non seruauerunt, dicuntur *Horresce Hæreticorum prauitatem, respue nefarias sectas impiorum*, exprimendo nomen sectæ, de qua Cathecumenus venit.

3 Si plures sint baptizandi, interrogationes cum halitu, & signum Crucis cum verbis supradictis singillatim supra singulos fiunt, ac dicuntur, ac tandem dicitur Oratio *Te deprecor*, &c. postquam signat illū signo crucis in singulis membris, ac toto corpore cum debita verborum prolatione, prout in Rituali, in quibus signationibus, si plures sint baptizādi, verba quidem in plurali numero proferuntur, signationes autem fiunt singulis baptizandis, post quas dicuntur Orationes *Preces nostras*, & *Deus qui*, &c. postea imponit manum super caput baptizandi, ac subdit Orationem *Omnipotens*, &c. quæ vnà cum præcedentibus, si plures sint baptizandi, dicuntur in numero plurali; deinde benedicit sal, & pollice, & indice de ipso accipiens immittit in os Cathecumeni, dicens *N. Accipe Sal*, &c. cum Oratione *Deus Patrum*, &c. postea dicit super masculum, *Ora electe, Flecte genua, & dic Pater noster*; & Electus genuflectit, & dicit *Pater noster* vsq; ad *Sed libera nos à malo* inclusiuè; Sacerdos subiungit *Leua, comple Orationem tuam, & dic Amen*; dicitque Patrino; *Signa eum*, & Electo, *Accede*, & Patrinus pollice signat eum in fronte dicendo *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. similiter & Sacerdos eum signat, deinde imposita manu super eum dicit Orationem *Deus Abraham*, postea exorcismum, & si sint plures hìc, & in sequentibus dicit in numero plurali. Item secundò dicit super eumdem *Ora Electe*, &c. vel si sint plures *Orate Electi*, & reliqua, vt supra, quod & tertiò facit, mutatis tantùm Orationibus, & exorcismis, prout in Rituali: & si sint fœminæ, aliç Orationes habentur ibidem designatç, & in fine super vtrumque dicit Orationem *Aeternam, ac iustissimam*, &c.

Rit. Ro.

4 His peractis, Sacerdos sinistra manu apprehendens baptizandi dexteram propè brachium, vel ei porrigens extremam partem Stolæ introducit in Ecclesiam, dicens *N. Ingredere*, &c.

5 Baptizandus ingressus Ecclesiam procumbit, adorat, & surgit, ac Sacerdos imponit manum super caput eius, & cū eo recitat Symbolum Apostolicum, & Orationem Dominicam, & si plures fuerint, omnes simul recitant, tunc rursus Sacerdos imposita manu super caput baptizandi dicit exorcismum; *Nec te latet*, &c. & si fuerint plures, singulis manus imponens eadem repetit.

6 Postea Sacerdos pollice accipit de saliua oris sui, & tangit aures, & nares Cathecumeni, & tangendo aurem dexteram, & sinistram dicit *Ephpheta, quod est adaperire*, deinde tangendo nares dicit *In odorem suauitatis*, &c. ac interrogat Cathecumenum, *Quis vocaris?* qui respondet *N.* & tribus alijs interroga-

terrogarionibus respondet, *Abrenuncio*.

7 Mox inungit ipsum Electum oleo Cathecumenorum in pectore, & inter scapulas in modum Crucis dicēs *Ego te linio*, &c. & si sint plures idem singulis facit; mox bombacio tergit loca inuncta, & pollicem.

8 Tum depositis paramentis violaceis, accipit paramenta albi coloris, & accedens prope fontem interrogat *Quis vocaris? Credis* &c. ac tandem *Vis baptizari?* postmodum trina ablutione ipsum baptizat, vel etiam immersione totius capitis, vel corporis, vel in dubio sub conditione, deinde inungit per modum Crucis verticem baptizati sacro Chrismate dicens *Deus omnipotens*, &c. datque vestem candidam, & candelam accensam.

9 Si adsit Episcopus, Neophiti Sacramento Confirmationis initientur, & si hora sit congrua, celebret Missam, cui Neophiti intersint, & Sanctissimam Eucharistiam deuotè suscipiant.

De Sacramento Pęnitentię. Cap. V.

1 *Sacramentum Pœnitentiæ in quo consistat.*
2 *Minister huius Sacramenti quomodo se disponat.*
3 *Quo loco ministrandum.*
4 *Quo habitu.*
5 *Pœnitens quomodo sit excipiendus, atq; instruendus.*
6 *Quomodo peracta confessione sit monendus.*
7 *Modus absoluendi pœnitentem.*
8 *In quotidianis confessionibus breuior absolutio.*
9 *Modus absoluendi excommunicatum secretum.*
10 *Modus absoluendi publicè excommunicatum.*
11 *Modus absoluēdi à suspensione, vel interdicto.*
12 *Modus dispensandi in irregularitate.*
13 *Modus absoluendi defuncti cadauer ab excommunicatione.*

1 POenitentiæ Sacramentum secunda tabula post baptismum ad lapsos in gratiam Dei restituendos à Christo Domino institutum tria essentialia requirit, Materiam videlicet, Formam, & Ministrum; materia quidem est alia remora, cuiusmodi sunt peccata; alia verò proxima, actus scilicet pœnitentis; forma verò *Ego te absoluo*, &c. Minister denique est Sacerdos habens potestatem siuè ordinariam, siuè delegatam. Concil. Trid. ses. 6. c. 14.

2 Sacerdos igitur ad Pœnitentię Sacramentum ministrandum accedat compositus, interius quidem magna conscientiæ, puritate, reuerentia, amore, ac humilitate, se primùm Deo rum sibi iniunctum munus mentis breui eleuatione commendans, & si tempus suppetat, adhibeat etiam orationis arma, genibusque flexis omnipotentem Deum oret, vt sibi ad iudicandum sapientiam, ad medendum consilium, & ad miserendum pietatem, pœnitentibus verò cor contritum largiri dignetur. Rit. rom. ti. de sac. pœnit.

3 Omnium confessiones in sedibus ad id in Ecclesia loco patenti designatis, tanquam Iudex sedēs pro tribunali cooperto capite excipiat.

4 Superpelliceo item, ac stola violacei coloris indutus suum munus pręstet, prout temporis, & locorum feret consuetudo; breues enim, ac quotidianas confessiones in Sacristia, vel alio priuato loco audire poterit; similiter infirmorum confessiones in priuatis ædibus, cum id necessitas postulauerit; in diebus verò, quibus populus ad Sacramentum confluit, tunc publicè, & Sacerdotali habitu indutus illud, vt dictum est, decenter ministret.

5 Pęnitentes benignè excipiat, si arma gerant, ea deponere iubeat, si immoderato corporis cultu, indecētiq; ornatu;

præcipuè cum mulieres nimis fucatæ, ac compte accedunt, paternè moneat, vt mutato habitu pœnitentię ſigno ad tantum Sacramentum mentis, & habitus humilitate accedant, flexiſque genibus ſigno Crucis ſe muniant, dicantque generalem confeſsionem *Confiteor* vſque ad *Ideo precor*, &c. quòd ſi pœnitens adeò rudis ſit, vt id neſciat, adiuuet ipſum vulgari lingua, ſi opus ſit, eumque de articulis fidei, & alijs ad ſalutem cognitu neceſſarijs breuiter, prout neceſsitas, & opportunitas temporis conceſſerit, inſtruat. In quotidianis verò, & breuioribus confeſsionibus dicat pœnitens *Confiteor Deo omnipotenti, & tibi Pater*, mox peccata ſua confiteatur.

6 Peracta confeſsione, opportunas correctiones, ac monitiones, prout opus eſſe videbitur, paterna charitate adhibeat, ad dolorem, & contritionem ſalutaribus monitis, & ad vitę emendationem pœnitentem inducens, & ſi eum abſolutione dignum, & capacem inuenerit, conuenienter impoſita pœnitentia, ab eoque acceptata, iubeat, vt dicat *Ideo precor*, &c.

7 Sacerdos abſoluēs dicit primò *Misereatur tui*, &c. deinde dextera ſuper pęnitentē eleuata dicit *Indulgentiā*, &c. *Dñs noſter Ieſus Chriſtus te abſoluat, & ego auctoritate ipſius te abſoluo ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, in quantum poſſum, & indiges, & eadem auctoritate abſoluo te à peccatis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen*, formans ſignum Crucis ſuper pœnitentem; tum ſubdit *Paſsio Domini noſtri Ieſu Chriſti*, &c. & ſi pęnitens ſit Laicus, in abſolutione omittit verbum *Suſpenſionis*.

8 In breuioribus autem, & frequentioribus confeſsionibus omittere poterit *Miſereatur*, & *Paſsio*; vrgente verò neceſsitate in periculo mortis breuiter dicere poterit *Ego te abſoluo ab omnibus cenſuris, & peccatis tuis, In nomine Patris*, &c.

9 In crimine hæreſis, ſchiſmatis, vel Apoſtaſiæ à fide Sacerdos facultatem habens abſoluendi in foro conſcientiæ, primum omnium hæreſim, ſchiſma, vel apoſtaſiam à fide faciat deteſtari verbo abſque ſcripto anathematizando, & abiurando illa, & iuramento præſtito promittere, quòd de cętero ab ijs, ac ſimilibus exceſſibus pœnitus abſtinebit; deinde ſalutari impoſita pœnitentia eum in foro conſcientiæ abſoluat primùm à cenſuris, in gremium Sanctæ Matris Eccleſię eum excipiens, tum à peccatis omnibus.

10 In foro verò exteriori excommunicatum publicè abſoluat, ſi facultatem habeat à Superiore, ad quem ſpectar, à quo ſi ſit certa forma præſcripta, illa omninò ſeruanda eſt; ſi verò in mandato, vel commiſſione habetur, vt abſoluat in forma conſueta Eccleſiæ, tunc obſeruet primùm, vt excommunicatus ei, ob cuius offenſam in excommunicationem incidit, ſi poteſt, ſatisfaciat, & ſi non poteſt, ſufficientem cautionem præbeat, vel ſaltem iuret, ſe, cum primùm poterit, ſatisfacturum; ſecundò ſi crimen, ob quod in excommunicationem incidit, ſit graue, iuramentum pręſter de parendo mandatis Eccleſiæ, quę illi fient pro tali cauſa, & pręcipuè ne deinceps incidat in eundem errorem delinquendo contra illum canonem, vel decretum, contra quod faciendo in cenſuram incurrit: tum Sacerdos ſedens ſuperpelliceo, ac ſtola violacea indutus, pęnitentem ante ſe vtroque genuflexum, & humero, ſi vir fuerit, vſque ad camiſciam denudato, virga, aut funiculis leuiter percutiet, dicendo totum Pſalmnm *Miſerere*, &c. cum *Gloria Patri*; quo completo ſurgens detecto capite dicet Preces, & Orationem *Deus, cui proprium eſt*, &c. prout in Rituali, poſtea ſedens cooperto capite dicet *Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſoluat, & ego auctoritate ipſius; vel Sanctiſs. Dñi N Papæ, vel Reu. Epiſcopi N. vel talis Superioris mihi cōmiſſa abſoluo te à vinculo ex-*

Rit. Roti. de abſolut. ab excom.

lo ex-

lo excommunicationis, in quam incurristi, vel incurrisse declaratus es pro tali facto, vel *causa* ipsam explicando, &c. *& restituo te communioni, & vnitati fidelium, & Sanctis Sacramentis Ecclesiæ. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.* Si verò res non fuerit adeo grauis, omissis alijs dicat *Dominus noster Iesus Christus*, vt supra, & hoc in foro exteriori; nam in foro interiori absoluet iuxta formam communem supra præscriptam.

11 Si Sacerdoti fuerit commissa facultas absoluendi aliquem à suspensione, vel interdicto; quamuis nulla sit certa forma præscripta; tamen vti poterit tali forma, vt pœnitens prius dicat *Confiteor, &c.* Sacerdos subdat *Misereatur*, & *Indulgentiam*, mox dicat *Auctoritate mihi ab N. tradita ego absoluo te à vinculo suspensionis, vel interdicti, quam, vel quod propter tale factum, vel causam incurristi, seu incurrisse declaratus es, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.*

12 Si Confessario siuè in interiori, siuè exteriori foro concessa sit facultas dispensandi super irregularitate, tunc post absolutionem à peccatis addat, *& eadem auctoritate dispenso tecum super irregularitate*, vel *irregularitatibus*, si sint plures, *in quam, vel quas ob talem, vel tales causas*, eas exprimendo, &c. *incurristi, & habilem reddo, & restituo te executioni Ordinum, & Officiorum tuorum, In nomine Patris, et Filij, et Spiritus sancti. Amen*; & si nullum habeat Ordinem, dicat, *habilem reddo ad omnes Ordines suscipiendos*, vel etiam ad alia, iuxta tenorem mandati, & si ad titulum beneficij sit restituendus, & ad fructus malè perceptos condonandos, subiungat; *et restituo tibi titulum, seu titulos beneficij, vel beneficiorum, et condono tibi fructus malè perceptos, In nomine Patris, et Filij, et Spiritus sancti. Amen*; seruata semper forma mandati, & facultate, quam à superiore accepit.

13 Si quis excommunicatus è præsenti vita cum signo contritionis recesserit; ne Ecclesiastica sepultura careat, & Ecclesiæ suffragijs adiuuetur, absolui poterit, & si corpus nondum sit sepultum, super ipsum dicat Sacerdos Stola nigra supra superpelliceum indutus Antiphonam *Exultabunt Domino* cum Psalmo *Miserere*, interim verberando corpus; quòd si fuerit sepultum in loco sacro, verberabitur sepultura, at si in loco profano, si commodè fieri poterit, exhumabitur, & eodem modo verberabitur, & si commodè exhumari non poterit, locus sepulturæ verberabitur; quibus peractis absoluat forma in Rituali præscripta, & post absolutionem dicatur Psalmus *De profundis*, cum *Requiem æternam*, & reliquis Versiculis, & Oratione *Da quæsumus*, &c. deinde sepeliatur in loco sacro. Rit. Rō. tit. ritus absoluē-di excō. mortuū.

De excommunicatione, & Anathemate, atque solemni Absolutione ab Episcopo facienda. Cap. VI.

1 *In solemni Absolutione ab excommunicatione quomodo procedendum.*
2 *Pœnitens quomodo verberandus.*
3 *Absolutio quomodo danda.*
4 *Anathema pro grauioribus culpis quomodo pronunciandum.*
5 *Absolutio ab huiusmodi grauioribus quomodo danda.*
6 *Apostata, Schismaticus, vel Hæreticus, quomodo reconciliandus.*
7 *Quomodo Fautor Hæreticorum, vel Hæresiarca absolui debeat.*
8 *Absolutiones solemnes dandæ à Romano Pontifice.*
9 *Præparanda pro huiusmodi solemni Absolutione.*
10 *Ordo procedendi in solemni Absolutione.*
11 *Agenda ab Oratoribus petentibus Absolutionem.*

1 CVm excommunicatio alia sit minor, quæ per participationem cum excommunicato contrahitur, à qua quilibet Sacerdos absoluere potest; alia maior, à qua Sacerdotes modo supra præscripto absoluunt; rursus sunt quædã grauiores, à quibus Episcopum tantùm decet absoluere. In huiusmodi itaque solemni absolutione Episcopus Amictu, Alba, Cingulò, Stola, ac Pluuiali violacei coloris indutus cum Mitra simplici, adstantibus Cappellanis superpelliceis indutis, sedens super Faldistorio ante Portam principalem Ecclesiæ, accedente pœnitente detecto capite, ac flexis genibus, & vbi est consuetudo, exuto vsque ad camisciam, accipit prius ab eo iuramentum de parendo Ecclesiæ mandatis. (Pō rom. par. 3. ti. ordo ex-cōicandi pag. 639.)

2 Pontifex accepta virga inchoat Psalmum *Miserere*, qui dicitur totus cum Vers. *Gloria Patri*, & in fine cuiuslibet Vers. leuiter inter scapulas verberat absoluendum, pariter subdens & alium Psalmum *Deus misereatur nostri*, &c. eodem modo ad singulos Vers. percutit absoluendum.

3 Completis Psalmis Episcopus deposita Mitra surgit, & dicit Versus cum Orationibus *Deus cui proprium est*, & *Præsta quæsumus*, prout in Pontificali, deinde sedens accepta Mitra subdit; *Auctoritate Dei Omnipotentis*, &c. quibus dictis surgens apprehendit absolutum per dexteram manum, & introducit in Ecclesiam dicens, *Introduco te*, &c. prout in Pontif. (Pont. p. 640.) (Pont. p. 641.)

4 Pro grauioribus culpis pronunciari solet Anathema, hoc est solemnis excommunicatio, & tunc Pontifex indutus, vt supra, Assistentibus duodecim Presbyteris superpelliceis indutis, omnibus Episcopo videlicet, ac Presbyteris candelas accensas in manibus tenentibus, in Faldistorio sedens ante Altare maius, aut alio loco publico pronunciat Anathema: *Quia N. Diabolo suadente*, &c. prout in Pontif. & testi postulaue rit, adhiberi etiam poterit Diaconus Dalmatica nigra indutus, qui suggestum ascendens ipsum Anathema clara, & intelligibili voce pronunciabit, & interim pulsantur campanæ sono conciso, prout fieri solet in exequiis Defunctorum. Lecta sententia Anathematis, omnibus respondentibus *fiat, fiat, fiat*; tàm Pontifex, quàm Sacerdotes prædicti proiicere debent in terram candelas ardentes, & Acolythi accedentes, pedibusque ipsas conculcantes extinguunt: deinde cedulæ cum nomine excommunicati, & excommunicationis causa per Parochias, & loca vicina affiguntur, ne quis per ignorantiam cum huiusmodi excommunicatis participet. (Ex cōst. Clemēt. VIII.)

5 Quando in grauioribus excommunicatus solemniter ab Episcopo est benedicendus, absolutionem petens præstito iuramento, & satisfactione, ac reliquis compositis, ante Episcopum paratum, vt supra accedit, ibique assistentibus Ministris genuflectit; interim dicuntur septem Psalmi Pœnitentiales alternatim ab Episcopo, & Ministris; quibus expletis Episcopus surgens deposita Mitra dicit Versus cum Orationibus *Deus cui proprium est*, &c. vt supra; cum autem ipsum excommunicatum in Ecclesiam introducit, relicto eo genuflexo in inferiori gradu Altaris, ascendit ad Altare, & ad ipsum introductum conuersus, deposita Mitra dicit Orationes *Maiestatem tuam*, &c. & *Deus misericors*, post quas producit signum Crucis super introductum, qui surgens, & Episcopo gratias agens eius manum osculatur, & recedit.

6 Si verò absoluendus sit Apostata, Schismaticus, vel Hæreticus, tunc

Ponti-

Pontifex indutus vt supra sedens in faldistorio ante fores Ecclesiæ ipsum interrogat de fide, prout in Pont. deinde surgens cum Mitra super ipsum genuflexum legit exorcismum dicens, *Exorcizo*, &c. illumque signat signo Crucis in frōte cum pollice dexteræ manus dicens; *Accipe signum Crucis*, &c. postea illo surgente Pontifex sinistra sua eum per dexteram apprehendens in Ecclesiam introducit dicens *Ingredere*, &c. ipsumque ante gradus Altaris ducens, vt ibi genuflectat, Altare ascendēs, deposita Mitra, ad pœnitentem conuersus dicit Orationes *Omnipotens*, &c. & *Deus qui*, prout in Pont. ac tandem completis omnibus, accepta Mitra, & super faldistorio sedens ipsum de fide Catholica interrogat, postea surgens deposita Mitra, manuq; dextera super caput pœnitentis imposita, dicit Orationē *Domine Deus*, &c. prout in Pont.

Pont. p. 648. Pont. p. 649. pont. p. 650. Pont. pa. 651.

7 Quòd si reconciliandus alicui hæresi adhæserit, vt propterea ipsam abiurare teneatur; Episcopo cum Mitra sedente genuflexus ante illum dicet, *Ego N.* &c. & in fine super librum Euangeliorum ante genua Episcopi apertum iuramentum præstabit; si verò reconciliādus fuerit Hæresiarcha, alio modo in abiuratione proceditur, prout in Pont. & iuramento præstito Pontifex format signum Crucis dextera eleuata super reconciliatum, qui Episcopo manum osculatur, & gratias agens recedit.

Pont. p. 672. Pont. p. 613.

8 In extraordinarijs autem solemnibus, ac publicis absolutionibus, quæ à Romano Pontifice fieri consueuerunt, plura quæ Paris de Crass. in suis Diar. notata reliquit, hoc loco tradere oportet.

Paris. de Grassis diar. t. 3.

9 In primis præparari solet in porticu S. Petri ante duas portas illius Basilicę, & ante mediam, suggestus trium graduum, stratis tapetis, parietibus etiā pannis sericeis magnis ornatis; insuper erit in promptu Liber Pontificalis, & Missale apertum cum Imagine Crucifixi pro iuramento præstando; tredecim virgæ, quarum vna pro Pontifice erit pulcrior alijs; & capitula publicè legēda in bona forma conscripta. Oratores, Fiscalis, & Notarius, qui instrumentum conficere debet, de omnibus prius agendis instruantur.

10 Hora congrua omnibus bene dispositis, & Oratoribus in Palatio aliquo loco opportuno expectantibus, Pontifex Pluuiali rubeo, ac Mitra indutus in sella gestatoria, præcedētibus Prę latis, & Cardinalibus cum Cappis violaceis, sicut in Dominicis Quadragesimæ ad Porticum defertur, ibique supra suggestum in eadem gestatoria sella sedet, Cardinalibus, ac Prælatis circumcirca adstantibus; in angulo dextero erit Magister Cęremoniarum, ac Secretarius; à sinistris verò Fiscalis, Aduocatus, & Notarius Cameræ: Oratores denique ante suggestum, præueniendo Pontificis aduentum, accedunt.

11 Oratoribus genuflexis, & ex gratia petentibus osculum pedis cōceditur, ac deinde ad supremum gradum suggesti genuflectunt; quorum primus alta, & intelligibili voce veniam, & misericorditer absolutionem petit, seq; paratos nomine sui principalis ad satisfaciendum, & iurādum offerunt; quibus Procuratore Fiscali instante, an habeant speciale mandatum, & vt ipsum exhibeant petente, exhibitum de mandato Pontificis leget Secretarius vnà cum Capitulis, & pactis antea pręscriptis; quibus lectis rursum Fiscalis instabit, an velint illa iurare, & parere mandatis Dñi Papæ, & Ecclesiæ & ipsi ad omnia paratos se offerent.

12 Interim Magister Cæremoniarum Missale apertum ad genua Pontificis ponet, quod Diaconi Cardinales hinc inde assistentes sustinebunt, Pontifice manum apponente; & sic Oratores singuli accedentes ambabus manibus tactis scripturis, & Imagine Crucifixi iurāt, promittunt, & se obligant; de quibus omnibus Procurator Fiscalis requirit Notarium, vt instrumentum conficiat.

13 Pontifex Oratores alloquitur, quod magis expedire rei, de qua agitur, visum fuerit, concludens Apostolica benegnitate se velle eos absoluere.

14 Distributis deinde per Magistrũ Cęrem. virgis Pontifici, ac duodecim Cardinalibus ex circumstantibus, Pontifice inchoante Psalm. *Miserere*, Cardinales alternatim cum ipso prosequuntur vsque in finem ad vnumquemque versum semel Oratores super scapulas leuiter percutiendo.

15 Recitato Psalmo Pontifex surgens, deposita Mitra, dicit Vers. cum Orationibus, postmodum sedens cum Mitra dicit *Misereatur*, & *Indulgentiam*, ac *Authoritate Dei omnipotentis*, &c. & imposita Oratoribus pœnitentia, mandat Cardinalibus, & Pœnitentiarijs, vt ipsos ad osculum pedum introducant, quos accedentes benignè excipit ad osculum pedis, manus, & oris eodem modo, quo in publico Consistorio venientes ad præstandam obedientiam excipi solent, & ipsi gratias agentes assistũt ad Missam, quæ erit de die, qua completa, & associato Pontifice, dum redeunt, à familiaribus Domini Papæ associari solent.

16 Huiusmodi ritus obseruatos legimus in absolutione Regum, ac Magnorum Principum, videlicet liberæ Reipublicæ, ipsam per suos Oratores ad hoc specialiter missos petentium. In absolutione autem inferioribus cõcessa, in grauioribus videlicet excessibus, nudi ante Porticum Sancti Petri pœnitentes induti, non quidem à Papa, & Cardinalibus, sed à duodecim illius Ecclesiæ Presbyteris virgis cæsi absolui olim consueuerũt, licet & aliquando vestiri pariter à Presbyteris ante ianuas eiusdem Basilicæ percussi fuerint absoluti; immo & inferioris ordinis viros, puta vassallos Ecclesiæ contumaces, ac rebelles, ne tantus honor eis tribueretur, omnino nudos à Pœnitentiarijs acriter, atque duriùs percuti voluerunt Romani Põtifices, donec plures Psalmi ex pœnitentialibus perficerentur, adstantibus ad circulum ante Pontificem Cardinalibus: aliquando etiã non ante ianuam Basilicæ, sed in Aula ante Capellam maiorem Palatij à Pœnitentiariis percussos Romani Pontifices absoluerunt; & quia non Historiam connectimus, sed tantùm Praxim tradimus Cęremoniarum, licet tempus, nec non nomina Pontificum, & eorum, qui fuerunt quandoque hoc modo absoluti, explicare possemus; consultò his prætermissis, tantùm quæ ad rẽ, de qua agimus, spectant, hoc loco adnotauimus.

De modo conficiendi Sacramentum Eucharistiæ. Cap. VII.

20 *Quid si intra Pyxidem sordes inueniantur*.

21 *Ablutio digitorum in piscinam proijcienda*.

22 *Praeparanda à Ministro in Communione*.

Mag. in 4. D.Th D.Bona. Concil. Trid.sess. 13.c 3.

1 EVchariſtiæ Sacramentum omnium quidem digniſſimum, tanquam Sol inter ſidera reliqua excedens, verè Sacramentum Sacramentorum, vt dicitur,eſt;non enim,vt alia, tantùm efficit gratiam,quam ſignificat; verùm etiam fontem ipſum, auctoremque gratiarum realiter, miro quidem,ſed certiſſimo modo in ſe continens, omnium ſpiritualium chariſmatum abundantiam dignè ſumentibus confert;eſtque excellentiſſimo, ſingulariq; modo Sacramentum,non cum miniſtratur tantùm,atque conficitur, vt alia omnia,ſed & in facto eſſe, vt dicunt; nam non ſolùm cũ conſecratur, & cum ſumẽdum fidelibus traditur; verùm etiam cum in Altari aſſeruatur,verè,ac propriè eſt Sacramẽtum: huius igitur tam admirabilis Sacramenti,tantique myſterij adminiſtratores Sacerdotes ſancti inuigilent, ſeduloq; obſeruent,quomodo ipſum perficiant, quibus cęremonijs ſumendum tradant, ac denique quo cultu,quantaque reuerentia in ſacro Altari aſſeruent.

2 Sacerdos Sanctiſſimæ Euchariſtiæ miniſter pro populi multitudine,Hoſtiarum minorum,ſeu particularum ſufficiẽtem numerum in vno vaſculo, vel pluribus argenteis ad hoc benedictis accommodabit; & ſi in Miſſa ſolemni earum facienda ſit conſecratio,dicto Offertorio deferatur à credentia per Subdiaconum Pyxis cum Hoſtiis conſecrandis cooperta,& à Diacono reponatur ſuper Corporale ante Crucem loco congruo, ita vt non impediat Calicem,& maiorem Hoſtiam pro Sacrificio conſecrandam, & cum celebrans dicturus eſt *Suscipe sancte Pater*, &c. pro oblatione Diaconus illam detegit, & aliquantulum eleuat, ſtatimque ſuper Altare reponit, & facta oblatione iterũ cooperit, Sacerdos verò dicẽs *ſuſcipe*,&c.intentionẽ ad omnes,& ſingulas non determinando numerum diriget:In Miſſis verò priuatis Sacerdos Pyxidem ab Acolytho accipiens ſuper Corporale collocabit, & ad *ſuſcipe* ipſã diſcooperiet,& eleuabit,rurſumque, cũ opus fuerit per ſe ipſum cooperiet, reliquaque omnia, vt dictum eſt, perficiet. Rit.Miſ. VII.3.

Cęrem. Epiſc.li. 1.c.29.

3 Dicturus in Canone *Qui pridie*, &c. Pyxidem ante Calicem trahens diſcooperit, & tunc accipiens Hoſtiam,format ſignum Crucis, verbaque conſecrationis profert ſuper ipſam,reliquaſque omnes, & ſingulas, non determinando earum numerum, quotquot ſunt conſecrare intendens, & licet talis actualis intentio non ſit neceſſaria, eſt tamen ſatis congrua, ac propterea ſtudeat eam habere; poſt eleuationem repoſita ſuper Corporale Hoſtia conſecrata, cooperit Pyxidem, eamque loco congruo intra tamen Corporalia,ita vt ſacra actio non impediatur,collocabit;& quando Communicandorum paruus eſt numerus,Hoſtiæ conſecrandæ ſuper Patenam offerri poſſunt; & poſt Offertorium ſuper Pallam,vel ſuper Corporale ſubtus Hoſtiam reponi;& cum poſt Orationem Dominicam Hoſtia ponenda eſt ſuper Patenam, reponantur ſuper Corporale ad latus Calicis,& nos qui altera Palla vtimur,ſatis congruè ſuper ipſam collocamus, & aſſumpto Sanguine ſupra Patenam repoſitę miniſtrentur communicandis. Rit.Miſ. VIII. 5.

4 Cum intra Miſſarum ſolemnia facienda eſt generalis Communio, quę Feſtis ſolemnioribus, ac præcipuè Feria V.in cœna Domini fit, Ceroferarij cum intortitiis accenſis vſq; ad finem Communionis;à lateribus hinc inde aſſiſtant; celebrãs verò aſſumpto ſanguine, antequam ſe purificet, retrahit ſe ad cornu Euangelii verſa facie ad cornu Epiſtolę, poſt quem ſtabit Subdiaconus, Clerici interim ſuperpelliceis induti vnus poſt Cõſuet. Cleric. Regular. Theat.

alium

alium procedentes, in plano ante Altare recta linea genuflectunt. In Altari Diaconus Calicem Palla coopertum ponit à latere Epistolæ; extrahit Pyxidem è Tabernaculo, vel si esset super Altare, eam detegit genuflectendo, quod pariter à celebrante, & subdiacono præstabitur; extracta Pyxide celebrans surgit, Diaconus verò accedens à latere Altaris in cornu Epistolæ profundè inclinatus, ac manibus iunctis voce intelligibili dicit *Confiteor*, &c. quo dicto celebrans iterum genuflectens Sacramentum adorat, vertensque se ad communicandos dicit *Misereatur*, & *Indulgentiam*, &c. formãs signum Crucis supra communicandos, sinistram infra pectus tenendo; interim Diaconus eodem modo stans respondet *Amen*; tum Diaconus à dextris, & Subdiaconus à sinistris supra gradum mediũ Altaris genuflectunt; Acolyti verò hinc inde velum extensum ante communicãdos genuflexi tenent, & celebrans more solito dicens *Ecce Agnus Dei*, & *Domine non sum dignus*, singulos communicat dicens *Corpus Domini nostri*, &c. Ministri, sumpta communione, atque purificatione, celebranti assistunt; Subdiaconus à sinistris Patenam tenens, Diaconus verò purificationem ministrabit. In cathedralibus Episcopo celebrante, singuli antequam sacram Communionem sumant, osculatur manum Episcopi; purificatio autem ministrabitur in Calice cum vino, ac mappula in cornu Epistolę; Canonicis quidem, ac Magistratibus ab aliquo Canonico, vel eorum vltimo, dummodo sit in Sacris constitutus; Beneficiatis ab aliquo Beneficiato; Clero verò, ac populo à Capellano. Rit. Mis. X. 9.

5 Post Ministros accedentes reliqui, primò Prælati, si adsint, in suo habitu, deinde Sacerdotes super superpelliceum stolam coloris tempori conuenientis habentes, post Clericos sequuntur Religiosi laici. Cõsuet. Cleric. Regul. Theat.

6 Si alij sæculares sint communicandi, Acolithi linteum extensum tenentes amouent; celebrans verò ab Altari descendens ad cancellos ad dexteram communicandorũ à latere Epistolæ accedens vnicuique sumendum dat Sacramẽtum, donec compleatur circulus vsque ad vltimum lateris Euangelij, & si alij accesserint, quoties opus est, reuertitur, incipiendo eodem ordine à latere Epistolæ, nec dat eis benedictionem, cum illam daturus sit in fine Missę. Rit. Mis. X. 6.

7 Absoluta communione, antequam celebrans Altare ascendat, surgunt Ministri, & ad celebrantem cum reuerentijs accedentes, dum ascendit gradus, hinc inde eleuant fimbrias anteriores vestium; ipse verò tenens digitos dexterę adhuc coniunctos super Pyxidem, ascendit ad Altare, vbi supra Corporale illam reponens, aduertat, ne quid fragmenti digitis adhęserit illos ad maiorem cautelam supra Pyxidem excutiens; deinde à latere Euangelii post se habens Subdiaconum genuflectit, donec reponatur Sanctissimum Sacramentum, & statim Diaconus cooperit Pyxidem, eamque in Tabenaculum cum debitis reuerentiis reponit.

8 Eodem modo cum diebus Dominicis, & reliquis festis Clericorum, vel Religiosorum Communio fit in Missis priuatis, quę à Pręlato fieri solet, procedere oportet, exceptis iis, quę de Ministris sunt dicta. Cõsuet. Cleric. Regul. Theat.

9 Cum autẽ aliàs cõmunicato Sacerdote aliquis Sanctissimum Eucharistię Sacramentum est sumpturus, eadem respectiuè obseruentur, semperque velum ab Acolytho ante communicandos reponatur, qui à latere Epistolę genuflexus facit confessionem; celebrans verò, etiam si vnus tantùm sit communicandus, dicat *Misereatur vestri*, & *Indulgentiam peccatorũ vestrorum*, & etiam si mulier sit communicanda, eodem modo dicat *Domine non sum dignus*, &c. nec det benedictionem communicatis, quia in fine Missę illam sunt accepturi; quòd si Missa sit pro defunctis, seruato ritu Rit. Mis. X. 6.

Missalis,

Miſſalis, non dabitur tunc benedictio; talis enim ritus Miſſis defunctorum debetur.

10 Si rationabili ex cauſa communio in fine Miſſæ ſit facienda, vel aliàs extra Miſſam, extendatur Corporale ſuper Altare, vel ſaltem adhibeatur Palla, & Sacerdos, ſi non ſit ſacris veſtibus indutus, ſupra ſuperpelliceum habeat Stolam coloris tempori congruentis; Acolythus verò accendat intortitia, & ſupra ſcamnum extendat velum, & reliqua, vt ſupra fiant: peracta communione dicitur Antiphona, *O Sacrum conuiuium*, &c. cum ℣. *Panem de cælo*, & Sacerdos dicit Orationem *Deus, qui nobis*, &c. tempore verò Paſcali addito *Alleluia* ad Antiphonam, & Verſum dicit Orationem *Spiritum nobis Domine tua charitatis infunde, vt quos Sacramentis Paſchalibus ſatiaſti, tua facias pietate concordes. Per Dominum*, &c. deinde repoſita Pyxide intra Tabernaculum, ad communicatos conuerſus, extenſa dextera, formando ſignum Crucis ſuper ipſos, dicit *Benedictio Dei Omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus ſancti deſcendat ſuper vos, et maneat ſemper. Amen.*

Cõſuet. Eccl. S. Petri.

Ri. rom. de Sacr. Euchar.

11 Si, dum ſit Communio, aliqua Hoſtia excidat in terram, reuerenter eã Sacerdos accipiat, locusque in quem ceciderit, obſignetur, atq; aliquid interim ſuperimponatur, ne à tranſeuntibus forte conculcetur, opportuno poſtmodum tempore abradatur, & puluis, ſeu abraſio in ſacrarii piſcinam proiiciatur.

Miſſal. Rom. de defe. Miſſæ c. 10. 15.

12 Si ceciderit ſupra mappam, vel velum, huiuſmodi mappa, vel velum obſignetur, ac poſt modum diligenter lauetur, ipſa verò lotio in Sacrarii piſcinã proiiciatur.

13 Si ſupra veſtes communicantium ceciderit, locus ſignetur, ac poſtea lauetur; quod ſi commodè, vel decenter fieri non poterit, ſi fortè aliquam mulierem tetigerit, eidem, vt veſtem, vel locum à Sacramento tactum lauet. Miniſter committat, & lotionem, vt ſupra, in Sacrarium proiiciat.

14 Pro Monialibus communicandis in feneſtrella ad id deputata, prẹter alia ornamenta ſternatur velum ſericeum, nec non linteum mundum, & in loco vbi reponenda eſt Pyxis Corporale, adhibitis hinc inde cereis accenſis; in terra verò ex vtraque parte extendantur tapeta, vel panni, & Sacerdos miniſtraturus Stola coloris tempori conuenientis ſupra ſuperpelliceum indutus, veloque ſuper humeros impoſito, prẹcedentibus Acolythis cum intortitiis accenſis, ad locum cõmunionis reuerenter, ac piè Pſalmos, & Hymnos ſummiſſa voce recitando Sãctiſſimum Sacramentum deferat, ac in loco prẹparato ſupra Corporale repoſita Pyxide velum deponat, Sacramentumque reuerenter adoret, & dicta à Monialibus cõfeſſione, iterum genuflectat, ac ſubdat *Miſereatur, et Indulgentiam*, &c. deinde accipiens cum debitis reuerentiis vnam Hoſtiam ex Pyxide ad feneſtrellam accedens, ipſamq; eleuatam ſupra Pyxidem tenens dicat. *Ecce Agnus Dei*, & reliqua more ſolito. Omnibus cõmunicatis cooperit Pyxidem, ac ſupra Corporale reuerentijs adhibitis reponẽs dicit Antiphonam *O Sacrum conuiuium*, cum Verſu *Panem de cælo*, & Orationem *Deus qui nobis*, &c. qua dicta formans ſignum Crucis ſuper ipſas, dicit, *Benedictio Dei Omnipotentis*, &c.

15 Si dum Monialium Communio ſit, caſu Hoſtia intra clauſuram earum ceciderit; quod, omni ſtudio cauendum eſt, ne accidat; tunc præcipiat alicui ex iis, quæ intus ſunt, vt illam reuerenter, atque omni adhibita diligentia, ne aliquod fragmentum pereat, vel decidat, Patena, vel Palla, aut etiam pagina alba, ac munda accipiat, & ſi aliter non poteſt, manibus reuerenter per eandem feneſtrellam ei porrigat, & locus ſignetur, ne pedibus conteratur, & finita Cõmunione ab iiſdem Monialibus terra radatur, ac tandem lingua lambatur, ipſaque raſura in Sacrarii piſcinam proiiciatur;

sicut enim si in limum incidat, ne irreuerenter ibi sit, à quolibet, vt Doctores dicunt, eleuari, ac decenter in aliquo loco reponi potest, ac debet; ita à simili, nã & si in casu nostro sufficiens hæc esset occasio facultatem ingrediendi clausuram concedendi, non ita tamen facilè adiri potest Superior, à quo licentia in scriptis esset concedenda, & interim indecenter sacra Hostia in terra iaceret, & aliæ communicandæ impedirentur, compluraque alia incommoda sequerentur.

16 Si in Altari, in quo celebratum est, peracta communione, vel in gradu, seu etiam in plano inueniatur aliqua Hostia, seu pars Hostiæ, de qua sit dubiũ, an post consecrationem ceciderit, tunc in loco decenti absque vlla solemnitate reponatur, & in sequenti Missa à celebrante post sanguinis sumptionem immediatè ante purificationem assumatur, quòd si amplius eo die non sit celebrandum, pro sequenti die intra Tabernaculum, in quo Sanctissimum Sacramentum asseruatur, à Sacerdote absque Stola, & luminibus custodienda deferatur, & vbi Sanctissimum Sacramentum non asseruatur, intra corporalia loco decenti vsq; ad crastinum custodiatur, & proximo sequenti die à celebrante ieiuno post sanguinis sumptionem ante purificationẽ, vt supra assumatur.

17 Idem seruetur, si casu accidat, vt pœnitens Confessario commissum sacrilegium detegens, Hostiam consecratam secreto restituat; nam tunc ipsam reuerenter acceptam secretò asportabit, assumendam modo, quo supra; non enim alijs tradi debet, cum non deceat, neque certò constet de eius consecratione.

18 Si fortè Hostia, quam pœnitens restituit, fuerit madefacta, ac deturpata, quod aliquando accidit, & in posterum contingere poterit, si animus ferat, gratum Deo sacrificium erit, si eodem modo, quo supra, Sacerdos ipsam assumat, sin minus in Tabernaculo cudodiat, do nec species consumentur.

19 Si miraculosè fortè Hostia consecrata in carnem, vel sanguinem conuersa fuerit, quod & contigisse experientia docuit, tunc si in aliqua eius parte species sacramentales manserint, intra Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti custodiantur; vbi verò species fuerint deperditæ, & tantùm sanguinis color, vel aliud liuoris, vel carnis miraculosum signum remanserit, tunc non intra Tabernaculum, sed in alio decenti loco vnà cum sacris Reliquiis custodiatur.

20 Si intra Pyxidẽ (quod absit) aliquis vermiculus ex speciebus sacramentalibus genitus fuerit repertus, vel sordes ibi contractæ, comburantur, & cineres intra piscinam sacrarii proiiciantur.

21 Semper Sacerdos vbi Sanctissimum Sacramentum, siue peracta communione, siue quacunque alia ex causa tetigerit, digitos in vasculo argenteo, seu chrystallino, cum vino, quod decet vt sit album, ad id deputato abluat, ac purificatorio tergat; vinumque purificationis, vel à ieiuno assumatur, vel in piscinam sacrarii proiiciatur.

22 Preparentur itaque à Ministro in Altari, in quo Eucharistiç Sacramentum administrandum est, opportuno tempore Bursa cum Corporali, item vasculum cum vino, & purificatorio pro ablutione digitorum; quæ omnia à latere Altaris supra credentiam opportunè præparari debent, & cum opus fuerit, ante communionem ab eodem Ministro Sacerdoti offerantur Corporalia intra Bursam; & peracta communione vasculum ad abluendas digitorũ extremitates cum purificatorio ad extergendum porrigatur, ac randem omnia supra credentiam reponantur.

De

De Communione Infirmorum. Cap. VIII.

1 *Praeparanda pro infirmis communicandis.*
2 *Ordo procedendi ad communicandum infirmum.*
3 *Agenda in ingressu domus infirmi.*
4 *In reditu ad Ecclesiam.*
5 *Infirmis quando Eucharistia deferenda.*
6 *Quibus deneganda.*

Rit. Ro. tit. de com. mun. infirm.

1 PRo communicando infirmo detur signum campanae ad conuocandos Parochiales, seu Confratres, vel Collegiales, qui Sanctissimũ Sacramentum associare debent; in loco verò, vbi infirmus iacet, paretur mẽsa linteo mundo cum duobus candelabris cum cereis, & imagine Sanctissimi Crucifixi; linteum mundum, seu velum ante infirmum extendendum; vasculum cum vino ad abluendos digitos Sacerdotis, atque aliud pro purificando infirmo post sumptam communionem: Si infirmus sit Clericus, vbi commodè fieri potest, superpelliceo induatur; & si fuerit Sacerdos, etiam Stolam habeat ab humero pendentem; in Sacristia verò praeparentur cerei, intortitia; Stola cum Pluuiali albi coloris; velum oblongum; Baldachinum; Thuribulum cum nauicula; Bursa Corporalium cum purificatorio; Pyxis vacua ad deferendum Sacramentum; vas aquae benedictae cum aspersorio, Crux processionalis, ac Rituale.

2 Accensis luminibus, omnibusque dispositis Sacerdos, vbi aliquantulum ante Altare orauerit, expansis Corporalibus extrahit Sacramentum, & aliquas particulas reuerenter in vase vacuo reponit, semper alias in Pyxide ordinaria intra Tabernaculum relinquens; mox ministrato incenso genuflexus ter Sacramentum thurificat, impositoque sibi velo super humeros, sinistra manu extremitate veli cooperta Pyxidem accipiens, altera veli extremitate cooperit, atque vtraque manu ante oculos eleuatam reuerenter defert; praecedit omnes Acolythus tintinnabulum tangens, sequuntur Sodales cum intortitijs accensis, post ipsos Clerici superpelliceis induti, inter quos erit Thuriferarius, & deferens aquã benedictam, nec non Bursam Corporalium cum Rituali; vltimus omnium procedit Sacerdos, vt supra indutus, sub Baldachino, reuerenter detecto capite Psalmos, & Cantica recitans, prout in Rituali.

3 Sacerdos ad infirmum ingressus dicit *Pax huic domui*, cui omnes respondent *Et omnibus habitantibus in ea*; Clerici interim, ac Sodales circumcirca genuflectunt; infirmus verò vt supra dispositus Sacramentum reuerenter expectat; tunc Sacerdos depositum Sacramentum super Corporale adorat, & thurificat, mox accepto aspersorio aqua benedicta aspergit infirmum; & cubiculum, dicens Antiphonam *Asperges me*, cum Psalmo *Miserere, & Gloria Patri*, ac repetita Antiphona, dictisque Versibus cum Oratione, prout in Rituali, hortatur infirmũ, vt se ad recipiendum Viaticum praeparet, tunc infirmus, si poterit, vel aliquis ex circumstantibus pro illo dicit *Confiteor*, Sacerdos verò subdit *Misereatur, & Indulgentiam*, ac reliqua more solito; & si infirmus grauiter aegrotans communionem per modum Viatici sit sumpturus, dicit *Accipe frater*, &c. Si verò ex deuotione communicetur, dicet more solito, *Corpus Domini nostri*, &c. deinde ablutis digitis, & rursum incensato Sacramento, cum ipso benedicit infirmũ, ac rediens ad Ecclesiam recitabit Hymnum *Te Deum laudamus*, cum Psalm. *Laudate Dominum de caelis*, & Cantic. *Benedicite, Benedictus*, & alijs.

4 Ad Ecclesiam cum peruenerint omnes circumcirca ante Altare genuflectunt; Sacerdos verò Pyxide super Corporali posita pariter genuflectit, & dicit Antiphonam *O Sacrum Conuiuium*, cum

Versu, interim incensat Sacramentum, & subdit Orationem, ac tandem annunciat Indulgentias, datque benedictionẽ cum Sacramẽto nihil dicens, repositaq; in Tabernaculo Pyxide cum debitis reuerentiis omnes recedunt.

5 Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum semper à proprio Sacerdote infirmis ministrari debet, non solùm in periculo mortis ad modum Viatici; verùm etiam sæpe causa deuotionis, maximè in solemnitatibus, & omnino in festo Paschę. Pro Viatico autem tunc ministrabitur, cum probabile est, quòd infirmus illud amplius sumere non potest: quòd si sumpto Viatico post octo, aut decem dies rursum in periculo constitutus ipsum petierit, deferri omnino ex communi Doctorum sententia debet. Itaque pro Viatico cum imminet periculum mortis, etiam non ieiuno, & quacunque hora; causa verò deuotionis horis congruis, & ieiuno ministrandum erit.

Suar. 3. p. to. 3. disput. 68. sect. 5.

6 Indignis, & publicè vsurariis, seu concubinariis notorii criminis, & pręcipuè excommunicatis ne deferatur. Amentibus pręterea, seu phreneticis, & iis, de quibus timetur vomitus, vel aliqua indecentia, cum iniuria tanti sacramenti non cõcedatur. peccatoribus verò occultis, qui tollerantur, neq; in sanitate, neque in corporis infirmitate est denegandum. Paruulis, qui carent vsu rationis, ne detur; iis verò, qui vsum rationis habent, post Sacramentum Confirmationis, pręcipuè in graui infirmitate concedi potest, & debet.

D. Tho. 3. p. q. 80 nu. 9.

Suar. 3. p. to. 3. disp. 69. sect. 2.

De modo administrandi Sacramentum Matrimonii. Cap. IX.

1 *Sacramentum Matrimonij coram proprio Parocho contrahendum.*
2 *Denunciationes tres quomodo faciẽdæ.*
3 *Contrahentes quomodo se praparare debeant.*
4 *Quo habitu Parochus interesse debeat.*
5 *Modus seruandus in desponsatione.*
6 *Liber Matrimonij apud Parochum habendus.*
7 *Benedictio nuptiarum in Ecclesia cum Missa facienda.*
8 *Orationes super sponsos à Sacerdote dicendæ.*
9 *Pax Sponsis cum Sacra communione danda.*
10 *Hortatio ad sponsos.*
11 *Benedictio puerperæ an dauda.*
12 *Modus introducendi puerperam in Ecclesiam.*

1 Sacramentum Matrimonii non nisi coram proprio Parocho, vel ex eius licentia coram alio Sacerdote specialiter ad id deputato contrahi debet; semper tamen oportet, vt Parochus cognoscat, an inter contrahentes sit aliquod impedimentum, siue ex impedientibus, siue etiam ex dirimentibus contractum; an sponsi sint in legitima ętate, an sciant rudimenta Fidei, item certior fiat de libero consensu vtriusque contrahentis, & si fuerint exteri, omnem adhibeat diligentiam, vt sciat, quę sunt necessaria de statu eorum.

Cõc. Tr. sess. 24. c. 1. de reformat. matrim. Rit. rom. de sacr. matrim.

2 Deinde, nisi aliter Episcopo visum fuerit, tribus diebus festiuis, ex Tridentini Concilij pręscripto, intra Missarum solemnia publicè vulgari sermone denũciet, inter quos sit contrahendum, iuxta formam à Rituali Romano traditam; ipsum autem Matrimonij Sacramentum, non nisi in Ecclesia contrahatur, & si domi celebretur, semper sit pręsente Parocho, ac testibus; benedictionem verò illis idem conferat Parochus in Missa, quam celebrabit in Ecclesia.

3 Moneat item Parochus coniuges antequam contrahãt, vt peccata sua cõfiteantur, sacramque Eucharistiam suscipiant, ac ipsas nuptias, qua decet honestate, ac modestia facere, exemplo Patriarcharum eos edocendo ex diuina Scriptura; cum enim sancta res sit Ma-

trimo-

Cõc. Tri. sess. 24. c. 10. de reform. trimonium, sanctè tractari debet. Et licet omni tempore matrimonium contrahi possit, solemnitates tamen nuptiarum per Sacrum Concilium sunt prohibitæ à Dominica prima Aduentus vsque ad Epiphaniam,& à Feria IV. Cinerum vsque ad Octauam Paschæ inclusiuè;non enim talibus temporibus licet nuptias benedicere,sponsam traducere, nuptialiaque conuiuia celebrare.

Rit. Ro. 4 Omnibus igitur modo præscripto dispositis, Parochus, vel Sacerdos ab ipso delegatus in Ecclesia superpelliceo, ac Stola alba indutus, ministrante Acolytho, qui etiam superpelliceo indutus deferat librum cum vase aquæ benedictæ, & aspersorio coram tribus, aut saltem duobus testibus, vtrumque, virum videlicet,ac mulierem singillatim de mutuo consensu vulgari sermone, prout in Rituali,interroget,aduertens, quòd necessariò vtriusq; consensus aliquo signo sensibili,siue fiat per se,siue per procuratorem, requiritur.

5 Vtriusque igitur consensu intellecto, iubeat, vt inuicem dexteras iungant, & tunc dicat *Ego vos coniungo in matrimonium, In nomine Patris,& Filij, & Spiritus Sancti,Amen*;postea eos aspergit aqua benedicta. Benedicit deinde Rit. Ro. annulum dicens Vers. & Orationem *Benedicere*,&c. prout in Rituali, & ea finita aspergit annulum ad modum Crucis, & sponsus ipsum accipiens de manu Sacerdotis imponit in digitum annularem sinistræ manus sponsæ, Sacerdote dicente *In nomine Patris*,&c. cum Versibus, & Oratione *Respice quæsumus Domine*, &c. prout in Rituali.

6 Postremo scribit in libro Matrimoniorum nomina coniugum, ac testium, forma,& modo in Rituali præscriptis.

7 Benedictio solemnis nuptiarum in Ecclesia à Parocho,vel ab alio Sacerdote ab eo delegato fieri debet, dicendo propriam Missam,quæ habetur in fine Missalis, quòd si sit dies Dominicus, vel festum solemne, dicatur de Dominica, vel festo; cum *Gloria*, & *Credo*, si illa id requirat, cum commemoratione Missæ assignatæ.

8 Dicto in Missa *Pater noster*,antequã dicat *libera nos* genuflectit Sacramento, & stans in cornu Epistolæ versus sponsum,& sponsam ante Altare genuflexos, non conuertens se ad populum,ne terga vertat Altari,& Sacramento, dicit super eos Orationes *Propitiare Domine*, & *Deus,qui potestate*, &c. quæ habentur in Missali, quibus finitis conuertens se ad Altare reuertitur in medium, vbi genuflectit Sacramento, deinde subdit *Libera nos*, & reliqua more solito.

9 Dicto *Agnus Dei*, Acolytho ministrante instrumentum Pacis,defertur Pax sponso,& sponsę,modo suo loco prę̨scripto;& post sanguinis sumptionem Sacerdos communicat sponsos modo suo loco prę̨scripto, & Missam prosequitur vsque ad *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino*.

10 Dicto *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, antequam populo benedicat, conuersus ad sponsos dicit *Deus Abraham*, prout in Missali, eosque moneat,vt in timore Dei permaneant; ac reliqua pro loco, & tempore subdens, completo sermone eos aspergit aqua benedicta,deinde dicit *Placeat*,&c. dat benedictionem,& dicit Euangelium Sancti Ioannis more solito.

11 Licet lex antiqua de Purificatione Puerperæ, sicut Cæremonialia omnia, iam cessauerit; permissum tamen est ab Ecclesia, vt si fœminæ velint post partum abstinere aliquandiu ab ingressu Ecclesiæ, & postea deferre prolem, vt pro ea preces ad Dominum fundantur, prout habetur in cap. vnico de Purificatione post partum; semota omni superstitione veteris legis, id fiat tantùm causa religionis, ac venerationis loci sacri; non enim obseruandę legis causa, nisi secundum quandam externam similitudinem huiusmodi cęremonia fieri debet. Suar. 3. p. to. 2. disp. 56. sect. 2. cap. vnic. de purific. post partum

Rit. Ro. titul. de sacram. matr. & bened. mulier. post partum.

12 Si igitur ex pia, & laudabili consuetudine aliqua puerpera ad Ecclesiam pro incolumitate sua Deo gratias actura petierit à Sacerdote benedictionem, ipse superpelliceo indutus, ac etiam Stola alba, assistente Ministro cum aspergillo ad fores Ecclesiæ accedet, ibique illam genuflexam, & candelam accensam in manibus tenentem aqua benedicta aspergit, deinde dicit Vers. *Adiutorium* cum Antiphona *Hæc accipiet*, &c. prout in Rituali Romano, & dicto Psalmo *Domini est terra*, &c. ac repetita Antiphona porrigendo mulieri extremam partem Stolæ introducit eam in Ecclesiam dicens *Ingredere in Templum Dei*, &c. quæ Ecclesiam ingressa genuflectit ante Altare, ibique gratias agens orat; Sacerdos verò stans ante Altare dicit Resp. *Kyrie eleyson*, cum Versibus, & Oratione *Omnipotens sempiterne Deus*, &c. postea iterum illam aspergit aqua benedicta, in modum Crucis, dicens *Pax, & benedictio*, &c. prout in Rituali Romano.

De modo administrandi Sacramentum Extremæ Vnctionis.
Cap. X.

1 *Preparanda pro Extrema vnctione.*
2 *Quomodo procedendum ad vngendum infirmum.*
3 *Ingressus loci, & circa infirmum agenda.*
4 *Preces dicendæ.*
5 *Infirmus ante, & post vnctionem à familiaribus leniter detergendus.*
6 *Ministrantes Sacerdoti quomodo astabunt.*
7 *Modus inungendi singulas partes.*
8 *Sacerdos manus abluit.*
9 *Dicenda ante infirmum.*
10 *Si tempus vrgeat quomodo procedendum.*
11 *Si vnà cum Viatico sit danda Extrema vnctio, quid agendum.*
12 *Si infirmus careat membris.*
13 *An possit hoc Sacramentum iterari, & quando.*
14 *Quibus denegandum.*
15 *Quibus exhortationibus iuuetur infirmus.*
16 *Sacerdos quomodo proximè morituro astabit.*
17 *Preces dicendæ immediatè post mortem.*
18 *Signum campanæ pro defuncto dandum.*
19 *Modus vestiendi defunctum pro qualitate personæ.*

1 PRo Extrema Vnctione ministranda, paretur in loco, quo iacet infirmus, mensa cooperta mappa munda, & super eam vas aquæ benedictæ cum aspersorio; peluicula, in qua sit gossypium, vel stuppa ad abstergendas vnctiones in septem globulos distincta; alia etiam peluicula cum medulla panis ad abstergendos digitos; vas cum aqua ad abluendas manus Sacerdotis cum linteolo, seu mantili; liber insuper Ritualis cum parua candela, quæ lumen inungenti præbeat; præparetur quoque aqua tepida, vel linteolum madidum, quo loca inungenda, si absque infirmi incommodo fieri potest, prius lauentur; lintea etiam infirmi, quoad fieri potest, sint munda. In Ecclesia sit in promptu vas olei infirmorum eo anno ab Episcopo Feria V. in Cœna Domini consecrati, quod velo violaceo cooperiri debet; Stola etiã violacea pro Sacerdote ministraturo; & Crux processionalis sine hasta, & absque luminibus.

2 Dato signo omnes in Sacristia superpelliceis induti præcedente Acolytho cum cruce bini Psalm. *Miserere*, vel alios ex Gradualibus recitantes procedunt, vltimus omniũ sequitur Sacerdos, qui Sacramentũ erit ministraturus, Stola violacea supra superpelliceum indutus, vtraque manu deferens vasculum olei infirmorum.

3 Cum peruentum fuerit ad infirmum,

mum, Sacerdos intrans cubiculum dicit *Pax huic domui*, &c. deinde Crux fertur ante lectum prope infirmum; reliquis circumcirca genuflectentibus; ipse verò reposito vase olei supra mensam, ægro Crucem piè deosculandam porrigit, mox in modum Crucis omnes aspergit, dicens Antiphonam *Asperges me*, & si ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, & absoluat; deinde si tempus ferat de huius Sacramenti, & efficacia breuiter moneat, & ad illud deuotè suscipiendum hortetur, eiusque animum, prout videbitur, pijs verbis confirmet.

Rit. Ro. tit. de sacrâ extre. vnc. 4 His peractis dicat Vers. *Adiutorium nostrum*, &c. cum Orationibus in Rituali designatis *Introeat*, &c. quæ, si tempus non patiatur, poterunt in totum, vel ex parte omitti; deinde dicto *Confiteor* ab eodem ægroto, si potest, vel ab alio eius loco, Sacerdos subdat *Misereatur*, & *Indulgentiam*; mox adstantes moneat, vt orent pro illo, & vbi commodè fieri potest, loco, & tempore dicant septem Psalmos cum Litanijs, & alijs precibus.

5 Antequam inungatur infirmus, decet, vt aliquis ex astantibus, infirmiq; familiaribus, si commodè fieri potest, panno lineo madefacto aqua tepida partes inungendas, pro Sacramenti reuerentia leniter detergat, & si adsit aliquis Minister in Sacris constitutus, vel ipsemet Sacerdos nouo globulo bombycis, vel rei similis immediatè post quamlibet vnctionem loca inuncta detergat, ipsos autem globulos in vase mundo ad id præparato postea in Ecclesia comburendos reponat.

6 Sacerdos ante infirmum, adstantibus Acolythis, quorum alter librum apertum ante ipsum teneat, alter verò cum candelula accensa lumen ministret; & si adsit aliquis Sacerdos vasculū olei à dextris eius teneat, ipse stans dicit *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, prout in Rituali Romano habetur.

7 Intincto deinde dextro pollice oleo sancto inungat ex ordine singulas partes in formam Crucis, distribuens verba cuiusque vnctionis ad ambas partes, ac primò dexteram, deinde sinistram vngens vnà cum vnctione ambarum partium verba proferet, oculorum palpebras primò, mox aurium infimam partem, quæ scilicet planior est, narium verò intimam, ac labiorum extimam vnica vnctione, manuum verò Sacerdotum in exteriori, reliquorum autem in interiori parte, pedes in superiori parte, quæ dicitur collum pedis, ac denique renes in medio, vel si commodè fieri non potest in alterutra parte, aut etiam arbitrio vngentis omitti poterit, præcipuè in mulieribus; ad singulas autem vnctiones idemmet infirmus, si poterit, vel alius pro eo respondebit *Amen*.

8 Finita vnctione, cooperto vase, ac supra mensam reposito, medulla panis manus abstergit, & abluit; ipsa verò lotio in Sacrarij piscinam proijcitur, sic etiam gossipil combusti, seu stuppæ cineres in Sacrarium proiiciantur.

9 Lotis manibus, ac Psalmis, & Litanijs completis, Sacerdos ante infirmum genuflexus dicit Preces, surgensque legit ex libro Orationes, post quas facta ægroto monitiuncula, qua ad bene moriendum hortetur, & ad singulas tentationes roboretur, Crucem, vt vt eam crebrò aspiciat, deuotèque osculetur, & amplectatur, aquam benedictam, vt ea aspergatur, coram eo relinquens, cum Clericis alternatim Psalmos recitando recedit.

10 Si laborat in extremis, citò vngatur, ne sine vnctione decedat, incipiendo immediatè ab vnctione oculorum, dicens *Per istam Sanctam vnctionem*, &c. deinde, si superuiuat, dicantur Orationes assignatæ; Si dum inungitur, infirmus decedat, desinat Sacerdos illum vngere, etiam si totus vnctus

nequaquam fit, & orationes omittantur, quòd si dubitet, an viuat, adhuc vnctionem prosequatur sub conditione pronunciando formam, dicens, *Si viuis, Per istam sanctam vnctionem*, &c.

11 Si infirmum vi morbi correptum ad exitum vitæ properari contingat, ideoque confestim communicari, atque inungi oporteat, tunc poterit & oleum infirmorum deferri, non tamen à Sacerdote eodem sacram Eucharistiam deferente, sed ab alio superpelliceo, ac stola violacea induto, qui deferentem Eucharistiam sequatur, & sumpta ab infirmo sacra Eucharistia, ministretur hoc extremum Sacramentum.

12 Si quis careat aliquo membro, vt oculis nihilominus vngatur in viciniori parte, & dicatur quicquid oculorũ vitio deliquisti, & idem seruetur in mutilatis, vt si quis careat manibus, vel pedibus, vngatur in parte illi membro, quo caret, propinquiori, & nihilominus dicatur quidquid tactu, vel incessu deliquisti.

13 In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, at in diuturnioribus infirmitatibus cũ infirmus conualuerit, si in mortis periculum inciderit iterum, conferri poterit.

14 Si infirmus phrenesi, aut amentia laboret, timeaturque verisimiliter, ne quidquam contra reuerentiam Sacramenti faciat, ne inungatur: similiter impœnitentibus, & ijs, qui vsu rationis carent, ne detur, iis verò, qui, dum sana mente, & integris sensibus essent, illud petierunt, vel signa contritionis dederunt, seu verisimiliter, si aduertissent, petijssent, etiamsi deinde loquelam amiserint, vel amentes sint effecti, concedi poterit.

15 Post sacram vnctionem Parochus, vel Sacerdos proprius, oportet, vt suum infirmum ad mortem vicinam præmuniat facta lectione Passionis Christi, alijsque pijs Orationibus, necnon etiam exhortationibus; in Missis, quæ celebrantur, Oratio pro proximè morituro, vt in Missali nuper edito, addatur.

16 Proximè morituro Sacerdos superpelliceo, ac stola violacea indutus assistens Orationes ex libro legat; imago Sanctissimi Crucifixi, & vas aquæ benedictæ cum asperforio ante infirmum collocentur; cum verò mors imminet, omnes astantes flexis genibus, Psalmis, pijsque Orationibus egredientem animam comitentur.

17 Egressa anima, dicatur Responsorium *Subuenite Sancti Dei*, &c. cum Vers. & Oratione, prout in libro, & si mane hora congrua fuerit, dicantur Missæ Defunctorum, aut saltem applicentur; aliquæ Orationes, & deprecationes priuatæ fiant.

18 Tunc quoque dabitur signum transitus defuncti maiori Campana Ecclesiæ, eodem modo, quo fit, pro Salutatione Angelica, & immediatè post tribus vicibus modico interiecto spatio inter ipsas pulsationes campanæ omnes sono funebri pulsentur; quòd si transitus defuncti intempesta nocte contingat, hoc signum ad horam opportuniorem differatur; poterunt autem pluribus vicibus, puta in morte Prælati, vel insignis alicuius personæ, iuxta laudabiles singularum Ecclesiarum consuetudines cãpanæ pulsari, vt audientes pro anima defuncti ad Deum preces effundant.

19 Cadauer decet, vt lauetur, ac vestibus conuenientibus pro gradu, & ordine suo induatur, si fuerit laicus, communibus vestibus, si Clericus superpelliceo, si Diaconus, vel Subdiaconus paramentis sui Ordinis coloris violacei vestietur, Presbyter verò induatur omnibus paramentis ad Missam celebrandam ordinatis, videlicet Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo, Stola, ac Casula violacea, Episcopus verò Pontificalibus vestibus, prout supra est explicatum.

SECTIO QVINTADECIMA.

De Sacramentis, quæ à solo Episcopo administrantur.

De certo Ministro cuiuslibet Sacramenti à Christo instituti. Cap. I.

1 *Sacramenta quomodo à Christo instituta.*
2 *Eucharistiæ Minister.*
3 *Extremæ unctionis Minister.*
4 *Pœnitentiæ Sacramenti Minister.*
5 *Sacramenti Matrimonij Minister.*
6 *Confirmationis, & Ordinis Sacramenta ab Episcopo ministranda.*

1 SAcramenta à Christo Domino, ad omnium vtilitatem, atque salutem, sensibilibus, ac mysticis signis certa materia, ac forma ita sunt instituta, vt aliter confici non possint; Insuper & quodlibet proprium requirit Ministrũ: Sacramẽtum enim Baptismi in casu necessitatis à quolibet mare, vel fœmina fideli, vel infideli dummodo intendat, quod facit Ecclesia, ministrari potest; regulariter tamen iuxta Sacros Canones non nisi à Sacerdote proprio cum catechismo, & ritibus solemnibus ab Ecclesia institutis cũ Patrinis, ac reliquis conferri debet.

Manual Nauarr. cap 21. num. 51. 2 Euchatistiæ Sacramentum, quo spirituali cibo quotidie alimur, regulariter à proprio Sacerdote, maximè tempore Paschatis ministrandum est; communiter tamen à quolibet Sacerdote, Superioribus permittentibus, vel non impedientibus ministratur, præcipuè in Sacrificio Missæ, cum nihil optabilius sit, quam vt fideles Missis adstantes more maiorum, non solùm spirituali affectu, verùm etiam (vt Concilij Tridentini Patres monent) sacramentali Eucharistiæ perceptione communicent, quò ad eos Sanctissimi huius Sacramenti fructus vberior proueniat; aliquibus tamen casibus etiam à Diacono ministrari quandoque potest. (Côc. Tri. sess. 22. c. 6 de Sacrif Miss.)

3 Sacramentum Extremæ Vnctionis regulariter à proprio Parocho, vel ab alio Sacerdote ex eius licentia ministrari debet.

4 Pœnitentiæ sacramenti legitimus Minister est Sacerdos iurisdictionem habens ordinariam, vel delegatam, & nequis pereat, piè semper in Ecclesia custoditum fuit; vt in articulo mortis omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusuis peccatis, & censuris absoluere possint. (Côc. Tri sess. 14. cap. 7. de cas. res.)

5 Singulariter Sacramenti Matrimonij Ministri sunt ipsimet contrahentes; licet autem, iuxta Tridentini Concilij decreta, Parochi præsentia cum testibus requiratur, ipsi tamen non vt Ministri assistunt, sed ex institutione Ecclesiastica, vt vitentur clandestina matrimonia; ad validandum contractum interesse necessariò debent. (Côc. Tri sess. 24. c. 1. de ref. matr.)

6 Quinque itaque Sacramenta Sacerdotis ministerium requirunt. Confirmationis verò, & Ordinis non nisi ab Episcopo, qui solus est eorum Minister, conferri debent, ac propterea explicatis ijs, quæ ad Sacerdotes spectant; de duobus sequentibus, quorum Minister solus Episcopus assignatur, agere debemus. (Côc. Tr sess. 7. c. 3.)

De Sacramento Confirmationis. Cap. II.

1 *Confirmationis Sacramentum quando ministrandum.*
2 *Literis Pastoralibus monendus populus.*
3 *Aegrotantibus Confirmationis Sacramentum ministrandum.*
4 *Infantibus qua ætate ministrandum.*
5 *Quinam à Sacramento Confirmationis excludantur.*
6 *Quinam Patrini esse possint.*
7 *Nomen quando in Confirmatione mutandum.*
8 *Altare quomodo ornandum.*

9 *Præparanda super Credentiam.*
10 *Ministri necessarij.*
11 *Hora opportuna Confirmationis.*
12 *Episcopus quomodo se disponere debeat.*
13 *Agenda ab Episcopo in principio.*
14 *Episcopus quomodo confirmandos inungat.*
15 *Agenda in fine.*

1 Confirmationis Sacramentum, quo Spiritus sanctus fidelium cordibus infunditur, nouæ virtutis robore milites Christi aduersus nequissimorum hostium impetus fortiores reddens, non nisi ab Episcopo, qui solus huius Sacramenti est ordinarius Minister, conferri debet; ac regulariter diebus Pentecostes, quando Apostolis Spiritus sancti virtute primùm roboratis, singulis in Christo renatis eiusdem Spiritus gratia impertiebatur; maiorum traditione solemni ritu conferri solet.

[Margin: Nauarr. cap. 22. num. 8.]

2 Instante igitur tempore, quo pro locorum consuetudine hoc Sacramentum conferri solet, poterit Episcopus literis Pastoralibus fideles suæ curæ commissos præmonere de eius dignitate, atque præstantia; vtque inde vberes fructus recipiant, moneant Parochi, vt tam Confirmandi, quàm eorum Patrini bene dispositi ad ipsum accedant.

3 Si quis periculosè ægrotans se Chrismatis sacramento confirmatum non esse meminerit, vt propterea id sibi ministrari petat; Episcopus charitate paterna ipsum ritè confirmet, quod etiam præstabitur infantibus vsum rationis habentibus, antequam eis Eucharistiæ sacramentũ ministretur, quo in graui morbo refici debent.

4 Infantibus baptizatis, expleto septennio, regulariter Confirmationis sacramentum conferri debet; si tamen Episcopus ob aliquam causam iustã infanti, qui non modo eam ætatẽ expleat, sed ne attingat quidem, ministrandum aliquando censuerit, eius prudentię, atq; discretioni iure remittitur; eorum tamen parentes, vel qui curam gerunt, moneãtur, vt ætate procedente illos ea de re certiores faciant, ne parentibus, curatoribusque postea mortuis ipsi aliquando dubitent, an hoc Sacramentũ, quod non potest iterari, susceperint.

5 Episcopus item, vbi opus esse viderit, diligenter per se, vel per alium ad id deputatum recognoscat, an Confirmandi, & Patrini ea nouerint, quæ sunt fidelibus necessaria, videlicet Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum fidei sciant; nullus enim, qui fidei rudimentis non fuerit edoctus ad hoc sacramentum admitti debet; sicut nec excommunicatus, interdictus, aut grauioribus criminibus alligatus.

6 Vnus, vel duo ad summum Patrini admittantur, & nemo nisi vnum, vel ad summum duos præsenter, & ne fœminis mares, nec è contra maribus fœminę, neque senioribus adolescentes Compatres in Confirmationis sacramento adhibeantur, nisi id aliter necessitas aliquando postulet; ipsi autem de spirituali cognatione, quæ in hoc sacramento contrahitur, moneantur. Nullus, qui non sit confirmatus potest esse Patrinus, neque excommunicari, interdicti, grauibusque facinoribus alligati, non Pater, & Mater, neque Maritus, & Vxor; ipsi verò modestè induti, ac depositis armis ad suscipiendos confirmãdos accedant.

[Margin: Côc. Tri. sess. 24. de refor. matrim. cap. 2.] [Margin: Concil. Med. 5.]

7 Curet Episcopus, vt si quia turpe, vel ridiculum nomen habeat, neque planè conueniens Christiano homini, mutetur in alicuius Sancti nomine, vt abiecto veteri homine, nouoque, ac sancto suscepto in nouam transeat creaturam.

8 In loco, quo Sacramentum Confirmationis conferri debet, omnia opportunè disponantur, Altare decenter ornetur, cum cereis accensis; ante ipsum verò Altare sternatur tapetum, & faldistorium ornatum disponatur, in-

quo Episcopus sedere debet, & ante ipsum puluinar ad genuflectendum; super Altare verò disponantur pro Episcopo Amictus, Stola, ac Pluuiale albi coloris cum Mitra simplici.

9 Supra credentiam a latere apponatur Pontificale, Gremiale, vasculum cum sancto Chrismate, gossypium ad abstergendum frontem Confirmati, vitta linea pro singulis confirmandis, vasa ad abluēdas manus Episcopi, mappę ad abstergēdas, nec non medulla panis pro Episcopo.

10 Præter Magistrum Cęremoniarū tres Sacerdotes assistāt, quorum dignior vas chrismatis sustinebit, duo alio frontē Confirmati alter bombacio absterget, alter linteo madefacto abluet, & panno mundo absterget, bombacium verò in peluicula reponet ad comburendū. Præterea quatuor Acolythi pariter superpelliceis induti librum ministrabunt, & Mitram, nec non faldistorium, Gremiale, & Baculum pastoralem; horum etiam partes erunt bombacium in peluicula colligere; Sentiferi verò, atque familiares credentiæ assistent aquam ad abluendas manus ministraturi.

11 Quia conueniens est, vt D. Thom. docet, confirmandos ieiunos accedere, mane circa horam diei tertiam, iuxta antiquos ritus, quia tunc Spiritus sanctus super Apostolos descēdit, ministrabitur; vnde Magister Cæremoniarum paratis iam, atque dispositis omnibus, ipsos Cōfirmandos ordinabit, mares à dextris, & fęmioas à sinistris, qui genuflexi iunctis manibus ante pectus stabunt.

D. Tho. 3. p. q. 72 artic. 12. ad 2.

12 Accedens Episcopus ad locū præparatum, adstantibus ministris, ipsisque Confirmandis genuflexis, vbi aliquantisper genuflexus ante faldistorium in puluino ibi parato orauerit, primum manus lauat, deinde induitur Amictu, Stola, ac Pluuiali albi coloris cum Mitra simplici, & sic indutus aliquantulum in faldistorio sedet.

Pōt. Ro. rubr. de Confir. p. 1. f. 1.

13 Si solemniter, ac publicè in Ecclesia Confirmationis Sacramentum ministrandum fuerit, Episcopus accepto Baculo pastorali in sinistra populum monet de ijs, quæ spectant ad huius Sacramenti solemnitatem; cum vero priuatè, & nō solemniter ministrat, omitti poterit monitio, & vsus Baculi: & tunc deposita Mitra surgit, & conuersus ad Confirmādos iunctis manibus ante pectus dicit *Spiritus sancti gratia*, &c. ac deinde signās à fronte ad pectus dicit ℣. *Adiutorium*, &c. subdens postea Versus, & Orationem *Omnipotens*, &c. prout in Pontificali. Pōt. p. 3.

14 Dicta Oratione sedens cum Mitra, & Gremiali singulos ante se genuflexos, vel si multitudo Confirmādorum id exigat, stās cum Mitra illos ante se dispositos super gradus Presbyterij confirmat, quos interim Patrini præsentāt, infantes quidē brachijs sustentantes, adultos verò vel pede supposito, vel alio meliori modo tenentes ita vt ipsi quoquomodo moraliter confirmādum teneant. Pontifex singillatim de nomine confirmandi inquirit, deinde intincto pollice dexterę manus Chrismate dicit *N. signo te*, &c. producens interim signum Crucis in fronte illius, ac postmodum leniter cōfirmatum in maxilla cędit, dicens, *Pax tecum*, statimque confirmati frons alligatur vitta linea; postea Capellani bombacio tergunt Confirmatorum frontes, & leuiter madefactos lauant, ipsumque bōbaciū, & vittam loco congruo reponunt, nec discedunt, nisi post acceptam benedictionem, quam Episcopus dabit in fine. Pōt. p. 4.

15 Confirmatis omnibus Pontifex tergit digitos cum mica panis, & manus lauat; ipsa verò lotio in sacrarium projicitur, & interim dicitur Antiphona: *Confirma hoc Deus*, &c. quā completa Pontifex surgens, stansque sine Mitra conuersus ad Altare dicit Versus, & Orationem *Deus qui Apostolis*, &c. & *Ecce sic benedicetur*, ac vertēs se ad Confirmatos, formans super eos signum Crucis dicit *Be-*

medicat vos, &c. sedens postmodum cum Mitra monet Patrinos, vt Confirmatos instruant bonis moribus, eosque doceāt *Credo, Pater noster*, & *Aue Maria*.

De Ordinis Sacramento, & tempore quo conferri potest.
Cap. III.

1 *Ordinis minister.*
2 *Dies quibus generalis Ordinum collatio fieri debeat.*
3 *Tempus conferendi singulos Ordines in Missa.*

Cōc. Trid. sess. 23. de sacrā. ord. can. 4.

1 VErus propriusq; Ordinis Sacramenti minister est Episcopus, prout de fide in Tridentino Concilio fuit definitum, quod passim Doctores docēt; Epi namque Apostolis Christi successerunt, quibus imponendi manus potestas, & consecrandi à Domino tradita fuit, & licet ex speciali priuilegio Abbatibus cōcessū fuerit prima Clericali Tōsura suos Monachos initiare, eisdemque minores conferre Ordines, ratione Episcopalis, seu quasi Episcopalis iurisdictionis, quam in suos exercent; non tamen ex Tridentino Concilio eis licet alijs quibuscumque etiam exemptis, vel ex licentia proprij Episcopi eos conferre; & omnino Ordines sacri non nisi ab Episcopo conferuntur; ac propterea generaliter Ordinis collatio, quæ solemni ritu inter Missarum celebrationem fieri debet, Episcopalis est dignitatis, & ordinis.

Pōt. Ro. p. 1. titul. de ordinib conf.

2 Huiusmodi autem generalis Ordinum collatio, iuxta sacros Canones, certis temporibus ab Ecclesia Summorum Pontificū authoritate præfinitis fieri debet, videlicet in Sabbatis quatuor Temporum, quorum dierum Officia, iuxta antiquas Sanctorum Patrum sanctiones, spectabant ad diem Dominicum, in quo regulariter Ordines conferebantur, sic enim S. Gelasius Papa omnibus Episcopis scribēs decreuit, vt in Sabbato quatuor Temporum Ordines circa Vesperū

Gelas. Epist. 1. ad omnes Episc.

conferrentur; nam iuxta decreta Sanctorū Patrū Ordinatio ipsa tā sero fiebat in Sabbato, vt potius diei Dñico adscriberetur, quā Sabbato, prout fusius nos decet Micrologus, & ideo in antiquis sacramētarijs non habetur peculiare Officium Dominicarum, quæ post tempora sequūtur, sed dicebantur Dominicæ vacantes, quia officiabātur simul cum Officio præcedentis Sabbati. Generaliter itaque exemplo maiorum, Ordinum collatio fit in Ecclesia sabbatis quatuor Temporū, additis Sabbato ante Dominicā Passionis, quod ex principio Introitus intitulatur Sitientes: & in sabbato sancto.

Micr. de Eccl. obseru cap. 29.

Gelas. 1. Epist. 1. c. 13. 75. dist. c. 1.

3 In ipsis conferendis intra Missarum solemnia, proprium est assignatum tempus; nam in Sabbatis quatuor Temporum prima Clericalis Tonsura confertur post *Kyrie eleyson*: Ostiariatus ordo, qui inter minores alios præcedit, gradu omnibus alijs inferior confertur post primā Lectionem, & Graduali, ac Versu dicto: & qui post eum immediatè sequitur Lectoratus ordo post secundam Lectionem cū suo Graduali, & Versu: Exorcistatus verò ordo, qui est tertius in ordine post tertiam Lectionem cum suo Graduali; Acolythatus denique omnium minorum supremus post quartam Lectionem expleto Graduali confertur. Subdiaconatus Ordo, qui maiorum primus est, & sacrorū Ordinum ianua post quintam Lectionē, quæ est ex Historia trium puerorū apud Danielem expleto Hymno confertur. Diaconatus post Epistolam, quæ regulariter est Lectio sexta ex nouo Testamento; Presbyteratus verò Ordo ante vltimum versum Tractus. In Sabbato ante Dominicam Passionis Prima Tonsura confertur post Introitum, deinde dicuntur *Kyrie eleyson*, & immediatè post, Ordines minores vnus post alium: Subdiaconi verò ordinantur post Orationes; Diaconi post Epistolam; Presbyteri denique ante vltimum Versum Tractus. In Sabbato Sancto Prima Clericalis Tonsura confertur dicto *Kyrie eleyson*; mino-

res

res verò Ordines post Hymnum *Gloria in excelsis Deo* vnus post aliū; Subdiaconatus post Orationem; Diaconatus post Epistolam, & Presbyteratus ante vltimū Versum Tractus: Prima Clericalis tonsura quolibet tempore, & loco potest ab Episcopo conferri; Ordines verò minores non nisi diebus festis ante prandium in Ecclesia, vel Oratorio, aut alio decenti loco extra Missam, eodem die omnes, vel singillatim, prout Episcopo videbitur, conferri possunt: Ordines verò sacri non nisi in Missa conferuntur; Diebus Dominicis, ac festis, cum extra tempora præscripta, Romani Pontificis concessione, suscipiuntur.

De præcedentibus generalem Ordinum collationem. Cap. IV.

Concil. tom. 4. part. 2. Concil. Med. 4.

1 EPiscopus statis temporibus generalem Ordinationem de more celebraturus, duobus ante mensibus, aut amplius, minusue pro Diœcesis amplitudine, illius habendæ diem indicens, Edicto certa verborum forma conscripto Ecclesiæ Cathedralis valuis, alijsque locis iuxta consuetudinem affixo, omnes, quicumque ad primam Tonsuram, vel Ordines minores, maioresue suscepturi sunt, ad sacram Ordinationem euocet. Parochi Vrbis, ac Diœcesis in sua quilibet Ecclesia die Dominico promulgabūt Edictum, atque Ecclesiæ valuis affigent.

Act. Eccl. Med pa 2. tit instr. sacr. ord.

2 Episcopus, quantum sibi per occupationes Episcopales licet, maximè curet, vt examini pro ordinandis præsertim maioribus Ordinibus præsens adsit, experimentum facturus de ipsis non solùm in literarum scientia, & vitæ integritate, verùm & in reliquis omnibus iuxta Sanctorum Patrum decreta, & Canonicas sanctiones.

Constit Synod. prouin. Med. l. 2

3 Ad Primam Tonsuram non admittantur, nisi prius constet de natalibus, Parocho attestāte, quòd ex legitimo matrimonio sint procreati; item de Confirmatione; qui fidei rudimenta non fuerint edocti; qui legere, & scribere nesciant; & de quibus probabilis coniectura non sit, eos non sæcularis Iudicij fugiendi fraude, sed vt Deo fidelem cultum præstent, hoc genus vitę delegisse, nullo pacto admittantur.

4 Ad minores Ordines nullus promoueatur, nisi sit vtilis, & necessarius alicui Ecclesiæ iudicio sui Episcopi, cui adscribi debeat, vbi suis fungatur muneribus; quique bonum à Parocho, & Magistro scholæ, in qua educatur, testimonium habeat, & saltem latinam linguam intelligat; ac ordinetur per temporum interstitia; nisi aliud expedire Episcopo videbitur. Et nullus assumatur ad alium Ordinem superiorē ex Ordinibus minoribus, nisi in eodē ordine susceptio se exercuerit, idq; in Ecclesia, cui fuerit adscriptus; de quo constare debeat, nisi fortè studiorum causa abfuerit.

5 Ad sacros Ordines promouendi dent nomina per mensem ante Ordinationem, ad hoc vt Parocho cōmitti possit eorum examen iuxta formam Conci-

lij Tridentini;& Comparentes moneantur ad ſubijciendum ſe examini coram Reuerendiſſimo Epiſcopo, & examinatoribus deputatis;& Hebdomada,quę præcedit Ordinationes,committatur Parocho Ordinãdorum,vt nominibus, & de ſiderio eorum publicè in Eccleſia propoſitis de ipſorum Natalibus, ætate, mori bus,& vita à fide dignis diligenter inquirat; literaſque teſtimoniales ipſam in quiſitionem factam continentes tranſmittat.

ōc. Tr. ſſ. 21. erefor. 2.

6 Nullus Clericus ad ſacros Ordines aſſumatur,qui non pacificè poſſideat Eccleſiaſticum beneficium ad ſuſtentationem ſufficiens; Patrimonium verò, vel penſionem obtinens pro neceſſitate, vel vtilitate Eccleſię,iudicio proprij cuiuslibet Epiſcopi,& non aliter promoueri poterit.

ōc Tr. ſs 23. erefor. ic. ord. .11.

7 Nullus prætereà ad Subdiaconatũ promoueatur, niſi poſt annum à ſuſceptione poſtremi gradus Minorum Ordinum; quod etiam ſeruetur in aſſumptione ad Diaconatum, & Presbyteratũ, niſi néceſſitas,aut vtilitas Eccleſiæ aliud expoſcat;iudicio Epiſcopi;ipſi verò ordinãdi habeant bonum teſtimonium, & in minoribus ordinibus iam probati, literis,& ijs quæ ad Ordinem exercendum pertinent, inſtructi,qui ſperent Deo Auctore ſe continere poſſe,& Eccleſijs,quibus adſcribuntur, inſeruire.

ōc.Tr. ſs 23. erefor. 5.

8 Nullus ordinandus ſine literis dimiſſorialibus ſui Ordinarij Epiſcopi admittatur; nec aliquis vigore literarum Apoſtolicarum, niſi cum literis teſtimonialibus proprij Epiſcopi,& cum expreſſione cauſę impedimenti,ex quo à proprio Epiſcopo ordinari non potuerit in ipſis autem exprimantur omnia requiſita: & licet in ipſis de doctrina fiat atteſtatio,nihilominus ab Epiſcopo, qui illũ ordinare debet, examinetur.

9 Examinati, & approbati nomen dent, & à Notario adſcribantur,quò ſtatuto die vocentur, & inter promouẽdos in Eccleſiam admittantur.

10 Ipſa die Ordinationis omnia opportunè per Magiſtrum Cæremoniarum diſponantur; Altare decenter ornetur,& ſi in ipſo Sanctiſſimum Sacramentum aſſeruetur,in alium locũ congruum transferatur, non enim decet, cum Epiſcopus pluries ſedere, ac terga vertere Altari debeat, ibi adeſſe Sacramentum. Ante Altare in gradibus, & in Presbyterio tapeta ſternantur,& in medio plani genuflexorium coopertum cum puluinaribus pro Epiſcopo ad procumbendum,cum orar, diſponatur.

11 A latere Epiſtolę,ſi Epiſcopus non fuerit in propria Diœceſi, Faldiſtorium, in quo ſedere debet,dum ſacris induitur, diſponatur, & ſi in propria Eccleſia fuerit,in Solio ſedens paramenta accipiet; ipſum tamen Faldiſtorium omninò panno coloris aliorum paramentorum in eodem latere ſemper aptetur; nam eo in Altari ſedens cuiuslibet gradus,ac dignitatis Antiſtes vti debet.

12 Credentia à latere Epiſtolæ præparabitur linteo mundo vndiq; defluente contecta;in ipſa apponantur duo candelabra cum cereis accenſis; Calix cum ſuis ornamentis pro celebrante; & duo alij abſq; ornamentis, alter vacuus Subdiaconis porrigendus, dum ordinantur, alter cum vino, Patena, & Hoſtia in ordinatione Presbyterorum neceſſarius, quibus etiam vtendum erit in fine Miſſæ ad propinandum vinum purificationis ipſis ordinatis poſt ſumptam ſacrã communionem; duo vrceoli,ſeu ampullæ cũ vino,& aqua; peluicula cũ manutergio; candelabrum item cum cereo extincto pro Acolythis ordinandis; claues Eccleſiæ in aliqua peluicula argentea cum tintinnabulo pro Oſtiarijs; forfices cum pectine eburneo,& mantili in alia peluicula pro ijs,qui prima Clericali Tonſura initiari debent; Vaſculum quoque olei ſancti ſupra peluiculam;Hoſtiaria argentea,vel eburnea cum Hoſtijs conſecrandis; Pyxis, in qua ſit earũ ſufficiẽs numerus pro cõmunicãdis,cũ ſinguli Ordina-

ti tam

ti tam ad maiores, quàm minores Ordines sacram Communionem sumere debeant. Missalia item, Pontificale, Lectionarium, & Liber Exorcismorum sint in eodem loco bene disposita cum signaculis suis locis distinctè appositis; duæ Mitræ, altera auriphrygiata, & altera simplex pro Episcopo; velum oblongum humeris Acolythi Mitram sustinentis imponendum; instrumentum, quod bugia dicitur, cum candelula ad lumen Episcopo ministrandum; Vasa ad abluendas manus; mantilia, & mica panis in peluicula ad extergendos digitos post sacram vnctionem necessaria. Sandalia denique, Chirotecæ, Gremiale, & Annulus Pontificalis supra peluiculam argenteam velo rectam disponantur. Prope ipsam credentiam Baculus pastoralis parieti inhærens aptetur.

13 Supra Altare in medio Pontificalia indumenta suo ordine sternantur, videlicet Casula, Dalmatica, Tunicella, Crux pectoralis, ac Stola coloris violacei, vel tempori, & Missę, quæ celebratur congruentis; desuper verò imponantur Cingulus, Alba, & Amictus, omniaque velo serico vsque ad Aduentum Episcopi contecta maneant.

14 Pro Ministris loco cōgruo superpellicea disponantur, & pro Archidiacono Pluuiale sine firmario; pro ipsis verò Ordinandis in aliquo loco congruo extra Presbyterium, & Altare omnia necessaria præparentur.

15 Prima Clericali Tonsura initiandi, atque ad minores Ordines promouendi singuli suum habeant superpelliceum mundum. Pro Subdiaconis pręparetur Amictus, Alba, Cingulus, & Tunicella, quibus cum induuntur, Amictum supra caput accipientes, imposita desuper Alba, ne ipsum circa collum adaptent, sed remotum à capite extra ita demissum habeant, vt Episcopus eorum capitibus tempore opportuno illud imponere possit; Tunicellam verò, & Manipulum supra sinistrum brachium sustinebunt. Ad Diaconatum promouendi Alba induti in sinistro brachio Stolam, & Dalmaticam habebunt, qui verò ad Sacerdotium promoueri debent, Alba pariter induti, ac Stola transuersa, Casulam ad læuam, & Missale, in quo Missam legere debent, cum Episcopo concelebraturi habebunt; singuli etiam mappulam, qua post sacrã vnctionem eorum manus, ac digiti constringantur, deferent, cereosq; habebunt, quos ad Offertorium accensos Episcopo offerent.

De Missa in Ordinum collatione celebranda. Cap. V.

1 *Ordo quo Episcopus ad Ecclesiam procedit.*
2 *Quomodo sit induendus.*
3 *Ordo processionaliter accedendi ad Missam.*
4 *Episcopus quomodo ad Confessionem accedat.*
5 *Præstanda in Missa solemni.*
6 *Si priuatè celebrètur quid agendum.*
7 *Presbyteri quomodo ad Missam procedant.*
8 *Quomodo ad Offertorium singuli ordinandi procedant.*
9 *Pax ordinatis quomodo danda.*
10 *Communio Ordinatorum quomodo facienda.*
11 *Benedictio in fine danda, & inungenda Ordinatis.*
12 *Gratiæ ab Ordinatis in fine Missæ Episcopo agendæ.*

1 EPiscopus Missam pro Ordinibus conferendis celebraturus, si fuerit in ppria Ecclesia, hora congrua Cappa indutus, cuius extremitates Capellanus deferet, more solito à Canonicis associatus; extra verò Diœcesim cum Mantelletto supra Rochettum ad Ecclesiam proceder, ibique ante Altare in genuflexorio sibi parato in medio plani, vbi aliquantisper orauerit, ad suã sedem in propria Ecclesia, vel si in aliena fuerit

ad fal-

ad faldiſtorium à latere Epiſtolæ ſibi paratum accedet.

2 Epiſcopus in ſua ſede, ſeu in faldiſtorio ſedens alternatim cum ſuis miniſtris, qui librum ſuſtinebunt, more ſolito Pſalmos conſuetos legit, & interim Sandalia, & Caligę eius pedibus à Scutiferis imponuntur; deinde ſurgens dicit Orationes, & depoſita Cappa, vel Mantelletto, miniſtrantibus ſuis familiaribus aquā, & mantile, manus lauat, ac tergit; poſtmodum omnibus Pontificalibus induitur, & cum miniſtris paratis, ſi ſolemniter celebretur, adſtātibus ſibi tribus, ſeu etiam pluribus Sacerdotibus cum Planetis, vel ſ[illegible]item, iuxta Pontificale cum Stolis ſuper ſuperpelliceum, pro locorum commoditate, aliquantiſper ſedet, donec per Magiſtrum Cæremoniarum omnia diſponantur.

3 Quilibet ordinandus proprio habitu, vt ſupra indutus, intra Presbyterium ſuo ordine diſponatur; & ſi per Eccleſiam ſit procedendum, primùm omnium præcedit Crux, quam ſequitur Clerus cum Canonicis, deinde ſubſequuntur ordinādi; ita vt prima Clericali Tonſura initiā di præcedāt, immediatè poſt ipſos ſequātur Oſtiarij, Exorciſtæ, Lectores, Acolythi poſt ſe per ordinem habentes ordinandos ad ſacros Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus ordines. Hos ſequuntur Capellani, & Miniſtri celebrantes, vltimus omnium Epiſcopus omnibus Pontificalibus indutus Baculum Paſtoralem ſiniſtra tenens; cū verò per Eccleſiam proceditur organa tanguntur; & ſi non fiat proceſſio, antequam Epiſcopus ex ſede ſurgat, per Magiſtrum Cæremoniarum omnes diſponuntur, ita vt per gyrum quilibet ſuo ordine intra Presbyterium genuflectat.

4 Epiſcopus ante gradus Altaris perueniens, Baculum in manu Capellani de ipſo ſeruientis relinquens, depoſitaque Mitra, profunda capitis inclinatione Altari reuerentiam facit, & omnibus Capellanis genuflexis, facit cum ipſis more ſolito cōfeſsionem; in Miſſa verò ſolemni Capellanis, & Acolythis genuflexis, cum miniſtris paratis ſtantibus facit cōfeſſionem.

5 Si Miſſa ſolemniter celebretur, facta confeſſione Epiſcopus Altare aſcendens, illud in medio, & textum Euangeliorum à ſiniſtris oſculabitur, moreque ſolito miniſtrabitur incēſum, & fiet thurificatio, ac reliqua, vt ſupra de Miſſa Pontificali dictum eſt. Sup. sec. 9. cap. 3. num. 10.

6 Si verò priuatè celebretur, oſculato Altari in medio leget Introitum, & reliqua more ſolito, & dicto *Kyrie*, ſedens in faldiſtorio procedet ad primam Tonſuram.

7 In ipſa Miſſa ad Presbyteratū promouendi, quia cum Epiſcopo celebrare debent, vnà cum ipſo omnia, & ſingula ſummiſſa voce proferre debent; vnde in principio bini confeſſionem faciant, quilibet ex libro legat Introitum, & reliqua, exceptis his, quæ pro ordinandis ex Pontificali leguntur.

8 In ipſa Miſſa omnes ordinandi, lecto Offertorio, ante Epiſcopum ſedentem in faldiſtorio accedentes genuflexo, eius dextera oſculata accenſos cereos offerunt.

9 Dicta Oratione *Domine Ieſu Chriſte*, &c. vbi Pontifex Altare fuerit oſculatus, ex ſingulis ordinatis cuiuslibet ordinis à Magiſtro Cæremoniarum ductus primò Presbyter ad dexteram Pontificis, Altari oſculato, ab eo dicēte, *Pax tecum*, pacem accipiens reſpondebit *Et cum ſpiritu tuo*, & cum debitis reuerentijs recedens alijs ſui ordinis pacem deferet; eodem modo poſt Presbyterum accedens Diaconus pacem accipiet, ſuique ordinis miniſtris, vt ſupra, deferet, quod tertio loco fiet à Subdiacono; ac tandē ab Acolytho; quòd ſi ordinatorum paruus fuerit numerus, poterit Epiſcopus dare pacem ſingulis. Pōt. Ro. pag. 69. & 70.

10 Sumpto ſanguine, antequam Epiſcopus digitos abluat, ordinati omnes accedentes ſubmiſſa voce dicunt *Confiteor*,

teor,&c. exceptis tamen Presbyteris; qui cum concelebrent cum Episcopo, non debent dicere confessionem, neque eis datur absolutio, sed alijs inferioris Ordinis tantùm; vnde si soli Presbyteri ordinentur, non dicitur *Confiteor*, vel *Misereatur*. In Missa, quæ celebratur cum cantu, vnus de nouiter ordinatis cantat *Confiteor*, & Pontifex stans capite detecto versus ad eos dicit intelligibili voce *Misereatur*, & *Indulgentiam*, &c. interim Ordinati bini accedentes ad supremum gradum Altaris genuflectunt; & Episcopus singulos communicat dicens, *Corpus Domini nostri Iesu Christi*, &c. quilibet verò prius manum Pontificis Hostiam tenentis osculando, respondebit *Amen*;

Pôt. Ro. pag. 74. Subdiaconusque, vel Capellanus Episcopi superpelliceo indutus stans iuxta cornu Epistolæ Altaris Calicem habẽs cum vino, non illum, cum quo Pontifex celebrauit, sed alium cum mappula munda singulis communicatis vinum purificationis propinat, qui sumpto vino os extergunt, & ad partem se locant. Omnibus cõmunicatis, Põtifex digitos abluit, & prosequitur Missam.

11 In fine Missæ Episcopus dat solemnem benedictionem omnibus ordinatis ante ipsum genuflexis, deinde sedens ipsos alloquitur, Missasque, Nocturnos, & Psalmos pœnitentiales cuiuslibet ordinis Ministris, prout in Pontificali, respectiuè imponit, illis respondentibus se satisfacturos.

12 Depositis sacris vestibus Ordinati Episcopi manus reuerenter osculantur, eique gratias agunt, atque recedentem associant.

De prima Clericali Tonsura, & Ordinibus minoribus. Cap. VI.

1 *Clericus priuatè initiandus.*
2 *Quomodo cum alijs Ordinibus in Missa initietur.*
3 *Dicenda super tondendos.*
4 *Modus tondendi, ac verba dicenda ab Episcopo.*
5 *Oratio dicenda super Clericos tonsos.*
6 *Monitio facienda Ordinatis.*
7 *Quid si priuatè Ordinentur.*
8 *Quid si in Missa.*
9 *Ad minores Ordines promouendi quomodo accedant.*
10 *Monitio facienda ante singulos Ordines minores.*
11 *Instrumenta singulis Ordinibus quomodo tradenda.*
12 *Quomodo orandum super Ordinatos.*
13 *Quomodo ad Offertorium procedendum.*
14 *Ad Communionem cum alijs accedendum.*
15 *Benedictio, & iniunctio dicendorum.*
16 *Extra Missam si conferantur Ordines, quomodo procedendum.*

1 PRima Clericalis Tonsura quolibet die, & loco, & qualibet hora etiam extra Missam arbitrio Episcopi initiari aliquis potest; & si priuatè conferatur, Episcopus in Oratorio Stola supra Rochettum, atque Mitra simplici accepta, adstantibus Ministris superpelliceo indutis, Clericum facere potest, ordine, vt infra, seruato.

2 Si verò intra Missarum solemnia cum alijs Ordinibus, cum generaliter cõferuntur, initiari debeant etiam Clerici, tunc post *Kyrie eleyson*, ipsi initiandi Clericali habitu induti superpelliceum mundum supra brachium sinistrum, & candelam in manu dextera habentes vocantur omnes nominatim per Notarium, & singuli, cum nominantur, respondere debent *Adsum*; & tunc accedentes ante Altare genuflectunt coram Pontifice in faldistorio sedente cum Mitra. Pôt. Ro. p. 1. rub. de Cler. faciẽdo, pag. 13.

3 Omnibus ante Pontificem genuflexis, surgit Pontifex cum Mitra, & dicit Vers. *Sit nomen Domini Benedictum*

Pôt. Ro. pag. 13. & 14. cum Oratione *Oremus fratres*, &c. prout in Pontificali, qua completa sedens inchoat Antiphonam *Tu es Domine*, quam Cantores prosequuntur cum Psalmo *Conserua me Domine*. Vbi est numerus Ordinandorum, solet prout in Lateranensi Ecclesia, Psalmus cantari modulatis vocibus, & in fine cuiuslibet Versus repetitur Antiphona *Tu es Dñe*, &c. (Consuet. Eccl. Lateran.)

4 Interim Pontifex vnicuique incidit forficibus extremitates capillorũ in quatuor partibus, videlicet in fronte, in occipitio, & ad vtramque aurem, deinde in medio capitis, & in peluicula incisos capillos deponit, ad quemlibet, cum tondetur, dicens, *Dominus pars*, &c. quæ verba etiam ab eo, qui initiatur, vnà cum Episcopo proferuntur.

5 Omnibus tonsis, Episcopus deposita Mitra surgens dicit super illos Orationem *Præsta quæsumus*, *&c.* prout in Pont. qua dicta Cantores inchoant, & prosequuntur Antiphonam *Hic accipiet* cum Psalmo *Domini est terra*, &c. Interim, cum inchoatur Antiphona, Episcopus sedet cum Mitra, & in fine repetita surgens sine Mitra ad Altare conuersus dicit *Oremus*, & Ministri *Flectamus genua*, & *Leuate*; ipse verò ad tonsos genuflexos dicit Orationem *Adesto Domine*, &c. qua completa sedens cum Mitra singulos superpelliceo induit, dicens *Induat te*. &c. prout in Pont. (Pôt. Ro. pag. 15.) (Pôt. Ro. pag. 17.)

6 Omnibus indutis, Episcopus sine Mitra surgens versus ad illos dicit Orationem *Omnipotens*, &c. postea sedens cum Mitra illos monet dicens *Filij charissimi*, &c. prout in Pont. (Pont. p. 18.)

7 Post exhortationem, si priuatè fuerint initiati tradita Episcopo facula, & accepta benedictione, eiusque manu reuerenter osculata, recedunt: Consuetudinem verò recipiendi ab ordinatis forfices, pectines, mappas, vel aliud præter faculas sacra Congregatio corruptelam declarauit. (Declar. Congr.)

8 Cum in Missa sit generalis Ordinũ collatio, tunc Ordinati post monitionem recedunt ad loca sua, & Missę assistũt vsq; ad finẽ; decet enim, vt sacra cõmunione reficiantur, & accepta benedictione in fine vnà cũ alijs completis omnibus, depositisque superpelliceis reuerenter gratias agunt, & in pace recedunt.

9 Episcopo sedente cum Mitra in faldistorio, ad minores ordines promouẽdi superpelliceis induti, candelamq; dextera manu tenentes nominatim vocati, singuli respondebunt *Adsum*, & ordinatè accedentes ante Pontificẽ genuflectunt.

10 Capellano sustinente librum; Episcopus ordinandos monet dicens, quæ in Pontificali pro singulis ordinibus habentur, videlicet Ostiarijs *Suscepturi*, &c. Lectoribus *Electi filij*, &c. Exorcistis *Ordinandi filij*, &c. Acolythis *Suscepturi filij*, &c. Quod si ordinandus fuerit Cardinalis, vel Electus Episcopus, huiusmodi monitiones prætermitti debent. (Pont. p. 19. 21. 23. & 27.) (Pont. p. 19.)

11 Post monitionẽ Episcopus tradit cuiliber instrumẽta sui ordinis cũ debita prolatione verborum cuilibet ordini designata, quę se habẽt loco materię, & formæ, videlicet Ostiarijs claues dicens *Sic agite*, &c. prout in Põtificali. Lectoribus librum Lectionũ dicens *Accipite, & estote*, &c. Exorcistis librũ, in quo sunt exorcismi, dicens *Accipite, & commendate memoriæ*, &c. Acolythis candelabrum cum candela extincta dicens *Accipite ceroferarium*, &c. nec non vrceolum vacuum dicens, *Accipite vrceolum*, &c. Dum traduntur huiusmodi instrumenta, Pontifex manibus ipsa tenet, singulique ordinandi, dum verba proferuntur, illa tangere debent, cum repetitione verborum, donec omnes acceperint. Obseruandum tamen, est, quod Ostiarij, post quam eis ab Episcopo traditæ fuerint claues cum præfata verborum prolatione, ab Archidiacono ducuntur ad ostium Ecclesiæ, vt illud aperiant, & claudant, nec non ad campanas, vt eas pulsent. (Pont. p. 20. 23.) (Pont. p. 26.) (Pont. p. 29.)

12 Traditis ordinatis instrumẽtis modo pscripto, singulis adhuc ante Episcopum genuflexis, ipse cum Mitra sur-

gens

gens primùm monet circumstantes ad orandum per Ordinatis, deinde supra ipsos dicit Orationem propriam singulis Ordinibus designatam, præmittens *Oremus*, Ministris subdentibus *Flectamus genua*, & *Leuate*. In hoc etiam est aliquod discrimen; nam in tribus primis Ordinibus dicitur vna tantùm Oratio; at in Acolythorum ordinatione dicuntur tres, prout in Pontificali. Completis Orationibus, Archidiacono suggerẽte, Ordinati redeunt ad loca sua.

Pont. p. 19 & 3.

13 Ad Offertorium deferunt candelas accensas loco sui Ordinis, quas Episcopo in Altari sedenti, eius manum osculando, singuli tradunt, prout in Pontificali.

Pont. p. 68.

14 Decet etiam vt cum alijs suo loco, & tempore sacram communionem sumant.

15 In fine Missæ accepta ab Episcopo solemni benedictione, impositam sibi septem Psalmorum pęnitentialium cum Litanijs, Precibus, & Orationibus recitationem acceptant, & vbi Episcopus sacras deposuerit vestes, & ipsi superpelliceis induti cum alijs ei reuerenter manus osculantur, gratias agentes, vt decet.

16 Si priuatè huiusmodi Ordines cõferantur, Episcopus indutus, Stola supra Rochettum, & Mitra simplici sedens omnia ad singulos Ordines, vt supra, præstabit, omnesque ordinati ad Pontificem per Archidiaconum, vel Magistrum Cæremoniarum ducuntur, qui eius dexteram osculando genuflexi candelam offerunt, eique gratias agẽtes, benedictione accepta recedunt.

De Sacris Ordinibus Subdiaconi, & Diaconi. Cap. VII.

1 *Subdiaconi quomodo ante Episcopum vocati accedant.*
2 *Ordinandi ad reliquos Ordines quomodo vocandi.*
3 *Litaniæ quomodo dicendæ.*
4 *Post Litanias quid agendum.*
5 *Subdiaconi quomodo ordinandi.*
6 *Pro Ordinandis quomodo orandum.*
7 *Diaconis quomodo liber tradendus.*
8 *Obseruanda ab ordinatis.*

1 Sacri Ordines non nisi in Missa temporibus statutis, vel ex dispensatione diebus Dominicis, ac festis conferuntur; vnde omnibus, vt supra dispositis, Episcopo super faldistorio sedente, ipsisque indutis suo loco adstantibus, Archidiacono dicente; *Accedant qui ordinandi sunt Subdiaconi*, vnusquisque per Notarium explicando titulum Beneficij, Patrimonij, seu Paupertatis nominatim vocatus respondebit *Adsum*: qui omnes ante Episcopum spatio congruo genuflexi ab eodem sedente cum Mitra, & dicente *Filij dilectissimi*, &c. monentur, prout in Pont.

2 Subdiaconis monitis, Archidiaconus reliquos Ordinandos vocat, dicens; *Accedant qui ordinandi sunt Diaconi, & Presbyteri*; qui omnes per Archidiaconum, vel Magistrum Cæremoniarum faciebus Altari versis circumcirca disponuntur. Pont. p. 31.

3 Antequam Sacri Ordines conferantur, præmittuntur semper Litaniæ, in quibus ordinandi omnes super tapetæ se prosternere debent; Ministri verò, & alij adstantes genuflectunt; & ipse Episcopus Mitram in capite tenens procumbit super faldistorio in supremo gradu Altaris parato; & si Missa fuerit solemnis, & cum cantu, Litaniæ cantantur à Schola, Choro respondente; si verò celebretur sine cantu, Litaniæ dicuntur à Põtifice, Ministris, & Capellanis respondentibus. In ipsis Litanijs dicto *Vt omnibus fidelibus defunctis*, &c. & responso *Te rogamus audi nos*; surgit Pontifex cum Mitra ab accubitu, & se ad ordinandos vertens, Baculum sinistra tenens, ordinandis prostratis manentibus, dicit *Vt hos Electos benedicere digneris*, se-

mel signum Crucis super ipsos producẽs, subdens deinde; *Vt hos Electos benedicere, & sanctificare digneris*; bis signũ Crucis producit: vltimò dicens; *Vt hos Electos benedicere, sanctificare, & consecrare digneris*, ter signum Crucis super ipsos producit.

4 Iterum postea super faldistorio procumbens prosequuntur Litaniæ dicendo: *Vt nos exaudire digneris*, vsque ad finem; quibus completis omnes surgunt, & Episcopus quidem sedet in faldistorio, ministri verò stant, & ordinandi erecti ab accubitu stant genuflexi.

Pont. p. 37. 5 Completis Litanijs, ordinandis coram Pontifice in faldistorio sedente genu flexis fit admonitio *Adepturi*, &c. prout in Pontificali. Post monitionem Episcopus tradit singulis Calicem cum Patena vacua superposita dicens, *Videte*, &c. & immediatè post Archidiaconus tradit eis vrceolos cum vino, & aqua, ac Bacile cum manutergio, quæ omnia ab omnibus, & singulis tangi debent, prout in Pont.

Pont. p. 38. 6 Episcopus stans cum Mitra versus ad populum hortatur, vt orent pro ordinandis, dicens *Oremus Deum*, &c. tum deposita Mitra, conuertens se ad Altare, dicit *Oremus*, & Ministri *Flectamus genua*, & *Leuate*, mox conuertens se ad Ordinandos genuflexos pariter capite detecto dicit Orationem *Domine sancte*, &c. qua completa sedens cum Mitra Amictum in collo ordinandorum iacentem imponit eorum capitibus, singulis dicens *Accipe Amictum*, prout in Pontificali; quo omnibus imposito, eodem ordine singulis innititur Manipulus in sinistrum brachium, & Episcopus cuilibet dicit: *Accipe Manipulum*. &c. & postea singulis imponitur Tunicella, diciturque cuilibet *Tunica iucunditatis*, &c. Tandem Episcopus librum Epistolarum tradit Ordinatis, singulis manu dextera ipsum tangentibus; interim verò dicit *Accipite*, &c. prout in Pontificali. Accepto libro ordinati, Archidiacono suggerente recedunt ad loca sua, ibique vsque ad finem Missæ genuflexi assistunt, in qua vnus ex ipsis tunica indutus suo tempore Epistolam dicit. Ad Diaconatum promouendi post Epistolam, Episcopo sedente cum Mitra in faldistorio, ab Archidiacono vocati accedentes per gyrum ad modum coronę coram Episcopo genuflectunt, quibus Archidiacono primùm postulante, & approbãte, prout in Pont. Episcopus respõdebit *Deo gratias*, stansque vt supra cum Mitra populo eorum ordinationem annuntiat, dicens; *Auxiliante Domino*, &c. postmodum ipsos ordinandos monet, subdens *Prouehendi*, &c. prout in Pont. deinde Clerum, & populum iterum monens, dicit *Commune votum*, &c. qua monitione completa surgens cum Mitra versus Ordinandos dicit *Oremus fratres*, &c. postmodum deposita Mitra subdit Præfationem, in cuius fine dextera super caput cuiuslibet Ordinandi extensa, singulis dicit *Accipe Spiritum sanctum*, & quæ sequuntur, concludendo humiliori voce *Per eundem*, &c. prout in Pontificali. Pôt. Ro. tit. de ordin. Dia. pag. 41. 42 &43.

7 Completa Præfatione, Pontifex sedet cum Mitra, Ordinandis coram se genuflexis Stolam imponit super humerum sinistrum, singulis dicens: *Accipe Stolam*, &c. formans super quemlibet signum Crucis, & Ministri reflectunt capitia Stolæ, & alligant sub brachio dextero, deinde accepta Dalmatica singulos induit dicens; *Induat te Dominus*, &c. Postremo accipit, & tradit omnibus librum Euangeliorum, quem ipsi dextera tangunt, Episcopo dicente, *Accipite*, &c. prout in Pontificali. Pont. p. 51.

8 Tandem Episcopus surgens sine Mitra conuersus ad Altare dicit *Oremus*, & Ministri *Flectamus genua*, & *Leuate*, deinde cõuertẽs se ad Ordinatos dicit Orationes *Exaudi*, & *Domine sancte*, &c. quibus expletis ad loca sua Archidiacono suggerente recedunt; vnus autẽ

Pont. p. 39. Pont. p. 40.

ex ip-

ex ipsis Euangelium legit in Missa.

9 Post Offertorium omnes offerunt cereos; dicto *Agnus Dei*, pacem accipiũt, & assumpto sanguine ab Episcopo sacram communionem sumunt; quibus expletis post benedictionem impositam sibi pęnitentiam acceptant, & depositis sacris vestibus Episcopi manum osculantur, eique gratias agunt, ac recedentem associant modo supra præscripto.

De Ordinatione Presbyteri.
Cap. VIII.

1 *Tempus ordinandi Presbyteros.*
2 *Præsentatio, & approbatio ordinandorum.*
3 *Admonitio ad Ordinandos.*
4 *Manuum impositio quomodo, & à quibus facienda.*
5 *Oratio cum Præfatione super Ordinandos dicenda.*
6 *Ordinandi quomodo induendi.*
7 *Quomodo vngendi.*
8 *Instrumenta Ordinatis tradenda.*
9 *Missa quomodo à Sacerdotibus nouiter Ordinatis recitanda.*
10 *Responsorium cum fidei confessione super Ordinatos dicendum.*
11 *Casula explicanda, & obedientia Episcopo præstanda.*
12 *Ordinati monendi, ac benedicendi.*
13 *Pontifex Ordinatos quomodo alloquatur, ac reliqua compleat.*

Pót. Ro. p. 1. rub. de ordi. Presbyt pag. 63. 1 PResbyteri ordinantur lecto Graduali, Tractu, vel Sequentia vsq; ad vltimum Versum exclusiuè, & tunc Episcopo sedente super faldistorio, Ordinandi ab Archidiacono vocantur intelligibili voce dicendo, *Accedant qui ordinandi sunt ad ordinem Presbiteratus*, & tunc nominatim leguntur per Notarium, & singuli ante ipsum accedentes in Pont. p. 54. modum coronæ dispositi genuflectunt, vt dictum est supra de Diaconis.

2 Primùm omnium Archidiaconus præsentat Pontifici, & approbat Ordinandos eodem modo, quo dictum est supra de Diaconis, & Episcopis vbi responderit *Deo gratias*, anuunciat Clero, & populo dicens: *Quoniam fratres*, &c. Pont. p. 55.

3 Deinde vbi aliquantisper quieuerit ad ordinandos sermonem conuertẽs ipsos admonet dicens *Consecrandi*, &c. prout in Põt. Et si tantũ Presbyteri sint Pont. p. 56. ordinandi Litaniæ dicuntur post hanc monitionem.

4 Post Litanias, vel si non sint dicendæ, completis monitionibus, vt supra, Pontifice stante cum mitra ante faldistorium, ordinandi binicoram eo accedentes genuflectũt; ipse verò imponit vtrã que manum super caput cuiuslibet successiuè nihil dicens, & Sacerdotes ad stãtes idem faciunt: deinde tam Pontifex, quàm Sacerdotes tenent manus dexteras extensas super illos, & Pontifex ad huc stans cum Mitra dicit *Oremus fratres*, postea retrahũt manus, prout in Põ. Pont. p. 56.

5 Post manuum impositionem Põtifex deposita Mitra conuersus ad Altare dicit *Oremus*, & Ministri *Flectamus genua*, & *Leuate*; deinde ad Ordinãdos cõuersus dicit *Exaudi*, &c. & in fine subdẽs *Per omnia sæcula*, &c. extensis manibus ante pectus dicit Præfationẽ, prout in Pontificali, cuius conclusionem in fine subdit *Per eundem*, &c. ac legit planè ita tamen, vt à circumstantibus audiri possit.

6 Completa Pręfatione Pontifex sedens cum Mitra reflectit stolam ordinandi ab humero sinistro, capiens partem, quæ retro pendet, & imponens super dexterum humerum, ipsam ante pe- Pont. p. 64. ctus in modum Crucis adaptat dicens, *Accipe iugum*, &c. Aptata stola imponit cuilibet successiuè Casulam vsq; ad scapulas super humeros complicatam à parte anteriori deorsum dependentẽ singulis dicens, *Accipe vestem*, &c. surgens postmodũ sine Mitra ad ordinãdos genu-

Pôt. Ro. pag. 65. flexos conuersus dicit Orationem *Deus sanctificationem*,&c. prout in Pont.

7 Oratione expleta Pontifex sine Mitra Ante Altare conuersus flexis genibus inchoat alta voce Hymnum *Veni creator spiritus*, quem Schola prosequitur, & dicto primo versu, cum subditur *Qui paraclitus diceris*, omnes surgunt, & Cantores Hymnum prosequuntur, & si propter Ordinandorum multitudinem necesse fuerit, repetatur omisso primo versu, ab eodem loco *Qui Paraclitus diceris*, quoties opus fuerit, donec omnium manus per Pontificem vngantur; dicto primo Versu surgens Pontifex sedet in faldistorio cum Mitra, & depositis Chirotecis, & Annulo Pontificali reassumpto, ponitur ei Gremiale, siue mappula super gremium, & singulis ordinãdis coram se genuflexis manus inungit oleo Chatecumenorum in modum Crucis producendo duas lineas, videlicet à pollice dexteræ manus vsque ad indicem sinistræ, & è conuerso, vngendo mox totaliter palmas dicens *Consecrare*, &c. & dicens *nostram benedictionem* producit manu dextera signum Crucis super manus illius, quem ordinauit, & prosequitur, *Vt quemcumque*, &c. in cuius fine ordinandus respondet *Amen*. Tum Pontifex iungit manus iunctas, quas sic consecratas Capellanus Pontificis albo panniculo lineo alligat, & primo inuncto recedente ad locum suum, accedit secundus, qui eodem modo inungi debet, & sic successiuè alijs vsque ad vltimum.

8 Omnium manibus consecratis Pôtifex tergit manus cum medulla panis, tum cuilibet successiuè tradit Calicem cum vino, & aqua, & Patenam superpositam cum Hostia; ipsi verò illam accipiunt, eodem modo manus iunctas tenẽtes, & alligatas inter indices, & medios digitos ita vt cuppam Calicis medijs digitis, Patenam verò indicibus simul tangant; interim Pontifex verba, quæ se habent loco formæ profert singulis di- Pôt. Ro. pag. 67. cens *Accipe potestatem*, &c. prout in Pontificali. Singuli Ordinati, vbi Calix eis fuerit traditus, vt supra, accedunt ad credentiam, ibique manus tergunt medulla panis, & lauant, ipsaque aqua lotionis proijcitur in sacrarium, & panniculus, quo manus fuerant alligatæ, non adhibetur amplius ad profanos vsus, sed curabit Magister Cæremoniarum, vt ad ministerium Altaris ad purificandum digitos celebrantium adhibeatur.

9 Sacerdotes nouiter ordinati habẽtes librum ante se loco congruo genuflexi, omnia cum celebrante submissa voce dicunt; ad Offertorium cereos accensos offerunt; suo tempore pacem accipiunt, & pariter ad communionem accedunt modo supra præscripto. Sup. c. 5 nu. 7. 8 &c.

10 Post Communionem Pontifex sumpta ablutione, & lotis manibus, deposita Mitra stans in cornu Epistolæ Altaris inchoat cum cantu Schola prosequente Responsorium *Iam nõ dicam vos seruos*, quòd à Septuagesima vsque ad Pascha dicitur sine *Alleluia*. Et si Missa non fuerit cum cantu, Responsorium istud ab Episcopo totum legitur; Responsorio incepto si cantetur, vel si legatur, completo, Pontifex accepta Mitra, vertit se ad presbiteros ordinatos, qui ante Altare coram ipso stantes profitentur fidem, quam prędicaturi sunt, omnes simul dicentes *Credo*, &c. prout in Pontificali. Pôt. Ro pag. 71

11 Completo Symbolo Pontifex sedens cum Mitra super faldistorio ante medium Altaris imponit ambas manus super capita singulorum, dicens *Accipe Spiritum Sanctum*, &c. Explicans deinde Casulã, quã vnusquisq; habet superhumeros cõplicatã, singulis dicit, *Stola innocẽtiæ*, &c. postea cuilibet manus iũctas inter consecrantis manus tenent si sit eius Episcopus Ordinarius, dicit *Promittis mihi*, &c. vel si sit alterius Diœcesis *Promittis Pontifici, vel Prælato tuo Ordinario*, &c. & illo respondente *Promitto*, Pontifex tenẽs adhuc manus illius inter suas, vnumquemque recipit ad osculum pa-

cis

cis dicens singulis *Pax Domini sit semper tecum*, & ille respondet *Amen*, prout in Pontificali. Pôt.P. pag. 73.

12 Pontifex sedens cum Mitra, & Baculo ordinaros monet dicens *Quia res*, &c. Deinde surgens eos coram se adhuc genuflexos benedicens dicit voce competenti *Benedictio Dei*, &c. prout in Pontificali, & prosequitur Missam, dicens Postcommunionem diei propriam pro Ordinatis sub vno *Per Dominum*, &c. & in fine dat benedictionem solemnem more solito.

13 Post benedictionem Pontifex sedens cum Mitra in faldistorio ad mediũ Altaris alloquitur Ordinatos dicens *Filij dilectissimi*, &c. imponens ipsis Missas, quas dicere debẽt, atq; etiam respectiuè psal.ẽũ surgens sine Mitra dicit in Altari vltimũ Euãg. ipsi quoq; ad presbyterarũ ordinati idem faciunt; Et Põtifice sacras vestes deponente, ipsi quoque loco congruo suas deponunt, ac demum Episcopo gratias agentes ipsum associant.

De Ordine Suspensionis Reconciliationis, Depositionis, Dispensationis, Degradationis, & Restitutionis sacrorum Ordinum.
Cap. IX.

1 *Forma suspensionis Clericorum.*
2 *Reuocatio suspensionis quomodo facienda.*
3 *Depositus quomodo restituendus.*
4 *Restitutio in sacris Ordinibus quomodo facienda.*
5 *Praparanda pro solemni degradatione.*
6 *Ordo accedendi ad solemnem degradationem.*
7 *Archiepiscopus, vel Episcopus quomodo degradandus.*
8 *Sacerdos quomodo.*
9 *Quomodo Diaconus.*
10 *Quomodo Subdiaconus.*
11 *Quomodo Clerici Ordinu m minorum, ac Prima tonsura.*
12 *Cum degradato quis dispenset, & quomodo restituatur.*

1 CVm iuxta Sacros Canones ab Episcopis Clerici quandoque suspendantur, vel deponantur; non nunquam etiam in grauioribus degradentur: pœnitentes verò, & emendati reconcilientur, ac restituantur; modum, quo singula fieri debeant, hoc loco adnotabimus.

2 Suspẽsio ab homine in scriptis fieri debet, modo, ac forma in Pontificali præscripta, videlicet in particularibus casibus; *Quis constat*, &c. vel si sit in genere; *Quicumque*, &c. Suspensionis autem reuocatio in scriptis pariter fieri debet, videlicet *Quia de*, &c. quæ suspensionis sententia si sine tẽporis præfinitione ab homine fiat, perpetua intelligitur; si verò sub conditione, illa adimpleta, suspensus absque alia reconciliatione, seu sententiæ relaxatione executionem sui officij recuperat. Cum autem in minoribus criminibus, quibus à iure non prohibetur, Episcopus aliquem Clericum sibi subiectum, peracta iam pœnitentia, reconciliare, vel cum eo dispensare voluerit, formà in Pontificali præscripta vtatur dicens; *Quamuis tale*, &c. Pôt.p.3. tit. ordo suspen. p.619. Pont. p. 621.

3 Et quia Episcopus potest cum Capitulo deponere Clericum, atque etiam cum assensu Episcoporum in Sacris constituos, forma præscripta, scilicet *Quia nobis euidenter*, &c. verùm si Episcopus cognouerit depositum emendatum, vel fortè etiam suam sentẽtiam rigorosam, aut minus iustam, poterit depositum pristino gradui restituere, & hoc in Ecclesia siue Cathedrali siue alia suo arbitrio, quocumque tempore etiam sine Missæ celebratione, præsente tamen Capitulo, ac restituente, & restituendo ieiunis. Hora itaque congrua Episcopus in Ecclesia indutus Amictu, Stola, ac Pluuiali coloris tempori congruentis cum Mitra simplici, & Baculo pastorali, in Faldistorio in medio Altari posito sedet, & acceden- Pont.p. 622. Pont. p. 623.

te

te Clerico, qui restitutionem petere debet, suis vestibus consuetis indutо, deposita Mitra surgens versus illum ante se genuflexum ter dicit Versum *Deus in adiutorium*, &c. subdens postmodum preces cum Oratione *Deus qui in Sanctis*, &c. deinde accepta Mitra super caput illius genuflexi manum dexteram imponens dicit *In nomine Domini*, &c. ac illi benedicit dicens; *Benedictio Dei*, &c. quo facto Clericus manu Pontificis osculata recedit.

Pont. p. 624.

Pont. p. 625.

4 In restitutione Subdiaconatus, & minorum Ordinum, ac priuilegij Clericalis, seruatis omnibus, vt supra, vsque ad impositionem manus, Episcopus sedens cum Mitra subdit, *In nomine Domini*, &c. prout in Pontif. In restitutione Diaconatus, Subdiaconatus, ac minorũ Ordinum eodem modo proceditur, additis, quę habentur in Pontif. & in restitutione Presbyteratus, additis, quæ in eodem Pontif. adnotantur.

Pont. p. 626.

5 Degradatio ab Ordinibus ad terrorem solemniter, ac publicè fieri debet; vnde in reali degradatione facienda plura prius præparare oportet, & primũ extra Ecclesiam construetur talamus ligneus conuenientis longitudinis, ac latitudinis è terra eminens, supra quem ordinabitur credentia simplici mantili lineo cooperta, in qua disponentur ampullæ vini, & aquæ, Calix cum Patena, & Hostia, vnum vas vini, vas aquæ, liber Euangeliorum, liber Epistolarum, liber Exorcismorum, liber Lectionum, Antiphonarium, candelabrum cum candela extincta, Claues, Forfices, Cultellum, siue nouacula, Paramenta pro degradando sui Ordinis. Pro Pontifice degradatore in prædicto loco præparetur Faldistorium, nec non sedilia pro Officialibus, qui interesse debent; nam præter Ministros Pontificis aderit Iudex sæcularis, cui degradatus tradi debet, & Notarius, qui Processum degradationis legat: paramenta verò Episcopi degradantis pręparentur extra illum locum in alio congruo loco.

6 Hora opportuna degradandus suo habitu quotidiano indutus supra dictum tabulatum à Ministris vinctus ducitur; ibique soluitur, ac liber manens à Clericis induitur omnibus paramentis sacris vsque ad vltimum sui Ordinis; Pontifex verò degradator indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, ac Pluuiali rubei coloris, ac Mitra simplici, baculum Pastoralem sinistra tenens ascendit ad locum, vbi sedens in Faldistorio, assistente sibi Iudice sæculari, ac reliquis Ministris, populo vulgari sermone huiusmodi degradationis causam notificat, & contra degradandum sententiam profert dicẽs; *In nomine Patris*, &c. prout in Pont. qua sententia prolata Pontifex degradator aufert ab illo singula ornamẽta, inchoãdo ab vltimo, ac paulatim descendendo vsque ad primum, quod in Prima Clericali tonsura datur hoc ordine. Pōt. p. 3. pa. 631.

7 Si degradandus fuerit Archiepiscopus, primò degradator aufert ab eo Pallium dicens *Prærogatiua Pontificalis*, &c. Pontif. pa. 632.
Si sit Episcopus, primò amouet ab eo Mitram dicens *Mitra Pontificalis*, &c. deinde librum Euangeliorum ei à Ministro traditum aufert dicens, *Redde Euangelium*, &c. postea Annulum dicens, *Annulum fidei*, &c. tum degradator tollit ab eo Baculum illi à Ministris prius traditum dicens, *Auferimus à te Baculum*, &c. deinde ablatis Chirotecis leuiter pollices, ac manus abradit cultello, vel vitro, dicens, *Sic spiritualis*, &c. postea eodem cultello, vel vitro abradens caput dicit; *Consecrationem*, &c. & degradando per ministros extrahuntur Sandalia.

8 Si Presbyter sit degradandus, omnibus Sacerdotalibus paramentis induto traditur Calix cum vino, Patena, & Hostia, quæ omnia degradator aufert de manibus degradandi dicens, *Amouemus à te*, &c. deinde abradit leuiter cultello, vel vitro pollices, & indices vtriusque manus degradandi, dicens, *Potestatem*, &c. & exuens degradandum Plane- Pontif. pa. 633.

ta per

Pontif. p. 634.

ta per posteriorem partem dicit, *Veste Sacerdotali*, &c. Similiter & Stola, dicit, *Signum Domini*, &c.

9 Si degradandus fuerit Diaconus, omnibus sui Ordinis paramentis induto traditur Liber Euangeliorum, quẽ Pontifex ex eius manibus auferens dicit, *Amouemus*, &c. tum aufert ab eo Dalmaticam; dicens, *Leuitico Ordine*, &c. deinde Stolam post eius tergum proijcit, dicẽs, *Stolam candidam*, &c.

10 Si degradandus fuerit Subdiaconus, induto paramentis sui ordinis degradator aufert librum Epistolarum dicens, *Auferimus*, &c. deinde Tunicellam subdens, *Tunica Subdiaconali*, &c. postmodum Manipulum, dicens, *Depone Manipulum*, &c. Pontifexque tangens degradandi Amictum dicet, *Quia vocem tuam*, &c. & Ministris deferentibus vrceolos aqua, & vino refertos cum peluicula, & mantili, Archidiaconus aufert ex eius manibus, mox delatum ei Calicem cum patena Pontifex ex eius manibus aufert, dicens, *Potestatem*, &c. deinde Ministri exuunt eum Cingulo, Alba, & Amictu.

11 Degradando ab Ordinibus minoribus superpelliceo induto, Acolytho primùm Episcopus aufert vrceolum vacuum dicens, *Immunde*, &c. ac deinde tradito ipsi degradando à Ministris candelabro cum cereo extincto, Episcopus ipsum ex eius manibus aufert dicens, *Dimitte*, &c. postmodum ab ordine Exorcistę degradando aufertur liber Exorcismorum, dicendo, *Priuamus*, &c. Similiter ab Ordine Lectoratus, auferendo ab eo Lectionarium dicetur, *In Ecclesia Dei*, &c. ab Hostiariatus verò Ordine degradando auferuntur ab Episcopo claues, dicendo, *Quia in Clauibus*, &c. degradãdo denique à Prima Clericali tonsura Pontifex primùm aufert superpelliceum, dicens, *Auctoritate Dei*, &c. & Episcopo inchoante à tonsore totaliter tondetur, & interim Episcopus dicit, *Te velut ingratum*, &c. tuncque Ministri eũm Clericali habitu exuunt; & si tradendus fuerit Curię sęculari, degradator eum amplius non tangit, sed contra ipsum pronunciat dicens, *Pronunciamus*, &c. rum illo derelicto misericorditer apud Iudicem sæcularem intercedit, vt citra mortis periculum, vel mutilationis contra degradatum sententiam moderetur, dicens, *Domine Iudex*, &c. & sic degradatus Curiæ sęculari traditus recedit. Pontif. p. 636.

12 Post degradationem iustè, ac ritè factam solus Romanus Pontifex cum ta li dispẽsat; Episcopus verò ante insigniũ det factionem etiam post sententiæ depositionis prolationẽ potest dispensare, ac solo verbo ipsũ verbaliter depositũ restituere, & si priusquã Iudex sæcularis in illum animaduerterit, talis depositio, & degradatio iniusta inueniatur; tunc non solùm verbo, sed etiã facto restitutio degradato fieri debet, & insignia sibi detracta seriatim, ac singillatim, atque solemniter ei coram Altari ordine quo cùm ordinaretur, receperat, restitui.

PRAXIS CAEREMONIARVM, SEV SACRORVM ROMANÆ ECCLESIÆ RITVVM, Liber Tertius.

DE HIS QVAE PROPRIIS QVIBVSQVE TEMPORIBVS sunt peragenda.



DIVINI Officij partibus fusius in præcedentibus, prout res postulabat, iam in genere explicatis, ad singularia deueniendo, de ipsis Ecclesiasticis tẽporibus verba facere tandem oportet; omnia enim tempus habent, & suis spatijs transeunt vniuersa sub
Eccl. 3. 1 cœlo; Ecclesiaq; ipsa quasi Luna (vt passim docent Patres) in dies augescit, donec totum compleat Orbem; & quasi militaribus distincta ordinibus temporum dans tempora suas distinguit acies, stationesq; præscribit; nec
Genes. num. 9. non veluti Paradisus Dei in medio continens lignum vitæ, vberes, suauesq; singulis temporibus profert fructus, quibus Diuinæ benignitatis coronatur annus, campiq; eius implen-
Psal. 64. 12. tur vbertate, seu, vt ex Hebræo legitur, orbitæ eius stillant pinguedinem; tali namq; temporum, ac sacrorum dierum varietate circundata mira suauitate perfunditur, sicq; dies diei eru-
Psal. 44. 10. ctat verbum, & nox nocti indicat scientiam, donec absorpta morte corruptibile hoc induat incorruptionem, & mortale
Psal. 15. 3. 1. Cor. 15. 53. Psalm. 117. 27. Iacob. 1. 17. hoc induat immortalitatem, constituaturq; nobis dies solemnis in condensis, nec sit vlla amplius transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Interim in vicissitudine temporum degentibus singula temporibus suis à Deo, vt nos docet Ecclesia, ordinata summo studio, ac singulari diligentia obseruanda distinctè hoc loco proponuntur.

SECTIO PRIMA.

De Tempore Aduentus.

De huius temporis Mysterio, ac modo quo celebrati debet. Cap. I.

1 *Temporis Ecclesiastici initium Aduentus.*
2 *Misteria huius temporis.*

1 INter omnia Ecclesiastica tempora primo loco se nobis offert tempus Aduentus Domini, vnde Ecclesiastica Officia, ex Apostolica traditione, maiorumque institutione, initium sumunt; incipiensque more Romano à Dominica, quæ proximior est Festo Sancti Andreę Apostoli vsque ad festum Natalis Domini, producitur spatio trium hebdomadarum, additis etiam aliquibus quartæ hebdomadæ diebus pluribus, vel paucioribus, prout annorum currentium variatio postulauerit, atque in ipso Natalis sacro die terminatur. (Anast. Liturg. tom. 1.)

2 Sacrum profectò, mysticumque tempus veterum Patrum repręsentans expectationem in luctu, ac mœrore transfigitur: ideo clauduntur hoc tempore nuptiæ; Angelicus cantus *Gloria in excelsis*, ac pariter ad Matutinum Hymnus *Te Deum laudamus* omittuntur; Ministri Altaris non vtuntur Dalmatica, ac Tunicella, quę sunt indumenta lætitię; sed planetis plicatis; ideo olim hoc tempore ieiunabat Ecclesia, quæ laudabilis consuetudo in omnibus Religiosis, sicuti etiam apud nonnullos pios viros adhuc perseuerat: Ieiunium tamẽ hoc dicitur Ieiunium exultationis, vt ait Episcopus Mimatẽsis; nam tempus Aduentus ob præteriti temporis memoriã, quam repręsentat, mœroris, atque tristitiæ est; quia verò expectationem habet Saluatoris iam proximi, cum *Alleluia* exultationis cantu, Dominicis maximè diebus crebrius præcinitur. (Concil. Trid. sess. 24. c. 10.) (Rat. Diui. offic. lib. 6 c. 2. num. 6.)

De Dominica prima Aduentus. Cap. II.

1 *Præparanda pro celebratione Officij tẽpore Aduentus.*
2 *Lectiones Matutinales ex Isaia in aduentu dicendæ.*
3 *Responsoria huius Primæ Dominicæ ad Mysterium ordinata.*
4 *Festum Patroni in Prima Dominica occurrens transferendum.*
5 *Ordo, quo Romæ in Palatio Apostolico hac die celebratur.*
6 *Cardinales quomodo in Capella assistere debeant.*
7 *Ordo, quo Romæ in Palatio Apostolico celebratur Oratio 40. Horarum.*
8 *B. M. Virginis peculiaris memoria in hoc tempore habenda.*

1 QVoniam regulariter Ecclesiasticis Officijs Vesperę dant initium, iuxta illud Leuitici: *A Vespera ad Vesperam celebrabitis Sabbata vestra;* Sabbato Dominicam primam Aduentus pręcedenti ante Officium Vesperatum, vel si eo die aliquod festum duplex occurrat, de quo debeat Officium celebrari, post Vesperas Altaria omnia paramentis violaceis ornantur; Tabernaculum pariter Sanctissimi Sacramenti Conopeo violaceo operietur; Baldachinum item, ac reliqua omnia per Ecclesiam erunt eiusdem coloris: decet enim, vbi commodè haberi potest, panno violaceo cooperiri gradus Altaris Maioris, & in Cathedralibus sedes Episcopi, & Baldachinum similiter, & Stratũ ad procumbendum. Inter candelabra in Dominicis Aduentus ne apponãtur vascula cum floribus, neque Sanctorum Imagines, vel Reliquiæ, sed tantùm in festis Sanctorum, & in Dominica tertia, quæ vt suo loco dicetur, est dies exultationis. Ordo Officij diuini hoc tempore singularis est, omni spirituali suauitate refertus, ipsi sacro mysterio, quod celebratur, in omnibus respondens. (Leuit. 23. 32.) (Cęrem. Episc. li. 1. c. 13.)

Gl sup 4 Reg. 21. D. Tho. in Prol. Isai. D. Ath. in Synop.

2 Lectiones primi Nocturni sunt ex Isaia Propheta inter omnes eximio, qui vt ait Glossa, & D. Thomas, & alij affirmant, Regia stirpe natus potiùs Euangelistæ, quàm Prophetæ partes agere videtur; nam vt Sanctus Athanasius notat, plurima pars prophetiæ eius Euangelium esse videtur de Aduentu Verbi Dei in carnem, gestaque eius cótinens; vnde & D. Hieronymus non solùm Euangelistam, sed Apostolum eum appellat.

D. Hier. in prol. Isai.

3 Responsoria, & Versus eadem ratione ferè omnia ex eodem Isaia desumpta, ad mysterium Incarnationis Verbi Dei ordinantur. Primum Responsorium, vt notat Amalarius, pluribus cóstat Versibus, propter honorem magnæ festiuitatis, quæ hac prima Dominica in Ecclesia celebratur; vt propterea in hebdomadam non repetatur. Responsoria omnia numero Lectionum correspondent; cum enim Ecclesia in hoc tempore constituta, non dicat ad Matutinũ Hymnum *Te Deum laudamus*, post nonam Lectionem pariter nonum Respósorium assignatur.

Amala. Fort. lib. de ord Antip. p2. 224.

4 Et quia prima hæc Dominica est solemnis primæ classis, ideo quodcumque festum in ipsa occurrens, etiam si sit Patroni, vel Titularis, transfertur in sequentem diem. Vbi est Titulus, vel Populi cócursus ad celebrandum festum, quod trãsferendum est, cum iuxta Rubricas Missa cum Officio semper conuenire debeat, poterunt cantari duæ Missæ, altera de Dominica, sine *Gloria in excelsis* in paramentis violaceis, & Planetis plicatis, quę post Tertiam dici debet: Altera de festo in paramentis coloris Sancto, de quo celebratur, conuenientis, in qua dici debet *Gloria*, & *Credo*, & Ministri vtuntur Dalmatica, & Tunicella, ipsaque Missa cum nullam habeat cum Officio connexioné, celebrabitur post Horas. Omnino in Ecclesijs, vbi erit concursus populi ad celebrandum festum poterit celebrari Missa de Sancto, vel saltem in Missis fieri Cómemoratio de eo, & tunc Oratio secunda erit de Sancto, tertia de B. Virgine.

Rub. gene. miss. X. 1.

Rub. gene. Miss. VI.

Rub. gene miss. XV. 5.

5 Romę in Palatio Apostolico in Dominicis Aduentus celebratur ab aliquo ex Prælatis Papæ assistentibus; ipse verò Apostolicus accedens, & recedens pro celebratione, quæ fit in Capella, quia hoc est tempus mœroris, & luctus, sicut & Quadragesimæ, non in sella gestatoria more solito aliarum solemnitatum defertur, sed pedester procedit.

Cærem. Ro. li. 2. cap. 1.

6 Assistunt verò Domini Cardinales cum vestibus, & Cappis violaceis, & fit sermo per Procuratores ordinum Mendicantium; hac quidem prima Dominica per Procuratorem Ordinis Prędicatorum.

7 Romę item hac eadem die incipit circulus Orationis quadraginta horarũ alternatim, ac iugiter habendę in Ecclesijs, ac pijs locis Almę Vrbis, per totum anni circulum iuxta pręscriptam formã à Clemente VIII. fel. mem. anno primo Pontificatus sui, qui fuit 1592. cui etiam concessit Indulgentias. Postea verò Paulus V. cuius memoria in benedictione sit, die 10. Maij 1606. continuari pręcepit. Hæc igitur die in Palatio Apostolico post Missarum celebrationem in paramẽtis violaceis, iisdem sacris vestibus indutis Ministris, proceditur ad Capellam Paulinam, ipso Pontifice Sacramentum deferente, iisdem paramentis induto, quibus ad Missam assistendo vtitur, videlicet Pluuiali rubeo, cui assistunt hinc inde eum adiuuantes duo Diaconi Cardinales, duobus item Prothonotariis ex participantibus Pluuialis fimbrias eleuatas tenentibus: Dignior verò ex Oratoribus, qui Capellę intersunt, Pluuialis caudam eleuare consueuit, quę singulari ritu in Capella Apostolica obseruantur.

Constit. Cl. VIII. 17. Gratef. Bullar. tom. 3. pag 22.

8 In huiusmodi feriis dicitur Officium paruum B. Mariæ Virginis huic tempori assignatum, in quo satis dilucidè incarnati Verbi mysterium in Virgine opera-

Ro. par. Miss. in fin.

tum

tum ab Ecclesia explicatur, totum ferè ex historia Euangelica secundum Lucã, & Isaiæ prophetia compositum; est enim hoc specialiter Virgini Matri dicatum tempus, quia in ipsa sacrum hoc, quod celebratur mysteriũ singulariter fuit impletum; ideò & Romani Pontifices antiquitus in prima Dominica ad Sanctam Mariam Maiorem ad Stationẽ celebrandam procedere consueuerunt. In Missa propterea secunda Oratio semper erit de B. Virgine, in qua Annunciationis mysterium recolitur; in Sabbato, si nõ occurrat festum nouem Lectionum, vel Officiũ feriæ quatuor Temporũ, vel Vigiliç dicitur Missa B. Virg. in Sabbato tali tẽpori assignata, in qua dicitur Hymn. *Gloria in* &c.

Ordo Rom.

Rub. gene. Miss. III. 2.

9 Qualibet secunda feria nõ impedita festo nouẽ Lectionũ, post Vesper. diei Dñicæ, vel alia hora cõgrua iuxta cõsuetudinẽ Ecclesiarũ dicuntur Vesperç Defunctorum cũ primo Nocturno, & Laudibus; non tamen dicitur Missa Principalis post Primam, sicut in prima die cuiusque mensis non impedita; in Missis tamen priuatis, quæ celebrantur de feria, secũda Oratio, vel penultima erit *Fidelium*.

Rub. gene. Miss V. 2.

De Dominicis secunda, & tertia Aduentus. Cap. III.

1 *Quomodo celebrandum Officium.*
2 *Ordo, quò Romæ in Palatio Apostolico celebratur.*
3 *Solemnitas tertia Dominica.*
4 *Antiqua consuetudo Capellæ Papalis in hac die.*
5 *Habitus Cardinalium in hac die.*
6 *Antiphonæ maiores dicendæ à 17. Decembris, & deinceps.*
7 *In ferijs quatuor Temporum quare Orationes multiplicentur.*

1 CVm Officium harum Dominicarum iuxta Rubricas, sit secundæ classis, festum duplex in eis occurrens transfertur in primam diem non impeditam, festo duplici, vel semiduplici; quòd si in eis occurrat festum Patroni, vel Titularis, aut Dedicationis Ecclesię, Officiũ celebrabitur de eo solemni ritu, prout proprio loco dictum est, cum Cõmemoratione Dominicç ad Laudes, & Vesperas, cuius Homilia legitur ad Matutinum loco nonæ Lectionis, & in Missa pariter secunda Oratio erit de Dominica, cuius Euangelium legitur in fine.

Rub. gene Bre. X. 1.

2 In Palatio Apostolico celebratur hac die ab aliquo ex Episcopis assistentibus Domini Papç eodem modo, & ordine, quo in pręcedenti Dominica coram ipso Pontifice, qui assistit Pluuiali rubeo indutus, & Domini Cardinales cũ vestibus, & Cappis violaceis, & fit sermo per Procuratorẽ Ord. S. Francisci Conuentualium.

Cęrem. Ro. lib. 2. c. 5.

3 Officiũ tertię Dominicç solemniter, ac lętitiæ signis adhibitis celebrari consueuit: vnde & Altaris ornatus erit solẽnior, & inter candelabra apponi debent vascula cum floribus, atq; etiã, vbi habẽtur, Sanctorũ Imagines, vel Reliquię; Ministri quoq; Altaris nequaquã vt in præcedentibus Dominicis Planetis plicatis, sed Dalmatica, atq; Tunicella lætitię indumẽtis vtũtur, quod etiã obseruatur, dũ infra hebdomadã eadẽ Missa repetitur.

Cærem. Rom li. 2 c. 6.

Rub. gene mis. XIX 6.

4 Olim præsens hæc dies adeo celebris habebatur, vt Romæ in Palatio Apostolico ipsemet Pontifex Missam solemniter celebrare consueuerit, præcedentibus Vesperis Papalibus, prout in solemnioribus.

Cærem. Rom li. 2 c. 6.

5 Hodie celebratur coram Sanctissimo per Presbyterum Cardinalem, & Domini Cardinales vtuntur vestibus coloris rosæ siccæ, quas tota hac die deferunt, cum Mantelletto, & Mozzeta eiusdem coloris. Ad Missam deferunt Cappam violaceam de Camellotto, & fit sermo per Procuratorem Ordinis Heremitarum S. Augustini.

6 Infra hanc hebdomadam à die 17. Decembris, & deinceps vsq; ad Vigiliam Natiuitatis ad Vesperas ad *Magnificat* antea, & postea sicut in duplicibus dicuntur Antiphonæ maiores, quòd si

occurrat festum, dicuntur post Orationem festi pro commemoratione Aduentus. Et vt ait Amalarius, septenario dierum numero ante Vigiliā Natalis Domini renouantur Antiphonæ ob memoriā septiformis spiritus, cuius opus est Conceptio, & Partus S. Mariæ Virginis.

Amalar. de ord. Anti. c. 12.

7 Pariter, vt notat Micrologus ieiunium hyemale, sicut Sancti Patres instituerunt, infra hanc hebdomadā celebratur cum peculiaribus Officiis ratione præcipuè Ordinandorum; nam his tēporibus Ordines cōferri consueuerunt; pro ordinandis namque ieiunia, & orationes indicebantur.

De solemni celebratione nouem dierum Natalem Domini præcedentium. Cap. IV.

1 *Dies Natalem Domini præcedentes cur particularibus Officijs celebrentur.*
2 *Altaris ornamentum pro celebratione Nouena.*
3 *Campanarum sonus ad Vesperas.*
4 *Celebrantis, ac Ministrorum paramenta qualia.*
5 *Ordo procedendi ad Vesperas.*
6 *Ordo exponendi Sanctissimum Sacramentum.*
7 *Ordo incensandi Sanctissimum Sacramentum cum exponitur.*
8 *Vesperarum celebratio.*
9 *Ordo assistendi ad Orationem.*
10 *Sermo quomodo habendus.*
11 *Ordo procedendi pro reponendo Sāctissimo Sacramento.*
12 *Ordo incensandi Sanctiss. Sacramentum, antequam reponatur.*
13 *Ordo benedicendi populum cum Sanctissimo Sacramento.*
14 *Ordo terminandi exercitium horum dierum.*

1 ANnuatim, vt notat Micrologus, octo Natalē Domini præcedentes dies peculiaribus Officijs celebrātur, quam vetustissimam Ecclesiæ consuetudinem à sacris mysteriis alienam nullo modo credi oportet; in ipsa namque expectationem partus B. Virginis denotari aliquibus placuit, nec nō nouem mensiū spatium; quo in sacro Virginis vtero Incarnatum Dei Verbum mansit; vnde & in plerisque Ecclesiis nouem dierum sacra hæc solemnitas celebratur, cuius initia omissis aliis in Cōcilio Toletano X. sub Vitaliano Papa celebrato anno 694. non obscuris verbis reperiuntur; progressus verò Toletanæ Ecclesiæ satis celebri consuetudine roborantur Sācti Ildephōsi Archiepiscopi auctoritate firmari, & in vniuersa Hispania vsu laudabiliter ab omnibus recepti; immo & in plerisque Italiæ locis eadē fere cōsuetudo paucis mutatis pro locorum ratione hodie viget, vt nouē Natalis Domini præcedentes dies in memoriam nouem mensium, quibus Beata Dei Genitrix Dominum portauit in vtero, solemniter celebrentur, qua erga Virginem Matrem, eiusque Filiū pro nobis Incarnatum, populorum pietate vberes excipiuntur fructus, & ad Domini Natalem dignè celebrandum satis laudabiliter fidelium mentes disponuntur.

Micr. de Eccl. ob ser. c. 33.

Concil. Tol. X.

Cōsuet. Cleric. Regul. Theat.

2 Vt igitur suo ordine cuncta disponantur, vbi talis laudabilis viget consuetudo, ornetur Altare, sicut fit in Oratione quadraginta Horarum, in cuius medio satis congruè Virginis Matris Imago ita accommodetur, ne Sanctissimi Sacramenti locum, dum exponitur, impediat.

Sup. li. 1 sec. 2. c. num. 2.

3 Omnibus bene dispositis, pulsantur campanę armonico sono circa horam Vesperarum, & dato primo signo post aliquod temporis interuallum accedūtur cerei in Altari, & supra parietes.

4 Celebrans interea in Sacristia sacris induitur vestibus coloris Officio currenti conueniēris, duo Sacerdotes ei, dum exponi-

ponitur Sanctissimum Sacramentum, assistunt, Pluuialibus induti, vel saltem supra superpelliceum Stolas eiusdem coloris habentes.

5 Ad Altare, dum datur tertium, & vltimum signum, proceditur hoc ordine; præcedit Thuriferarius thuribulum cum prunis accensis deferens, a sinistris habens Acolythum, post eos sequuntur Ceroferarii cum cãdelabris, & cereis accensis, deinde duo Sacerdotes assistentes iunctis manibus ante pectus, & vltimus omnium Celebrans capite coopetto, ac manibus pariter iunctis.

6 Ad Altare peruenientes genuflectunt omnes, quilibet loco sui ordinis, more consueto; ipse verò celebrans detecto capite in infimo gradu Altaris genuflexus aliquantisper orat; interim Assistens à dextris Altare ascendens cum debitis reuerentiis sacram Hostiam ex Tabernaculo extrahens in Ostensorio in medio Altaris collocat, iterumque adorato Sacramento ad celebrantem descẽdit; cessabit tunc campanarum sonus, sed tanguntur Organa, & dum incensum imponitur, ac Sanctissimum Sacramentũ thurificatur, aliquid deuotè cantatur.

7 Celebrans exposito, & adorato Sacramento, Assistentibus sibi ministrantibus imponit incensum nihil dicens, neque benedicens, vtroq; genuflexus, ministrato sibi thuribulo à primo Assistente sine osculis, facta prius, & postea profunda reuerentia Sanctiss. Sacram. ipsum ter du cens thuribulũ grauiter, ac morosè incẽsat; redditoq; thuribulo eidẽ primo Assistenti, qui sine osculis ipsum accipit, ac porrigit Thuriferario, procedit in Chorũ præcedentibus Acolythis, & reliquis ordine quo venerant.

Su li. 1. sect. 5. c.8. 8 Organorũ cessante sono, Celebrans stans in primo loco Chori inchoabit Vesperas, quæ cãtãtur, prout in diebus so-

Sup li.1. sect.1.c. 1. nu. 3. & 4. lemnibus; & ad *Magnificat* incensatur Sanctiss. Sacramentum, & Altare modo suo loco præscripto.

9 Sacerdotes per vices superpelliceo, ac Stola alba induti assistunt, sicut dictũ est de Oratione quadraginta Horarũ; & interim tanguntur Organa, & Cantores modulatis vocibus, quibus fidelium mẽtes eleuentur, piè, ac deuotè cantabunt. Sup.li. 3 sect.1.c. 7.nu 7.

10 Hora congrua Concionator Stola alba supra superpelliceum indutus, detecto capite sermonem habens, meditanda de sacro mysterio astãtibus deuotè proponet. Sit autem sermo grauis, breuis, ac piis aspersus affectibus; & sic Orationi astantibus reliquum diei tempus decurrat, antiquorum sequentes vestigia, qui olim ieiuniorum solemnium diebus in Ecclesia vsque ad Solis occasum orationibus instabant. Su. li.1. sec.1. c. 6. nu.7. & c 7. nu.12.

11 Circa Solis occasum antequã fidelium conuẽtus dissoluatur, dato signo Celebrãs sacris induitur vestibus albi coloris, cui assistunt duo Sacerdotes cum Pluuialibus eiusdem coloris, vel saltem Stolis albis supra superpelliceum, & recedentibus, qui ad Orationẽ assistebant, omnes ex Clero per ordinẽ, primò iuniores, deinde seniores bini ante Presbyterũ, Sanctiss. Sacram. in medio plani vtroque genu adorato, hinc inde procedunt. Chorumq; circumcirca per gyrum perficiunt. Post omnes de Clero, præcedente Thuriferario cũ Acolytho sequuntur Assistentes, & vltimus omnium Celebrans, qui facta prius vtroq; genu Sanctiss. Sacramẽto reuerentia suo ordine genuflectunt; Celebrans quidẽ in infimo gradu Altaris, Assistẽtes infra gradũ à lateribus eius hinc inde; post eos pariter genuflexi stant Thuriferarij cũ Acolytho. Accedunt postremò designati Cantores, qui si sint dicendæ Litanię B. Virg. eas intonabunt, Choro prosequente, & in fine Celebrans intonat Antiphonam, & dicit Orationes consuetas, non tamen dicitur Versus *Diuinum auxilium*, &c. Cõsuet. Cleric. Regul. Theat.

12 Cantatis Litanijs pulsantur cãpanæ, & Celebrans cũ Assistentibus surgit, & cõuertẽs se aliquantulũ à latere Euãgelij, ne terga vertat Sacramẽto imponit incẽsũ sine benedictione, & illud incẽsat; Rit. Ro. titul. de process.

Choro interim canente; *Tantum ergo Sacramentum*; deinde Cantores subdūt Versus *Panem de cælo*,&c. ipse verò celebrans surgens, dicit Orationem, *Deus qui nobis*, qua completa benedicit populo cum Sanctissimo Sacramento, modo suo loco prescripto. Sup.li.1. sect. 10.

13 Ad benedictionem celebrāti cum Ministris ascendenti super Altare primus Assistens Sacramentum porrigit, posteriore ostensorii parte illi conuersa, ita vt ipsum à tergo accipiens, sacrę Hostiæ imago astantes respiciat; celebrans verò genuflexo Sacramentum de manu Assistentis accipiens, qui & ipse genuflectit, vertensque se in medium facie con uersa ad populum Assistentibus hinc in de Pluuiali fimbrias eleuantibus cum ipso benedicit omnes, modo suo loco prescripto; deinde ad latus Epistolæ se conuertens quasi perficiendo circulum, ipsum deinde Sacramentū primo Assistēti porrigit, qui prius genuflexo illud adorat, mox acceptum tenet, donec celebrās adoret, qui facta Sacramento reuerentia ab Altari descendens aduertere debet, ne terga vertat Sacramento, & ante in fimum gradum genuflectit; primus verò assistens cum debitis reuerentiis sacram Hostiam intra Ciborium reponit. Sup.li.2. sect. 10. c.2.n.x.

14 Tunc cessante sono cāpanarum, si instet hora, dabitur signum Salutationis Angelicę, postmodum silentio omnes recedūt per ordinē; Acolythi verò cereos in Altari extinguūt, & reliqua disponunt; interim Sacerdotes deputati in Ecclesia inuigilent, ne tumultus, neque confusio oriatur, sed omnes qua decet modestia, deuotè, ac silentio recedant.

De Dominica quarta Aduentus, & Vigilia Natiuitatis Domini. Cap.V.

1 *Antiquum Officium huius Dominicæ.*
2 *Occurrente Vigilia Natiuitatis Domini die Dominico quomodo ordinandum Officium.*
3 *Obseruanda in Palatio Apostolico.*
4 *Antiqua, & noua consuetudo in Palatio Apostolico occurrente Vigilia die Dominico.*
5 *Præparanda pro celebratione Natalis Domini ante Vigiliam.*
6 *Officium Primæ quomodo celebrandum.*
7 *Cantaturus Martyrologium quomodo procedat.*
8 *Lectio Martyrologij quomodo cantanda.*
9 *Modus recedendi, & quomodo reliqua prosequenda.*
10 *Reliqua Horæ quomodo cantari debeant.*

1 Olim hęc Dominica dicebatur Dominica vacans; nam Officium Sabbati, quod nocturnis Vigilijs celebrari consueuerat, protrahebatur vsque ad mane diei Dominicę; ita enim Prophetias, quas legebant, & reliqua diuina Officia distribuebant, vt Ordines in die Dominico conferrentur, vnde idem Officium erat Sabbati, atque Dominicæ, modò verò cum non habeantur ex antiquis Patribus distincta Officia, vsu factum est, vt idem Officium repetatur, sicut & in Liturgico Officio Missæ repetuntur Introitus, Graduale, Offertorium, & Communio ex quarta feria Quatuor Temporum. Microl. de Eccl. ob seru. c.29.

2 Si Vigilia Natalis Domini occurrat in hac Dominica, tunc ad Matutinum Inuitatorium erit *Hodie scietis*, prout in Vigilia, Psalmi verò, Antiphonę cum Lectionibus primi, & secundi Nocturni cum suis Responsoriis erunt de Dominica, nec legitur Homilia eiusdem Dominicæ, sed tantùm de ea fit Cōmemoratio ad Laudes, & Missam, in qua non legitur Euāgelium Dominicę in fine, quia pridie fuit in Ecclesia recitatum: Post Graduale dicitur ℣. cum *Alleluia*; post Euangelium dicitur *Credo*, & Ministri vtuntur Dalmatica, & Tunicella. Ro. par. Breu.

Cærem. Ro.li.2. c.8.

3 Romæ in Palatio Apostolico celebratur hæc Dominica, sicut,& præcedentes ab aliquo ex Episcopis Assistentibus, & fit sermo per Procuratorem Ordinis B.Mariæ de Carmelo.

4 Quòd si Vigilia Natalis Domini venerit in hac Dominica, hodie non celebratur; olim tamen consueuerunt Romani Pontifices in Capella, sicut & in reliquis Dominicis interesse, non tamen Domini Cardinales accedebant ad reuerentiam,quia ad Vesperas erant illam præstaturi; nam semel tantum eadem die à Cardinalibus fit reuerentia Pontifici.

Rupert. Abbas.

5 Ipsum Vigiliæ nomen, vt notat Rupertus Abbas,nos excitat,vt vigilanter huius diei mysteria attendamus, & sicut olim ex vetustissima consuetudine in ipso quoque Hebræorum populo, Diuina ordinatione ante solemnes celebritates Paschæ opportuno tempore in ipsa Parasceue necessaria præparabantur; ita in populo Christiano inter Ecclesiasticos tempore gratiæ satis congruit, vt celebraturi Dominicę Natiuitatis solemniem festiuitatem,quę inter celeberrimas solemnitates præcipuum obtinet locum, vigilanter singula præuidendo, quæ necessaria sunt,opportunè disponantur. Sacra itaque suppellex pro Diuinis Officijs celebrandis concinnè aptetur; linteamina item tum Altarium,tum Ministrorum omnia, &,singula nitida, ac munda parentur; cerei integri, auroque illiti tàm super Altare, quàm supra cancellos apponendi in promptu habeantur; Thymiamateria cum aromatibus præparentur; Vasa omnia Ecclesiastica, puta Calices, Candelabra, Thuribula, & cętera huiusmodi siue argentea, siue ex auricalcho expoliantur; Ecclesiæ parietes, laquearia, fernices, cancelli, pauimentum, necnon marmorei gradus, omnesq; ac singulæ Ecclesiæ partes discusso puluere, abstersisque maculis, si quas fortè contraxerint, amotisque aranearum telis expurgentur,vt interius, exteriusque mundata omnia purè, ac mundè tantæ solemnitati, vt decet, respondeant;Ecclesia tota,vel saltem maioris Altaris Tribuna,vt proprio loco de celebratione festorum dictum est,aulæis, sericeisque pannis ornetur; ante Altare iam solemnioribus paramentis ornatum pallio lum coloris violacei exemptile aciculis aptetur, post horam Missatum omnibus Vigiliæ Officijs, ac Missis celebratis tandem amouendum.

Sup.li.2. sect. 5. c.1.n.5.

6 Officium Primæ solemniter celebrabitur à Superiore, cum in eo Martyrologium sit cantandum, in quo Natiuitas Saluatoris annunciatur.

Direct. Chori.

7 Sacerdos cantaturus Martyrologium,dum dicuntur Versus post Capitulum,indutus Amictu, Stola, ac Pluuiali violaceis supra superpelliceum procedit ad locum in medio Chori,vel ante Altare, vbi cantari debet Martyrologium, præcedentibus Thuriferario cum thuribulo cum prunis accensis, & Acolytho cum nauicula, nec non Ceroferarijs cum cereis accensis; ad locum verò perueniēs facta Altari reuerentia, dū dicitur Oratio *Domine Deus omnipotens*, ministrantibus Acolythis, imponit thus in rhuribulum, quod dum fit, dicet Thuriferarius *Iube Domne benedicere*, ipse verò subdet *Ab illo benedicaris,in cuius honore cremaberis*; ac ter imponens incensum,format signū Crucis supra thuribulum;quo deinde accepto ter librū incensat, interim Acolytho eleuante fimbriam Pluuialis à dextris,ne impediatur, postea Thuriferarius cum Acolytho post eum stat vsque in finem.

8 Ipse verò dicto in Choro *Deo gratias*,& omnibus stantibus detecto capite, incipit Lectionem Martyrologii, in qua neque se ipsum, neque librum signabit, sed tono competenti primò pronunciabit Kalendas, deinde prosequēdo lectionem ad Versum *In Bethleem Iuda nascitur*,&c.eleuabit vocē,& cū subditur *Factus Homo*,omnes genuflectunt,exceptis Ceroferariis,qui semper stāt immobiles.

Postea altiori, ac solemniori tono, qui dicitur Passionis subdet *NATIVITAS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI SECVNDVM CARNEM*.

9 His peractis cum debitis reuerentijs cum Acolythis, ac Ceroferarijs eodem ordine, quo venerat, reuertitur in Sacristiam, ibique paramenta deponit; in Choro verò astantes omnes ad reliquam Lectionem, quam Cantor more solito cantabit, recto capite sedebunt.

10 Et quia hac die tardiùs ob populi commoditatem celebratur Prima, immediatè post cantantur reliquę Horæ; ac tandem post Nonam Missa solemnis, ratione diei, quæ præcipua est; Missa erit de tempore, & omninò de Vigilia, quę ieiunatur, nisi fortè occurrat die Dominico; nam tunc dici debet post Tertiam.

SECTIO SECVNDA.

De Tempore Natalis Domini vsque ad Epiphaniam.

De Officio Noctis Natalis Domini in Ecclesijs Collegiatis.

1 *Antiqua cōsuetudo solemniter celebrandi Noctem Natalis Domini.*
2 *Cur Missa hac Nocte singulariter celebretur.*
3 *Hora celebrandi Officium huius Noctis.*
4 *Vbi est consuetudo celebrandi in sero Vigiliæ Natalis Domini, quid obseruandum.*
5 *In Cathedralibus hac Nocte prius celebrandum, deinde in alijs Ecclesijs.*
6 *Hora congrua celebrandi in Collegiatis.*
7 *Celebrans vbi accipiat paramenta.*
8 *Matutinum quomodo celebrandum.*
9 *Præparanda ab Acolythis supra credentiam pro Missa solemni.*
10 *Post Hymnum Te Deum Oratio dicenda.*
11 *In Missa solemni ad Hymnum Gloria in excelsis pulsanda campana.*
12 *Lumen celebranti ministrandum.*
13 *Infra actionem huius Missæ habet aliquod peculiare.*
14 *Purificatio non assumenda.*
15 *Post Missam cum dicendæ sint Laudes, nemo discedere debet.*
16 *Secunda Missa in Aurora quomodo celebranda.*

1 Qvàm olim venerabilis fuerit sacrosācta Natalis Domini Nox, quamq; solemni ritu prisci fideles eā celebrauerint, fusiùs Patres docent, præcipuè D. Augustinus, qui contra malè eam custodientes acriùs inuehitur in Epistola, quam scripsit Xantippo Numidiæ Episcopo. D. Aug. ep. 236.

2 Singulariter in hac sacra nocte ex antiqua traditione media nocte Missæ sacrificium celebratur; tunc enim dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, de Virgine Maria nasci dignatus est Saluator noster, ignorantiæ videlicet tenebris finem imponens, & scientiæ Dei luci initium dans; vel etiam, vt Amalarius ait, Missam, quam in hac nocte celebramus, Telesphorus Papa, qui sedit anno 142. instituit; prout in gestis Episcopalibus scriptum est, propter recordationem Angelorum, qui hac nocte *Gloria in excelsis Deo* cecinerant. Sap. 18. 14. Albin. Flacc. li. de diui. off. c. 1. Ama. de Eccl. off. li. 3. c. 41 c. nocte sācta de cōs dist. 1. Ex epi. Telesph. Papæ.

3 Officium huius noctis, quod solemnissimum esse debet, licet pro locorum consuetudine diuersis horis celebretur, omninò tamen non nisi post mediam noctem Missæ sacrificium celebrari debet; spectat enim ad diem Natalis Domini; dies autem naturalis à media nocte incipit, & ideò cum iuxta Sacros Canones, non nisi ante mediam noctem celebrare liceat, aduertant oportet, ne ante septimam noctis horam Missa celebretur.

4 In illis autem Ecclesijs, in quibus siuè ex consuetudine, siuè ex speciali Se-

dis

Cõsuet. Eccl. S. Marci Venet. dis Apostolicæ priuilegio, vt fertur de Ecclesia Sancti Marci Venetijs, in qua sero, hoc est in ipsis crepusculis Vigiliæ incipiunt Officia, prout ex ordine Romano olim in Ecclesia Sancti Petri consueuisse legimus, obseruare oportet, quòd illa Missa, quæ ante mediam noctem celebratur, non quidem ad diem Natalis Domini, quæ à media nocte incipit, sed potius ad præcedentem diem spectare videtur, & ideo celebrans debet esse ieiunus à media nocte præcedentis diei, prout in Praxi obseruari dicũ, quòd si in sequenti die celebrare voluerit, aduertere debet, vt post Missam nõ nisi ante mediam noctem cibum sumat.

5 Vt plurimum laudabilis est cõsuetudo illarum Ecclesiarum, in quibus Diuina Officia huius noctis in Cathedrali, & Matrice Ecclesia ita disponuntur, vt Missa celebretur hora septima noctis cũ dimidio, instante iam media nocte, prout fit Romæ in Capella Papali, completisq; Vigilijs in Cathedrali, ac Matrice Ecclesia, in alijs incipiant Matutinalia Officia, ita vt tota hæc sacra Nox Diuinis laudibus impendatur. Cõsuet. Capellæ Papalis.

Cõsuet. Cleric. Regul. Theat. 6 In Ecclesijs itaque Collegiatis tàm Secularium, quàm Regularium, decet, nisi aliter loci consuetudo requirat, vt hora septima noctis detur primum signũ campanarum, & tunc accensis vndique in Ecclesia luminibus aperiantur fores, vasa cum prunis accensis diuersis Ecclesię partibus, prout res postulauerit, distribuantur; & omnibus ad Ecclesiam conuenientibus accendantur luminaria in Choro, & in Sacristia.

Cõsuet. Cleric. Regul. Theat. 7 Dato deinde secundo signo, omnibus superpelliceis indutis, celebrans induitur, & ipse in Sacristia paramentis albis, videlicet, Amictu, Alba, Cingulo, Stola, ac Pluuiali; In Altari, ac supra parietes, seu cancellos accenduntur luminaria, & more solito proceditur in Chorũ, præcedentibus Ceroferarijs cum cereis accensis, interim datur tertium, & vltimũ signum campanarum ad Diuina Officia inchoanda.

8 Matutinum solemniter celebratur, prout dictum est suo loco de Matutinis solemnibus; post quemlibet Nocturnum pulsantur campanæ pro Missa solemni; & dum dicitur Hymnus *Te Deum laudamus*, Ministri in Sacristia accipiunt paramenta sui ordinis. Sup. li. 2. sect. 5.

9 Acolythi in Altari disponunt omnia pro Missa, videlicet Calicem, Missalia, Ampullas, Velum, Tabellam secretorum, ac instrumentum, quod Bugia dicitur cum candelula; præuideant etiam, vt supra credentiam sit vasculum pro purificatione; Celebrans verò in Choro, circa finem Hymni accedentibus Ceroferarijs, dicit Orationem, post quam repetito Versu *Dominus vobiscum*, dictoque à Cantoribus *Benedicamus Domino*, accedunt Ministri parati, & ipsum adiuuãt, qui deposito Pluuiali accipit Casulam cum Manipulo.

10 Hac nocte singulariter post Orationem dicto *Benedicamus Domino*, non dicitur *Fidelium animæ*, quia immediatè post dicitur Missa; extra tamen Chorum si Matutinum à Laudibus distinguatur, & ibi terminetur Officiũ, dici debet Oratio, & in fine *Dominus vobiscum*, *Benedicamus Domino*, *Fidelium animæ*, & *Pater noster*. Petr de Ruyz part. 4. pa. 334

11 Post Orationem proceditur ad Missam solemnem more solito, in qua singulariter hac nocte dum cantatur Hymnus Angelicus *Gloria in excelsis Deo*, pulsantur campanę maiores, ac minores omnes, quę sunt per Ecclesiam, in signum lætitię, vt notat Telesphorus Papa; quia hac nocte ab Angelis primò Hymnus iste lętanter compositus, atq; cantatus fuit, Christique Domini Natiuitas Pastoribus nunciata. Telesph. epi. decr. 1. c. nocte sanct de cons. distin. 1.

12 Dum celebrans dicit Orationem, ministratur lumen per Acolythum candela accensa in instrumento, quod dicitur Bugia, quę semper noctis tempore, dum aliquid ex libro legit, adhiberi debet.

13 In-

13 Infra actionem in hac Missa noctis memoriam, quā Saluator nasci dignatus est, expressè commemorat, vnde & singulariter in hac prima Missa dicitur *Communicantes, & noctem sacratissimam celebrantes*, &c. etiam si de die dicatur, ratione mysterij, quod per ipsam repræsentatur.

Cōsuet. Cleric. Regul. Theat. 14 Assumpto sanguine non sumitur purificatio, sed in vase argenteo seu crystallino ad id præparato à Subdiacono, tàm vinum purificationis, quàm digitorum ablutio reponitur assumenda post tertiam Missam, eodem Subdiacono ipsam ministrante.

Micr. de Eccl ob ser c.34. 15 In fine huius primæ Missę, vt notat Micrologus, non consueuerunt olim Patres dicere, *Ite Missa est*, ne populo quasi discedendi licentia daretur, sed dicebant *Benedicamus Domino*, quia & populus ad Laudes immediatè post celebrandas Orationi instando deuotus assistere debebat; & ideò, vt ipse notat, post Missam pulsabantur campanæ, & statim inchoabatur officium Laudum: Modò dicitur *Ite Missa est*, sicut & in reliquis; decet tamen, vt fideles non discedant, sed more antiquo etiam ad Laudes assistant perseuerantes in Orationibus, & in fine Laudum more solito datur signum salutationis Angelicę.

Cōsuet. Cleric. Regul. Theat. 16 Antequam illucescat Aurora circa horam 13. dato signo campanarum cantatur Prima in Choro, deinde dicitur secunda Missa solemnis, in qua fit commemoratio Sanctæ Anastasiæ, & est ex speciali prærogatiua, & antiqua consuetudine; in fine non assumitur purificatio, sed omnia fiunt, vt supra; & communicantes tamen non dicitur *Noctem*, sed *diem celebrantes*.

De Matutinis, & Missa ab Episcopo in Nocte Natalis Domini celebrandis.
Cap. II.

1 *Præparanda pro Episcopo celebraturo.*
2 *Matutinum quomodo celebrandum.*
3 *Episcopus quando, & quomodo Sandalia accipiat.*
4 *Quando, & quomodo sacris induatur.*
5 *Hymnus Te Deum morosè cantandus.*
6 *Oratio quomodò dicenda.*
7 *Ad Symbolum in Missa genuflectendum.*
8 *Benedictio in fine Missæ danda.*
9 *Obseruanda Episcopo non celebrante, sed ad Missam assistente.*

1 EPiscopo celebraturo in Nocte Natalis Domini præparentur omnia paramenta super aliquam mensam loco congruo; insuper Pluuiale album ad Orationem, quæ dici debet in fine Nocturnorum, adhibendum; Ministrorum verò paramenta in Sacristia præparari debent. Cærem. Episc. li. 2. c. 14.

2 Episcopus cappa indutus Matutinum in suo Solio stans sine assistentibus inchoabit, & dum intonat Hymnum *Christe Redemptor omnium*, eleuat, & iungit manus, caput versus Altare inclinās; postea cum inchoantur Psalmi, omnes sedent. Octo Lectiones à Canonicis cantantur, Cæremoniario lumen ministrante; & dum Episcopus ante Lectiones dicit Absolutiones, ministratur liber, ac lumen à Capellanis, in reliquis omnia modo supra præscripto perficiuntur. Paris de Crass. li. 2. c. 37 Sup. li. 2. sect.

3 Dum cantantur per Clericum Psalmi tertij Nocturni, accedentibus scutiferis imponuntur Episcopo Caligæ, ac Sandalia; & interim assistentibus duobus Canonicis, Episcopus ex libro sibi ab vno ex Capellanis ministrato, & altero cum lumine, legit Antiphonam, *Ne reminiscaris*; cum Psalm. *Quàm dilecta*, &c. more solito, quibus lectis Canonici assistentes, ac reliqui ministri recedunt, Episcopus verò adhuc cum Cappa, surgens expletis Nocturnorum Psalmis, dicit Absolutionem *A vinculis*, &c. deinde cantat nonam Lectionem modo supra præscripto. Sup. li. 2. sect. 5. c. 11. n. 9

4 In-

4 Inchoato Hymno *Te Deum laudamus*, Episcopus descendens de sede in plano Solij Pontificalis deponit Cappã, lauat manus, & sacris induitur, præter Tunicella, Dalmatica, Chirotecis, & Annulo.

5 Episcopus Pluuiali indutus ad Sedem accedens expectat, donec finiatur Hymnus, qui cantatur, interposito Organo, quò cõmodè tàm Episcopus, quã Canonici quilibet paramentis sui Ordinis indui possint.

6 Completo Hymno accedentibus Ceroferariis, Episcopus conuersus ad populum dicit *Dominus vobiscum*, deinde versus Altare *Oremus* cum sua Oratione, ac dicto *Benedicamus Domino*, deposito Pluuiali accipit Tunicellam, Dalmaticam, Chirotecas, &c. ac procedit ad Missam more solito.

7 Ad Symbolum cum dicitur *Et incarnatus est*, ipse & omnes ac nocte; & in Missa maiori de die genuflectere debent vsque ad terram.

8 Episcopus in fine Missæ dat benedictionem; non tamen Indulgentias, quas daturus est in tertia Missa de die, quam omninò ipse cantare debet.

9 Si Episcopus non sit Missam celebraturus, omnia præparantur vt supra, non tamen Pontificalia paramenta, sed tantùm Pluuiale, ac Mitra, Canonici non induuntur, sed cum suo habitu Canonicali Episcopo assistunt: Celebraturus Missam, dum dicuntur Psalmi tertii Nocturni, cum suis Ministris in Sacristia induitur; Episcopus verò Pluuiali, ac Mitra indutus cantat Orationem, & Missæ assistit modo suo loco præscripto.

De Officio Noctis Natalis Domini in Capella Papali. Cap. III.

1 *Singularia huius Noctis in Palatio Apostolico.*
2 *Benedictio Ensis cum Galero.*
3 *Ordo procedendi ad Matutinum.*
4 *Ordo seruandus hac nocte in Missa.*
5 *Benedictio danda, non tamen Indulgentia.*

1 ROmæ in Palatio Apostolico Officium huius sacratissimæ Noctis solemniter celebratur ante mediam noctem, ita vt Missæ sacrificium perficiatur, instante media nocte, & circa quartam horam noctis inchoari ibi solent solemnia huius noctis Officia, hoc ordine.

2 Primum omnium consueuerunt Romani Pontifices hac nocte procedere ad Cameram paramentorum, vbi Apostolicus indutus Amictu, Alba, Cingulo, & Stola, benedicit Ensem cum Capello Ducali, ornato Margaritis, quem ad aliquem magnum Principem postea transmittere solet, atque etiam si adesset, date, dum autem benedicitur, ipsum tenet Clericus Cameræ, assistentibus interim Dominis Cardinalibus Cappis rubeis indutis. Cærem. Rom li. 1.c.6.

3 Benedicto Ense, Pontifex assumit Cappam sericeam de cremesino, qua singulariter in hac nocte vtitur, & procedit ad Capellam hoc ordine, præcedit omnes Clericus Cameræ Ensem cum Galero præferens, post ipsum sequitur Subdiaconus Apostolicus Crucem deferens, post Crucem præcedendo omnes immediatè Summus Pontifex, cum non vtatur Mitra, incedit, quem sequuntur Domini Cardinales primò Episcopi, deinde Presbyteri, postremò Diaconi omnes per ordinem; post Cardinales Prælati cum suis Cappis, & facta Oratione simul recedunt ad loca sui Ordinis, & Pontifex in sede sua stans inchoabit Matutinum, in quo ipsemet dicet Absolutiones, & Benedictiones. Lectiones cantantur à Cardinalibus; vltimam verò dicit Pontifex in sua sede stans detecto capite, qui & versus Altare dicit *Iube Domine benedicere*, sed nullo benedicente Cantores respondent *Amen*; assistunt Presbyter Cardinalis, & duo Episcopi

alter

alter cum libro, alter cum lumine, & Acolythi stant more solito ante gradus vsque in finem. Interim Ministri pro Missa celebranda loco congruo se induunt, & dicta Lectione, dum dicitur Hymnus *Te Deum laudamus*, Presbyter Cardinalis celebraturus ad Altare in faldistorio consueto, astantibus Ministris cum suis Capellanis, accipit paramenta. In fine Hymni Pontifex in sede sua stans detecto capite, astantibus ceroferariis, dicit Orationem, qua dicta deponit Cappam, & induitur Pluuiali albo; & Mitra ei imponitur.

Cærem. Ro li. 2. c. 11. 4 Missa huius noctis solemniter à Presbytero Cardinali celebratur; regulariter modò cantari solet à D. Cardinali S.R.E. Camerario; in ipsa DD. Cardinales non accedunt ad reuerentiam Papę, quia illam sunt facturi in Missa maiori de die; fiunt tamen circuli, & reliqua omnia more solito.

5 Finita Missa Papa dat benedictionem, non tamen Indulgentias, quia dabit in Missa maiori, deinde recedit cum Cardinalibus, & Prælatis, præcedente Clerico Cameræ cum Ense, & Pileo, quem immediatè sequitur Subdiaconus deferens Crucem, sequuntur Officiales, Prælati, & Cardinales quilibet suo ordine, primò iuniores, deinde seniores, & vltimò tandem post omnes Papa, quia tunc est cum Mitra.

De Missis priuatis siue noctu, siue diu in festo Natalis Domini celebrandis. Cap. IV.

1 *Præparanda ab Acolythis pro Missis priuatis.*
2 *Missæ priuatæ qua hora in Nocte Natalis Domini possint celebrari.*
3 *Præparanda à Ministris pro Missis priuatis celebrandis.*
4 *Obseruanda à Ministris cum plures Missæ celebrantur.*
5 *Obseruāda à Sacerdotibus plures Missas celebraturis.*
6 *Modus procedenai ad alias Missas.*
7 *Obseruanda in tertia Missa.*
8 *Obseruanda si Missæ per aliquod temporis interstitium celebrentur.*
9 *Si vna tantùm Missa celebranda sit, quanam dici debeat.*

1 Cum ter hac die ex antiquissima Ecclesiæ Catholicę consuetudine Sacerdotes sint celebraturi; qui Hostiarum curam habebit, sufficientem earum numerum præparabit, satisque congruum erit, vbi commodè fieri potest, vt ad singula Altaria, in quibus plures celebraturi sunt Sacerdotes, Hostiariæ cum sufficienti Hostiarum numero pręparentur: vasculum argenteum, seu crystallinum, in quo purificatio primæ, & secundæ Missę reponi debet, ab eo, qui ampullas præparare solet, in quolibet Altari super credentiam apponatur; diligenterque Ministri inuigilent, ne in ampullis vinum, & aqua deficiat, obseruando, quæ circa hoc suo loco sunt adnotata. In Altari maiori, vbi præter solemnes Missas aliæ priuatę celebrātur sint duo vascula pro purificatione, alterum pro Missis solemnibus, alterum pro priuatis, quę diuersis locis inter se distincta collocari debent, ne confundantur. Cōfuet. Cleric. Regul. Theat. Sup. li. 1. sec. 3. c. 6 n. 6. & 7. Cōfuet. Cleric. Regul. Theat.

2 Circa horam, qua hac nocte celebrari possunt Missę priuatę, licet ab aliquibus vertatur in dubium, an scilicet pręter primam Missam possit aliç duæ Missę noctis tempore celebrari; communi tamen ferè omnium sententia sacratę huius Noctis priuilegio, qualibet hora post mediam noctem simpliciter, & absolutè celebrari posse vsu factum est; hoc enim singulariter hac sancta nocte Christi Natiuitate illuminata fidelibus fuit concessum, quò fideles piè, ac deuotè ad tantùm mysterium celebrandum detinerentur, & ideo cum indefinitè fuerit à Telesphoro Papa concessum, vt Missæ hac nocte celebrari possint, nullum in- Suar. 3. p. to. 3. de Sacr. disp 8. sect. 4. Cap. nocte sancta de consecr. dist. 1.

hoc

hoc erit Missarum discrimen, nisi in Missis solemnibus, quæ præfinita hora, ac tēpore ratione misterij, quòd continent, dici debent: In reliquis priuatis Missis nihil est, cur talis ordo seruetur; immo plura incommoda secum afferrent, essetque inordinatissimus ordo, si talis obseruanda esset distinctio temporis.

Cōstit. Cleric. Regul. Theat.

3 Ministri Missis priuatis inseruientes diligenter necessaria præparent, & post primam, & secundam Missam vasculum pro purificatione celebranti ad reponend ni in ipso purificationem, & in tertia Missa sumendam porrigant. Si celebrans rationabili ex causa ablutionem ipsam, & purificationem in vasculo custoditam assumere noluerit, vel non potuerit, tunc vel à ieiuno Ministro assumatur, vel in piscinam Sacrarii proiiciatur; & quia in ipsa tertia Missa vltimo loco dici debet Euangelium *Cum natus esset Iesus*, librum opportunè transferre satagant.

4 Post primam, & secundam Missam immediate à latere Euangelij genuflectant, vt respondeant, ac muneri suo in aliis Missis, quæ succedunt, satisfaciant. Si qui sunt communicandi, iis regulariter non nisi post tertiam Missam sacraministretur Eucharistia, ne & Sacerdos celebrans, & circumstantes turbentur.

D. Gregor. homil. 8. in Euang.

5 Quia largiente Dño, vt ait S. Gregor. Missarum solemnia ter hodie celebraturi sumus, si Sacerdotes post primã, & secundã Missam purificationem non debēt assumere, immediatè assumpto sangui ne digitos abluant, non in Calice sed in vasculo præparato, vt supra non enim decet supra sacras species ipsos abluere; & ideo nec Calicem Purificatorio, sed tantùm digitos cum ipso detergant, ac deinde superposita Patena cum Hostia Pallam apponant, & desuper velum; nec Corporale plicabunt, sed Calix erit dispositus, prout in principio Missæ.

6 Post primam, ac secundam Missam immediatè facta inclinatione Cruci in medio Altaris conuertens se à latere dextro descendant ante infimum gradum Altaris, & si in eo sit Sanctissimum Sacramentum genuflectant, sin minus profundè se inclinent, statimque incipientes Missam more solito prosequuntur.

7 In tertia Missa assumpto sanguine vinum purificationis vasculo sibi à Ministro porrecto intra Calicem infusum assument, digitos deinde abluent, & reliqua more solito prosequentur, & in fine legent Euangelium *Cum natus esset*, &c.

8 Si alicui ex rationabili causa aliquod temporis interuallum inter ipsas Missas interponere placuerit, tunc post quamlibet Missam vino Calicem purificabit, ipsumque purificationis vinum cũ digitorũ ablutione in vasculo refundet; Caliceque absterso Corporalibus more solito complicatis omnia aptabit, & in fine recedens dicet Antiphonam *Trium puerorum*, &c. cum Cantico *benedicite*.

9 Si quis mala valetudine, vel alia rationabili causa impeditus vnam tantùm Missam dicere vellet, licet quamlibet ex tribus hac die assignatis dicere posset, magis tamen decet, vt dicat tertiam, quæ est de die, rubricæque magis respondet, qua præcipitur, vt Missa, quoad fieri potest, cum Officio cõueniat; nam illius Oratio, Epistola, & reliqua Officio diei magis correspondere videntur: Et omnino licet, vt diximus, omnes tres Missæ huic diei assignatę, tam de die, quam noctu indifferēter quamlibet hora à media nocte vsque ad meridiem hac die dici possint; tamen quoad mysterium in prima Missa, quę à Sanctis Patribus tempore noctis fuit ordinata, noctis tempus repræsentatur, & ideo semper in ipsa siue diu, siue noctu dicatur, non solùm in Oratione; verùm & in infractionem expresè tempus noctis explicatur; secunda Auroræ designata illud reprǽsentat tempus, quacumque hora dicatur: tertia verò est propriè diei assignata.

De tertia Missa solemni in die Natalis Domini celebranda.
Cap. V.

1 *Hora celebrandi tertiam Missam solemnem huius diei.*
2 *Aspersio aquæ benedictæ, si in die Dominico Natalis occurrat, quando facienda.*
3 *Quomodo ad Euangelium genuflectendum.*
4 *Ad Symbolum singulariter genuflectendum.*
5 *Communio generalis in tertia Missa facienda.*
6 *Missa Papalis quomodo celebranda.*

1 HOra consueta Tertiarum circa decimamseptimam horam campanæ solemniter pulsantur, dictaque Tertia, prout in solemnioribus suis locis est adnotatum, proceditur ad tertiam Missam solemnem, quę maiori ornatu, pretiosioribusque paramentis à Superiore celebrari debet; nam hęc censetur, ac dicitur Missa maior huius diei.

2 Si dies Natalis Domini occurrat die Dominico, ante Missam solemnem, dicta Tertia, fit aspersio aquæ benedictę diei Dominico congrua.

Rub. gene. miss. XVII. 4. 3 Ad Euangelium cum dicitur *Et Verbum caro factum est*, omnes excepto Subdiacono, & Ceroferarijs genuflectūt; Diaconus quidem, qui Euangelium cantat, facie conuersa ad librum; reliqui verò omnes ad Altare conuersi, quod tunc tantùm seruādum est, cùm cantatur, vel legitur textus Euangelij, nō autem cum eadem verba ad Versus, vel ad Responsoria repetuntur.

Cærem. Episc. li. 2. c. 14. 4 Ad Symbolum dum dicitur *Et incarnatus est*, singulare est huius diei, sicut & in reliquis duabus Missis, vt Celebrans cum Ministris, vbi est consuetudo sedendi; non vt aliàs capite detecto incli nent, verùm genuflectant omnes etiam Canonici.

5 Communio Ministrorum, quę iuxta Concilium in Missa solemni fieri debet, decet, vt si fortè non sit facta in prima missa in nocte ratione Sacratissimæ noctis, vt alicubi maximè apud Religiosos viros piè fieri aliquando consueuit, fiat in hac tertia Missa, quę est de die. Cōc. Trid. sess. 23 c. 13.

6 Romę Summus Pontifex in Ecclesia Sancti Petri hanc tertiam Missam solemniter celebrare consueuit, cui DD. Cardinales, ac Prętati assistunt parati, quòd si Papa fuerit impeditus, cantabitur Missa apud S. Petrum à primo Episcoporum Cardinalium, & DD. Cardinales assistent cum Cappis rubeis. Præfertur etiam prout in prima Missa Pileus cū Ense. Cærem. Rom. li. 2. c. 4.

De festo Sanctorum Stephani, Ioannis, & Innocentium, nec non de Octaua Natiuitatis Domini. Cap. VI.

1 *Festum S. Stephani quomodo celebrandum.*
2 *Festum S. Stephani olim erat festū Diaconorum.*
3 *In Palatio Apostolico quomodo hac die celebretur.*
4 *Festum Sancti Ioannis quomodo celebrandum.*
5 *Ordo celebrandi in propria Ecclesia.*
6 *Presbyterorum festum.*
7 *Ordo celebrandi in Palatio Apostolico.*
8 *Festum SS. Innocentium antiquum, atque solemne.*
9 *Antiquissima consuetudo celebrandi festum Circumcisionis.*
10 *In Capella Papali quomodo hac die celebretur.*

1 FEstum Sācti Stephani licet in Rubricis non numeretur cum aliis in ordine classis; est tamen solemne, & extra ordinem, celebraturque ac si esset festum primæ classis tertii ordinis; hac enim die: & sequenti ea omnia obseruari debent, quę in festis primæ classis ter-

tij or-

tij ordinis sunt adnotata, eodemque pacto celebrantur ac duo sequentes dies festi Paschæ Resurrectionis, & Pentecostes: Ideo celebrabit aliquis ex dignioribus in paramentis rubeis, non tamen solemnioribus, nec etiã Altaris ornatus erit adeo pretiosus, vt in die Natalis Domini, nisi in propria Ecclesia, in qua celebrabit Superior eodem apparatu, parique solemnitate, ac in die præcedenti, iuxta regulas traditas circa celebrationem festi primę classis primi ordinis, cum cõmemoratione tamen Natalis Domini.

Ration. diu off. li. 1.c.41 num. 16. Baron. ann 84. num. 31.

2 Erat olim hoc festum, vt notat Episcopus Mimatensis, festũ Diaconorũ; ipsum enim, vt notat Baron. Patres Primicenũ Diaconorũ, atq; Archidiaconũ, & Protomartyrem dixerũt, quasi inter omnes Diaconos primatum gerentem.

Cærem. Rom. li. 2.c.14.

3 In Palatio Apostolico solemniter celebratur à Presbytero Cardinali, & Domini Cardinales assistunt cum Cappis rubeis, & fit sermo.

4 Festum quoq; S. Ioannis solẽne est, extra tamen ordinem classis; licet enim, quia Apostolus est, iuxta Rubricas duplicis Officij ritu secundæ classis celebrandum esset, quia tamen Natalis Domini festum sequitur, ipsumque vt sequentes Paschæ, & Pentecostes dies celebrem, & solemnem comitatur; ideo speciali ritu, sicut & dies Sancti Stephani solemniter ac si esset festum primæ classis tertij ordinis celebrari consueuit, specialia q;mq; generalibus præferuntur; nõ dicitur Pręfatio de Apostolis, neque proprias habet Antiphonas ad Vesperas, sed in ipsis Antiphonis, ac Psalmis de Natiuitate officiatur, & eadem ratione, vt notat Innocentius III. Vigiliam non habet eius festiuitas, vt reliqui Apostoli, quia Natalis Domini festum sequitur.

Cap. cõsilium de obser. ieiuniorũ.

5 In propria Ecclesia solemniter celebratur, vt suo loco dictum est de festo Patroni, cum cõmemoratione tamẽ Natiuitatis, quæ nunquam omittitur absque commemoratione Sancti Stephani.

6 Olim hoc festum Presbyterorum fuisse legitur, sicut pręcedẽs Diaconorũ.

7 In Palatio Apostolico solemniter celebratur, sicut & die præcedenti ab aliquo ex Presbyteris Cardinalibus in paramentis albis, fitque sermo, assistentibus Dominis Cardinalibus cum Cappis rubeis, quo habitu vti debent toto hoc triduo, videlicet die Natalis Domini, Sancti Stephani, ac S. Ioannis etiam extra Capellam, cum assistunt ad Missam, Vesperas, & Conciones.

Ratio 17.c.4 num. 1 Cærem Ro.li.1 c.15.

8 Sanctorum Innocentium festum olim inter solemnia recensebatur, prout ex peculiari Officio, & Octaua illi assignata Doctores colligunt; eratque vt notat Episcopus Mimatensis festum Scholariũ, seu etiam puerorum ratione innocentiæ Baptismalis. Hodie etiam celebre est, quia habet Octauam, propriumq; ritum extra tamen ordinem. In Officio omittitur Hymnus *Te Deum laudamus*, &c. & in Missa non dicitur *Gloria in excelsis Deo*, neq; *Alleluia* post Graduale, neque *Ite Missa est* in fine. Altaris, ac celebrantium paramenta erunt violacea; In propria Ecclesia celebrabitur, vt supradictũ est de festo Sancti Ioannis cum commemoratione Natalis Domini tantùm.

Ration. l.1.c.41 num. 16

9 Ex antiquissima traditione celeberrima semper Octaua dies Natalis Domini Nostri Iesu Christi fuisse legitur, primitijs Redẽptoris Nostri, prætiosissimi videlicet sanguinis pro nobis effusi singulariter consecrata, ac Circũcisionis eiusdẽ signaculo, dulcissimique nominis, quo ab Angelo, priusquã in vtero conciperetur, fuit vocatus, impositione decorata; celebraturque iuxta sacros Canones sub nomine Octauæ Natiu. Dñi, licet in cap. vlt. de ferijs sub nomine proprio Circũcisionis adnotetur. Spectat etiam dies hæc ad Virginẽ Matrẽ, & ideo, vt notat Albinus, antiquitus hac die duę Missę dicebãtur; altera de Circũcisione, altera de B. Virg. ita enim decet, ait Microlog. vt Matris, ac Filij cõmunes sint honores; vnde quod hac die in Ecclesia celebratur Officiũ, omnia ista mysteria continet, ipsaque

Cap 1. de consecr. dist. 3. c. vlt. de ferijs.

Albi. de diu. off. Micr. de Eccl. obser. c. 39.

Oratio pręcipuè, & Antiphonæ ad Virginem maximè spectant. Officium itaque solemniter celebratur, ac si esset festum primæ classis tertij ordinis, licet in tabula, quoad ordinationem Officii inter festa secūdę classis cōnumeretur. Celebrabit aliquis ex dignioribus, & ad secundas Vesperas, quæ solemniter celebrantur, nulla fit Octauarum Commemoratio, sed tantùm de Sancto Stephano.

10 In Capella Palatii Apostolici solemniter celebrātur huius festiuitatis Vesperæ solemnes pręcedentes ipsam diem; & mane Missa per Presbyterum Cardinalem, & fit sermo; & licet olim Episcopus Card. celebrare cōsueuerit; modò nō est in vsu. Iuramentum fidelitatis à nouis Officialibus Populi Romani, prout olim consueuit, nunc quoque ad pedes Sanctissimi hac ipsa die præstatur. Cærem. Ro. li. 2. c. 26.

SECTIO TERTIA.

De Festo Epiphaniæ, & tempore post ipsam vsque ad Septuagesimam.

De Festo Epiphaniæ. Cap. I.

1 *Antiquissima hæc festiuitas.*
2 *Singularia circa huius festiuitatis Inuitatorium obseruanda.*
3 *Quandò ad Euangelium genuflectendum.*
4 *Ordo pronunciandi festa mobilia.*
5 *Vsus baptizandi hac die non probatur.*
6 *Ordo celebrandi hac die in Palatio Apostolico.*

1 INter celeberrimas Ecclesiasticas solemnitates, antiquissima Religione, non solùm Canonicis, verùm etiam Imperialibus sanctionibus Epiphanię festum Natali Domini coniungitur, solemnique ritu inter Paschalia festa enumeratur, est enim phase idest transitus Domini à Iudęa ad gentes, ideo dicitur Epiphania, hoc est apparitio, seu manifestatio; ipso namq; die recolitur manifestatio Domini facta primò gentibus.

2 Habet huius diei Officium præter cōmunem ritum, quo cum aliis festis primę classis cōuenit, singulare aliquid obseruandum; nam in nocturnali Officio Inuitatorium hac die, vt moris est, non cantatur, sed Psalmus nonagesimus quartus, qui in principio matutini cum Inuitatorio cantari consueuit, non sine mysterio transfertur in tertium Nocturnum cum intercalari Antiphonæ repetitione, quæ Inuitatorii loco ponitur. Satis congruè in aliquibus Ecclesiis solemni cantu, in principio tertii Nocturni à Cātoribus ex vtraque parte Chori ad hoc designatis, alternatim cantantur Versus Psalmi; Antiphona verò semper à toto Choro repetitur.

3 In Missa, quæ solemniter à Superiore celebrari debet, dum in Euangelio cātatur *Et procidentes adorauerunt eum* omnes genuflectunt versus Altare conuersi; Diaconus verò conuersus ad librum etiam ipse genuflectit, Subdiacono, ac Ceroferariis tantùm stantibus, qui nunquam mouentur. Rub gene. Miss. XVII. 5.

4 Ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine hac die intra Missarum solemnia post Euangelium à Diacono in suggesto iuxta formam in Pōtificali Romano Cathedralibus Ecclesijs pręscriptam, festa mobilia populo denunciantur, hoc modo: *Noueritis fratres charissimi, quod annuente Dei misericordia, sicuti de Natiuitate Domini Nostri Iesu Christi gauisi sumus, ita & de resurrectione eiusdem Saluatoris nostri gaudiū vobis annunciamus. Die N. mensis N. erit Dominica in Septuagesima. Dies cinerum, & initium Ieiunij Sacratissimæ Quadragesimæ erit die N. mensis N. Die N. mensis N. Sanctum Pascha Domini nostri Iesu Christi cum gaudio celebrabitis. Die N. mensis N. erit Ascensio Domini nostri Iesu Christi. Festum Pentecostes erit die N. mensis N. Festū Sacratiss. Corporis Christi die N. mensis N. Die verò N. mensis N. erit Dominica prima* Ration. diu. off. l. 6. c. 16. nu. 17. Pōt. Ro. pa 3. tit. de publ. fest. mo. pa. 538.

Aduentus Domini nostri Iesu Christi, cui est honor, & gloria in secula sæculorum Amen. Semper addendo proprios dies, quibus eo anno talia festa celebrari contigerit.

5 Vsus, qui in aliquibus Ecclesijs habetur, vt hac die Baptismi fontes benedicantur, vel Cruces lauentur, qui & in Ritualibus olim Venetijs impressis habebatur, nullo modo probatur, cum eum nunquam Romana Ecclesia, quæ est omnium Ecclesiarum magistra, susceperit; immo Sanctus Leo Papa Primus eos, qui benedicentes fontes hac die Cathecumenos baptizabant, damnauit; decet enim vt talis benedictio iuxta Sanctorū traditionem in Sabbato sancto fiat; resurgens namque Dominus noster à mortuis pręcepit Apostolis, vt euntes in mūdum vniuersum docendo omnes gentes baptizarent eos, &c. Vnde & satis laudabiliter in derestationem erroris eorū, qui hac die baptizari debere fideles affirmabant, & ob reuerentiam Baptismi Christi, qui hac die recolitur, satis cōgruè absq; necessitate baptismū cōferre aliqui prohibuerunt; omni namq; studio superstitiosos ritus, talesque abusus vitare debemus.

Epist. Leo Papę Primi.

Ropert. Abb. de diu. off. lib. 3. c. 24.

6 Romæ solemniter celebrat huius diei Missam Episcopus Cardinalis in Ecclesia Sancti Petri, assistente Summo Pontifice cum paramentis albis, & Dominis Cardinalibus cum Cappis rubeis, & fit sermo per Procuratorem Ordinis Seruorum.

Cæream. Ro. li. 1. c. 37.

De Dominicis post Epiphaniam. Cap. II.

1 *Tempus post Epiphaniam quomodo computandum.*
2 *Si Septuagesima immediate sequatur Dominicam post Octauam Epiphaniæ, quid agendum.*
3 *Color paramentorum in hoc tempore qualis.*

1 Tempus post Epiphaniā sex Dominicis, quæ ad summum inter festum Epiphaniæ, & Septuagesimam occurrere possunt, connumeratur; cum enim Paschę solemnitas non semper eodem tempore celebrari contingat, rempus etiam ipsum, quod intercedit, non semper eodem modo cōputatur, vt propterea Dominicæ, quæ sequuntur, non plures quam sex incidere possint; & quia omnia Officia, & Euangelia, quę in Breuiario, ac Missali sunt assignata per anni circulum suo ordine in Ecclesia recitari debent, ideo cum tempus inter Epiphaniam, & Septuagesimā intercedens adeo breue sit, vt omnes sex Dominicę designatę suum locum obtinere non possint, tunc quę supersunt transferri debēt in illud tempus, quod est inter Pentecosten, & Aduentum Domini, ordine in Rubricis Breuiarij designato.

Rub. gene. Bre. IV. 4.

2 Quando Dominica Septuagesimæ venerit in prima Dominica post Octauā Epiphanię, tunc in primo Sabbato non impedito festo nouem Lectionum, alioquin prima die post Octauam fit Officiū de feria, in qua leguntur tres Lectiones de Homilia Dominicę secundę post Epiphaniam cum Responsorijs primi Nocturni, Antiphona ad Benedictus, & Oratione propria eiusdem Dominicę; & si Sabbatum fuerit impeditum festo semiduplici, tunc prima die post Octauā Epiphanię non impedita festo duplici fit Officium de Dominica secunda modo explicato, & festū semiduplex in ea occurrens transfertur in primam diem similiter nō impeditam; Missa quoque erit de Dominica, tamen sine *Gloria*, & *Credo*. Quòd si omnes dies fuerint impediti, in Sabbato nona Lectio erit de Homilia Dominicę cum commemoratione in laudibus, & Missa, in qua dicitur Euangeliū Dominicę in fine.

3 Paramentorum color tam pro ornatu Altaris, quā pro Sacerdotibus toto hoc tempore erit viridis, sicut & post Pentecosten.

De festo Purificationis Beatissimæ Virginis Mariæ. Cap. III.

1 *Antiquitas huius festiuitatis.*
2 *Ordo Officij huius diei.*
3 *Processio nunquam transferenda.*
4 *Antiphona in fine Officij qualis dicenda.*
5 *Ordo seruandus in Ecclesijs B. Virgini dicatis.*
6 *In propria Ecclesia quomodo celebrandum.*
7 *Octaua Purificationis approbata.*

1 Festum Purificationis Gloriosissimæ Virginis Mariæ ex antiquissima traditione tã in Orientali, quam in Occidentali Ecclesia religiosissimè colitur, à Græcis ὑπαπάντη dictum, qui licet certi initia temporis ei assignare contendant, tamen ex orationibus S. Gregorij Nazianzeni, & aliorum Patrum longè antiquius ipsum ostendere conatur Cardinalis Baronius, eiusque antiquitas manifestè colligitur ex cap. Pronunciandum de consec. dist. 3. & cap. Conquestus de ferijs, prout fusiùs explicat Petrus Canisius, & vt notat *Durandus* inter quatuor præcipuas Beatissimæ Virginis solemnitates, quas quatuor anni temporibus celebramus, Purificatio, quæ Hyemali tempore contingit, satis solemnis est Matri pariter ac filio communis, sicut & Annunciatio in Vere.

Baron. in Martyr.

Canis. de B. Virgin. li. 4. c. 9. & x. & lib. 5. c. 14.

2 Officium huius diei est duplex secũdæ classis, & est completiuum mysterij Dominicæ Incarnationis; ideo antiphonæ ad Vesperas spectant ad ipsum Incarnationis mysterium; in Missa dicitur Præfatio de Natiuitate, & ad secundas Vesperas terminatur Antiphona *Alma Redemptoris*. Reliquum Officium totum est ordinatum ad explicandum mysterium Purificationis Gloriosiss. Virg. & oblationis Domini in tẽplo, prout ex his, quæ habentur in ordine Officij, & Missę huius diei, ac præcipuè in ipsa candelarum benedictione, & processione.

3 Si hoc festum occurrat in Dominica Septuagesimæ, Sexagesimæ, vel Quinquagesimæ, Officium transfertur, processio verò celebrari debet modo infra explicãdo. Similiter si hac die occurrat festum Patroni, vel Titularis, translato Officio Purificationis, celebratur de Patrono, non tamen transfertur distributio candelarum, & processio.

4 Translato Officio non differtur amplius Antiph. *Alma Redemptoris*, sed post Completoriũ huius diei dicitur Antiph. *Aue Regina cælorum*.

5 In Ecclesijs B. Virg. dicatis, concurrente hoc festo cũ Dominica Septuagesimæ, Officium erit de Dominica in paramentis violaceis, & Missæ priuatę pariter de Dominica; Missa tamẽ solemnis, quæ dici debet post Processionem, erit de festo Purificationis in paramentis albis. Cærem. Episc. li. 2. c. 16.

6 In propria Ecclesia, si hoc festũ occurrat in Dominicis Septuagesimæ, vel Sexagesimę, seu etiam Quinquagesimę, semper celebratur de festo; est enim duplex primæ classis; & per Octauã celebratur, sicut in die, semiduplici ritu, mutatis tãtũ Lectionibus primi Nocturni, quę erunt de Scriptura occurrenti.

7 Romæ Ecclesię S. Mariæ de Scala Sacra Rituũ Congregatio cõcessit Octauam huius celebritatis cum Lectionibus propriis, sub die 12. Decembris 1609. Decret. Congr. Sac. Rit.

De Benedictione, & distributione candelarum, quæ hac die fieri debet in Collegiatis. Cap IV.

1 *Præparanda pro benedictione candelarum.*
2 *Officium Tertiæ quomodo celebrandum.*
3 *Ordo procedendi ad benedictionem.*
4 *Candela celebranti à quo, & quomodo danda.*
5 *Ordo distribuendi candelas Clericis.*
6 *Prælatis quomodo.*
7 *Cantanda in ipsa candelarum distributione.*

1 Pro

Cęrem. Episc. li. 2.c.17. 1 PRo benedictione candelarum, ac processione, quæ hac die fieri debet; præparentur in Sacristia pro celebrante paramenta violacea, videlicet Pluuiale cum Planetis plicatis pro ministris,& Palliolum superimponendum Altari,dum fit benedictio, & processio, pariter violacei coloris; Crux processionalis; itē paramenta alba pro Missa solēni, si de festo cantari debeat, si verò de Dominica Septuagesimæ, vel Sexagesimę, seu Qunquagesimæ præparentur etiam Dalmatica,ac Tunicella,cum in benedictione,& processione Ministri vti debeāt Planetis plicatis, & in Missa Dalmatica, ac Tunicella. In Altari præparentur duę mensæ,altera pro candelis benedicendis prope Altare à latere Epistolæ, cui sternatur desuper pannus sericeus, ac mappa munda,ipsa verò candelæ ibi repositę cooperiantur, donec adueniat tempus benedictionis; In altera verò credentia loco consueto,pręter necessaria pro Missa solemni, pręparetur thuribulum cum Cæ rem. Episc.li. 2.c.12. vase aquę benedictę,& suo aspersorio;& ab Altari decet vt transferatur Sanctissimum Sacramentum,ne celebrans ac ministri dum candelę distribuuntur:terga vertant Sacramento.

2 Dum cantatur Tertia, si Officiū celebretur de festo, Altare erit in paramētis albis, & celebrans pariter albis indutus vestibus in Choro assistet;si verò officium sit de Dominica,omnia erunt violacea;Circa finem Tertiæ Altare cooperitur Palliolo violaceo,& cerei tam in Altari,quā supra cancellos pro benedictione solemni,& processione accenduntur.

3 Finita Tertia proceditur ad benedictionem candelarum eodem modo, & ordine, quo solet in Missa solemni, Sacerdos quidem Pluuiali violaceo indutus,ministri verò Planetis plicatis, quos pręcedunt Ceroferarij cum cereis accēsis;& Acolythi more solito;Cęremoniarius interim à credentia amouet mappā; qua candelæ tegebantur.Postquam celebrans peruenerit ad gradus Altaris,facta Cruci reuerentia,vel si sit dies Dominicus,facta aspersione,ac completa Oratione *Exaudi*, &c. Altare ascendit, ipsumq; in medio osculatur, deinde facta prius Cruci profunda inclinatione, ad cornu Epistolę accedēs pro benedictione in tono feriali dicit *Dñs vobiscū* cū suis Orationibus, interim stans iunctis manibus; ministri verò retro vnus post alium;& cū celebrans cādelas benedicēs signū Crucis efformabit super illas,Diaconus à dextris eius accedens anteriorem fimbriam Pluuialis,quoties opus fuerit, eleuabit. Post quintā Orationem celebrans Diacono ministrante nauiculā imponit incēsum in thuribulū,ipsum benedicens more solito;deinde accepto aspersorio de manu Diaconi cum osculis candelas ter aspergit in medio,à dextris, & à sinistris, dicēs submissa voce Añam *Asperges me*, &c.& eodē modo ter pariter incensabit.

4 Peracta benedictione distribuuntur candelę, ac primum dignior de Choro in suo habitu Canonicali, vel stolam violaceam supra superpelliceum habens, ad Altare accedens candelā benedictam, quam decet esse auro ornatā celebranti cum osculis porrigit, quam ille stans sine osculis accipit,traditque custodiendam, donec distributio fiat, alicui ex astantibus Acolythis.

5 Celebrans candelas distributurus, postquam ipse suam accepit, stat in medio Altaris detecto capite facie ad populum conuersa, & ministris hinc inde fimbrias Pluuialis eleuatas tenentibus,candelas distribuit,primò digniori,à quo ipse acceperat,deinde Diacono,& Subdiacono paratis, mox aliis binis per ordinē accedentibus,ac genuflexis candelam,& manum celebrantis osculantibus.

6 Si adsint Prælati,accedentes ad recipiendam candelam omnibus aliis pręferuntur,nec genuflectunt,nec celebrantis manum osculantur;quòd si ad Altare nō accedant, poterit per aliquem Sacerdotem eis tradi candela cum debitis inclinationibus,& osculis.

7 Cum incipit distributio candelarū, in Choro cantatur Antiphona *Lumen ad reuelationem gentium*, &c. cum Cantico *Nunc dimittis*, & post quemlibet Versum repetitur *Lumen ad reuelationē gentium*; & durante distributione, si opus sit, eadem pluries repetuntur.

De Processione in festo Purificationis facienda. Cap. V.

1 *Cantanda ante Processionem.*
2 *Candela quando accendenda.*
3 *Diaconus procedentes inuitat.*
4 *Ordo procedendi.*
5 *Antiphona in Processione cantanda.*
6 *Cantanda in ingressu Ecclesia.*
7 *Altaris, & Celebrantis paramenta ad Missam.*
8 *Candela quando teneantur accensa.*

Cærem. Episc. li. 2. c. 17. 1 Finita distributione candelarum celebrans in Altari lauat manus à latere Epistolæ, & per Magistrum Cęremoniarū dispositis omnibus pro Processione, Cantores in Choro cantant Antiphonam *Exurge Domine*, &c. cum Psal. & repetita Antiphona, prout fit in Introitu Missæ, celebrans ad Altare conuersus à latere Epistolæ astantibus post eum ministris dicit *Oremus*, & si sit infra Septuagesimam, & non in die Dominico, Diaconus dicit *Flectamus genua*, & eo primum genuflectente, omnes, excepto celebrante, pariter genuflectunt; Subdiaconus verò primus omnium surgens subdit eodem tono *Leuate*, & surgentibus omnibus cantat celebrans Orationem *Exaudi quæsumus Domine*, cum sua conclusione.

Cærem. Episc. li. 2. c. 16. 2 Nunc & non prius iuxta præscripta in Cærem. Episc. accenduntur cerei, & per Magistrum Cęremoniarū ordinatur processio, prius tamen Diacono ministrante nauiculam imponitur, ac benedicitur incensum; Subdiaconus verò accepta Cruce processionali sibi ab Acolytho tradita stat medius inter Ceroferarios candelabra cum candelis accensis tenentes.

3 Quibus peractis Diaconus conuertens se ad populum alta, & sonora voce, tono in Rituali Romano designato dicit *Procedamus in pace*, & Chorus respondet *In nomine Christi. Amen.*

4 Tunc præcedēte Thuriferario cum thuribulo fumigante sequitur Subdiaconus paratus cum Planeta plicata deferēs Crucem medius inter Ceroferarios; postea Clerici superpelliceis induti bini per ordinem primò iuniores, deinde seniores cereos accensos in manibus gestantes, ita vt qui à dextris dextera, qui verò à sinistris sinistra candelam deferant: Vltimus omnium procedit celebrans Pluuiali indutus, à sinistris habens Diaconum; & vbi est numerus Ministrorū, alio Subdiacono parato deferente Crucem, Diaconus, & Subdiaconus ministrantes parati Planetis plicatis celebranti hinc inde assistunt.

5 Dicto à Diacono, *Procedamus in pace*, statim Cantores inchoabūt Antiphonam *Adorna*, & reliquas successiue per ordinem, & si longior sit processio repetantur, interim quoq; cāpanæ pulsantur.

6 Cum processio ingreditur Ecclesiā, Cantoribus inchoantibus Chorus prosequitur Resp. *Obtulerunt*; Cantores deinde subdunt Vers. *Postquam*, &c. cum ℣. *Gloria patri*; post quēlibet Versum Chorus repetit *Sicut scriptū est*, &c. & si opus sit, idem Responsorium repeti poterit, donec compleatur processio.

7 In fine processionis, si Missa sit celebranda de festo, remouetur ab Altari Palliolum violaceum, & remanent paramenta alba, pariter celebrans, & ministri depositis violaceis accipiunt alba.

8 Post processionem candelæ nō extinguuntur, tenentur tamen in manibus accensę, dum cātatur Euangelium, & ad Eleuationem vsque ad Communionem, quod obseruari debet, si Missa solemnis celebretur de festo.

De benedictione candelarum, & Processione ab Episcopo celebranda. Cap. VI.

1 *Præparanda pro Episcopo celebraturo.*
2 *Ordo accedendi ad Ecclesiam, & habitus Episcopi, & Canonicorum:*
3 *De loco, ac modo benedicendi candelas.*
4 *Candela Episcopo à quo, & quomodo danda.*
5 *Candelæ quomodo ab Episcopo aliis distribuendæ.*
6 *Dicenda post candelarum distributionem.*
7 *Ordo Processionis.*
8 *Missa à quo, & quibus paramentis celebranda.*
9 *Ordo in Missa celebratione seruandus.*
10 *Obseruanda si Episcopus ipse sit celebraturus.*

1 IN Cathedralibus Episcopo celebraturo paretur credentia, & reliqua more solito cum candelis benedicendis; super Altare verò per Sacristam præparentur pro Episcopo paramenta violacei coloris, videlicet Amictus, Alba, Cingulus, Stola, ac Pluuiale, & Mitra simplex.

2 Hora congrua Episcopus Cappa indutus à Canonicis associatus more solito accedit, & peracta Oratione, Acolythis ex Altari paramenta deferentibus, in sua sede induitur, & imposita Mitra sedet; interim Canonici in Sacristia, vel in suis locis accipiunt paramenta quilibet sui Ordinis, vt aliàs; Diaconi tamen, ac Subdiaconi, vbi est Ordinum distinctio, nequaquam Dalmatica, & Tunicella, sed Planctis plicatis induuntur; & vbi paramenta pro omnibus non habentur, sex aut saltem quatuor ex dignioribus Pluuialibus induantur; Cæremoniarius verò candelas prope sedem Episcopi adaptat.

3 Episcopus à sede surgens, deposita Mitra, & Capellanis librum, ac lumen ministrantibus, voce competenti in tono feriali iunctis manibus dicit Orationes, prout in Missali; quibus completis Presbytero assistente ministrante Nauiculam incensum imponit, & benedicit more solito, deinde ter aspergit, & incensat candelas.

4 Benedictione peracta Episcopus accepta Mitra sedet, dignior verò ex Canonicis paratus acceptam de manu Sacristæ candelam auro ornatam Episcopo porrigit eius manũ osculando, quam Episcopus tradit alicui ex suis Capellanis tenendam.

5 Episcopo sedenti, vt supra imponitur Gremiale, & duobus Diaconis assistentibus hinc inde fimbrias Pluuialis eleuatas sustinentibus, Cæremoniarius, vel Sacrista candelas ministrat Diacono à sinistris assistenti, quas ille Episcopo porrigit aliis per ordinem distribuendas. Primus omnium dignior ex Canonicis Pluuiali indutus, facta prius Altari, deinde Episcopo reuerentia, ad eum ascendens accipit candelam Episcopi manum reuerenter osculando, similiter & alii Canonici, & post eos Magistratus, & Officiales maiores Ciuitatis, deinde Presbyteri, & Clerus Ecclesiæ, ac Capellani Episcopi, demum alii nobiles Ciuitatis, & familiares Episcopi; Cantoribus interim præcinentibus *Lumen*, &c.

6 Post candelarum distributionem nobilibus, & scutiferis aquam ministrantibus Episcopus lauat manus, deinde deposita Mitra surgens versus Altare dicit Orationem *Exaudi*, &c. qua completa accepta Mitra sedet, & Presbytero assistente nauiculam ministrante imponit, & benedicit incensum, & accenduntur candelæ.

7 Cæremoniario Processionem ordinante ante omnes procedunt Cantores, sequitur thuriferarius; deinde Ceroferarii medium habentes Subdiaconum Crucem deferentem, post Crucem Beneficiati, & alii de Clero cum Cottis cereos

accensos deferentes, ac bini incedentes, sequuntur Canonici, & tandem Episcopus medius inter duos Diaconos assistẽtes, qui eius Pluuialis fimbrias hinc inde eleuabunt, ipse verò sinistra candelam deferens dextera benedicit.

8 Missa cantabitur ab aliquo ex Canonicis, qui dum fit processio, in Sacristia vnà cum Ministris accipit paramenta albi coloris; Altaris quoq; Pallium violaceũ amouetur, & sedes Episcopi amoris violaceis albis ornatur paramentis; sed si festum occurrat in Dominicis Septuagesimæ, vel Sexagesimę, celebrans induitur violaceis, & Ministri pariter Tunicella, & Dalmatica violacea; ac paramenta Altaris, & sedis Episcopi non mutantur.

9 Completa Processione Episcopus ad Altare perueniens, si Missa dicenda sit de festo, depositis violaceis induitur Stola, ac Pluuiali albo; in ipsa autẽ Missa obseruantur omnia, quæ de Missa solẽni coram Episcopo celebranda sunt dicta; addito quòd, dum cantatur Euangelium Episcopus, & omnes de Choro candelas in manibus accensas vsque in finem tenent, & pariter ad eleuationem Sanctissimi Sacramenti vsque ad Postcommunionem.

10 Si Episcopus celebrare voluerit, peracta processione inchoatur Tertia, & interim sedens accipit Sandalia, dicẽs Psalm. *Quàm dilecta*, &c. ac more solito proceditur; Canonici quoque depositis violaceis accipiunt paramenta albi coloris.

De Cęremoniis obseruandis hac die in Palatio Apostolico.
Cap. VII.

1 *Ordo procedendi ad Capellam Papalem.*
2 *Candela Papæ à quo, & quomodo danda.*
3 *Papa quomodo candelas distribuat.*
4 *Ordo Processionis.*
5 *Ordo Missæ solemnis.*
6 *Accensio candelarum in Missa quando fieri debeat.*
7 *obseruanda in Capella infra Septuagesimam.*

1 Romæ in Palatio Apostolico Papa Pluuiali rubeo indutus accedit ad Capellam, cui sedenti in solio DD. Cardinales primùm faciunt reuerentiam accedẽtes cum subranis rubeis, & cappis violaceis: deinde in suis locis accipiunt paramenta violacea, quilibet sui ordinis; Prælati verò extra cancellos Capellę eiusdem coloris paramenta accipiunt. Cærem. Rom. li. 2 c. 28.

2 Facta benedictione prior Episcoporum Cardinalium accedens ad Dominum Papam ei porrigit duos magnos cereos cum debitis reuerentijs, osculando primò cereos, deinde manum Pontificis, qui deinde traduntur duobus nobilibus ad dexterã, & sinistram Pontificis deferendi. Postea traditur ab eodem ipsi Pontifici alius cereus minor ornatus, quem deinde seruat vnus ex Cubicularijs Cameræ, eoque vtitur Pontifex in toto Officio.

3 Pontifex accepto cereo sedens, assistentibus tunc Cardinalibus hinc inde, mappula in eius gremio posita, incipit distribuere cereos DD. Cardinalibus per ordinem, incipiendo ab eo, qui sibi cereos dedit: Officialibus videlicet Vice-Cancellario, Camerario, & Pœnitentiario dat duos cereos pro quolibet. Cardinales cum candelam accipiunt, osculantur primò manum Pontificis, deinde genu; alij verò Prçlati parati ter ante Pontificem genuflectentes accepta candela osculantur genu tantùm. Pœnitentiarii pariter parati, aliique omnes genuflexi coram Pontifice accepta candela eius pedem osculantur.

4 Completa distributione ordinatur processio per aulam regiam, regrediendo ad Sacellum Sixti, quò cum peruenerint, Officiales, & Prælati extra cancellum

para-

paramenta deponentes accipiunt Cappas, cum quibus intrant Capellam, Cardinales autem intrantes cum paramentis, ea deponunt intus in suis locis, & extinguũtur candelę omnes, exceptis duobus cereis Papæ, quos illi duo Nobiles deputati continuò tenent ardentes.

5 Missa celebrabitur à Presbytero Cardinali in paramentis albis, qui accepta candela in loco sui ordinis, in faldistorio ante Altare assistentibus Ministris paratis accipit paramenta pro Missa, sicque paratus expectat Pontificem è processione redeuntem, qui peracta processione, deposito Pluuiali rubeo accipit Stolam, ac Pluuiale album, deinde cum celebrante facit confessionem, & reliqua more solito. Domini Cardinales ad Missam assistunt cum Cappis rubeis.

6 Ante Euangelium accenduntur omnes Cerei; & per Papam, Cardinales & Prelatos, & alios omnes, dum cantatur Euangelium, accensi tenentur propriis manibus: Pariter ad eleuationem Sanctissimi Sacramenti vsque ad Communionem.

7 Si huiusmodi festum venerit post Septuagesimam, Domini Cardinales tã ad obedientiam, quàm ad Missam erunt cum vestibus, & Cappis violaceis, & ad benedictionem, & processionem cum paramentis, vt supra.

SECTIO QVARTA.

De tempore Septuagesimæ, & Quadragesimæ vsque ad Maiorem Hebdomadam exclusiuè.

De Dominicis Septuagesimæ, Sexagesimę, & Quinquagesimæ. Caput I.

1 *Septuagesima nominis ratio.*
2 *Mœror Ecclesiæ in hoc tempore.*
3 *Color paramentorum.*
4 *Omittenda hoc tempore.*
5 *Vsus Mitræ.*
6 *Imagines Sanctorum, ac flores non adhibendi.*
7 *Vsus vestium Romani Pontificis in Septuagesima.*
8 *Ordo Officii.*
9 *Oratio quadraginta Horarum bis diebus quomodo celebranda.*
10 *Missa quomodo.*
11 *Abusus cauendi.*

1 Septuagesimę tempus mœrori, ac luctui ab Ecclesia institutum cur sic denominetur, non ită facilè patet; diuersi enim diuersa dixerunt, quidam à captiuitatis Babylonicæ annorum numero denominationem sumentes, hoc tempus ab Ecclesia ordinarum affirmant ad memoriam lapsus primi Parentis, quã in Officio huius hebdomadę recolimus, analogia quadam, vt in ordine Romano habetur, ad tempus, quo filii Israel in Babylone captiui fuerunt, spatio videlicet septuaginta annorum, quando depositis instrumentis musicis in terra aliena Canticum Domini Lętantes canere renuerunt: Vel etiam dicitur hæc Dominica Septuagesima; nam cum tempus Quadragesimale tres Dominicę in luctu, & mœrore præueniant, quę vnà cum quatuor illis ieiuniorum, quę passionem Domini precedunt, septem Dominicarum numerum complent, quę est septima, passionis mysteria precedens, dicitur Septuagesima, sicut & sequens sexto loco ante passionem dicitur Sexagesima, & rursum quę quinto loco precedit, Quinquagesima; vnde & quę subsequuntur quatuor, retento Quadragesimę nomine numero tantum quaternario suo ordine distinctę proponuntur; nobis autem in huiusmodi inuestigandis maiorum institutio sufficere debet, quorum venerandam, sacramque ordinationem admirari potius debemus, atque laudibus comendare. Albinus Flaccus. Amalar. Fortun. de Eccl. off. li. 1. cap. 1.

2 Ab hac Dominica vsque ad Sabbatum Sanctum Ecclesia in mœrore est; & ideo Sabbato ante Septuagesimam in

Martyrol. Ro. in Martyrologio ad Primam legitur primo loco *Dominica Septuagesima, in qua deponitur Canticum Domini Alleluia*.

3 Post Nonam ante Vesperas, vel si eo die occurrat aliquod festum duplex, de quo celebrari oporteat, post Vesperas omnia Altaria, Baldachinum, Ciborium Sanctissimi Sacramenti, ac reliqua omnia paramentis violaceis operiantur, sicut & in Dominica prima Aduentus iam diximus.

4 Post Vesperas dicto *Benedicamus Domino*, responsoque *Deo gratias*, cum duplici *Alleluia*, deinceps non dicitur, sed eius loco in principio Horarum dicitur *Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ*. Ad Matutinum in Dominicis non dicitur Hymnus *Te Deum laudamus*, neque in Missa *Gloria in excelsis*, neque *Alleluia* post Graduale, sed diebus festis dicitur Tractus. Organum, & musicorum Cantus in Ecclesia non adhibetur, nisi in Dominica IV. Quadragesimæ, in festo Annunciationis B. Virg. & Feria V. in Cœna Domini; vel si occurrat celebrari solemniter cum lætitia pro re graui, & publica causa.

Cærem. Epis c. li. 1. c. 17. 5 Episcopi celebrantes non vtuntur Mitra pretiosa, sed tantùm Auriphrygiata ab hac die vsque ad Pascha, excepta Dominica quarta Quadragesimę, & festis, quæ solemniter celebrantur.

Cærem. Ro. li. 3. sect. 5. c. 9. 6 Non debent in Altari toto hoc tẽpore adhiberi vasa cum floribus, neque Sanctorum Imagines, neque Reliquiæ, excepta Dominica Quarta Quadragesimæ, & diebus solemnioribus; cum nec Romanus Pontifex Mitra Pretiosa hoc tempore vtatur, & iuxta Cęremoniale Romanum quando Pontifex simili Mitra non vtitur, nec Imagines, neq; Reliquiæ Sanctorum in Altari ad ornatum, vt fieri consueuit in solemnioribus, apponi debent.

7 Hoc tempore Romanus Pontifex non vtitur vestibus sericeis, sed laneis pellibus Armellinis circumfultis, bireto videlicet, & Caputio, seu Mozzetta rubea; vestis verò talaris, seu subtana, quæ semper alba erit, hoc tempore erit etiam lanea.

8 Huiusmodi Dominicæ sunt secundæ Classis, & ideo duplex in eis occurrens transfertur, & tantùm fit de Patrono, vel Titulari, seu Dedicatione Ecclesiæ cum commemoratione Dominicæ.

9 Et quia ex laudabili consuetudine in plerisque Italię locis his diebus, quæ inter Septuagesimam, & Quadragesimã intercedunt, quibus mortalium vesanæ mentes præcipites ad mala perpetranda se dant, Sanctissimum Sacramentum solemniter exponitur, inuitanturque pij, ac deuoti ad Orationem, vt spiritualibus armis muniti contra omnia nequissimi hostis ignea tela sese opponant, vigiliis, ieiuniis, & orationibus, vt pios, ac Sãctos decet, sollicitè vacantes.

10 Idcircò obseruandum hoc loco est, quòd licet, dum solemniter Sanctissimum Sacramentum exponitur iuxta regulas de celebratione Orationis quadraginta Horarum, Missa solemnis ante processionem celebranda assignetur votiua de Sanctissimo Sacramento cum vnica Oratione, & cum *Gloria*, & *Credo*, quia pro re graui, & publica Ecclesiæ causa dicta censetur: si tamen in die Dominico, puta Septuagesimæ, Sexagesimæ, vel Quinquagesimę huiusmodi solemnitas celebretur, cum huiusmodi dies inter solemnes, ac priuilegiatos secundæ classis connumerentur, officium Missę nequaquam votiuum, sed de Dominica currenti in paramentis violaceis celebrabitur. In reliquis verò, omnia prout in proprio loco de celebratione Quadraginta Horarum dictum est, obseruari poterunt. Sup. li. 2. sect. 2. cap.

11 Cauendum est autem, ne, dum imminentibus malis, religionis studio, spiritualibus armis resistere intendimus, profani abusus in Ecclesia, Diabolica fraude inducantur; idcircò decet, vt his maximè diebus Ecclesiarum Rectores,

præcipuè vbi ad orandum ante Sanctissimum Sacramentum fideles conueniūt, studeant, vt procul arceantur confabulationes, omniaque vana, sed vt omnes, qua decet reuerentia cum silentio, & mētis deuotione orationi dent operam, vel Verbo Dei pascantur, omniaque ordinatè fiant.

De Feria Quarta Cinerum, & initio Quadragesimæ.
Cap. II.

1 *Tempus Quadragesimale vnde initium sumpserit.*
2 *Luctus Ecclesiæ quomodo explicetur.*
3 *Præcedentis diei lectio in Martyrologio.*
4 *Cineres præparandi, & quomodo.*
5 *Præparanda pro celebrante, & Ministris.*
6 *Priuilegia huius diei.*

Antiq. Liturg. tom. I.

1 QVadragesima ab Apostolis instituta Vigiliis, Ieiuniis, Orationibus, ac piis operibus Christianæ militiæ armis, ex antiquissima traditione in Ecclesia Dei transigitur, opportunum videlicet pœnitentiæ, & renouationis hominis tempus; & ideo omnis Ecclesiasticus ordo talibus pietatis armis munitus ad certamen contra nequissimos hostes præparari debet.

2 Idcirco hoc tempore in habitu luctuoso mæret Ecclesia; Ministri Altaris lætitiæ vestimētis depositis, planetis plicatis in Missis solemnibus de tempore violacei coloris vtuntur, excepta Quarta Dominica, quæ est dies lætitiæ. Ideò à feria quarta Cinerum vsque ad Octauā Paschæ clauduntur Nuptiæ. Idcirco ad renouandum hominē Verbi Dei Ministri quotidie concionem ad Populū habere consueuerunt. Multiplicantur propterea preces, cœtusque fidelium frequētiores ex Patrum antiquissima traditione in Ecclesia habentur.

Cōc. Tr. sess. 24. c. 10.

3 Feria tertia, quæ præcedit diem Cinerum in Martyrologio ad Primam legitur primo loco post Kalendas *Dies Cinerum, & initium ieiunij sanctissimæ Quadragesimæ.*

Rubr. Martyr. Rom.

4 Opportunè à Sacrista præparentur Cineres facti ex Oliuarum, seu aliarum arborum ramis præcedenti anno benedictis, omni adhibita diligentia, vt bene expurgati, mundi, atque subtilissimi, & ab humida qualitate optimè sint exsiccati; præparentur autem in aliquo vase argenteo super aliquam peluiculam, quæ pariter sit argentea, vel saltem sint huiusmodi vascula crystallina.

5 Sit etiam parata supellex necessaria pro celebratione Missarum, & præter consueta paramenta celebrantis, ac Ministrorum sit in promptu Pluuiale, quo ad benedictionem, & impositionem Cinerum celebrans vti debet, cum omnibus necessariis pro manuum ablutione.

6 Hæc dies iuxta Breuiarii, ac Missalis Rubricas priuilegio gaudet; nam quodlibet festum etiam ex maioribus occurrens transfertur in sequentem diem; ita vt omnino hac die de ipsa feria celebretur, ac propterea paratis omnibus Altaribus violaceis paramentis, prout in diebus Dominicis Quadragesimæ, Officium erit de feria.

De Benedictione, & impositione Cinerum. Cap. III.

1 *Celebrans & Ministri, vbi, quando, & quomodo parandi.*
2 *Præparanda ab Acolythis in Altari.*
3 *Sacramentum ab Altari amouendum.*
4 *Ordo procedendi ad benedictionem Cinerum.*
5 *Ingressus ad benedictionem.*
6 *Ordo cantandi Orationes.*
7 *Ordo ministrandi incensum.*
8 *Ordo imponendi singulis Cineres.*
9 *In Ecclesijs maioribus, vbi est populi frequentia, pluribus in locis Cineres ministrandi.*
10 *Post Cineres manuum lotio, & Oratio.*

1 Dum

1 DVm in Choro cantatur Nona, Superior celebraturus cum Ministris induitur in Sacristia vestibus sacris violacei coloris, celebrans quidem Pluuiali; Ministri verò Planetis plicatis.

2 Interim Acolythi omnia suo ordine disponunt, vas videlicet cinerum in cornu Epistolæ, atque Missale super puluinum in eodem latere pro benedictione dispositum, & apertum: supra credentiam verò præter consueta pro Missa solemni celebranda erunt lances ad manuum ablutionem, atque etiam in aliquo alio vase mica panis cum suo mãtili ad abstergendum, cum post cinerum distributionem celebrans manus lauare debeat; ac denique circa finem Nonæ omnibus bene dispositis cereos in Altari accendunt.

Cærem. Episc. li. 2. c. 12. 3 Si in Altari maiori asseruetur Sanctissimum Sacramentum, decet, vt transferatur in aliud Altare decenter ornatum cum luminibus, ne dum cineres imponuntur, celebrans, ac Ministri irreuerenter terga vertant Sacramento: quòd si postmodum in ipsa Missa solemni Cõmunio sit facienda, consecrentur Hostiæ pro communicandis in vase sacro, quod ad id præparari poterit.

4 Post Nonam dicto *Fidelium animæ*, &c. immediatè (non enim, cum sit celebrandum, dicitur Antiphona consueta *Aue Regina cælorum*) proceditur ad benedictionem Cinerum tali ordine: Præcedet thuriferarius deferens thuribulum cum prunis accensis, ad cuius latus procedit etiam Acolythus cum vase aquæ benedictæ, sequentur Ceroferarij cum candelabris, & cereis accensis; postea more solito Subdiaconus, ac Diaconus vnus post alium iunctis manibus ante pectus; Vltimus omnium celebrans Pluuiali indutus, ac capite cooperto.

5 Celebrans cum Ministris, facta ante gradus Altaris more solito reuerentia, ascendit Altare, eoq; in medio osculato in cornu Epistolæ recedens, astantibus Diacono à dextris eius, & Subdiacono à dextris Diaconi submissa voce legit Antiphonam. *Exaudi*, &c. quæ interim cantatur in Choro inchoantibus Cantoribus eodem modo, quo cantari solet Introitus Missæ. Lecta à celebrãte Antiphona, interim dum in Choro cantatur, Ministri recedentes stant retro celebrantem vnus post alium, & Acolythi stant post Ministros.

6 Cantata Antiphona, celebrans eodem loco stans, nec se conuertens ad populum dicit *Dominus vobiscum*, & *Oremus*, subdens quatuor Orationes in Missali assignatas; cum format signum Crucis super cineres, Diaconus eleuat fimbriam Pluuialis. Interim Acolythi cum thuribulo, & vase aquæ benedictæ accedunt ad latus Epistolæ assistendo ante infimum gradum Altaris.

7 Absolutis Orationibus ministratur incensum à Diacono; deinde per eundem porrigitur celebranti cum osculis aspersorium: Ipse verò ter cineres aspergendo in medio, à dextris, & à sinistris dicit submissa voce Antiphonam, *Asperges me*, &c. sine Psalmo, interim Diaconus Pluuialis fimbriam à parte anteriori eleuatam tenebit; eodem modo ipsemet Diaconus celebranti thuribulum cum osculis porrigit, & ille ter pariter cineres incẽsabit, quibus peractis Acolythi thuribulum, & vasculum supra credentiam reponunt.

8 Sacerdotes omnes, & reliqui de Clero, primùm digniores, mox reliqui per ordinem ad Altare accedentes circulum perficiunt, & omnium dignior in suo habitu Stolam violaceam habens cũ debitis reuerentijs, facta prius inclinatione celebranti in cornu Epistolæ stanti, ac facie ad latus Euangelij conuersa imponit cineres in caput ipsius, dicens, *Memento homo, quia puluis es*, &c. Tum celebrans ad medium Altaris accedens, & ad populum conuersus Ministris fimbrias Pluuialis hinc inde eleuantibus, & Acolytho pariter à dextris vas cinerum tenente, primò ei, à quo cineres accepit,

impo-

imponens dicit *Memento homo*, &c. tum Ministris genuflexis pariter ante eum, mox alijs Sacerdotibus per ordinem, cũ hoc tamen discrimine, quòd si aliquis in dignitate constitutus accedat, ei stāti cineres imponuntur, sicut & Canonicis, si fuerint parati; reliquis verò omnibus genuflexis, videlicet Clericis post Sacerdotes, Laicis verò Religiosis post Clericos & post omnes de Clero Sæcularibus cuiuscumque ordinis, ac dignitatis fuerint; hoc enim singulariter obseruantur hac die in impositione cinerum, & feria sexta in Parasceue in Adoratione Crucis, quod ab ipsis etiam Imperatoribus, Regibus, ac Principibus obseruatur in Capella Domini Papæ, si sint præsentes, propter humilitatem, quæ his diebus in huiusmodi actibus repræsentatur. Cærem. Episc. li. 2. c. 18.

9 Interim, dum imponuntur cineres, in Choro cantatur *Immutemur habitu*, &c. quòd si populus frequens fuerit, poterunt designati alij Sacerdotes, qui Stolam violaceam supra superpelliceum habentes, Acolytho pariter superpelliceo induto vas cinerum à dextris tenente in alijs sacellis pro locorum qualitate, & opportunitate ministrabunt.

10 Datis cineribus celebrans lauat manus, in cornu Epistolæ, deinde iunctis manibus dicit Orationem *Concede nobis Domine*, &c. qua completa, & deposito Pluuiali, Casula indutus procedit ad Missam; quòd si per alium celebranda sit Missa, recedit cum Pluuiali ordine, quo venerat; & designatus Sacerdos in Sacristia indutus cum Ministris ad celebrandum accedit.

De obseruandis in feriis Quadragesimę.
Cap. IV.

1 *Genuflexiones faciendæ in Missis feriarum Quadragesimæ.*
2 *Concio intra Missam quomodo habenda.*
3 *Præfatio propria.*
4 *Ordo dicendi Orationem super populum.*
5 *Ordo Missæ in diebus festis.*
6 *Obseruanda in Officio Sanctorum huius temporis.*
7 *Officium paruum B. Mariæ quando dicendum.*
8 *Officium Mortuorum.*
9 *Psalmi Graduales.*
10 *Septem Psalmi Pœnitentiales.*

1 IN Missis ferialibus, cum solemniter celebrantur in Quadragesima, obseruare oportet genuflexiones faciendas huiusmodi diebus, cũ dicuntur Orationes, & post eleuationem, prout suis locis est adnotatum; similiter ad ℣. *Adiuua nos Deus*, qui regulariter toto tempore Quadragesimæ repetitur in ferijs secunda, quarta, & sexta. Sup. li. 2. sect. 1. c. 4 nu. 3.

2 Si intra Missam sit Concionãdum, immediatè post Euangelium Concionator suggestũ ascendens suum exequetur munus, modo suo loco præscripto. Sup. li. 2. sec. 2. c. 6. nu. 6.

3 Præfatio propria temporis Quadragesimæ dicitur semper ab hac die vsque ad Sabbatum ante Dominicam passionis inclusiuè in omnibus Missis de tempore, atque etiam diebus festis, ac Missis votiuis, quæ propriam non habent Præfationem.

4 In omnibus ferijs Quadragesimæ dicitur Oratio super populum; dum celebratur Missa de feria; in qua si solemnitet celebretur, Diaconus vertens se ad populum iunctis manibus dicit *Humiliate capita vestra Deo*, omnibus, excepto celebrante, genuflexis manentibus, & capite inclinato. Cęrem. Episc. li. 2. c. 18.

5 Si in ferijs Quadragesimę occurrat festũ duplex, vel semiduplex, fit de eo cũ commemoratione feriæ; cuius Euangeliũ legitur in fine, & in Ecclesijs Collegiatis, vbi plures Sacerdotes celebrant, dicuntur duę Missę, altera de Sancto post Tertiã cum paramentis coloris illius Officio conuenientis absque commemoratione ferię; altera de feria post Nonam in paramentis violaceis absq; commemoratione Sancti, cum Orationibus assignatis. Rub. ge. III. 1.

6 In Officio cum de Sancto celebratur huiusmodi diebus, semper ad Vesperas, & Laudes debet fieri cõmemoratio feriæ, cuius Homilia legitur loco nonæ Lectiones. Eodem modo proceditur in festis maioribus, in quibus iuxta recogniti Breuiarij Rubr. nullo modo Octaua celebrari debet, & si per aliquod tempus fuerit antea celebrata, adueniente Quadragesima nihil amplius fit de ea; de simplici verò fit tantùm commemoratio. Rub. gene. Bre. VII. I.

7 In diebus ferialibus semper dicitur Officium paruum B. Mariæ Virginis, sicut & in reliquis ferijs per annum.

8 In qualibet secunda feria nõ impedita Officio nouem Lectionum dicuntur pridie Vesperæ cum primo Nocturno, & Laudibus Defunctorum, non tamen Missa, neq; commemoratio eorundem fieri debet, neque prima die mensis dicitur Officium, nec Missa.

9 Feria quarta similiter nõ impedita ante Matutinũ dicuntur Psalmi Graduales, qui etiam dici possunt præcedenti feria post completum Officium illius diei iuxta commoditatem, atque locorum consuetudinem.

10 Feria sexta eodem modo non impedita ante Matutinum, vel præcedenti die completis Officijs omnibus dicuntur flexis genibus Psalmi Pœnitentiales cum Litanijs, & precibus assignatis in Breuiario, modo suo loco præscripto.

De obseruandis in Cathedralibus Episcopo præsente. Cap. V.

1 *Ordo accedendi ad Ecclesiam.*
2 *Obseruanda in ipsa benedictione.*
3 *Cineres Episcopo quomodo imponendi.*
4 *Canonicis quo ordine.*
5 *Oratio quomodo ab Episcopo in fine dicenda.*
6 *Episcopus quoties, vbi, & quomodo in Missa genuflectat.*
7 *Obseruanda Episcopo solemniter celebrante.*

1 Paretur Altare, & super ipsum vas cinerum; item paramenta violacea pro Episcopo in medio disponantur supra credẽtiã verò vas aquæ benedictæ, ac thuribulũ, & alia eodẽ modo, quo dictũ est sup. in festo Purificationis. Hora cõgrua Episcopus Cappa indutus à Canonicis suo habitu Canonicali associatus more solito ad Ecclesiam accedit, & facta prius oratione apud sedem suam accipit paramenta, Canonici etiam sua, prout in die Purificationis. Cærem. Episc. li. 2. c. 18.

2 Subdiaconus paratus Planeta plicata accipiens ex Altari cum debitis reuerentiis vas cinerum defert ad Episcopum, & ad eius dexteram genuflexus ipsum eleuatum tenet vsque in finem impositionis cinerum; accedentibus etiam Capellanis cum libro, & cãdelula accensa, Diaconis paratis hinc inde assistentibus. Episcopus igitur sedens cum Mitra legit Antiphonam *Exaudi Domine*, &c. qua à Canonicis completa, ac repetita, surgens deposita Mitra dicit *Dominus vobiscum*, & *Oremus*, ac subdit quatuor Orationes, quæ habentur in Missali; post quas Presbytero assistẽte nauiculam ministrante, imponit incensum in thuribulum more solito, aspergit, & thurificat cineres ter ducens thuribulum; deinde sedet detecto capite, sine Mitra videlicet, & sine pileolo.

3 Canonicus celebraturus, antequam Episcopus ad Ecclesiã accedat, in Sacristia cum Ministris suis induitur paramentis postea ad Altare procedens, à latere Epistolæ in scamno panno viridi cooperto Episcopum expectat, donec benedicat cineres, quibus benedictis solus facta prius Altari reuerẽtia ad Episcopum sedentẽ accedens, cineres capiti ipsius imponit dicens, *Memento homo*, &c. deinde Episcopus accepta Mitra, & extẽsa in eius gremio à duobus Acolythis mappa mũda, imponit cineres capiti eiusdẽ Canonici ante se inclinati dicẽs, *Memento homo*, &c. qui acceptis cinerib. sine osculo manus Episcopi ad locum suum reuertitur.

4 Cho-

4 Choro cantante; *Immutemur habitu*, Canonici parati incipiendo à dignioribus cum debitis reuerentiis Altari, & Episcopo inclinati accipiunt cineres, qui dum aliis imponuntur, stantes capite detecto in locis suis assistunt; reliqui verò Sacerdotes, & Clerici genuflexi accipiũt cineres: Principibus, Magistratibus, Officialibus, ac Nobilibus laicis ex antiqua, laudabilique Ecclesiastica disciplina propter humilitatem, quæ in isto actu repræsentatur, post omnes Clericos genuflexis imponuntur cineres.

Cærem. Episc. li. 2. c. 18.

5 Datis cineribus omnibus, Episcopus in eodem loco sedens lauat manus, deinde accedentibus Ceroferariis cum cãdelabris & cereis accensis, nec non Capellanis cum libro, & candela, deposita Mitra surgens, dicit, *Dominus vobiscum*, & Orationem, *Concede nobis Domine*, &c.

6 Episcopus non celebrans, sed Missæ assistens, iisdem paramentis, vel Cappa vratur, sicut & Canonici suo Canonicali habitu, qui ad circulos accedent, & omnia fient, prout in Missa solemni, Episcopo assistente, suo loco est dictum; addito quòd, dum dicitur Oratio, Episcopus descendens de Solio in faldistorio genuflectit, omnibus aliis pariter genuflectentibus, exceptis Diacono, Subdiacono; & ad Vers. *Adiuua nos Deus*, &c. pariter in faldistorio genuflectit, sic manens vsque ad finem Versus, & tunc genuflectere debẽt etiam celebrãs cum Ministris: ad Eleuationem quoque Episcopus de Solio descendens in faldistorio genuflectit, ibique manet vsque ad *Per omnia* ante *Pax Domini*: quod similiter præstabit ad Orationes, quæ dicuntur post Communionem, quibus cõpletis reuertitur ad sedem suam, datque benedictionem solemnem more solito. Et hic modus genuflectendi seruatur in omnibus Missis ferialibus, quæ dicuntur præsente Episcopo.

7 Quòd si Episcopus voluerit ipse celebrare, post cinerum impositionem sedens inchoabit Nonam, & dum dicuntur Psal. dicet Ps. *Quam dilecta*, &c. & preces cõsuetas, ac induetur, prout ad Missã solemnem. Canonici assistunt parati, & reliqua fiunt, vt in aliis Missis Pontificalibus, non tamen Episcopus ante Orationem dicit *Pax vobis*, sed *Dominus vobiscum*, & ad ℣. *Adiuua nos Deus*, genuflectit apud sedem suam.

De ordine expulsionis publicè Pœnitentium. Cap. VI.

1 *Pœnitentes quãdo & quo habitu ad Ecclesiam conueniant.*
2 *Episcopus quo habitu, & quo loco Pœnitentes recipiat.*
3 *Benedictio, & impositio cilicij.*
4 *Litaniæ & Preces super Pœnitentes dicendæ.*
5 *Pœnitentes quomodo extra eijciendi.*

1 HAc ipsa die Cinerum circa horã tertiã ij, quibus ob grauiora crimina solemnis imponi debet pœnitentia, vilibus induti vestibus, pedibusq; nudati ad Cathedralẽ Ecclesiã conuenientes, pœnitentia iuxta culpę qualitatem à Pœnitẽtiario accepta, foras emittuntur, ibique ante ianuas expectant.

2 Episcopus completa cinerũ benedictione, atque impositione, præcedente Clero cum Schola cantorum, procedit ad mediũ Ecclesiæ, vbi Clero versus valuas in duos Choros diuiso sedet cũ Mitra in sede ibi præparata; ipsi verò pœnitentes cum lachrymis ingressi inter vtrũque Chorum in pauimento se prosternunt; tunc Archipresbyter super capita singulorum cineres imponens dicit; *Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris; age pœnitentiam, vt habeas vitam æternam*: Et vnus ex Canonicis aspergit eos aqua benedicta.

Pôt Rõ. p. 3. tit. de exp. pœnitẽt. pa 544.

3 Episcopus surgens deposita Mitra benedicit cilicia dicens ℣. *Adiutorium nostrum*, &c. cum Oratione *Omnipotens*,

prout in Pontificali; qua completa ipsa cilicia aqua benedicta aspergit,& capitibus pœnitentium imponit dicens: *Apud Dominum misericordia*, &c. prout in Pōtificali.

Pōt.Ro. pa. 546. 4 Imposito cilicio, procumbente Episcopo super faldistorio, alijsque genuflexis dicūtur alternatim à Choro septem Psalmi pœnitentiales cū Litanijs, in quarum fine dicuntur Versus cum suis Orationibus in pontificali assignatis.

5 Post Litanias,& Preces sedens Episcopus sermone graui peccati mala exaggerat, ac tandem surgens vnum ex pœnitentibus per dexteram manum accipiēs, sinistra candelam accensam tenentem, & omnes alios se manibus tenentes eijcit de Ecclesia dicens; *Ecce ejjcimini vos hodie*, &c. Choro interim cantante Responsorium; *In sudore vultus tui*,&c.
Pōt.Ro. 548.
& sic extra Ecclesiam eiectos, & ante ianuam genuflexos monet, ne desperent de Dei misericordia, sed ieiunijs, & orationibus, alijsq; pijs operibus ad dignos pœnitentię fructus perducantur, atq; feria V. in Cœna Domini redeant, quia tunc in Sanctam Ecclesiam reducentur, & interim ab Ecclesię ingressu abstineāt; sicque Episcopo cum Clero ad Chorum redeūte valuæ Ecclesiæ ante oculos eorum clauduntur: Deinde ad Missam proceditur.

De Cæremonijs, quæ hac die in Capella Domini Papæ obseruantur. Cap. VII.

1 *Antiquitas Stationum Romæ*.
2 *Modus antiquus in Romana Ecclesia obseruatus*.
3 *Vsus modernus*.
4 *Modus, quo Pontifex cineres imponit Cardinalibus,& Prælatis.*
5 *Agenda post cinerum impositionem*.
6 *Ordo procedendi ad Missam*.
7 *Sermo quomodo,& à quo faciendus*.
8 *Ordo procedendi ad Stationem ad Sanctam Sabinam.*

1 IN diebus Quadragesimæ ex antiquissima ordinatione Romæ in designatis Ecclesijs Stationes celebrantur; nam, vt scribit Ioannes Diaconus, S.Gregorius Magnus diuersa loca attribuit, in quibus Populus diebus ieiunorū orationi vacare consueuerat, quibus & varias edidit Homilias. Io. Dia. in dial. S. Greg. Papę.

2 Olim hac die Romanus Pontifex cū Clero,& Populo conueniebant in Ecclesiam S. Anastasię, vbi cineres benedicebantur,& publicè pœnitentes solēnibus cæremonijs in cinere,& cilicio recipiebātur, ac dimittebantur reconciliādi in die Cęnæ Dñi, iuxta morē illius sæculi, qua cinerum cęremonia peracta à S. Anastasia ad Sāctam Sabinam Clerus, ac Populus procedens cātabant per viā Antiphonas *Inter vestibulum,& Altare*,& *Parce Domine*,&c. cum Resp. *Emēdemus in melius*,ac ℣. *Peccauimus cū Patribus nostris*, ac tandem in fine cātabantur Litaniæ. Ordo Rom.

3 Vsus tamē hodiernus est, vt Romanus Pontifex sacris indutus vestibus, Pluuiali videlicet rubei coloris ac Mitra simplici in Capellam Palatii Apostolici procedat, vbi Presbyter Cardinalis, summus videlicet Pœnitentiarius, qui hac die celebrare solet, Pontificalibus indutus paramentis coloris violacei cum suis Ministris eum expectat; reliqui verò DD. Cardinales prius cū Cappis violaceis ad reuerentiam accedunt, deinde accipiunt paramenta violacea, quilibet sui ordinis, omnibusque dispositis, Cantores incipiunt Antiphonā *Exaudi nos Domine*, qua dicta accedens Subdiaconus Apostolicus paratus cum Lāce cineribus plena à dextris Papæ genuflectit; ipse vero Pōtifex surgens, deposita Mitra, assistētibus duobus Episcopis cum libro,& candela, benedicit cineres, quos aspergit,& incensat; ac statim eidem Pontifici stāti imponuntur cineres à Cardinali celebraturo parato omnibus paramentis, tātùm Chirotecis,& Annulo detractis, qui cum cineribus formās signum Crucis super caput Pontificis nihil dicit. Cærem. Rom. li. 1.c.3 1.

4 Mox Pontifex sedens, assistentibus duobus Auditoribus cum mantili ad eius genua expanso, imponit cineres primò celebraturo parato ante se inclinato capite stanti, dicens, *Memento Homo*, qui acceptis cineribus reuertitur ad faldistorium suum prope Altare, vbi sedet, & accipit Chirotecas, & Annulum Pontificalem, & imponitur ei Mitra: Reliqui verò Cardinales per ordinem vnus post alium accedentes accipiunt cineres inclinati, ac statim ipsis acceptis Pontificis genua osculantur. Post Cardinales sequuntur Prælati parati, qui genuflexi cineres accipiunt, ac Pontificis pedem osculantur.

5 Datis cineribus Papa abluit manus, & accedentibus Ceroferarijs surgẽs deposita Mitra dicit *Dominus vobiscũ*, & Orationem *Concede nobis*, &c. qua completa, omnes depositis paramentis accipiunt Cappas, Cardinales quidem intra cancellos, reliqui Prælati extra.

6 Immediatè postea ad missam proceditur, quam celebrat Presbyter Cardinalis, & in ea obseruantur omnia more solito, additis genuflexionibus, quæ fiũt modo supra prescripto in Missa, quę celebratur Episcopo assistente.

7 Dicto Euangelio, postquam Pontifex librum osculatus fuerit, & in sua sede cooperto capite sederit, Oraturus à Magistro Cæremoniarum ductus genuflexos petit benedictionem, & Indulgentias; debet autem pro loci, ac Romani Pontificis reuerentia, prout in Cęremoniali Romano habetur, fieri ab aliquo, qui sit Sacræ Theologiæ Doctor: fuit autem huius diei sermo à Paulo V. fel. mem. nostræ Congregationi concessus, à designato à Patre Generali faciendus. Sup. li. 2 sect. 2. c. 6 nu 14.

8 Post Missam proceditur ad Stationem in Ecclesia Sanctæ Sabinæ, ipso Pontifice cum Collegio Cardinalium, & reliquis Prælatis solemni apparatu suo ordine equitantibus; quam antiquam, ac laudabilem consuetudinem prætermissam Sixtus V. restituit, prout reliqui successores etiam huc vsque prosequuntur.

De Dominicis Quadragesimæ vsque ad Maiorem Hebdomadam exclusiuè. Cáp. VIII.

1 *Dominica prima olim erat caput Quadragesimalis obseruantia.*
2 *Dominica huius priuilegium.*
3 *Altaris ac Ministrorum ornatus.*
4 *Ordo quo celebratur in Capella Papali.*
5 *Vsus quatuor Temporum, & Officij ordo.*
6 *Oratio super populum olim nõ dicebatur Sabbato quatuor Temporum.*
7 *Ordo Officij Dominica secunda.*
8 *Ordo, quo in Capella Papali hac die proceditur.*
9 *Ordo Officij Dominica quarta.*
10 *In Capella Papali quomodo proceda tur.*
11 *Ordo Officij infra hanc hebdomadam.*
12 *Initium temporis Passionis.*
13 *Dominica Passionis est priuilegiata.*
14 *Ordo Capella Domini Papa in hac die.*

1 Celebris admodum hęc prima Dominica Quadragesimæ semper fuit; in ipsa namque ex antiqua Patrum traditione olim inchoabatur Quadragesimalis obseruatio, prout etiam in Ecclesia Mediolanensi iuxta Ambrosianos titus obseruatur; & in Romana Ecclesia ab hac die, à Vesper videlicet Sabbati pręcedentis incipit Officiũ propriũ tẽporis Quadragesimalis, & in omnibus ferijs, quibus ieiunatur vsque ad Sabbatũ Sãctũ inclusiuè Vesperę celebrãtur ante comestionẽ; antiquitus enim ieiuniũ in Quadragesima ad Vesperum protrahebatur. Cõsuet. Ecclet. Mediol.

2 Hęc prima Dominica iuxta Romanos ritus est primę classis; vnde quodcumque festum in ea occurrens, etiam

Patroni, vel Titularis, seu Dedicationis propriæ Ecclesię transfertur in sequentem diem non impeditam, prout diximus supra de prima Dominica Aduentus.

3 Altare floribus non ornatur, neque Sanctorum Imagines, seu Reliquiæ inter candelabra apponuntur: Ministri etiam non vtuntur Dalmatica, ac Tunicella, sed Planetis plicatis.

4 Romæ in Palatio Apostolico hac die celebratur Capella Papalis ab aliquo ex Episcopis assistentibus: Dominus Papa accedit indutus Pluuiali rubeo; DD. verò Cardinales assistunt cum Cappis violaceis,& fit sermo per Procuratorem Ordinis Prædicatorum.

5 In hac prima hebdomada, iuxta antiquas Sanctorum Patrum Sanctiones, vnà cum ieiunio Quadragesimali celebratur etiam solemne ieiunium quatuor Temporum primi mensis in Vere, in quo mere solito multiplicantur preces, & Orationes pro Ordinandis; & ideo Sabbatum olim solemniter officiabatur, dicebaturque Sabbatum duodecim Lectionum, nam sex Græcè, sex verò Latinè recitabantur cum suis Orationibus, & genuflexionibus iuxta Lectionum numerum præmittendis. Hac die legitur idem Euangelium, quod in sequenti Dominica; nam Ordinationes quę fiebant in Sabbato, producebantur vsque ad diem Dominicam, vt dictum est supra de Dominica IV. Aduentus; & ideo sicut & illa, ita & ista dicebatur Dominica vacans.

Alcuin Microl

6 Olim etiam, vt notant Alcuinus, & Micrologus, in Missa Sabbati quatuor Temporum Quadragesimę in ordine Romano interdicebatur Oratio super populum, in qua non solùm capita, sed & genua deuotè plebs flectebat, nam huius diei Officium, quod nocte celebrabatur, vsq; ad mane diei Dominicę producebatur, in qua Niceni Canones genuflectere prohibebāt; modò vero ex consuetudine mane celebratur, & ideo talis Oratio dici debet.

7 Officium Dominicę secundę Quadragesimę est secundę classis, sicut & Dominicę tertię, & quartę; & ideo iuxta Rubricas duplex in eis occurrens transferrur, & tantùm fit de Patrono, Titulari, vel Dedicatione Proprię Ecclesiæ cum Commemoratione Dominicæ, cuius Homilia pro nona Lectione dicitur, & Euangelium in fine Missæ legitur. Rub. Br. Rom.

8 Romę in palatio Apostolico Dominica secunda celebratur, sicut & in precedenti ab vno ex Prelatis assistentibus: DD. verò Cardinales assistunt cum Cappis violaceis, & fit sermo per Procuratorem Ordinis Sancti Francisci de Obseruantia. Eodem modo proceditur in sequēti Dominica, & fit sermo per Procuratorem Ordinis Heremitarū S. Augustini. Cærem. Rom. li. 2. c. 35. & 36.

9 Quarta Dominica Quadragesimæ, quę & lętare dicitur, est dies lętitię, & exultationis; vnde in Ecclesia in vestibus letitię celebratur; licet enim quoad ordinationem Officij, vt diximus, eiusdem sit ordinis cum precedenti, tamen quoad apparatum Altare solemniùs ornatur cū flosculis, atque etiam cum Sanctorum Imaginibus, seu Reliquijs; ministri verò nequaquā vt in precedentibus Planetis plicatis, sed Dalmatica, ac Tunicella vtuntur. Cærem. Ro. li. 2. c. 37.

10 Romæ in Palatio Apostolico hac die celebrat Presbyter Cardinalis; est enim, vt diximus dies lętitię, & DD. Cardinales induti subtanis coloris rosæ siccę, quibus tota die vtuntur, erunt in Capella cum Cappis eiusdem coloris. Romanus verò Pontifex antequam ad Capellam accedat, in Camera paramentorum benedicit Rosam auream, quam inungit balsamo imponens muscum, & ex eadem Camera ad Capellam procedens Rosam sibi à Diacono Cardinali porrectam sinistra deferens, dextera benedicit populo. Intra Missarum solemnia fit sermo per procuratorem Ordinis Beatę Marię de

Monte

Monte Carmelo: cōpleta Missa Pōtifex accepta Rosa à Diacono Cardinali eodē modo, quo venerat cum ipsa ad Camerā suā reuertitur;& si is, cui eam dare voluerit, fuerit pręsens, manum ac pedē Pontificis exosculatus ei gratias agit, ipsamque Rosam gestans cum suo comitatu reuertitur.

11 Infra hanc hebdomadam olim fiebat scruptinium Electorum, de quo aliàs Deo dante; modò verò in Sabbato, quod dicitur *Sitientes* quia sic Introitus Missæ illius diei incipit, conferuntur de more Ordines; ideo & in pręcedenti feria IV. dicuntur duę Lectiones, & ante primam Orationem genuflectendo dicitur *Flectamus genua*, prout in quatuor Temporibus.

12 Sabbato ad Vesperas incipit tempus Passionis, in quo Officium est peculiare, & omittūtur Versus lętitiæ, & Cruces, nec non Sanctorum imagines coo periuntur.

13 Dominica V. Quadragesimæ est solemnis primæ classis, in qua duplex occurrens, etiam ex solemnioribus trāsfertur, diciturque Dominica Passionis; nam toto hoc tempore Passionis Domini Mysterium recolitur.

14 Celebratur hac die in Palatio Apostolico eodem modo, quo & in præcedentibus ab Episcopo assistente ijsdem ritibus supra explicatis, & sit sermo per Procuratorem Ordinis Seruorum.

SECTIO QVINTA.

De Hebdomada Maiori in genere, & Dominica Palmarum.

Præparanda pro celebratione Officij Hebdomadæ Maioris.

Cap. I.

1 *Cur hac hebdomada maior, ac sancta dicatur.*
2 *Necessaria præparanda.*
3 *Munditles in Ecclesia procuranda.*
4 *Supellex Officijs celebrandis necessaria.*
5 *Cereorum qualitas.*
6 *Candelabra præparanda.*
7 *Instrumenta lignea loco campanarum adhibenda.*
8 *Palmarum numerus, & ornatur.*
9 *Locus Sanctissimi Sacramenti quomodo ornandus.*
10 *Diligentia à Caremoniario adhibenda.*

1 Hebdomada septenarium numerum, sicut & ὀγδοὰς octonarium denotat, nam quod Græcè ἑβδομὰς idem est ac שבוע idest Schibuah Hebręorum illam primò denotans Hebdomadam, seu Septimanam, qua mundus sex dierū circulo à Deo ordinatus, ac tandem completo opere Sabbatum, hoc est septimus dies quietis, institutum fuit; vnde & successiuis temporibus ijsdem dierum cyclis pluries repetitis hebdomadas iure Diuino ordinatas populus Dei ad instar primæ computabat. Et quia peccatum intrans in mundum cuncta corrupit, inueteraro homine, ipsum quoque veterem reddidit mundum; & nouus Homo veniens in mundum Iesus Christus Dominus noster; ipsū volens aduentu suo piissimo renouare, atq; sanctificare per proprium sanguinem instaurauit vniuersa, etiam inueterata tempora, vt propterea teste Augustino redemptionis Mysterij non certo die, vt reliqua, sed obseruato Cœlorum, ac Syderum decursu in Veris tempore, quo renouatur annus, per hebdomadam integram ab Ecclesia, septem videlicet dierum spatio ritè celebretur. Idcirco præsens hebdomada, cum in ipsa redemptionis humanæ Sacramēta recolamus, renouationem scilicet Humani generis, ac temporum nostrorum sacram dispositionem, non simpliciter, vt reliquorum spatia, atque dimensiones Hebdomada dicitur, sed iuxta maiora, sanctaque mysteria, quæ celebrantur, antiquissima populi Christiani traditione,

D Aug. epi. 118. & 119.

& Maior,

& Maior, & Sancta Hebdomada nuncupatur.

2 Singularis itaque diligentia his diebus ab Ecclesiasticis adhiberi debet, quò tam diuina mysteria ritè pertractentur; isti namque sunt dies, quos obseruare debemus tēporibus suis magis, quàm typicos illos per Moysen populo Dei ordinatos; inuigilent propterea Ecclesiæ Ministri, ac præcipuè Cęremoniarū Magister, atque Sacrista, vt cuncta bene, atque congruè disponantur.

3 Ecclesia in primis vndique mundetur; parietes, laquearia, cancelli, pauimentum, absterfis sordibus, puluereque discusso, atque aranearum telis amotis, quàm diligenter expurgentur. Vasa sacra, Calices videlicet, ac Pyxides, candelabra, thuribula, lampades, & singula instrumenta Ecclesiastico vsui necessaria expoliantur.

4 Linteamina Altaris, ac Ministrorū nitida præparentur; paramenta item celebrantium, ac Ministrorum præuideatur, vt integra, apteq; è concinnata inueniātur, quò, cum res postulauerit, vniuersa supellex bene aptata in promptu sit: Baldachinum pariter albi coloris pro processione feriæ V. in Cœna Domini, & nigri coloris cum suis hastis pro processione feriæ VI. in Parasceue præparari debet.

Su. li 1. sec. 3. c. 8. nu. 8. 9. 10. & 11. 5 Cerei pro Matutinis tenebrarum, & Officijs huius hebdomadæ pręparentur, sicut dictum est de Officio Ministri Cereorum.

6 Præter alia instrumenta huiusmodi Officijs celebrandis necessaria, præparari debet Candelabrum triangulare, in quo quindecim candelæ ceræ communis pro Matutinis tenebrarum affigi possint, hinc inde gradatim insurgentibus septenis clauis ferreis, in supremo loco habentes quintumdecimum, æqualiter inter se distantes cum suis lucernulis, seu gyrellis affabrè opere tornatili elaboratis. Candelabrum item eminens à latere Euangelij pro cereo Pascalis constituendum, nec improbatur eorum consuetudo, qui pro huiusmodi cereo Angeli in albis simulacro vtuntur. (Cōsuet. Cleric. Regul. Theat.)

7 Et quia ad mœrorem denotandum, loco campanarum in triduo adhibētur signa lignea, ideo præter crepitaculum, quo tunc in Ecclesia vtimur, etiam in turri campanili decet, vt ligneum instrumentum periti viri industria, quo populus ad Diuina officia conuocari possit, accommodetur. (Cōsuet. Cleric. Regul. Theat.)

8 Pro Officio Dominicę Palmarum, præter paramenta necessaria, pręparentur Palmæ, seu rami Oliuarū, inter quos erunt paruæ cruces ex Palmarum folijs compositę, cum flosculis, & alis ornamentis, pręcipuè pro Episcopo, Pręlatis, Principibus, Magistratibus, Celebrante, ac Ministris; pro Clero verò, & populo aptentur rami Oliuarum cum huiusmodi paruis Crucibus, iuxta numerum eorum, qui ad festiuitatem conueniunt, & locorum consuetudinem.

9 Pro Sacratissimo Christi corpore in feria V. asseruando in aliquo Ecclesię Sacello pręparetur structura, quàm vulgò sepulchrum vocant, piè ac religiosè ornata, in cuius capite loco eminenti, quo per gradus ascendatur, erit Sanctissimi Sacramenti loculus ita aptatus, vt Calicem cum Patena capiat, & vbi haberi poterit, erit ad modum Arculæ vndique ornatæ, intra quam Corporalia explicari debent, vt ibi Calix reponatur, quę & claui recludatur, desuper habens tribunam ad modum Ciborij, vel Baldachinum. Circumcirca erunt candelabra, vel Angelorum simulacra cum cereis benè disposita, ac vasculis floribus ornatis. Profana omnia, ac leuia omnino vitentur, sed singula ad pietatem, dum tale Mysterium celebratur, fidelium mentes excitantia, maiori qua poterit magnificentia, ac religione accommodentur. (Cōsuet. Cleric. Regul. Theat.)

Cōsuet. Cleric. Regul. Theat. 10 Magister Cęremoniarum summa diligentia singula pręuideat; Ministros omnes, ipsumque celebrantem quotidie de agendis instruat, & ante omnia tempore (Cōsuet. Cleric. Regul. Theat.)

pore opportuno per Tabellam in Sacristia affigendam singulorum munia distribuat, quò singulis quid agere debeant innotescat; quotidie etiam ad Vesperum clausis Ecclesię ianuis in sequenti die ministraturos conuocans, prout res postulauerit, moneat, atque etiam, si opus fuerit, simulatis gestibus instruat; maximè enim decet, vt silentio absque directore quisq; oppotuno tempore suum exequatur munus.

Cõsuet. Cleric. Regul. Theat.

FORMA TABVLAE in Sacristia affigendę pro Officijs Maioris Hebdomadę. Cap. II.

Tabula eorum, qui in Officijs Maioris Hebdomadæ celebrare, vel ministrare debent.

Dominica Palmarum ad Benedictionem, & Processionem.

Celebrans R.P.D.N.
Diaconus R.D.N.
Subdiaconus N.
Crucem deferens N.
Thuriferarius N. Acolythus N.
Ceroferarii N.& N.
Distribuunt Palmas N.& N.
Cantores ad benedictionem, & Processionem N.& N.
Cantores qui in processione intra Ecclesiam cantare debent Vers. *Gloria, Laus*,&c. saltem erunt quatuor.
Cantant Passionem N.N.& N.

Feria III. Maioris Hebdomadæ ad Missam.

Celebrans R.N.
Diaconus N.
Subdiaconus N.
Thuriferarius N.
Acolythus N.
Ceroferarij N.& N.
Cantant Passionem N.N.& N.

Feria IV. ad Missam eodem modo adaptabitur Tabula.

Eodem die ad Matutinum Tenebrarũ

Celebrans R.N.
Cantant Lectiones primam N. secundã N. tertiam N.& sic deinceps.
Assistir ad extinguendos cereos in Altari N.
Extinguunt cereos super cancellos N. & N.
Assistunt ad euitandum tumultum, & excessum fragoris in Ecclesia N.& N. Eodem modo in sequentibus diebus efformari poterit Tabella singulis diebus Ministros designando.

Feria V. in Cœna Domini ad Missam.

Celebrans R.P.N.
Diaconus N.
Subdiaconus N.
Deferens Crucem N.
Thuriferarius N. Acolythus N.
Ceroferarij N.& N.
Assistunt ad Orationem ante Sanctissimum Sacramentum
Ab hora 17. vsque ad 18. N.& N.
Ab hora 18. vsque ad 19. N.& N.
Et sic deinceps successiuis horis assignãtur bini Collegiales vsque ad horam processionis sequentis diei, & vbi est Congregatio, designantur etiam Sodales.
Ad Mandatum
Cantores primi Chori N.& N.
Cantores secundi Chori N.& N.
Prębarant necessaria N.& N.
Lauant pedes N.& N.

Feria VI. in Parasceue.

Celebrans R.P.N.
Diaconus N.
Subdiaconus N.
Cantat primam lectionem N.
Cantant Passionem N.N.& N.
Cantores primi Chori ad improperia N.& N.
Cantores secundi Chori N.& N.
Cantores ad processionem N.& N.
Deferens Crucem N.
Thuriferarius N. Acolythus N.

Cero-

Ceroferarij N.& N.

Sabbato Sancto ad Missam,

Celebrans R.P.N.
Diaconus N.
Subdiaconus N.
Thuriferarius N. Acolythus N.
Ceroferarij N.& N.
Deferens cādelam propè arundinem N.
Deferens, & adaptans suo loco Cereum N.
Cantans Prophetias primam N. secundam N. & sic deinceps vsque ad præscriptum numerum.
Cantores ad Litanias, Missam, ac Vesperas N.& N.

In die Sancto Pascha.

Celebrans R.P.N.
Diaconus N.
Subdiaconus N.
Thuriferarius N. Acolythus N.
Ceroferarij N.& N.
Cantores N.& N.
Cantant Lectiones primam N. secundam N.
Eodem modo sequentibus duobus diebus designari poterunt Ministri.

De Officio Dominicæ Palmarum. Cap. III.

1 *Mysteria huius Dominicæ.*
2 *Ornatus Altaris qualis.*
3 *Sacramentum ab Altari amouendum.*
4 *Ordo procedendi ad benedictionem.*
5 *Introitus Osanna quomodo cantandus.*
6 *Oratio, & Epistola quomodo dicenda.*
7 *Diaconus quomodo Euangelium cantabit.*
8 *Ordo in benedictione seruandus.*
9 *Præfatio quomodo cantanda.*
10 *Orationes post Præfationem dicendæ.*
11 *Aspersio, & thurificatio ramorum quomodo facienda.*
12 *Palma celebranti quomodo danda.*
13 *Digniori, atque Ministris quando, & quomodo danda.*
14 *Ministrorum munus in distributione.*
15 *Prælatis quomodo danda sit Palma.*
16 *Quomodo reliquis de Clero, & Populo.*
17 *Deputandi ad Palmas distribuendas.*

1 CVm præcedenti hebdomada Dominicę Passionis mysterium in genere, ab hac tamen die per totam maiorem hebdomadam in specie ad singularia, quæ pro nobis passus est Redemptor noster, deueniendo memoria celebretur; in primis hac die solēnis Christi Domini in Sanctam Ciuitatem recolitur ingressus, vbi consumari debebant omnia, quæ de illius passione, & morte scripta erant; vnde & puerorum occursus cum ramis in benedictione, & processione repræsentatur: Et quia in hac sancta, & pęnosa Hebdomada Passio ipsa, ac mors Saluatoris nostri ad memoriam reuocari debet, quę vnanimi quatuor Euāgelistarum cōsensu scripta habetur, cum per ordinem singuli intra Hebdomadam hanc legi debeant, primus locus hac die Sancto Matthæo tribuitur, qui primus omnium Euangelicam scripsit Historiam.

2 In Officio huius diei tristibus mixta sunt læta: nam non solùm dolorosa Christi Domini passio; verùm etiam eius ingressus cum lætitia triumphali, & Cāticis exultationis solemniter in ipsis Palmis, quę distribuuntur, ad memoriam reuocatur: propterea Altare solemniter ornabitur; inter candelabra loco florum hinc inde rami Palmarum, & Oliuarum flosculis consiti, auroq; ornati adhibentur. Cōsuet. Cleric. Regul. Theat.

3 Ne celebrans cum ministris in ipsa Palmarum distributione terga Sacramēto vertat, vbi regulariter in Altari maiori asseruatur, ob reuerentiam tanti Sacramenti decet, vt hac die in alium locum decenter ornatum transferatur; nam in Cathedralibus Episcopo celebrāte amo- Cōsuet. Cleric. Regul. Theat.

ueatur

uetur: pro communicandis tamen in Missa solemni preparetur vas cum Hostijs consecrandis.

4 Pro benedictione, ac processione pulsantur campanæ sono harmonico, & omnia fiunt, prout in festo Purificationis ad benedictionem,& processionem, & antequam inchoetur benedictio, fieri debet aspersio aquę benedictę ratione dici Dominici, modo consueto.

5 Post aspersionem recitata Oratione *Exaudi*,&c. immediatè à Cantoribus inchoatur Antiphona *Osanna*;& interim celebrans cum ministris Altare ascēdens illud in medio osculatur,& ad cornu Epistolæ accedens, Diacono à dextris, & Subdiacono à dextris Diaconi existentibus solus submissa voce legit Antiphonā *Osanna*,qua completa Ministri recedunt vnus post alium.

6 Expleto cantu Antiphonę,celebrās eodem loco stans,nec se conuertens ad populum, iunctis adhuc manibus dicit *Dominus vobiscum*, & Orationem, post quam Subdiaconus more solito cantat Epistolam, deposita prius Planeta plicata,& in fine celebrantis manum osculatur,librum Diacono tradit,& rursum Planeta more solito ei imponitur.

7 Diaconus pariter vt suum exequatur munus, cantata Epistola, deposita Planeta accipit Stolam latiorem, ministrat incensum, dicit *Munda cor meum*, petit benedictionem,& Euangelium more solito cantat, ac postea, vbi celebrans librum à Subdiacono delatū fuerit osculatus, ipsum incensabit.

8 Celebrās vbi post Euangelium fuerit thurificatus, conuertens se ad Altare in cornu Epistolæ,procedens ad benedicendos ramos dicit iunctis manibus *Dominus vobiscum*,& Orationē *Auge fidem*, Ministri interim stāt retro post celebrantem, Diaconus quidem immediatè post eum folia libri,cum res postulauerit,vertit,& cum signum Crucis super ramos efformari debet,Pluuialis fimbrias eleuabit: Subdiaconus verò post Diaconum, & Acolythi in eodem cornu post Subdiaconum stabunt.

9 In fine Orationis dicitur Præfatio, in cuius fine per Chorum cantatur *Sanctus*: interim Ministri more solito ascendunt Altare,& vnà cum celebrante hinc inde dicunt submissa voce *Sanctus*,& reliqua quæ sequuntur vsque ad *Dominus vobiscum*: dum verò Chorus eundem prosequitur cantum, ipsi recedunt retro post celebrantem, ibique vnus post alium, donec perficiantur Orationes, assistunt.

10 Post Præfationem Celebrans ibidem stans iunctis manibus dicit *Dominus vobiscum*,& quinque sequentes Orationes, interim astantibus Ministris, vt supra.

11 Dicta Oratione *Benedic*,&c.ministratur incensum,ac ter asperguntur, ac triplici ductu incensantur rami: deinde Celebrans stans, vt supra, dicit *Dominus vobiscum*, & Orationem *Deus qui filium tuum*, &c.

12 Completa benedictione accedens dignior ex Clero in habitu suę dignitatis,si sit Canonicus,qui habeat vsum Cappę, vel Almutij, si verò tali habitu non vtatur, Stolam habens supra superpelliceum,accipit palmam pulchrè ornatam de manu Magistri Cęremoniarum, vel Sacristæ ibi assistentis, eamque cum osculis ipsius,ac manus porrigit celebrāti,qui facie ad dantem conuersa illā sine osculis accipit, & si ita visum fuerit, ne, dum palmas distribuit, impediatur, poterit eam vel in Altari loco congruo reponere,vel alicui ex Clericis tenendam tradere. Tunc Cantores in Choro inchoant Antiphonas *Pueri Hebræorum*,quas prosequitur Chorus, ipsas repetendo vsque dum rami distribuantur.

13 Postquam Celebrans palmā modò iam dicto accepit, conuersus ad populum distribuit palmas primò digniori, à quo ipse accepit,mox Ministris,qui genuflexi palmam primū, mox celebrantis manum osculando ipsam accipiunt.

14 Acceptas palmas Ministri in Altari, vel alio loco congruo reponunt, ac Celebranti hinc inde assistendo Pluuialis fimbrias eleuatas tenebunt, ipsum, dum palmas distribuit, adiuuando.

15 Si adsint Prælati, vel Canonici in dignitate constituti; ante omnes alios, palmas stantes accipiunt; pariter si loci Superior, puta Præpositus, Rector, Prouincialis, &c. sit palmam accepturus, non genuflexus, sed inclinatus, & cum osculis ipsam accipit.

16 Reliqui Sacerdotes, ac Clerici bini accedentes supra gradum Altaris genuflexi cum osculis, vt supra palmam accipiunt, & accedentes, & recedẽtes congruam Altari reuerentiam ambo simul inclinantes, ac simul pariter se erigentes suo ordine faciũt. Post Clericos sequuntur laici, & vbi Magistratus, ac Magnates adsunt, decet, vt ante omnes alios palmas, easque ornatas, ac decenter aptatas accipiant. Vbi est Congregatio Sodalitatis, iuxta locorum consuetudinem, poterunt, & similibus distribui palmæ in ipso Altari. Reliquis verò turmatim accedentibus non in Altari, sed ante cancellos à celebrante, & à Ministris distribuuntur.

17 Vbi frequens est populi concursus, designati à Magistro Cęremoniarum Stolas violaceas supra superpelliceos habentes seorsum viris, ac mulieribus palmas distribuent, ministrantibus Acolythis pariter superpelliceis indutis, qui ipsos ramos Sacerdoti porrigent, non tamen ipsi distribuent; hoc enim ad Sacerdotis spectat officium.

De ordine in Processione huius Dominicæ seruando. Cap. IV.

1 *Præparanda pro processione.*
2 *Incensum ministrandum.*
3 *Diaconus procedentes monet.*
4 *Ordo procedendi.*
5 *Cantorum munus in Processione.*
6 *Ordo in processione, ac statione ante Ecclesiam seruandus.*
7 *Ordo ingrediendi Ecclesiam.*

1 Circa finem distributionis Palmarum curet Magister Cæremoniarum, vt omnia pro processione bene sint distributa. In Sacristia Subdiaconus pro Cruce induatur Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo, ac Planeta plicata coloris violacei: ipsa Crux sit violaceo velo cooperta, palmæque, seu oliuę benedictæ ramusculũ in summitate habeat. Thuriferarius thuribulum cũ prunis accensis præparabit; Ceroferarij cum candelis accensis ex credentia sument deferenda ante Crucem Celebrãs verò completa ramorum distributione, manus lauat, & abstergit à latere Epistolæ, mox ad Altare conuersus in eodem cornu stans iunctis manibus dicit *Dominus vobiscum*, & Orationem *Omnipotens*, &c. Rubric. par. Mis.

2 Completa Oratione, accedit Thuriferarius cum thuribulo, & nauicula, & Diacono ministrante per Celebrantem imponitur, & benedicitur incensum, tum Celebrans, ac Ministri palmas in manibus accipiunt.

3 Omnibus ita dispositis, Diaconus facta prius Altari reuerentia, conuertens se ad populum clara voce dicit *Procedamus in pace*, cui Chorus respondens dicit eodem tono, *In nomine Christi. Amen.*

4 Tunc per Magistrum Cæremoniarum ordinatur processio, in qua ante omnes præcedit Thuriferarius, sequuntur post eum Ceroferarij cum candelabris, & cereis accensis, medium habentes Subdiaconum Crucem deferentem; post Crucem Clerici, ac reliqui Sacerdotes bini superpelliceis induti, ac palmas in manibus gestantes, illi quidem, qui à dexteris dextera, qui verò à sinistris sinistra, primò iuniores, deinde per ordinem seniores semper æqualiter inter se distantes, ac pari passu grauiter; ac maturè incedentes. Vltimus omniũ procedit Celebrans Pluuiali indutus inter Mini-

stros

ſtros palmas pariter in manibus geſtãtes; & ſi adſint Prȩlati immediatè poſt celebrātē proceſſũr, deinde Nobiles, ac reliqui de populo;& vbi eſt conſuetudo, vt Sodales Congregationis ad proceſſionē accedant,ante Clericos bini pariter, ac palmas in manibus geſtantes ſuo ordine procedere debent.

5 Cantores,ſtatim ac proceſſio inceperit, Antipho. prȩſcriptas inchoabũt, quas vel Scola in Cathedralibus alios omnes prȩcedens cantare debebit, vel Clerici,ac Sacerdotes in Collegiatis Cãtoribus inchoantibus, & reliquis omnibus proſequentibus;cãtantur autem vel omnes,vel aliquȩ ex aſſignatis,& ſi opus fuerit,etiam aliqua ex ipſis repetitur,ita vt ſemper ex ipſis cantetur quouſque duret proceſſio.

6 Proceditur à latere Epiſtolȩ per Eccleſiam,& egreditur proceſſio extra portam maiorem Eccleſiæ,& vbi omnes fuerint egreſſi, Subdiaconus deferens Crucem ante fores Eccleſiȩ medius inter Ceroferarios aſtante etiã Thuriferario ſiſtit ſe,reliqui per gyrum circumſtãt medium ante ipſas fores habentes celebrantem cum miniſtris facie ad ianuam Eccleſiæ conuerſa. Interim quatuor vel pluribus Cantoribus à Magiſtro Cæremoniarum deſignatis ingredientibus; Eccleſiæ ianuȩ clauduntur; ipſi verò intus facie ad oſtium conuerſa clara,& intelligibili voce cãtant Verſ.*Gloria,laus,& honor*,&c. quem Chorus extra exiſtens repetit:Proſequuntur deinde Cantores alios duos Verſus ſequentes,& Chorus repetit *Gloria,laus,& honor*,&c. & ſic deinceps cãtantur alij Verſus, Choro ſemper repetente *Gloria,laus*,&c.

7 Cantatis omnibus Verſibus, vel eorum parte, prout tempus, & occaſio poſtulauerit,Subdiaconus deferens Crucem tangit cum illius haſta Portam,quȩ ſtatim aperitur, & proceſſio ingreditur, & tunc Cantores,qui ſunt ab extra,incipiunt Reſp.*Ingrediēte Domino*,&c. Choro proſequente dicitur Antiphona cum ſuo Verſu ſine *Gloria Patri*; quòd ſi longior ſit proceſſio, repeti poterunt eadē, donec perueniatur ad Altare.

De Miſſa ſolemni in Dominica Palmarum. Cap. V.

1 PRoceſſione completa, ſi idem celebrare voluerit,depoſito Pluuiali,lauat manus,& Caſula in Sacriſtia,vel etiam in Choro induitur: ſin minus, dũ fit proceſsio, celebraturus in Sacriſtia paramentis induitur,& proceſsione completa cum miniſtris palmas in manibus geſtãtibus, præcedentibus Thuriferario, ac Ceroferarijs more ſolito ad Altare proceditur, quò cum peruenerint,adhibitis debitis reuerentijs, palmas Acolythis tradunt, qui ipſas ſuper Altare, vel alio loco congruo reponent: Celebrans verò cum Miniſtris facit Confeſſionē, & Altare aſcendens incenſat, ac reliqua omnia more ſolito proſequitur.

2 Cũ Subdiaconus in Epiſtola pronũciat illa verba *Vt in nomine Ieſu omne*, &c.Celebrans, & omnes vſque ad terrã vtrũq; genuflectunt,ſic permanētes vſq; ad illa verba *Et infernorum* incluſiuè.

3 Subdiaconus cantata Epistola manum celebrantis osculatur, librum verò Acolytho tradit, resumptaq; Planeta plicata celebranti vnà cũ Diacono assistit.

Cærem. Episc. li. 2. c. 21. 4 Tres, qui Passionem sunt cantaturi, dũ cãtatur Epistola, & Tractus, in Sacristia induuntur Amictu, Alba, Cingulo, ac Stola violacea ab humero sinistro pēden te; & circa finem Tractus procedunt è Sacristia, præcedente Cæremoniario, primò is, qui Euangelistæ personam agit, portans sibi librum, deinde qui Turbarum, vltimò qui Christi; sequuntur tres Acolythi superpelliceis induti, & procedentes in medium faciunt Altari reuerentiam, deinde accedunt ad locum, vbi cantaturi sunt Passionem ad latus Euangelij, seu in pulpito secundum consuetudinem Ecclesiarum, ibique in medio constituunt eum qui Christi personam agit, ad dexteram eum, qui Euangelistę, & ad Paris de Crass. li. 3. c. 44. sinistram eum, qui Turbam repræsentat; Acolythi verò facie ad Cantores conuersa stant, quorum qui est medius librum tenebit, quem inter se æquali spatio, dum Pãsio recitatur, ita mutuabunt, vt semper ipsum tenens in medio sit, assistentibus hinc inde alijs duobus.

5 Non tamen earum Ecclesiarum consuetudo improbatur, in quibus in Cõsuet. Cleric. Regul. Theat. Legilibus singuli cantantes Passionem suum habebunt librum, quibus, & duo Acolythi superpelliceis induti assistunt post Lectorilia, vel à lateribus, prout loci ratio postulauerit, & vbi in pulpito cãtatur, decet vt Acolythi retro post cantantes assistant; huiusmodi autem Acolythi assistẽtes hac die palmas in manibus tenebunt.

6 Cum Passio inchoatur, omnes surgunt detecto capite, palmasque in manibus tenent vsque ad finem Passionis; Celebras quoque palmam manu tenens in cornu Epistolæ assistentibus sibi Diacono, & Subdiacono, palmasque in manibus tenentibus, submissa voce ligit Passionem versus aliquantulum ad illam cantantes, & ad ea verba *Iesus autem exclamans voce magna emisit spiritum*, cum Ministris genuflectit, ac deinde surgens prosequitur Passionem vsque ad illam partem, quæ dicitur in tono Euangelij, quò cum peruenerit, procedit in medium ibique dicit *Munda cor meum*, & *Iube Domne benedicere*. Interim Subdiaconus trãsfert librum in cornu Euãgelij, assistentibusq; ijsdem Ministris celebrans prosequitur eam partem, quę dicitur in tono Euãgelij simpliciter, ac submissa voce legendo, nec in principio signat librũ, sed vsque ad finẽ prosequitur.

7 Lecta Passione retrocedit ad latus Epistolę facie conuersa ad Cantores, prout fit in aliis Missis solemnibus, cum cantatur Euangelium; Ministri verò stant à latere aliquantulum post eum, & Acolythi in plano facie ad latus Euangelij conuersa.

8 Cum cãtantur verba illa *Iesus autem exclamans voce magna emisit spiritum*, omnes genuflectunt, exceptis Acolythis, qui ministrant librum; Cantores quidem versus librum, reliqui verò quilibet in suo loco, facie tamen versus Crucem Altaris conuersa, & vbi per aliquam morulam sic genuflexi sub silentio sacrum fuerint contemplari mysterium, quod repræsentatur, signo dato à celebrante manu super Altare, omnes surgunt, & Cantores prosequuntur Passionem vsque ad illam partem, quę cãtari debet in tono Euangelij, factisque debitis reuerentijs Altari, & celebranti recedunt ordine quo venerant.

9 Diaconus, qui ministrat celebranti, vbi peruentum fuerit ad illam partem, quæ cantari debet in tono Euãgelij, deposita Planeta plicata, accipit Stolam latiorem, librumque sibi ab Acolytho porrectum vtraque manu eleuatum tenens cum debitis reuerentiis super Altare reponit; deinde ministrat more solito incensum; dicit *Munda cor meum*, & benedictione accepta procedit ad cantandam eam partem, quæ dici debet in tono Euangelii, assistentibus

omni-

duobus Acolythis palmas in manibus gestantibus; ipse verò primùm quidem rer librum incensat, non tamen signat se, neque librum, sed tono consueto Euangelij cantat illam partem vsque in finem terminando eam eodem modo, ac tono, quo solet Euangelium, & Subdiaconus librum tenens in fine respondet *Laus tibi Christe*, ipsumque osculandum celebrāti defert, qui pariter à Diacono more solito incensabitur.

Rub. gene. Miss. XIII. 2. 10 In fine Missę dicitur Euangeliū S. Ioan. nā Euāgelium Palmarum fuit iam cantatum in principio, prout in Rubrica emendati Missalis habetur.

11 Celebrans, ac Ministri recedentes palmas in manibus gestabunt.

Cærem. Episc. li. 2. c. 22. 12 Feria III. & IV. Maioris hebdomadæ celebratur Missa solemnis secundum ritum, & Cæremonias, quę obseruari debent diebus ferialibus, eodem modo quo supra in feria IV. Cinerum; Passio autem recitabitur ijsdem ritibus quibus in Dominica.

De Missis priuatis. Cap. VI.

1 *Obseruanda in Missarum huius diei celebratione.*
2 *In Epistola quando genuflectendum.*
3 *Ordo legendi Passionem.*
4 *Ordo legendi in tono Euangelij.*
5 *Obseruanda in sequētibus ferijs III. & IV. quando dicitur Passio.*
6 *Euangelium in fine Missa legendum.*

1 Aliquid peculiare in Missis priuatis huius diei obseruandum erit à celebrantibus; nam præter ea, quæ sunt supra adnotata de tempore Passionis, nō dicitur ante Confessionem Psalmus *Iudica me Deus*, neque in Introitu ℣. *Gloria Patri*, sicut nec in Psalmo *Lauabo*.

Cærem. Episc. li. 2. c. 21. 2 In Epistola, dum dicuntur illa verba *In nomine Iesu*, oportet vtrumque genuflectere, donec perficiantur sequentia verba vsque ad *Et infernorum* inclusiuè.

3 Lecta Epistola cum Graduali, ac Tractu Sacerdos accedit ad medium, donec per Ministrum transferatur liber, nihil interim dicens, sed vbi fuerit liber translatus conuertens se ad cornu Euangelij, non signando se ipsum, neque librum immediatè incipit *Passio Domini nostri Iesu Christi*, &c. nec respondetur *Gloria tibi Domine*, sed immediatè ipsam prosequitur Lectionem, grauiter, motosè, ac deuotè, vt decet tantum mysterium, verba Sancti Euangelij proferēdo, inclinans se, cum profertur sanctum nomen *Iesu*, versus librum, & cum peruentum fuerit ad illa verba *Iesus autem exclamans voce magna emisit spiritum*, genuflectunt omnes, ipse quidem celebrans versus librum iunctis manibus, ac capite humiliter, deuotèque inclinato; minister verò, ac reliqui circumstantes ad Altare conuersi, deuotè pariter, atq; humiliter supplicantium more inclinati; & vbi aliquantisper sub silentio sacrum fuerit mysterium contemplatum, facto prius signo à celebrante manu super Altare, ipse reliquique omnes surgunt, & eodem modo, & loco legendo prosequitur reliqua vsque ad illam partem, quæ dici debet in tono Euangelij.

4 Antequam legat partem illam, quæ in tono Euangelij dici debet accedēs ad medium Altaris more solito inclinatus, ac manibus iunctis dicit *Munda cor meū*, &c. & *Iube Domine benedicere*, quibus dictis rursum ad librum rediens non signādo librum, neque se ipsum, quæ sequuntur in tono Euangelij prosequitur clara, & intelligibili voce vsq; in finem, & tūc Minister respondebit *Laus tibi Christe*.

5 Hæc autem omnia eodem modo obseruātur in sequētibus ferijs tertia, & quarta, in quibus legitur eodem ordine Passio secundum Marcum, & Lucam.

6 In fine Missæ huius diei iuxta emēdati Missalis Rubricas legitur Euangelium Palmarum.

Obseruanda in Chathedralibus Episcopo celebrante ad benedictionem, & processionem Palmarum.

Cap. VII.

Cærem. Episc. li. 2. c. 21. 1 IN Cathedralibus circa benedictionem, ac processionem Palmarum, eadem fere obseruari debent, quę in benedictione, & processione cādelarum; Altare tamen ac Tribuna remissiùs hac die ornantur. Palmæ ornatæ cum flosculis præcipuè pro Episcopo, Canonicis, ac Prælatis, nec non Magistratibus, magnifque Viris, si aderunt, ptęparenrur; super ipsum verò Altare stetni debent paramenta pro Episcopo.

2 Episcopus ad Ecclesiam hora congrua à Canonicis associatus accedens, vbi aliquantisper orauerit, in sua sede paramenta accipit: Canonici pariter eodem tempore vel in Sacristia, vel suis locis quilibet paramentis sui ordinis induuntur.

3 Omnibus paratis, Episcopus in sua sede, accedentibus Capellanis de libro, & candelula inseruientibus, legit prius Antiphonam *Osanna*, deinde surgens deposita Mitra dicit Orationem, qua completa Subdiaconus legit Epistolam, in cuius fine manum Episcopi more solito osculatur. Ad Euāgelium, Presbytero assistente incensum ministrante, Diaconus petit benedictionē, & procedit more solito; in fine Episcopus osculatur librum, & incensatur.

4 Cantato Euangelio, Episcopus in sua sede stans sine Mitra cantat Orationes, prout in Missali, & dicta sexta Oratione, accedentibus Acolythis cum thuribulo, & vase aquę benedictæ, Presbytero assistente ministrante, imponit incensum in thuribulum, ac statim ramos aspergit, & incensat, ac demum dicit *Dominus vobiscum*, cum Oratione *Deus qui Filium*, &c. Sup. li. 3. lec. 3. c. 4.

5 Prima Dignitas palmam pulchriorem cum osculo manus, & palmę Episcopo sedenti porrigit, quā ipse tradit tenēdam alicui ex suis Capellanis.

6 Accedētes duo Acolythi mappam ex credentia acceptā super gremium Episcopi hinc inde genuflexi sustinent vsque ad finē distributionis palmarū; Diaconi verò assistētes fimbrias Pluuialis ex vtroq; latere eleuant, & interim Episcopus Dignitatibus, Canonicis, ac reliquis palmas distribuit eodē ordine, quo supradictū est de candelis, Cātoribus Antiph. *Pueri Hebræorum* cantantibus.

7 Completa palmarū distributione, Episcopus lauat manus, & accedentibus Ceroferarijs cū candelabris & cereis accensis, surgens deposita Mitra cātat ex libro sibi ab vno ex Capellanis ministrato, altero ipsorū candelulā tenente, Orationē *Omnipotens sempiterne Deus*, &c.

8 Post Orationem recedentibus Ceroferarijs, & Capellanis Episcopus accepta Mitra sedens imponit incensum in thuribulum, Presbytero assistente nauiculam ministrante, deinde ordinatur processio, in qua vltimus post Canonicos incedit Episcopus sinistra palmā deferens, dextera verò populo benedicens prout in festo Purificationis.

9 Ingredietes Ecclesiā Canonici depo-

nunt

ponunt paraméta in suis locis,& Canonicus cantaturus Missam cum suis Ministris è Sacristia paratus procedit ad Missam,quam si Episcopus celebrare voluerit,Canonici non deponunt paramenta, sed eodem modo,quo dictum est de festo Purificationis, procedere debent.

10 Episcopus,Canonici,& omnes,dū cātatur Passio,stāt detecto capite palmas in manibus tenētes,& ad illa verba *Iesus autē exclamans voce magna emisit spiritū* Episcopus in sua sede,alij verò in suis locis genuflectunt. Ad eleuationem solus Episcopus palmā tenet: in reliquis proceditur, vt supra notauimus.

De Cæremonijs,quæ hac die in Capella Domini Papæ obseruantur.
Cap. VIII.

1 *Ordo quo Pontifex hac die procedit ad Capellam.*
2 *Benedictio Palmarum quomodo facienda.*
3 *Papa à quo & quomodo Palmam accipiat.*
4 *Ordo quo Papa Palmas Cardinalibus, & reliquis distribuit.*
5 *Celebrans quomodo paramenta accipiat.*
6 *Ordo Processionis.*
7 *Ordo celebrandi Missam in Capella hac die.*

Cærem. Episc.li. 2.c.39.

1 ROmæ in Palatio Apostolico ad benedictionem celebrat Sūmus Pontifex,qui Pluuiali rubeo indutus,comitantibus Dominis Cardinalibus cum Cappis violaceis, Capellam ingrediens, vbi orauerit, Solium ascendit, ibique sedet Cardinalibus cum iisdem Cappis ad reuerentiam accedentibus, deinde depositis Cappis accipiunt paramenta violacea,quilibet sui ordinis, similiter,& alij Prælati,& Officiales, videlicet Patriarchæ,Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates cum Pluuialibus,Pœnitentiarij cum Planetis, reliqui cum suo habitu, prout supra in benedictione Cinerum.

2 Non fit aspersio,nec dicitur *Osanna*, neque prima Oratio, nec Epistola, neque Euangelium, sed immediatè à Pontifice stante, cui Episcopi ministrant librum,& candelam,dicitur *Dominus vobiscum*,& Oratio *Auge fidem*, &c. cum Præfatione; & Orationibus sequentibus, post quas ministratur incensum, asperguntur, & thurificantur palmæ, quæ distribuuntur eodem modo, quo candelæ.

3 Primò per priorem Episcoporum Cardinalium dantur tres palmæ Pontifici, ad vnamquamque osculando palmam, & manum Pontificis, qui duas maiores dat duobus Nobilioribus curiæ tenendas, & præferendas; tertiam verò minorem, qua Pontifex in suo officio vtitur, dat vni ex Cubicularijs secretis. Et statim incępta distributione Cantores dicunt cantādo Antiphonam *Pueri Hebræorum*, &c.

4 Pontifice sedente cum Mitra accedunt duo Auditores, quorum dignior mappulam pro gremio Pontificis à Credentiarijs acceptam Cardinalibus assistentibus porrigit, qui eam gremio Pontificis superponunt. Ipsi verò Auditores hinc inde genuflexi eam tenent vsque in finem distributionis: Et primum Pontifex dat palmam Priori Episcoporum Cardinalium, qui eam deuotè, ac reuerenter accipiens manum, atque genu dextrum Pontificis osculatur, & sic deinde reliqui Cardinales, quilibet suo ordine accedentes cum reuerentijs, & osculis palmas accipiunt singuli singulas, præter Vicecancellarium, Pœnitentiarium maiorem, & Camerarium S. R. E. quibus dantur duæ palmæ pro quolibet: post Cardinales accedunt Prælati parati,qui genuflexi genu tantùm Pontificis osculantur,alij verò pedem.

5 Presbyter Cardinalis, qui hac die est celebraturus, recepta palma in loco sui ordinis ad faldistorium propè Altare

deposita Planeta accipit Cappam violaceam, sedensque dicit Psalmos *Quam dilecta*, &c. & paramentis, ministris, paratis sibi assistentibus; more solito induitur. Finita distributione Pontifex lauat manus, abstergit, ac deposita Mitra surgit, & dicit *Dñs vobiscum*, & Orationem *Omnipotens sempiterne Deus*, &c.

6 Deinde fit processio per Aulam Regiam à Capella Sixti, ad quam regrediẽdo ante ostium, Cantoribus Capellam ingredientibus, clausis foribus cantatur *Gloria, laus*, &c. in quorũ fine Subdiacono hasta Crucis Portam tãgente cãtatur *Ingrediente Domino*, &c. & Capellam ingressi omnes, excepto Pontifice, paramenta deponunt, Cardinales quidem in locis suis, reliqui Prælati, & Officiales extra cancellos.

7 Immediate post processionem proceditur ad Missam; & DD. Cardinales assistunt cum Cappis violaceis, & omnia, vt in alijs Dominicis obseruantur; non tamen in principio Missæ Cardinales accedunt ad reuerẽtiam, nam illam iã præstiterunt ante benedictionẽ: & dum cãtatur Passio, Papa, & omnes stant detecto capite palmas in manibus tenentes: Ad eleuationem tamen Sacramenti Papa solus tenet palmã, & non alij. In hac Missa non fit sermo, & finita Missa Papa dat benedictionem. Cum recedit Pontifex, immediatè ipsum præcedunt duo Nobiles cum palmis vsque ad Cameram paramentorum, & illas ibi Camerarijs secretis consignant.

SECTIO SEXTA.

De Officijs feria V. in Cœna Domini.

De Matutinis tenebrarum. Cap. I.

1 *Ornatus Altaris, & cereorum numerus.*
2 *Sanctissimum Sacramentum ab Altari maiori transferendum.*
3 *Campanarum sonus ad Matutinum.*
4 *Hora inchoandi Matutinum.*
5 *Completorium quomodo celebrandum.*
6 *Ordo inchoandi Matutinum.*
7 *Ordo terminandi Psalmos, & Lectiones.*
8 *Ordo extinguendi cereos in candelabro triangulari.*
9 *Quando detecto capite surgere oporteat.*
10 *Lectiones quo loco & quomodo cantandæ.*
11 *Quando, & quomodo extinguenda sint luminaria.*
12 *Cereus supremus quando, & quomodo abscondendus.*
13 *Fragor quando fieri debeat.*
14 *Episcopus quomodo ad Ecclesiam accedat.*
15 *Quo loco, & quomodo ad Matutinum stabit.*
16 *Matutinum quomodo celebrandum.*
17 *Ad Laudes quomodo procedendum.*
18 *Ordo seruandus in Capella Papali.*
19 *De Matutinis dierum sequentium.*

1 PRo Matutinis celebrandis feria IV. maioris hebdomadæ Altare paramentis violaceis, prout diebus Dominicis Quadragesimæ ornatum absque floribus, ac Sanctorum Imaginibus, seu Reliquijs erit: super illud in sex cãdelabris, ac pariter supra cancellos, seu pariete cerei apponantur integri ceræ communis. A latere verò Epistolæ cãdelabrũ triangulare cum quindecim cãdelis eiusdem qualitatis, integris quotidie hoc triduo apponatur. Cærem. Episc. li. 2. c. 22.

2 Sanctissimum Sacramentum in aliquod sacellum cum luminibus, ac lãpadibus accensis, quæ nunquam extinguũtur, transferri ante horam Officij omnino debet. Cærem. Episc. li. 2. c. 22.

3 Quia Matutinum hac die celebrãdum spectat ad sequentem diem, quę solemnis est, ratione Cœnæ Dominicæ, licet Officium ipsum ratione Dominicæ Passionis, quæ recolitur, luctuosum in

omni-

omnibus fit; Campanarum sonus erit harmonicus, prout in præcipuis solemnitatibus vsque ad *Gloria* sequentis diei.

Cærem. Episc. li. 2. c. 22. 4 Igitur circa vigesimam primam horam, quæ erit media inter meridiem, & occasum Solis, ter pulsatis campanis inchoabitur Officium, ita vt circa occasum Solis terminetur.

5 Completorium hac die cantabitur more solito, in cuius fine, dum dicuntur Preces, & Antiphona B. Virginis, per Acolythum deputatum accenduntur cerei in candelabro triangulari, nec non per alios pariter deputatos accenduntur in Altari sex cerei, atque etiam supra cancellos, seu parietes. Post Completorium dicitur Antiphona B. Virginis flexis genibus, & post eam secretò more solito *Pater noster, Aue Maria, & Credo*, non datur tamen vllum, vt solet, campanulę signum, sed his omnibus expletis, dato signo inchoandi sequentis diei Officium, dicitur ab omnibus stantibus more solito secreto *Pater noster, Aue Maria, & Credo*.

6 Officium immediatè incipit ab Antiphona: *Zelus domus tuæ*, quam Superior Celebrans inchoare debet, signãs se interim signo Crucis, quod omnes pariter pręstare debent in principio cuiuslibet Horę Canonicę. Prosequitur deinde Chorus Antiphonam, & Cantoribus inchoantibus cantantur Psalmi grauiter, ac deuotè absque instrumentis musicis, quę nullo pacto in huiusmodi Officijs adhiberi debent.

7 In fine cuiuslibet Psalmi vtroque Choro simul conueniente aliquãtulum inflectitur vox, quod in toto hoc triduo Direct. Chori. Cærem. Paris de Crassis li. 2. c. 50. seruatur in fine Psalmorũ, ac Lectionum, prout habetur in Directorio Chori, & in Cęrem. Paris de Crassis in fine, vbi agitur de Tonis.

8 Ministet deputatus ad extinguendos cereos à latere Epistolę assistens loco congruo, deuotè, ac modestè suum implens munus, in fine vltimi versus cuiuslibet Psalmi extinguit vnũ ex quindecim cereis in candelabro triangulari, primò eum, qui est in extremitate eius à latere Euangelij; secundò eum qui est in extremitate alterius lateris, & sic successiuè alternatim ab vtroque latere vsque ad supremum exclusiuè.

9 In fine tertij Psalmi cuiuslibet Nocturni, repetita Antiphona surgunt omnes, ac stant detecto capite, donec dicatur Versus cum Responsorio, & *Pater noster* secretò, quo finito recto capite, dum dicuntur Lectiones, omnes sedent.

10 Pro Lectionibus opportunè pręparetur Legile nudũ vel in medio Chori, vel in Presbyterio ante Altare iuxta locorum consuetudinem; cantaturi verò Lectiones associati à Clerico Cæremoniarum, vel ab Acolytho ad id deputato cum debitis reuerentijs accedentes, & recedentes illas cantant tono in Directorio Choro explicato, & dicta nona Lectione, remoto Legili, cantantur Laudes eodem tono, & modo quo supra. Direct. Chori Rom.

11 Dum dicitur Canticum *Benedictus*, omnes stant detecto capite, & interim omnia luminaria, ac lampades, quę sunt per Ecclesiam, præterquam ante Sanctissimum Sacramentum; præcipuè cerei qui sunt super Altare, ac super cancellos, ad singulos Versiculos singulis à deputatis Clericis extinguuntur; vnde ad Vers. *Vt sine timore*, extinguitur in Altari cereus, qui est remotior à Cruce ex latere Epistolæ, ad sequentem verò Versum is, qui est remotior à latere Euangelij, & sic deinceps: idem ordo obseruetur in extinguendis cereis, qui sunt super cancellos, quòd si fuerint octo, præueniatur duorum præcedentium Versuum tempus; ita vt omninò ad quemlibet Versiculum singuli cerei extinguantur, & in fine *Benedictus* reperiantur omnia luminaria extincta.

12 Cũ repetitur Aña post *Benedictus*, deputatus ad cereos extinguendos amo-

quet à cuspide candelabri triangularis supremum cereum accensum, eumque eleuata manu accensum sustinet in cornu Altaris à latere Epistolæ, & cum inchoatur: *Christus factus est pro nobis obediens*, &c. illum absconsum tenet retro Altare, vel alio modo obumbrat. Interim omnibus genuflexis à Choro cantatur Versus cum Psalmo *Miserere mei*, &c. voce quidem modulata, sed flebili, iuxta locorum consuetudinem, quo finito Celebrans stat vt prius genuflexus, & capite aliquantulum inclinato dicit clara voce Orationem, *Respice quæsumus Domine*, &c. vsq; ad *Qui tecum*, quod secretò complet.

13 Oratione completa per breue spatium fit fragor, donec Acolythus deputatus accensum cereum, quem tenebat occultum, producat, & in summitate cādelabri suo loco reponat, quo prolato omnes à strepitu cessare debent, & in hoc Ecclesiæ custodes inuigilent, ne strepitus protrahatur, cereus verò per aliquod spatium in candelabro accensus maneat, & reliqui de Choro sub silentio discedant.

Cærem. Episc. li. 2. c. 22. 14 In Cathedralibus omnibus, vt supra patatis in Altari, Episcopus hora congrua accedit cum Cappa ad Ecclesiam sequentibus Canonicis, & ingrediens caput sibi Caputio Cappæ cooperit, & si fuerit Archiepiscopus, bis tribus diebus ad Matutinum ante eum Crux non defertur.

15 Peractis solitis Orationibus, prius ante Altare Sanctissimi Sacramenti, deinde ante Altare maius, Episcopus trahens sibi caudam Cappæ, per terram accedit ad sedem suam paratam sequentibus Capellanis cum Cottis absque Assistentibus, vel si placuerit (quod magis decet) ad Chorum apud Canonicos.

16 Vbi aliquantisper in sede sua Episcopus quieuerit, surgit detecto capite, & omnibus pariter surgentibus dicit versus Altare secretò *Pater noster, Aue Maria*, & *Credo*; postea caput sibi ipse Caputio cooperit, & Cantores incipiunt pro Matutino Antiphonam *Zelus domus tua*, &c. qua finita, & incepto Psalmo sedet, & Capellani adaptāt fimbrias Cappæ; Canonici etiam, & omnes alij sedent. In fine cuiuslibet Nocturni Episcopus surgens caput detegit, & dicit *Pater noster* totum secretò, deinde tecto capite sedet. Cantaturi Lectiones reuerentiam faciunt Altari, & Episcopo; ipsas autem primi Nocturni cantant Cantores, secundi verò, ac tertij Nocturni solent cantare Canonici; seruanda tamen est locorum consuetudo.

17 Ad *Benedictus* Episcopus surgit detecto capite, surgentibus omnibus, & cum dicitur Vers. *Christus factus est*, &c. accedēs ad mediū genuflectit super Faldistorio ante Altare preparato, omnibus genuflectentibus, & completo Psalmo *Miserere*, adhuc genuflexus, & capite aliquantulum inclinato ex libro, vel memoriter recitat clara voce Orationem *Respice* vsque ad *Qui tecum viuit*, &c. quod secretò complet. Cærem. Episc. li. 2. c. 41.

18 Romæ in Capella Papali ad Matutinum procedit Pontifex ante omnes Cappa indutus rubea cum Caputio super caput inuerso, non præcedente, vt moris est, Cruce; post eum fimbrias portat dignior ex assistentibus Episcopis; Cardinales verò Cappis violaceis induti sequuntur primò seniores, mox iuniores; & in Capella non faciunt Papæ consuetam reuerentiam, neque ei assistitur: Officium à Cantoribus canitur, & in fine Papa procumbens dicit Orationem *Respice*.

19 Eadē respectiuè obseruantur duobus sequentibus diebus, cum aliqua tamen varietate; nam Altare, & Solium Papæ in Capella, & Episcopi in sua Ecclesia hac die erunt ornata violaceis, in sequentibus verò nuda; in nudo quoque Faldistorio, cum res postulauerit, genuflectitur; Cardinales item feria IV. & V. assistunt cū Cappis violaceis de Camellotto, & feria VI. cum Cappis laneis. Vbi sup. c. 52.

De

De preparandis pro celebratione Officij Ferię quintæ in Cœna Domini. Cap. II.

1 *Altaria quomodo ornanda.*
2 *Praparanda pro Missa solemni.*
3 *Missa priuata an sint dicenda, & quando.*
4 *Campana in mane pulsanda.*
5 *Ordo procedendi ad Missam solemnem.*

Cõfuct. Cleric. Regul. Theat.

1 ALtaria hac die paramentis albis ita ornentur, vt tempore denudationis facilè omnia dimoueri possint; Cruces quoque velo albo operiantur; atque in loco, vbi Sanctissimum Sacramentum est reponendum, omnia opportunè disponantur.

2 Pro Missa solemni celebranda pręparentur paramenta alba, Pluuiale pro processione cum velo oblongo; Crux processionalis velo albo cooperta, Baldachinum album, Funalia ceræ albæ, duo thuribula cum nauicula; duo Calices, in quorum altero more solito ornato duæ Hostię consecrandę apponi debent; in altero verò post Sanguinis sumptionem vna Hostia consecrata reponenda erit.

3 Missę priuatæ hac die ne passim dicantur, nam in memoriam Dominicæ Cœnæ, quando Christus Dominus salutare instituens Sacramentum Apostolos ordinauit, ipsisque Corporis, ac Sanguinis sui Sacramenta ministrauit, Sacerdotes omnes de manu sui Superioris hac die Sacramentum suscipiunt, quod maximè decet; quo etiam actu suum agnoscentes Pastorem, Ecclesiastico precepto de Communione sumenda in Pascate à proprio Sacerdote optimè satisfaciunt; si tamen ob populi commoditatem, seu etiam Sacerdotum, arbitrio Superioris, aliqua priuata Missa sit celebranda, hora, ac loco congruo, antequam diuina inchoentur Officia, fieri debet, ne populus à publicis Missarum solemnijs diuertatur, quod maximè dedecet, vt ex Diuo Augustino notat Bruchardus; olim enim diebus festis ante horam tertiam, in qua ad Missam solemnem vniuersus populus conueniebat, priuatas Missas celebrare prohibebantur Sacerdotes, ne populus à solemni Missa diuerteretur, saltē modò hac die laudabilis hęc consuetudo custodiri debet.

Bruch. decret. lib. 2. c. 54.

4 Summo mane in aurora, dato prius cum maiori campana signo Salutationis Angelicæ, ratione solemnitatis pulsantur campanæ sono harmonico, apertisque Ecclesię ianuis omnia opportunè disponuntur.

5 Hora congrua dato signo campanarum, dicuntur Horæ diurnæ, & dum dicitur Nona, pulsantur campanæ pro Missa solemni celebranda, ac celebrans, & Ministri in Sacristia sacris induuntur vestibus; Acolythi verò in Altari disponunt omnia pro Missa solemni celebranda, cereosq; accendunt tam in Altari, quàm supra cancellos. Omnia autem ita disponantur, vt Missa inchoetur circa horam tertiam, videlicet circa horam quintamdecimam.

De Missa solemni huius diei. Cap. III.

1 *Ad Gloria in excelsis pulsantur campana.*
2 *Dua Hostia offerenda.*
3 *Singularia in Missa huius diei obseruanda.*
4 *Pax hac die non datur.*
5 *Modus accommodandi sacram Hostiā in Calice.*
6 *Ordo Communionis generalis.*
7 *Praparanda pro Processione.*
8 *Ordo genuflexionum, & conuersionum.*

Rubric. par. Mis.

1 AD Missam post Horas proceditur more solito, in qua; cum dicitur *Gloria in excelsis Deo*, pulsantur cāpanæ omnes maiores, ac minores, ac deinceps vsque ad Sabbatum Sanctum si-

lent,

lent, & earum loco adhibetur ligneum instrumentum.

2 Ad oblationem offeruntur duę Hostiæ, atque etiam pro communcandis in Pyxide paruę Hostiæ pro numero communicandorum.

3 Præfatio de Cruce; *Communicantes*, *Hanc igitur oblationem*, & *Qui pridie*, &c. erunt prout in Missali, omnia singularia huius diei, ac summo studio obseruanda.

4 *Agnus Dei* dicitur more solito; ac pariter Orationes consuetæ ante Communionem, non tamen datur Pax.

rubric. tit. Mis. 5 Assumpto sanguine à celebrante Subdiaconus Calicem vacuum ex credentia ad Altare defert cum Patena, Palla, ac velo coopertum, quem Diaconus detegens celebranti porrigit, vt in eo alteram Hostiam cõsecratã reponat, quod perficiens genuflectit antea, & postea, deinde aliquantulum versus latus Euangelii recedit, & Diaconus stans in medio cum debitis reuerentiis Calicẽ tegit primò Palla, deinde Patena, ac paruo velo, sicque accommodatum in medio Altaris supra Corporalia reponit, ipsum verò celebrantis Calicem Palla coopertum extra Corporalia aliquantulum versus cornu Epistolę collocat.

fuet. ric. gul. eat. 6 Hac die fit generalis Communio omnium Collegialiũ, in qua primò quidem Ministri, mox Sacerdotes omnes Stolis albis induti, suo quisque ordine, accedentes sacram communionem sumunt, post Sacerdotes sequuntur Clerici, ac denique alii Religiosi.

7 Dum fit Communio accenduntur luminaria, & omnia aptantur in loco, in quo reponi debet Sanctissimum Sacramentum. Subdiaconus, qui Crucem in processione præferre debet, albis vestibus in Sacristia induitur; ignis in thuribula imponitur: Baldachinum album ante gradus Altaris portatur, à Sacerdotibus Pluuialibus, vel saltem Stolis albis indutis deferendum.

8 Communicatis omnibus celebrans Purificationem, ac digitorum ablutionẽ sumit more solito; accedens, vel recedẽs ante Sãctissimum Sacramentum semper genuflectit; dicturus *Dominus vobiscum*, à latere Euangelij, ne terga vertat Sacramento, se conuertit, item dum dicitur *Ite Missa est*, & ad benedictionem, nec tunc perficit circulum, sed eadem via rediens genuflectit ante Sanctissimum Sacramentum, deinde conuertens se ad latus Euangelij, dicens *Initium Sancti Euangelij*, se ipsum non autem Altare signabit, Ministri pariter ante Sanctissimum Sacramentum transeuntes eadem respectiuè obseruabũt; & interim accenduntur intortitia.

De Processione, & alijs post Missam peragendis. Cap. IV.

1 *Ordo ministrandi incensum pro Processione.*
2 *Ordo recipiendi Sanctissimum Sacramentum.*
3 *Ordo Processionis.*
4 *Prælatorum locus.*
5 *Ordo quo singuli sistere debent.*
6 *Ordo reponendi Sanctissimum Sacramentum in loco deputato.*
7 *Sacramentum claue recludendum.*
8 *Ordo recedendi.*
9 *Ordo celebrandi Vesperas in Choro.*
10 *Particula consecrata loco remoto reponenda.*
11 *Ordo procedendi ad denudationem Altaris.*
12 *Ordo terminandi Officium.*
13 *Altaria omnia per Ecclesiam denudanda.*

1 Completa Missa celebrans ante gradus Altaris descendens deponit Casulam, & Manipulum, ac Pluuiali albo induitur, ibique stans ad latus Euangelij aliquantulũ versus latus Epistolæ conuersus, ministrante Diacono Nauiculam, ac Subdiacono fimbriam Pluuialis eleuante, ter immittit incensũ Sup. li. 2. sec. x. c. 2. nu. 5.

in thu-

Sup li. 2. sect. 10. c. 2. n. 5. in thuribulum & genuflexus rer Sacramentum incensat, modo suo loco præscripto.

2 Post incensationem Subdiaconus velum oblongum sibi ab Acolytho porrectum in humeros celebrantis imponit, interim verò Diaconus cum debitis reuerentijs ad Altare ascendēs accipit Calicem cum Hostia, & celebranti genuflexo, vt supra, porrigit; qui statim ac Sacramentum acceperit, surgit, ac Diaconus reuerenter genuflectit.

Rit. Ro. titul. de process. 3 Mox celebrans Calicem ambabus manibus ante oculos eleuatum renens ad populum se conuertit, Ministris Pluuialis fimbrias hinc inde eleuatas tenentibus; & interim à Cantoribus inchoatur Hymnus *Pange lingua*, &c. & runc pręcedente Subdiacono parato cū Cruce, qui medius erit inter Ceroferarios, procedunt omnes cum intortitijs albis, seu cereis accensis bini, primò iuniores, deinde per ordinē seniores, vltimus omnium celebrans medius inter Ministros, duobus Acolythis continuò Sanctissimum Sacramentum incensantibus, modo suo loco pręscripto.

Su. li. 2. sect. 10. c. 2. n. 6. 4 Si adsint Prælati eorum locus erit post celebrantem, & ideo decet, vt cum intortitiis accensis post ipsum quiliber suo ordine procedar, primò digniores, deinde minus digni.

5 Cum peruentum fuerit ad locum præparatum, deferens Crucem in loco congruo, non quidem in ipso loco, quo reponi debet Sacramentum, sed è regione se sistit, reliqui verò hinc inde ordine seruato, nimirum iuniores prope Crucē, seniores verò loco proximiores, quo Sacramenrum reponi debet; celebrans cū ad locum peruenerit aliquantulum subsistit ante gradus omnibus interim, exceptis deferente Crucem cum Ceroferarijs, qui semper stare debent, circumcirca genuflexis Choro cātante vt supra, velsi complerus fuerir Hymnus, quoties opus fuerit repetendo *Tantum ergo Sacramentum*, donec fuerit repositum, & incensarum ipsum Sanctissimum Sacramentum: Deferentes quoque baldachinum sistunt, & à deputatis hastæ baldachini accipiuntur, qui ipsū loco congruo reponunt.

6 Diaconus Sanctissimum Sacramenrum de manu celebrantis cum debitis reuerentijs, remouendo velum, accipit, & expectat, donec celebrans reuerenter ante ipsum genuflectat, tum Calicem in arcula reponit, nec ostiolum claudit, sed adorato Sacramenro ad celebrantem reuertitur; interim Subdiaconus amouet velum ab humeris celebrantis, deinde à sinistris eiusdem genuflexus stat, reuertente verò Diacono post repositum Sacramentum, surgit celebrans, ac Subdiaconus, & Diacono nauiculam ministrante, Subdiacono verò Pluuialis fimbriam eleuante, imponit thus in thuribulum ter nihil dicens, neque benedicens; tum genuflectens ministris hinc inde pariter genuflexis, ac fimbrias Pluuialis eleuantibus, triplici ductu cum debitis inclinationibus Sanctissimum Sacramentum incēsat eodem modo, quo supra, interim à Choro canrabitur Vers. *Tantum ergo Sacramentum*.

7 Incensato Sacramento, redditoque thuribulo Diacono, & ab illo Thuriferario, Diaconus claue claudit capsulam, in qua Calicem reposuit, ipsamque Magistro Cæremoniarum tradit seruandam, iterumque rediens à latere celebrantis genuflectit.

8 Vbi aliquantulum orauerint, celebrante surgente, reliqui quoque consurgunt, & in Chorum recta via procedētes, præcedunt Thuriferarijs, post eos sequitur deferens Crucem medius inter Ceroferarios, deinde reliqui bini per ordinem extinctis cereis.

9 Celebrans statim in Choro pro Vesperis inchoabit Antiphonam *Calicem Salutaris*, &c. ac deposito Pluuiali albo, induitur stola violacea, cum qua assistit ad Vesperas; ministri verò in Sacristia depositis paramentis albis Diaco-

nus

nus Stola violacea indutus, Subdiaconus verò Alba tantùm expectant, vt celebranti in denudatione Altaris ministrent; interim Vesperę in Choro cantantur sine Organorum sono.

10 Si in Altari remanserint Hostię consecratę pro conmmunicandis, per deputatum ad communionem, præcedentibus Acolythis cum intortitijs accensis: in aliquo sacello, loco remoto prope Sacristiam cum luminibus, & clauibus reseratę decenter custodiãtur pro communicandis infirmis. In Altari vbi solet Sanctissimum Sacramentum asseruari, ciborij ostiolum sit apertum; quò ab omnibus aduerti possit non adesse ibi Sanctissimum Sacramentum, quod semper obseruari oportet, quandocumque in ipso cibotio Hostia consecrata non asseruatur; Acolythi verò, qui Missę solẽni inseruierunt, Missalia, Calicẽ, ac reliqua omnia in Sacristiam reportent.

11 Immediatè post Vesperas proceditur ad denudationem Altaris, ad quod bini quilibet suo ordine accedentes intra Presbyterium per gyrum Chorum ordinant; vltimus omnium Celebrans paratus, prout supra ad Vesperas cũ suis Ministris, quorũ Diaconus Stolã violaceam trãsuersam super Albam habebit, facta in medio Altari reuerentia, inchoabit Antiphonam. *Diuiserunt sibi, &c.* quam Chorus prosequitur, & Cantores inchoabunt Psalmum *Deus Deus meus*, quem Chorus alternatim cantabit; interim Celebrans cum Ministris Altare ascendens, primò tobaleam superiorem mox alias, ac demũ Pallium ipsum amouebit; Acolythi verò omnia in Sacristiã asportabunt, alij cereos extinguent; alij vascula cum floribus amouebũt; alij linteamina ex Altari, & credentia deferent, alij tapetum; alius ciborium conopeo nigro cooperiet, ipsius ostiolum apertum relinquendo, in medio collocando Crucem velo nigro tectam.

12 Tandem completo Psalmo, & repetita Antiphona datur signum cum tabula, vt fit in Salutatione Angelica loco signi meridiani, & interim omnes genuflexi orant. Postmodum Celebrante surgente, in Sacristiam per ordinem reuertuntur, vbi paramentis, ac supetpelliceis depositis omnes silentio, & absque vlla salutatione recedunt, quod pręcipuè in hoc triduo seruandum erit.

13 Eodem tempore, vel immediatè post denudentur ab Acolythis Altaria omnia, ac singula per Ecclesiam; Baldachinum quoque super Altare maius nigri coloris apponetur, item parietum cortinę erunt nigri coloris.

De mandato, seu lotione pedum. Cap. V.

1 *Praparanda ante Mandatum.*
2 *Ordo accedendi ad Mandatum faciendum.*
3 *Obseruanda in ipsa pedum lotione.*
4 *Obseruanda post lotionem.*

1 IN loco, quo Officium Mandati fieri debet, præparetur Altare paramentis albis ornatum, in quo sit Crux velo cooperta cum duobus candelabris cum cereis accensis; Credentia erit ornata cum floribus, & herbis odoriferis; in qua sint vasa aquę calidæ, ac frigidę; pelues frondibus, ac floribus refertę; vasa ad infundendam aquam; tredecim mappulę; item & linteum, quo Celebrãs circumcingi debet; vas ad abluendas manus cum sua pelui, peluicula cum mica panis, linteum denique ad detergendas manus. In alia verò credentia sint candelabra, Missale, ac thuribulũ cũ nauicula. Loco congruo aptentur paramenta pro celebrante, videlicet Amictus, Alba, Cingulus, Stola cum Pluuiali violaceo, pro Ministris verò paramenta sui Ordinis albi coloris, videlicet Dalmatica, ac Tunicella. Pro Cantoribus aptetur Legile, cum Missali aperto. Ante Altare sternatur tapetum; à latere sit scamnum oblongum panno viridi, vel tapeto ornatũ

Cęrem. Episc. l. c. 24.

pro ijs, quorum pedes lauari debent; sit autem conuenientis longitudinis, ac latitudinis, quò celebrans, ac ministri, dum pedes lauant, supra pannum genuflectant. Lauandi tredecim numero opportunè moneantur, vt tempore congruo in loco deputato inueniantur; locus sit bene ornatus, floribus, & herbis odoriferis vndique conspersus.

2 Hora congrua dato signo cum tabula, conuenientibus omnibus ad locum designatum, celebrans, & ministri sacris se induunt vestibus, reliqui verò super pelliceis induti assistunt: lauandi dextero pede nudato, habitu Chorali induti si sint ex Clero, accedunt, & interim accenduntur cerei. Omnibus bene dispositis procceditur ad locum præcedente Thuriferario cum thuribulo, sequuntur Ceroferarij, & post eos ministri, ac celebrans ad Altare præparatum cum debitis reuerentijs accedentes, celebrans quidem à latere Epistolę facie conuersa ad latus Euangelij stat iunctis manibus; Diaconus verò accepto libro ab Acolytho super Altare reponit, ministrat incensum, & dicit *Munda cor meum* genuflexus in medio, & accepto libro petit benedictionem, vt fieri solet ad Euangeliũ, ipsumque eodem modo, & ordine loco consueto signando, & incensando librum de more cantat. Post Euangelium Subdiaconus librum osculandum celebranti porrigit; ac demum Diaconus ipsum celebrantem more solito incensat.

3 Cantato Euangelio recedentibus Ceroferariis, celebrans deposito Pluuiali linteo præcingitur, & Cantores incipiunt ex vtraque parte Chori Antiphonas *Mandatum nouum*, & prout in Ordinario. Sedẽtibus omnibus, qui lauari debent, celebrans ante primum in ordine genuflexus, Subdiacono à sinistris dexterum pedem denudatum tenente, & Diacono à dextris aquam infundente eius pedem lauat, tergit, & osculatur; Acolythi verò pelues, & vrceos, nec non mantilia, singula singulis ministrant, vsque ad vltimum.

4 Lotis omnibus rediens celebrans ad locum suum, manus lauat, ac tergit, redditoq; linteo, quo fuerat præcinctus, Acolythis, Pluuiali induitur, ac tandem in Altari ministris post eum astantibus dicit Versus, & Orationem, prout in Missali, quibus omnibus completis recedit cum ministris ordine, quo venerat, sacrasque vestes in Sacristia deponit.

De Cæremonijs, quæ hac die fiunt in Capella Papali. Cap. VI.

1 *Ordo quo hac die celebratur in Capella Papali.*
2 *Ordo Processionis.*
3 *Ordo procedendi ad locum benedictionis.*
4 *Ordo recedendi post benedictionem.*

1 ROmæ in Capella Pontificia celebratur per Episcopum Cardinalem; Domini Cardinales assistunt cum Cappis violaceis de Camelotto, & non præstatur obedientia, nam præstabitur postea in loco benedictionis, antequam legatur processus: In hac Missa non fit sermo, nec datur Pax, in reliquis fiunt omnia more solito. Cęrem. Rom. l. 2.c.44.

2 Data benedictione in fine Missæ per Pontificem, & non prius, Domini Cardinales accipiunt paramenta alba quilibet sui ordinis, reliqui verò Prælati extra cancellos sua accipiunt paramenta, cum quibus intorticia accensa deferentes in manibus quidem Prælati, Cardinales verò per familiares processionaliter ad Capellam Paulinam, Sacramentum à Pontifice delatum loco ibi parato reponunt.

3 Reposito Sanctiss. Sacramẽto processionaliter etiã ad locum publicæ benedictionis procedunt, vbi DD. Card. ita parati obedientiã pręstãt Sanctitati suæ, quo etiã habitu assistũt ad publicationẽ Bullæ in Cęna Domini, & ad benedictionem solemnem, quam Pontifex cum ple-

naria Indulgentia dat populo.

4 Quibus peractis Domini Cardinales deponunt paraméta, & sumunt Cappas cum quibus assistunt, qui voluerint, ad Mandatum.

De Obseruandis ab Episcopo in reconciliatione Pęnitentium Feria V. in Cœna Domini.
Caput VII.

1 *Ordo quo Episcopus ad reconciliandum Pœnitentes procedit.*
2 *Litania quomodo cantanda.*
3 *Pœnitentes ante ostium quomodo vocandi.*
4 *Ad Ecclesiam quomodo introducendi.*
5 *Dicenda super reconciliandos.*
6 *Benedictio in fine danda cum Indulgentijs.*

Pôt. Ro. p. 3 ti. de expulf. pœnit. pa. 543. 1 Poenitentes, quibus in capite Quadragesimæ publica fuit iniuncta pęnitentia, cum hac die, iuxta Romanos ritus in Pontificali præscriptos, ab Episcopo reconciliari debeant, oportet, vt ipse ad Ecclesiam cū Cappa à Canonicis more solito associatus accedat, qui peracta Oratione ante Altare, dum in Choro dicitur Nona, sedens legit Psalmos *Quam dilecta*, &c. sine *Gloria Patri*, accipit Sādalia, & cum in fine per Chorū dicitur *Christus factus est pro nobis obediens*, &c. genuflectit in suo genuflexorio ante Altare. Ministri itē dū dicitur Psalmus *Miserere*, in Sacristia parantur, & cū ipsis alij quatuor Subdiaconi, & vnus ex antiquioribus Diaconis, necnon Archidiaconus, qui induitur Amictu, Alba, ac Stola sine Dalmatica, & completo Psal. adhuc genuflexus dicit Orationem *Respice*, &c. qua dicta ad sedem suam procedens deponit Cappam, lauat manus, ac Ministris adiuuantibus induitur Amictu, Alba, Stola, & Pluuiali violaceo cum Mitra simplici, & Baculo. Pœnitentes verò ante fores Ecclesiæ nudis pedibus, candelasque extinctas in manibus tenentes prostrati expectant.

Cærem. Epis. l. 2. c. 13. Pôt. Ro. p. 3 ti. de recōcil. pœnit. pa. 551.

2 Episcopus sic paratus cū ministris, & Clero ante Altare in faldistorio procumbens primum omnium recitabit septem Psalm. Pęnitentiales cum Litanijs, in quibus cum dictum fuerit *Omnes Sancti Patriarchæ, & Prophetæ orate pro nobis*, aliquantispet subsistitur, & per Pontificem mittuntur ad pęnitentes duo Subdiaconi cum candelis accensis, qui ante portam peruenientes illas ostendunt pęnitentibus, dicētes Antiph. *Viuo ego*, &c. prout in Pont. qua completa extinguunt cereos corā ipsis, & reuertuntur ad Episcopum, qui procedens ad Litanias, cum dictū fuerit *Omnes Sancti Martyres orate pro nobis*, aliquantulum subsistens mittit alios duos Subdiaconos cum cereis accensis, qui ad limen ostij peruenientes cantant Antiph. *Dicit Dominus*, &c. extinguunt cereos, & reuertuntur ad Episcopum, vt supra, qui ad Litanias procedit vsque ad *Agnus Dei*, & tunc mittit Diaconum seniorem cum cereo magno accenso, qui ad portam perueniens cantat *Leuate capita vestra*, & ex illo accenduntur candelæ pœnitentium, & ipse pariter ad Episcopum reuertitur, & complentur Litaniæ, & alia vsque in finem. Pont. p. 552.

3 Completis Litanijs Episcopus cum Clero ad medium Ecclesiæ procedit, præcedente thuribulo, & Cruce cum Ceroferarijs, sequuntur reliqui per ordinem; & in medio Ecclesiæ Clero ex vtroque latere suo ordine disposito, Episcopus sedet in faldistorio ibidē parato, facie ad ostium Ecclesiæ conuersa: tum Archidiaconus ante portā accedēs voce clara in tono Lectionis dicit *State in silentio audientes audite*, prout in Pont. & ad Pōtificem conuersus dicit eodē tono *Adest ò venerabilis Pontifex*, &c. quibus dictis Episcopus surgens accedit cum ministris ad ostium Ecclesiæ, alijs adhuc suis locis stantibus, ac facta prius ipsis pœnitentibus breui monitione, cantat Antiph. Pont. p. 553. & 554.

Veni-

Pont. p. 555. *Venite, Venite*; qua completa Diaconus ex parte pœnitentium stans dicit *Flectamus genua*, & alius Diaconus ex parte Pontificis subdit *Leuate*; tum Episcopus secundò eandem repetit Antiphonam, & Diaconi *Flectamus genua*, & *Leuate*; & Episcopo tertiò Antiphonam repetente, & ipsi pariter repetunt *Flectamus genua*, & *Leuate*.

4 Episcopo post prędicta Ecclesiam ingrediente, Archidiaconus inchoat Antiphonam *Accedite ad eum*, &c. quam Chorus prosequitur cum Psalm. *Benedicam Dominum*, & pœnitentes interim Ecclesiam ingredientes corruunt ad pedes Pontificis, ibique manent, donec perficiatur Psalmus, quo completo Archidiaconus dicit in tono Lectionis *Redintegra*, &c. & Episcopo interrogante *Scis illos reconciliatione fore dignos?* respondet, *Scio, & testificor fore dignos*, & tunc alter Diaconus dicit *Leuate*, surgentibusq; pœnitentibus Episcopus accipit vnum ex ipsis per manum, alij similiter sese manibus tenentibus; & Archipresbyter interim dicit *Iniquitates meæ*, &c. Pontifex verò subdit Antiphonam *Dico vobis*, &c. quæ dum dicitur, pęnitentes manuducuntur à Pontifice ad faldistorium in medio Ecclesiæ, vbi genuflectūt, & Pontifex stans super scabellum ad illos conuersus inchoat Antiphonā *Oportet te fili*, &c. subdens deinde Orationem *Omnipotens*, &c. dicit Præfationem, prout in Pont.

Pont p. 556. pag. 556 pag. 557 pag. 558

5 Postea omnibus genuflectentibus cantatur Antiphona, *Cor mundum*, &c. cum Psalm. *Miserere mei Deus secundum magnam*, &c. *Miserere mei Deus, quoniam conculcauit*, &c. & *Miserere mei Deus, miserere mei*, & Pontifex subdit Orationem *Adesto*, &c. cum Absolutione *Dominus Iesus Christus*, & eos aspergens, ac thurificans dicit *Exurgite, qui dormitis*, &c.

pag. 564.

6 Omnibus expletis Pontifex concedit reconciliatis Indulgentias, & dat solemnem benedictionem, & tunc tondentur, deponentes crines, & barbam, quam nutrierant, & pœnitentialibus vestibus dimissis induuntur cultioribus.

pag. 568

Ordo ad benedicendum Oleum Sanctum. Cap. VIII.

1 EX antiquissima traditione iam tunc ex Apostolorum temporibus in Ecclesia custodita, & à Sancto Fabiano Papa ordinata, quotānis hac sacra die, vereri combusto oleo, nouum perficitur; vnde quo ordine in huiusmodi benedictione sit procedendum, hoc loco explicare debemus.

Pōt. Ro. tit. de offic. in feria V. in Cœna Domini. pa. 569.

2 In primis debet Sacrista omnia necessaria opportunè præparare, videlicet tres ampullas oleo purissimo plenas, quas in Sacrario custodiet, singulas pro singulis oleis, ita tamen vt tertia

pro Chrismate alijs maior panno serico albo, reliquę verò duæ panno serico alterius coloris cooperiantur; duas item mappulas, seu vela pro Diaconis, qui ampullas oleorum Chrismatis, & Cathecumenorum è Sacristia ad Chorum portare debent.

3 Præter credentiam consuetam, & faldistorium, paretur contra Altare sedes, & ante ipsam mensa mappis ornata, & hinc inde propè dictam sedem, magis tamen ad finem Presbyterij scamna pro duodecim Sacerdotibus, qui ibidem sedere debent facie conuersa ad Altare.

4 Reconciliatis pœnitentibus, vt supra Pontifex depositis violaceis induitur paramentis albis, quòd si non sint recōciliandi pœnitentes, Pontifex ad Ecclesiā veniens, dum dicitur Nona, accipit Sandalia, & dicta Oratione Pontificalibus albi coloris induitur; Canonici etiā, ac reliqui ministri, insuper septem Diaconi, septem Subdiaconi, ac duodecim Presbyteri omnes paramentis albis cuiuslibet ordini congruentibus induuntur, Acolythis cum superpelliceis assistentibus.

5 Omnibus dispositis imponitur incensum in thuribulum, & ad Altare proceditur, pręcedente Thuriferario, ac Ceroferarijs, & si celebrans sit Archiepiscopus, inter Ceroferarios procedit deferens Crucem, post ipsos sequuntur Canonici, deinde septem Subdiaconi bini, ac bini, quorum vltimi tres simul erunt; eodem modo sequuntur septem Diaconi, postea duodecim Presbyteri, quos sequitur Subdiaconus librum Euangeliorum portans ante pectus cum Manipulo in eo reposito, post quem erit Diaconus à dextris habens Presbyterium assistentē, vltimo loco procedit Episcopus medius inter Diaconos assistentes, si in propria Ecclesia celebret; si verò in aliena, non erunt Canonici parati, sed tantùm Presbyteri, neque duo Diaconi assistentes, sed Episcopus incedet medius inter Diaconum, & Presbyterum assistentem.

6 Ad Altare peruenientes, Canonici in locis suis, Presbyteri verò accedunt ad Sedilia intra Presbyterium iuxta mensam parata, faciebusq; ad Altare conuersis stabunt, sedebunt, vel genuflectent, cū opus fuerit; eodem modo post ipsos stabunt septem Diaconi, & post Diaconos septem Subdiaconi; Pontifex verò ante gradus Altaris cum suis ministris facit Confessionem, & ad Missam procedit more consueto vsq; ad illum locum Canonis post consecrationem *Per quem hæc omnia Domine bona creas*, exclusiuè; Canonici pariter, & omnes Presbyteri, Diaconi, ac Subdiaconi in suis locis bini faciunt Confessionem, dicunt *Kyrie eleyson, Gloria in excelsis, Credo*, & *Sanctus*.

7 Pontifex facta reuerentia Sanctissimo Sacramento retrahit se ad cornu Epistolæ, ibiq; Subdiacono ministrante super Calicem vacuum abluit digitos, ac purificatorio tergit; ipsa verò ablutio vsque ad postcommunionem Pōtificis reseruatur, qui ablutis, ac tersis digitis iterum Sacramento reuerentiam facit, & ante gradus Altaris descendens accepta Mitra, à ministris, & assistentibus associatus recedit ad sedem sibi intra Presbyterium paratam, ibique facie ad Altare conuersa sedet, habens retro post se circumcirca Presbyteros, Diaconos, ac Subdiaconos vt supra; ministri verò redeunt ad Altare hinc inde adstantes.

8 Archidiaconus stans apud Pontificem, dicit alta voce in tono Lectionis; *Oleum infirmorum*, & mox vnus ex septem Subdiaconis à duobus Acolythis associatus vadit ad Sacristiam, indeque defert vas olei, quod pro infirmis consecrari debet, coopertum vt supra, ipsumque sinistro brachio deferens ante Pontificem tradit in manibus Archidiaconi planè dicens; *Oleum infirmorum*; quod Archidiaconus Episcopo præsentans ad benedictionem dicit eadem verba; vas super mensam præparatam collocans; Pontifex verò surgens cū Mitra ipsum exorcizat voce demissa, ita tamen vt à circumstantibus audiri possit, dicens *Exor-* Pont. p. 572.

cizo

cizo te, &c. deinde deposita Mitra benedicit, dicēs Orationem *Emitte quæsumus*, &c. tunc vas ipsum eodem modo in Sacristiam reportatur, & conseruatur; Pontifex postea in sua sede cum Mitra sedēs lauat manus.

9 Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis in suis locis manentibus, Pontifex cum suis ministris procedit ad Altare, vbi ante gradus deposita Mitra facit Sacramento reuerentiam, deinde procedit ad Missam ex eo loco, vbi remanserat, subdens *Per quem hæc omnia*, &c. vsque ad sumptionem sanguinis inclusiuè; tunc Diaconus reponit Hostiam consecratam reseruandā in Calice modo sup. præscripto; Pontifex verò peracta communione generali, digitisq; ablutis sumit etiā primam ablutionē in alio Calice repositā; factaq; Sacramento reuerentia in secundo gradu Altaris Mitrā accipit, & à ministris assistētibus associatus accedit ad sedem prædictam, ibique cum Mitra sedet. Cærem. Episc. l. 2. c. 23.

10 Archidiaconus stans apud Pontificem sedentem dicit alta voce in tono Lectionis: *Oleum ad sanctum Chrisma*; deinde eadem voce, & tono subdit: *Oleum Cathecumenorum*; quo dicto Pontifex in oblatum sibi thuribulum impo nit, & benedicit incensum more solito, & tunc manentibus cum Episcopo ministris; prędicti Presbyteri, Diaconi, ac Subdiaconi ad Sacristiam accedentes, oleum Chrismatis, & Cathecumenorum deferentes processionaliter incedunt, primò Thuriferarius cum thuribulo fumigante, sequitur Subdiaconus deferens Crucem medius inter Ceroferarios, tum duo Cantores cantantes Versus *O Redemptor*, &c. quos sequuntur bini, & bini Subdiaconi, & Diaconi, deinde vnus Subdiaconus portans vasculum cum balsamo, tum duo Diaconi ampullas olei ad sanctum Chrisma à dextris, & pro oleo Cathecumenorum à sinistris, velo, seu mappa munda è collo dependente, ipsas ampullas sinistris brachijs portantes extremitatibus mappularum obuoluras, ita tamen vt à medio supra videri possint; hos sequuntur duodecim Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi prędicti bini, & bini. Cantoribus per viā cantantibus *O Redemptor*, &c. Chorus idem repetit, & illis alios Versus concinentibus, semper Chorus intercalariter repetit Vers. *O Redemptor*.

11 Ad Episcopum peruenientes deferens Crucem cum Ceroferarijs, ac Thuriferario sistit iuxta Altare in cornu Epistolæ; Archidiaconus cum ministris hinc inde prope Pontificem erunt, Presbyteri verò sex ex vno, sex ex altero latere faciebus ad Altare conuersis à lateribus Pontificis tanquam eius testes, & ministri sacri Chrismatis cooperatores assistunt; Diaconi post tergum Pontificis, & post eos Subdiaconi stant tā quam ministri, & inspectores, & donec omnes suis locis disponātur, deferentes ampullas expectant, deinde Diaconus Chrismalis olei ferens vasculum, accedens ad Pontificem, ipsum vas Archidiacono tradit, qui illud velo inuolutum accipiens Pontifici sedenti ostendit, & super mensam ante ipsum collocat: postea Subdiaconus vasculum cum balsamo deferens Archidiacono pariter porrigit, qui ipsum accipiens eodem modo Episcopo ostendit, ac super mensam reponit.

12 Vasculis supra mensam positis, surgit Episcopus deposita Mitra, & primò benedicit balsamum dicens Orationem; *Deus mysteriorum*, &c. & aliam; *Creaturam omnium*, &c. quibus completis accepta Mitra miscet super Patena, vel alio paruo vasculo balsamum cum modico olei sumpti de ampulla Chrismali dicens; *Oremus Domine*, &c. tum sedens halat ter ad modum Crucis super os ampullæ Chrismalis supra mensam positæ; deinde duodecim Sacerdotes ordinatè accedentes, facta prius reuerentia Sacramento in Altari posito, & Pontifici, successiuè eodem modo, quo Pontifex, singuli ter ad Pont. p. 578.

modum Crucis in os prædictę ampullę halant, & cum iisdem reuerentijs ad loca sua reuertuntur, deinde Pontifex surgens cum Mitra stans exorcizat oleum Chrismale dicens; *Exorcizo te*, &c. post exorcismum deposita Mitra, & extensis manibus dicit Præfationem, prout in Pont. qua completa balsamum cum oleo permixtum intra ampullam Chrismalē reponit dicens: *Hæc commixtio*, &c.

Pont. p. 580.

13 Post benedictionem Chrismatis, Diaconus, qui ampullam Chrismalem detulerat è Sacristia, velo ab ipsa pendente amoto, eam cum serica veste alba, quam antea habebat, super mensam relinquit, & Pontifex capite inclinato salutat Chrisma, dicens; *Aue Sāctum Chrisma*, quod secundò, ac tertiò reperit, semper eleuando vocem, ac postea osculatur labium ampullæ, quo facto sedet, & accipit Mitram; singuli deinde Sacerdotes parati accedentes cum reuerentijs Sacramento, & Episcopo, ter in varia distantia coram ampullam genuflectentes, qualibet vice semper altiori tono dicendo *Aue Sanctum Chrisma*, peracta tertia salutatione labiū ampullę osculantur, & ad sua loca reuertūtur; deinde ampulla à latere prędictæ mēsę collocatur.

14 Diaconus ampullam olei Cathecumenorum deferens, ipsam sine mappula, quam circa collum retinet, tradit Archidiacono, qui eam Episcopo ostendit, & supra prædictam mensam reponit & tunc tam ipse Pontifex, quàm Sacerdotes parati halant ter super ipsam ampullam eodem modo, quo supra de ampulla Chrismali dictum est; Pontifex deinde surgens cum Mitra exorcizat oleum Cathecumenorum, dicens; *Exorcizo te*, &c. ac deposita Mitra benedicit, dicens Orationem; *Deus incrementorum*, &c. qua benedictione completa tam Pontifex, quàm Presbyteri salutant oleum dicentes ter in tono Lectionis; *Aue sanctum oleum*; quod vbi tertiò dixerint, osculātur os ampullę, vt supra de Chrismate dictum est.

Pont. p. 591.

15 Quibus omnibus peractis ambæ ampullę Chrismatis videlicet, & olei Cathecumenorum per dictos duos Diaconos in Sacristiam processionaliter reportantur eodem ordine, quo delatę fuerār, nimirum præcedente Thuriferatio cum Cruce, &c vt supra; Cantoribus interim cantantibus Vers. prout in Pont. & post quemlibet Vers. Choro intercalariter repetente; *O Redemptor*; &c. quæ dum perficiuntur Pontifex sedens lauat manus, & ad Altare cum ministris procedens Missam prosequitur, in cuius fine dat solemnem benedictionem, non tamen publicantur Indulgentiæ, nisi peracta processione ad locum Sanctissimi Sacramenti, quę Missa completa fieri debet.

Pont. p. 592.

Obseruanda in Missa Pontificali, Processione, & Mandato.

Cap. IX.

1 *Episcopo celebrante quid obseruandum.*
2 *Quid Episcopo non celebrante, sed assistente.*
3 *Ordo in Processione seruandus.*
4 *Præparanda pro Mandato.*
5 *Ad Mandatum quomodo procedendum.*
6 *Euangelium ad Mandatum quomodo legendum.*
7 *Obseruanda post pedum lotionem.*

1 IN Missa huius diei ab Episcopo eadem respectiuè debent obseruari, quę supra de Missa in Collegialibus celebranda sunt adnotata; & si Episcopus ante Missam non reconciliando pœnitentes, neque oleum sanctum consecrando celebrare voluerit, dum dicitur Nona, accipit Sandalia dicens Psalmos sine Vers. *Gloria Patri*, & dicta Oratione *Respice quæsumus*, &c. induitur Pontificalibus albi coloris, interim Canonicis, ac Ministris sua paramenta accipientibus, & proceditur ad Missam more solito, seruatis in super alijs supra notatis circa Sacramen-

cramen-

cramentum,& fit generalis communio.

2 Quòd si Episcopus non celebrabit, sed assistet,seruantur omnia, quæ dicta sunt de Missa solemni coram Episcopo celebrādis,& in fine Missæ Canonici accipiunt paramenta,celebrans cum ministris in Sacristiam recedens deponit paramenta Missalia,& induitur paramentis sui ordinis cum alijs Canonicis processurus.

3 Completa Missa Episcopus in suo Solio sedens,Presbytero assistente ministrante, imponit incensum in thuribulū, deinde accedens ad Altare cum Diaconis assistentibus genuflexus ante infimū gradum Sacramentum incensat, ipsumque iisdem Diaconis ministrantibus ad locum præparatum defert, omnia vt supra obseruās, ac tandem reposito Sacramento, Presbytero assistente ministrante, imponit incensum in thuribulum, & genuflexus Sacramentum incensat; deinde surgens cum Pastorali sine Mitra stans à latere Epistolæ dat solemnem benedictionem, eodem Presbytero assistente Indulgentias quadraginta dierum more solito publicante; & Canonici in Chorum depositis paramentis reuertuntur ad Vesperas celebrandas,quibus cōpletis denudantur Altaria,vt supra.

4 Pro Mandato faciendo, loco consueto,& idoneo vndique ornato, ac floribus herbis odoriferis asperso, præparetur in capite loci faldistorium,siue sedes Episcopi; mensa mappa munda vndique pendente cum duobus candelabris;plures pelues argenteæ cum vrceis ad minus duobus; alia item peluis cum pecunijs pro eleemosynis pauperibus distribuendis; similiter & alia cum tredecim mappulis ad extergēdos pedes; linteum quo Episcopus præcingi debet; vas cum aqua calida;& aliud cum aqua frigida; vasa cum mantili ad abluendas,& abstergendas manus;& reliqua vt supra: Legile pro Euangelio cantando pallio holoserico,seu auriphrygiato coopertū,super quo liber Euangeliorum ponatur à latere sinistro Episcopi; & aliud nudum pro Cantoribus; repacula loco proximo ipsi Episcopo,ne opprimatur; scamnum pro pauperibus, nisi fortè lauentur Canonici,qui debent suo Canonicali habitu induti lauari; magis tamē sacrę huic actioni congruum erit, si lauentur pauperes; circa credentiā assistunt Scutiferi,& Cappellani: & omnino seruatis omnibus supra adnotatis semper Episcopo celebrāte apparatus splendidior erit.

5 Post Vesperas Episcopus processurus ad Mandatum,depositis paramentis albis,induitur Stola,ac Pluuiali violaceo cum Mitra simplici,ministris adhuc alba paramenta retinentibus; & si post prandium differri videbitur, ministris paratis Episcopus ad locum designatum accedēs cum Canonicis,in sua sede induitur, vt sup.& accedente Thuriferario,ac Diacono cum Ceroferarijs, Presbytero assistente nauiculam ministrante imponit incensum, & proceditur ad Euangelium more consueto.

6 Diacono cantante Euangelium in Legili, Subdiaconus à tergo ambabus manibus ipsum retinebit, & si celebrans fuerit Archiepiscopus,Capellanus Crucem tenēs stabit prope Diaconum, faciem Crucifixi ad Archiepiscopum conuersa; post Euāgelium Episcopus stās in sua sede incensatur à Diacono, deinde cū Mitra simplici pauperum pedes lauat,& in fine singulis eleemosynam elargitur.

7 Lotis omnibus ad sedem suam lauat manus,& deposito linteo Pluuiali indutus accedentibus Ceroferarijs, deposita Mitra surgit,& alta voce dicit; *Pater noster*,cum Vers.& Oratione, prout in Missali,qua completa altè manū eleuans facit signum Crucis versus omnes existentes in Aula,nihil dicens, statimq; recedentibus Ceroferarijs paramenta in eodem loco reponit, & Ministri recedūt; deinde à Canonicis associatus reuertitur vel ad locum suæ habitationis, vel ad Ecclesiam, prout visum fuerit.

SE-

11 *Ordo Orationum, quæ singulariter hac die dicuntur.*

1 POst Nonam, omnibus dispositis, proceditur ad Altare, præcedentibus Acolythis sine luminibus, post quos sequuntur Ministri cum Planetis plicatis nigri coloris, vltimus omnium Celebrans Casula nigra indutus.

Declar. Congr. Sac. Rit. 2 Ante Altare peruenientes genu flexo faciunt Cruci reuerentiam, quod specialiter hac die à transeuntibus, vel accedentibus ante eam fieri debet.

3 Celebrans, & Ministri in loco parato ante gradus Altaris ad orandum procumbunt, caput supra puluinum in gradu Altaris acclinantes: Acolythi verò hinc inde aliquantulum post Ministros sese prosternunt, vbi autem per aliquod breue spatium sub silentio deuotè orauerint, surgunt Acolythi, & tobaleã super altare ita extendunt, ne eius planitiem excedat; deinde Missale supra puluinum nigrum à latere Epistolę apertum accommodant, quibus omnibus dispositis, Celebrantem, pariter ac Ministros, vt surgant, Magister cęremoniarum silẽtio monet, statimq; ac surrexerint, per Acolythos amouentur puluinaria, atque pannus niger; interim omnes de Choro, ac populus circumstans genuflexus orabit.

4 Postquam Celebrans cum Ministris surrexerit, Altare ascendens, illud in medio osculatur, deinde in cornu Epistolæ Diacono assistente sibi à dextris, & Subdiacono à dextris Diaconi, legit submissa voce primam Lectionem cum Tractu. Primam hanc Lectionem cantabit Acolythus ad id deputatus, superpelliceo indutus, deferens sibi librum ambabus manibus ante pectus eodem modo, & loco, quo cantari solent Prophetiæ, inflectendo vocem in fine, quæ dum cantatur, omnes circumstantes, & qui in Choro sunt, sedent tecto capite; Celebrans verò cum Ministris, lecta lectione sedet in nudo scamno à latere Epistolæ vsque ad finem Tractus, Acolythis post eos detecto capite stantibus.

5 In Choro statim post Prophetiam cantatur Tractus, & Celebrans cum Ministris ad Altare ascendens in cornu Epistolæ, vno post alium stante, completo Tractu non salutat Populum, sed immediatè dicit *Oremus*, Diaconus verò primus omnium genuflectens, item alijs omnibus, excepto celebrante, genuflectentibus, dicit *Flectamus genua*, & Subdiaconus erigens se primus omnium eodem tono dicit *Leuate*, & tunc surgentibus omnibus celebrans Orationem prosequitur.

6 Subdiaconus dum per celebrantẽ cantatur Oratio, deponit Planetam plicatam, & accepto libro de manu Acolythi, ipsum ante pectus eleuatum portans procedit more solito cum reuerentijs ad cantandam Lectionem eodem loco, & modo, quo cantari solet Epistola, non tamen in fine osculatur manum Celebrantis; sed reddito libro Acolytho, rursum induitur Planeta plicata, & Celebranti vnà cum Diacono more solito assistit.

7 Tres cantaturi Passionem, dum dicitur Lectio, in Sacristia induũtur Amictu, Alba, Cingulo, ac Stola nigra transuersa, & circa finem Tractus procedunt ad Altare eodem ordine, quo in præcedenti Dominica dictum est.

8 Dum cantatur Passio, omnes stant detecto capite; ipse verò Celebrans assistentibus sibi Diacono, ac Subdiacono in eodem cornu Epistolæ, submissa voce legit Passionem vsque ad illa verba, *Et inclinato capite emisit spiritum*, nam tunc aliquantisper genuflexus orat, deinde surgens prosequitur vsque ad eam partem, quæ dici debet in tono Euangelij, ibique conuersus ad Crucem inclinatus dicit *Munda cor meum*, &c. non tamen *Iube Domine*, sed eodẽ loco prosequitur Lectionem vsque in finem, deinde facie conuersa ad Cantores, assistentibus Ministris, iunctis manibus

stat vsque in finem.

9 Ad Passionem cum dicitur, *Et inclinato capite tradidit spiritum*, omnes genuflectunt, Cantores quidem versus librum Celebrans verò, ac reliqui omnes versus Altare, & vbi Sacrum Mysterium quod recolitur, per aliquam morulam silentio fuerint contemplati, facto signo per Celebrantem surgentibus omnibus, Cantores prosequuntur Passionem vsq; ad illam partem, quę dicitur in tono Euangelij.

10 Cantoribus recedentibus: Diaconus Euangelij deponit Planetam plicatam, & accipit Stolam latiorem, libroq; Euangeliorum super Altare reposito, genuflexus dicit *Munda cor meum*, non tamen petit benedictionem, & assistentibus duobus Acolythis sine luminaribus, loco, quo cantari solet Euangelium, non signando, neque thurificando librũ, cantat illam partem, quæ dici debet in tono Euangelij; Subdiaconus verò librũ more solito tenens non offert illum in fine osculandum Celebranti.

11 Immediatè cantata ea parte, quæ dicitur in tono Euangelij, Celebrãs apud Altare iunctis manibus cantabit *Oremus dilectissimi*, &c. deinde subdens *Oremus*, Diaconus dicit *Flectamus genua*, Subdiaconus verò *Leuate*, in eodẽ tono, illo primum genuflectente, & illo primum surgente, omnibus interim, solo Celebrante excepto, genuflectentibus, dicto *Leuate*, Celebrans extensis manibus eodem tono cantat Orationem, eadem respectiuè in subsequentibus Orationibus obseruando, vt scilicet in primis verbis Orationis, in quibus indicitur, pro quibus, vel quid sit orãdum, stet iunctis manibus, cum verò subdit, *Oremus*, extendat, ac iungat manus, ac tandem Orationem, quæ sequitur, cantabit manibus extensis. Ad Orationem pro Pontifice, eius exprimens nomen caput versus librum inclinat, quod præstabit similiter ad Orationem pro Imperatore, qui si non fuerit coronatus, dicet *Oremus, & pro Christianissimo Imperatore nostro Electo* N. neque additur nomen Regis, neque alterius Principis, seu Domini loci. Ad Orationem pro Iudæis non dicitur *Flectamus genua*, nec repetitur, vt in alijs Orationibus *Oremus*, nec respondetur *Amen*, sed immediatè subditur *Omnipotens*, &c.

De denudatione, & adoratione Crucis. Cap. III.

1 *Ordo discooperiendi Crucem.*
2 *Locus pro reponenda Cruce quomodo aptandus.*
3 *Ordo, quo Celebrans ad adorandã Crucem procedere debet.*
4 *Prælatorũ, & aliorum Ordo procedendi.*
5 *Mulierum locus pro adoranda Cruce.*
6 *Ante Crucem quis assistere debeat.*
7 *Cantores ad improperia cantanda designandi.*
8 *Prima improperiorum pars quomodo cantanda.*
9 *Secunda pars quomodo.*
10 *Antiphonam ante tertiam improperiorum partem cantanda.*

1 Absolutis Orationibus, Celebrans deponit Casulam, & accedens ad cornu posterius Epistolæ, facie ad populum conuersa sistit se quasi collateralis, candelabris super Altare locatis: Diaconus verò solus accipit Crucem de Altari velatam, atque velo dissolubili ita aptatam; vt facilè discooperiri possit, quam celebranti porrigit; interim Ministri, & Acolythi celebranti assistunt, & adiuuante Magistro cæremoniarum celebrans detegit summitatem Crucis vsque ad transuersum, & ambabus manibus illam eleuans graui voce cantat, *Ecce lignum Crucis*, & tunc omnes aperto capite surgunt; Ministri verò vnà cum Magistro cæremoniarum; & Acolythis assistẽtibus prosequuntur eodem tono *In quo salus mundi pependit*, & Chorus eodem pariter tono respon- Cærem. Episc. li. 2. c. 25.

det

det *Venite adoremus*:& tunc omnes, excepto Celebrante, genuflectunt; mox surgentibus omnibus Celebrans procedit ad angulum anteriorem Altaris in cornu Epistolæ, ibique detegit brachium dexterum Crucis, & caput Crucifixi, eamque aliquantulum eleuando, vt supra, cantat altiori voce *Ecce lignum Crucis*, cui Ministri, & Chorus respondent eodem tono, vt supra, eadem pariter obseruantes: ac tandem ad medium Altaris procedens facie ad populum conuersa, tota Cruce discooperta, & eleuata, altiori voce repetit *Ecce lignum Crucis*, & Ministri, & Chorus pariter altius respondebunt, vt supra.

2 Interim Acolythi extendunt pannum violaceum, vel tapetum in medio Presbyterij ante gradus Altaris cum puluino, atque velo serico, auroque contexto.

3 Celebrans solus Crucem defert ad locum præparatum, ipsamque genuflexus, adiuuante Magistro cęremoniarum, supra puluinum reponit, factaque Cruci reuerentia præcedentibus Acolythis, ac Ministris ad suum locum reuertitur, deinde calceamenta deponit, & detecto capite medius inter Ministros pariter discalceatos gradiens, ter cum æquali distantia genuflexus pro vnaquaque vice aliquantulum orat, ac demum Crucem osculatur; pariter & Ministri idem post eum præstabunt, quibus surgentibus simul genu flexo reuerentiam Cruci faciunt, & redeunt ad locum suum, vbi reassumunt calceamenta.

4 Si adsint Prælati, post Celebrantem eodem ordine Crucem adorabunt. Canonici ante Sacerdotes, & isti Clericos præcedentes, quilibet suo ordine bini sine calceamentis ter orando, vt supra, æquali distantia ad adorandam Crucem procedunt. Gubernator, ac Princeps Ciuitatis in hoc actu, qui est humilitatis, ibunt post Canonicos, nam in hoc laicis debent Clerici pręferri. *Cærem. Episc. l. 2. c. 25.*

5 Vbi mulieres distinctum à viris locum habent, decet, vt eodem modo, loco congruo per Acolythos sternatur tapetum, seu pannus cum suo puluino, & velo, illucque vel per Diaconum, vel Sacerdotem Stolam nigram supra superpelliceum habentem, alia Crux reuerenter deferatur. *Cõfuet. Cleric. Regul. Theat.*

6 Ante Crucē decet, vt aliquis Acolythus superpelliceo indutus genuflexus oret; is, cum res postulauerit, confusionē omnem, ac perturbationem vitando, tumultuantes sedare debet, singulos modestè monendo.

7 Statim ac Celebrans ad adorandā Crucem procedit, Cantores in Choro inchoant improperia, ac propterea quatuor designati, duo in primo, ac duo pariter in secundo Choro alternatim Versus cantabunt, quibus suo ordine Chorus respondet, prout in Missali habetur.

8 Vbi obseruare oportet, quòd huiusmodi improperia in tres diuiduntur partes; prima incipit à Versu *Popule meus*, qui cantari debet in medio Chori à duobus Cantoribus primi Chori vsque ad *Agios Otheos*; post Versum verò Chori alternatim cantant, primus quidem Græca verba, secundus Latina per ordinem, prout in Missali, vsque ad *Miserere nobis*. Deinde duo Cantores secundi Chori subdunt Vers. *Quia eduxi*, &c. quo cantato, Chori pariter alternatim eadem, quę supra repetunt. Tertiò tandem Cantores primi Chori dicunt Vers. *Quid vltra*, &c. & Chori respondent alternatim eodem modo, quo supra, & ita terminatur prima pars improperiorum.

9 Secunda pars Improperiorum incipit à Versu *Ego propter te*, &c. qui debet dici à Cantoribus secundi Chori, cui Chorus omnis canentium simul respondet *Popule meus* vsque ad *Quia eduxi te*: Deinde Cantores secundi Chori subdunt, *Ego eduxi te*, &c. cui pariter Chorus respondet *Popule meus*, & sic alternatim deinceps Cantoribus vtriusque Chori per vices versus cantantibus,

Chorus

Chorus semper respondebit *Popule meus* vsque ad Antiphonam *Crucem tuam*, &c.

10 Tertia pars improperiorum incipit ab Antiphona *Crucem tuam*, &c. quæ cantatur vt solet in Introitu Missæ cum suo Psalmo, & repetitur, vt fit ad Introitum. Post Antiphonam, Cantoribus inchoantibus, Chorus prosequitur ℣. *Crux fidelis inter omnes*, & *Dulce lignum*, &c. quibus à Choro cantatis, cãtatur Hymn. *Pange lingua*, Cantoribus primi Chori inchoantibus primum Vers. post quem Chorus omnis Cantorum repetit Vers. *Crux fidelis*, &c. subdunt deinde Cantores secundi Chori secundum Versum *De parentis*, &c. & sic deinceps alternatim Cantoribus prosequentibus Hymni versus, Chorus alternatim semper repetit prædictos Vers. *Crux fidelis*, &c. & *Dulce lignum*, &c. In vltimo Versu Hymni *Amen*, dicitur à Cantoribus, & Chorus repetit Vers. *Dulce lignum*, &c. Et si non sit completa adoratio, repetuntur, quoties opus fuerit improperia ab ista tertia parte, videlicet repetendo Hymnum *Pange lingua* modo præscripto.

De Processione, & reliquo Officio huius diei. Cap. IV.

1 *Præparanda in Sacello, vbi Sanctissimum Sacramentum asseruatur.*
2 *Præparanda in Sacristia.*
3 *Disponenda in Altari.*
4 *Processio quomodo ordinanda.*
5 *Acolythus Altaris custos.*
6 *Obseruanda in loco vbi est Sanctissimum Sacramentum.*
7 *Crux post processionem deponenda.*
8 *Celebrans manus lauat.*
9 *Celebrans Sacramentum supra Altare quomodo reponat.*
10 *Vinum, & aqua in Calice immittitur.*
11 *Incensum quomodo ministretur.*
12 *Celebrans quomodo dicat In spiritu humilitatis, & Orate fratres.*
13 *Ordo dicendi Pater noster.*
14 *Eleuatio Hostiæ quomodo facienda.*
15 *Celebrans quomodo sacram Hostiam sumat.*
16 *Sumptio vini cum particula Hostiæ.*
17 *Celebrans quomodo se purificet.*
18 *Ad Vesperas quomodo procedendum.*

1 Circa finem adorationis in Sacello, vbi Sanctissimum Sacramentum fuerat repositum, disponuntur luminaria, & omnia, ita vt commodè possit locus adiri; ibidem præparatur velum oblongum nigrum auriphrygiatum super humeros celebrantis imponendum; item baldachinum nigrum; nauicula cum thure, & reliqua necessaria. Cõsuet. Cleric. Regul. Theat.

2 In Sacristia, qui Crucem deferre debet, induit se Amictu, Alba, Cingulo, & Planeta plicata nigri coloris; Crux processionalis detegitur, & Ceroferarij cum Candelabris, ac cereis accensis cum Cruce procedunt; duobus Acolythis cũ thuribulis præcedentibus. Cærem. Episcopi. 2. c. 25.

3 In Altari accenduntur cerei, pariter & supra cancellos, seu parietes, qui omnes erunt ex cera communi; Diaconus indutus stola latiori nigri coloris præcedente Clerico Cęremoniarum, accipiens ex credentia bursam Corporalium cum purificatorio eleuatam ante oculos ad Altare defert, ibique cum debitis teuerentijs ipsum Corporale in medio expandit, bursam à latere Euangelij; linteolum verò à latere Epistolę prope Corporale reponens; interim Acolythus librum cum puluino à latere Epistolæ ad latus Euangelij transfert, & Diaconus folia voluit, ac signacula disponit; & tandem completa adoratione accedens ad Crucem, ipsam cum debitis reuerentijs vtraque manu acceptam in medio altaris reuerenter reponit, ac denique ad celebrantem redit. Acolythi remouent tapetum cum puluino, & velo, & si aliæ etiam Cruces sint expositæ à Sacerdote

stola

stola nigra induto reuerenter in Sacristiam reportantur, & à Clericis tapeta, & omnia remouentur.

4 Pro processione distribuuntur cerei, seu intortitia cerę communis accendenda, vbi ventum fuerit ad locum Sacramenti; Celebrans accipit Casulā nigri coloris, ac Subdiaconus Planetam plicatam; Diaconus verò stolam latiorē nigram. Pręcedunt omnes Thuriferarij cum thuribulis cum prunis accensis; immediatè post ipsos deferens Crucem sacris indutus vestibus incedit medius inter Ceroferarios cum candelabris, ac cereis cerę communis accensis; sequuntur reliqui per ordinem sub silentio modestè, ac deuotè incedentes, vltimus omnium procedit Celebrans medius inter Ministros tecto capite, donec perueniat ad locum Sacramenti.

Cōsuet. Cleric. Regul. Theat. 5 In Altari remaneat custos illius Acolythus designatus, cuius partes erunt, vt ibi omnia parata inueniātur, pręcipuè nauicula, & vas cū prunis accēsis; in thuribulū, cū res postulauerit, super imponendis.

6 Ad locum Sanctissimi Sacramenti cum peruentum fuerit, deferens Crucem non accedit vsque ad locum, sed sistit se è regione, ibique semper stat, nec genuflectit; reliqui per ordinem hinc inde per gyrum, iuniores quidem prope Crucem, seniores verò proximiores loco Sacramenti, accensis ibidem cereis, seu intortitijs genuflectunt; Thuriferarij cum Ministris, & Celebrante ascendunt ad locum, vbi sacratissima Hostia asseruatur, ibique Celebrans detecto capite cum alijs genuflexus aliquantisper orat. Deinde Diaconus cum debitis reuerētijs aperit Capsulam, ac Celebranti surgenti ministrat incensū sine benedictione & osculis, & Sanctissimo Sacramento à Celebrante genuflexo incensato, Subdiaconus velum super humeros ipsius adaptat; Diaconus verò interim acceptum Calicem in manus celebrantis dat, atque veli extremitatibus tegit, qui vtraque manu Sacramentum ante oculos eleuatum tenens, conuertit se ad populum assistentibus sibi Diacono à dextris, & Subdiacono à sinistris. Et tunc Cantoribus inchoantibus Hymnum *Vexilla Regis prodeunt*, &c. omnes surgentes ad Altare procedunt ordine, quo venerant, Thuriferariis continuè Sacramentum incensantibus; ipse verò Celebrans medius inter Ministros, qui eius brachia sustinebunt, sub baldachino nigro, quod deferri debet à Sacerdotibus stolas nigras supra superpelliceum habentibus, alternatim cum ipsis Hymnos, & Psalmos submissa voce recitabit. Cęrem. Rom. l. 1. c. 26. Cōsuet. Cleric. Regul. Theat.

7 Cum ad Altare peruenerint, deferens Crucem, eam reponit; cum enim Diuina celebrantur Officia, semper Crux in Altari erit inter candelabra; cum verò proceditur, portatilis Crux cum hasta inter Ceroferarios defertur, & quasi caput mystici corporis ipsum reprę́sentat, qui pro nobis, à dextris Patris assistens interpellat, & ideo ipsam deferens nunquā genuflectit, sicut nec Ceroferarii qui immobilia candelabra reprę́sentant; ac propterea cum duo capita eidem corpori non congruant, cum ad Altare regreditur processio, vbi Crux in medio habetur, ipsa Crux portatilis loco cōgruo reponi debet; Ceroferarii pariter cādelabra supra credentiā reponunt, ac omnes prope Altare genuflectunt; & vbi est Sodalitas Sāctiss. Sacramenti, antę omnes alios ipsi Sodales procedentes extra Presbyteriū accensos cereos tenētes stabunt vsq; ad assumptionē Sanctiss. Sacram. Deferentes baldachinū ante cācellos, vel gradus Presbyterii sistunt, ipsiusque hastas Mansionariis Ecclesiæ tradunt, qui illud suo loco reponunt. Celebrās ante infimū gradum Altaris sistit, Calicemq; in manus Diaconi tradit, qui cum debitis reuerentiis, prius amotis veli extremitatibus, illum accipiens super Corporalia in Altari reponit; Subdiaconus interim acceptum velum ex humeris Celebrantis Acolytho supra credentiam reponendum porrigit, & re-

deunte Diacono celebrans surgens imponit incensum, mox genuflexus triplici ductu Sanctissimum Sacramentum incensat.

8 Incensato Sacramento celebrãs surgit,& accedentibus ministris cum lance, & vase ad abluendas manus,vt decet,antequam sacram Hostiam tangat, manus lauat ante infimum gradum Altaris, ac tergit,aduertẽs ne ipse,neq; Ministri terga verrant Sacramento.

9 Lotis, ac tersis manibus celebrans cum ministris Altare ascendit, vbi genuflexus Sanctissimum Sacramentum reuerenter adorat; tum Diaconus à dextris eius assistens Calicem detegit, ipsamq; Patenam ambabus manibus tenet; Celebrans verò reuerenter sacram Hostiam ex Calice accipiens super Patenam imponit: & porrecto sibi vase cum vino à Subdiacono, qui à latere Epistolæ ipsum ab Acolythis accepit, digitos,quibus sacram Hostiam tetigerat,purificat, & linteolo tergit. Deinde accipit Patenam de manu Diaconi, eam sine osculis porrigentis, quam nihil dicendo, neque signum Crucis cum ipsa formando super Corporale reponit.

10 Diaconus vbi Patenam celebranti tradidit, vinum in Calicem immittit, & Subdiaconus stãs in cornu Epistolæ aquã infundit non petens pro ea benedictionem,tum sine osculis ipsum Calicem celebranti porrigit,qui illum super Corporale collocat, nihil dicens, & Diaconus ipsum palla cooperit.

11 Celebrans ministrante Diacono incensum in thuribulum immittit, & iuxta Rubricas emendati Missalis nihil dicit,neque benedicit, quæ verba in antiquis Missalibus non habentur, vnde & in dubium vertitur apud aliquos, cum maximè ex subsequentibus verbis supponatur incensum fuisse benedictum, prout etiam ex consuetudine Capellæ Papalis colligitur, in qua benedicitur; nihilominus cũ in Rubrica expresè habeatur, donec aliter fuerit declaratum, nihil innouandum erit; dum tamen incensat oblata dicit *Incensum istud*,&c.& cum incensat Altare dicit *Dirigatur Domine*, &c. omnia more solito: ante Sanctissimum Sacramentum transiens semper genuflectit; in fine incensationis tradens thuribulum Diacono dicit *Accendat in nobis Dominus*, &c. ipse verò non incensatur,nec alius quispiam,sed immediatè extra Altare in cornu Epistolæ lauat manus nihil dicens.

12 Lotis manibus celebrans in medium rediens genuflectit,& Subdiacono recedente post eum in medio ante infimum gradum Altaris,Diacono verò assistente ad librum,inclinatus,iunctisq; manibus ante mediũ Altaris dicit *In spiritu humilitatis*,&c,Deinde genuflectens vertit se ad populum in cornu Euãgelij more solito dicens *Orate fratres*,& per eandem viam reuertitur,non perficiens circulum,ne terga vertat Sacramento.

13 Post hæc immediatè omnibus alijs omissis, iunctis manibus dicit *Oremus Præceptis salutaribus moniti*, &c. Subdens verò *Pater noster* manus extendit. Interim Diaconus post eum stabit, & in fine Chorus respondebit, *Sed libera nos à malo:* & Celebrans sub silentio subdet *Amen*. Deinde eodem tono, ac manibus extensis absque *Oremus* cantabit Orationem *Libera nos*, &c. in cuius fine Chorus respondebit *Amen*.

14 Celebrans facta vsque ad terram reuerentia, supponit Patenam Hostiæ, quam sinistra posita super Altare,dextera accipit,atque eleuat, ita vt ab omnibus videri possit, statimq; deponit, semper oculis in eam intentis. Et Diacono discooperiente Calicem cum debitis reuerentijs,celebrans sacram Hostiam in tres partes more solito diuidens,earũ vltimam in Calicem immittit nihil dicens: tunc per Diaconũ cooperitur Calix Palla, & ambo reuerenter genuflectunt.

15 Celebrans post diuisam Hostiam, factaque reuerentia, surgens manibus

super

super Altare iunctis, & inclinatus dicit secretò vt aliàs, *Perceptio corporis tui*, &c. & omnibus alijs omissis, rursus genuflectens accipit Patenam cũ Hostia dicens *Panem cœlestem accipiam*, &c. & percutiens pectus ter dicit *Domine non sum dignus*, &c. postea signat se Sacramẽto dicens *Corpus Domini nostri*, &c. illudq; reuerenter sumit, videlicet ambas partes Hostiæ, ac iungit manus ante pectus aliquantulum quiescens in meditatione Sanctissimi Sacramenti more solito.

16 Deinde omissis omnibus, quæ dici solẽt in sumptione Calicis Diacono Calicem discooperiente, cũ in ipso sit particula Hostiæ consecratę, genuflectunt; celebrans verò vtraq; manu Calicem accipiens, nihilque dicens reuerenter sumit particulam Hostię cum vino in eo existẽtem: tunc surgentibus omnibus extinguuntur cerei, ac funalia.

17 Celebrans non purificat Calicem more solito, sed tantùm abluit digitos, extergit, & sumit ablutionem; deinde in medio Altaris inclinatus iũctis manibus dicit *Quod ore sumpsimus Domine*, &c. omnibusque aliis omissis, facta reuerentia Altari vnà cum ministris recedit, interim dum celebrans dicit *Quod ore*, &c. Subdiaconus Calicem tegit.

18 In Choro statim inchoantur Vesperæ, quibus celebrans, deposita Casula, & Manipulo, suo loco assistit, interim cerei in Altari, & supra parietes erunt accensi, remouebitur tamen ex Altari linteum, & reliqua omnia tam ex Altari, quàm ex Abaco transferentur in Sacristiam. Ad Vesperas dicuntur iidem Psalmi cum suis Antiphonis, prout in pręcedenti feria quinta, tantùm Antiphona ad Magnificat mutata, & in fine dicta Oratione *Respice quæsumus*, datur signũ cum tabula pro Salutatione Angelica meridiana, & tunc extinguuntur cerei in Altari, & supra cancellos, omnesque cum silentio absque vlla salutatione discedunt.

De Obseruãdis in Chathedralibus in officio feriæ VI. in Parasceue. Cap. V.

1 Episcopo celebraturo, pręter supra notata, obseruare oportet, quòd non solùm Altare, verùm etiã sedes Episcopi, sedilia Canonicorũ, & aliorũ, ac tota Tribuna penitus denudari debent; scabellũ itẽ, seu faldistorium, super quo Episcopus ante Altare genuflectit, pariter nudũ esse debet: supra credentiã verò, vltra iam dicta, erunt duę pelues, altera cum vrceo ad abluendas manus; altera ad recipiendas pecunias, quę Cruci offerentur.

2 Hora cõgrua Episcopus cum Cappa à Canonicis associatus, vt ad Matutinum tenebrarum, ad Ecclesiam procedens ante Sanctissimum Sacramentum prius genuflexus orabit, deinde ad Altare maius vbi orauerit, ad sedem accedens dicto *Pater noster*, & *Aue Maria*, Choro inchoante Psalmos ad Nonam, sedebit; interim ministraturi accipiunt sua paramenta, non tamen Manipulum, neq; Planetam, neque Episcopus accipit Sandalia, sed post Psal. *Miserere*, adhuc

genuflexus dicit Orationem *Respice*, &c.

3 Completa Oratione Episcopus sedens, adiuuantibus Diacono, & Subdiacono, induitur consuetis paramẽtis, exceptis Sãdalijs, & Chirotecis, interim dicens Orationes assignatas, nõ tamẽ Psalmos: Canonici accipiunt etiam ipsi paramenta sibi conuenientia nigri coloris, Diaconi vtũtur planetis plicatis; Presbyter verò assistens Pluuiali. Episcopo parato Diaconus, & Subdiaconus accipiunt Manipulos, & Planetas plicatas, ipsomet Episcopo aliquantisper sedente.

4 Ad Altare proceditur Clero, & Canonicis more solito paratis præcedentibus, & si fuerit Archiepiscopus præcedit omnes Capellanus cũ Cruce velata, medius inter duos Ceroferarios cum cãdelis extinctis, & sine incenso. Episcopus cũ ante Altare peruenerit, procumbit, & super genuflexorio nudo diutius orat, alijs etiã procũbẽtibus; reliqua fiunt vt supra.

5 Episcopus, extensa iã mappa super Altare, ex oratione surgens illud osculatur, deinde sedet super nuda Cathedra, seu faldistorio posito in cornu Epistolæ facie ad latus Euãgelij cõuersa; nõ enim hac die in suo Solio sedet; Presbyter verò assistens sedet super primũ gradũ ad pedes Episcopi, & post eum in eodẽ gradu Diaconus, & Subdiaconus, & prope ipsos Diaconi assistentes: Lectio cantatur, vt supra, quã Episcopus legit ex libro ministris adstantibus, sine candela tamẽ; & finito Tractu Episcopo surgente amouetur faldistorium, stansq; versus Altare dicit Orationem, qua finita sedẽs legit Epistolã, & Tractum adstantibus ministris.

6 Ad Passionem proceditur vt supra, & Episcopus apud Altare in cornu Epistolæ legit secretò Passionem, & si habẽdus sit sermo, Concionator ante Episcopum sedentem per Cęremoniarium ductus, genuflexus petit ab eo Indulgẽtias, non autem benedictionem, & completo sermone publicat Indulgẽtias ab Episcopo concessas, nõ tamẽ datur benedictio.

7 Completa Passione, vel sermone amouetur faldistorium, & Episcopus in eodem cornu Epistolæ stans deposita Mitra dicit Orationes, quibus completis deposita Casula procedit ad detegendam Crucem eodem modo, quo supra, additis quòd prope Crucẽ à dextris apponi debet peluis argentea pro pecunia offerenda; postea Episcopus in suo faldistorio ministrantibus Scutiferis deponit Calceos, & sic detecto capite descendit ad adorandum Crucem medius inter Diaconos assistentes cum debita distantia, vt supra genuflectens, antequam autem Crucem osculetur, offert, vel offerre facit pecunias ad libitum in lancem ibi positam, deinde ad faldistoriũ reuersus reassumit calceamẽta, & sedens legit improperia ministrantibus Capellanis, & interim ordine quo supra alii de Clero ad adorandum Crucem procedunt.

8 Circa finem adorationis ministri omnia disponunt, vt sup. & Episcopus in suo faldistorio sedens cũ Mitra prius manus lauat, deinde Casula induitur, & thus in thuribulũ imponit; ante fores loci Sacramẽti deponit Mitrã, ibiq; genuflexus super puluino orat; in reliquis ꝓceditur ordine sup. pręscripto; excepto quòd ad incensatione in processione ante gradus Altaris Presbyter assistens ministrat.

9 Ad purificationem vinum infunditur à Canonico, qui priori Presbyterorum est proximus, quod aliàs facere solet idem Presbyterorum prior: Post cõmunionem stans cum Mitra lauat manus in cornu Epistolæ, & ad faldistorium paramenta deponit, & assumit Cappam, similiter omnes alij paramenta deponũt: Ad Vesperas in fine dicit Orationem *Respice*, &c.

10 Episcopo assistente, & non celebrante, Sacerdos celebrans indutus in Sacristia cum suis ministris seruabit omnia, quæ supra sunt explicata; Episcopus verò ad Ecclesiam accedens, vt supra, ab Oratione surgens non ad Solium eleuatum, sed ad nudam Sedem vel in Choro, vel alio humili loco præparatam Cærem. Episc. li. 2. c. 26.

cum

cum suis assistentibus accedit; celebrans autem ad Altare procedit vt supra: Nulli hac die Episcopus benedicit, neque ab aliquo osculum manus recipit, sed nec ipse textum Euangelij osculatur, neque incensatur, vt aliàs. Cum Celebrans in Altari legit Prophetiam, & ipse in sua sede ministrato sibi libro sine candela legit pariter Prophetiam cum Tractu, quod etiam in secunda lectione præstabit. Ad Passionem stat detecto capite aliquantulum versus ad ipsos cantantes; similiter post Passionem, dum cantantur Orationes, eodem loco stat detecto capite, & cum ostenditur Crux, aliis genuflectentibus, & ipse pariter in suo loco genuflectit; deinde discalceatus vt supra, medius inter Diaconos assistentes procedit ad adorandam Crucem, vt supra, & ad suam sedem rediens pariter, vt supra improperia legit; Celebrans immediatè post Episcopum ad adorandum Crucem accedit ad dexteram dignioris Canonici.

11 Ad processionem Episcopus accipit supra Rochettum, Amictum, Stolam, ac Pluuiale nigrum, & Mitram simplicē; Celebrās verò solus paratus incedit immediatè ante Episcopum, qui in Sacello imponit incēsum in thuribula, & Sacramētū incensat, deinde de manu celebrātis ipsū accipiens, reuerenter sub Baldachino defert, & ad Altare perueniens, illud in manu celebrantis relinquit, & ministrante Presbytero assistente, imponit incensum, & Sacramentum genuflexus incensat, deinde recedit ad sedem suam, nec deponit paramenta, sed ibi stat genuflexus vsq; dum celebrans Sacrā Cōmunionem sumat; ibidem stans incensū in thuribulum ministrante Presbytero assistente rursum imponit; post communionē Pluuiale deponit, & accepta Cappa ad Vesperas assistit, & in fine genuflectens dicit Orationem *Respice*, &c. qua dicta per Presbyterum assistētem publicantur Indulgentiæ, & omnes silentio absque salutatione recedunt.

12 Romæ in Palatio Apostolico hac die celebrat Cardinalis maior Pœnitentiarius; Dominus Papa assistit cū Cappa purpurea, & Mitra simplici; Domini verò Cardinales erunt cum Cappis violaceis laneis, nec alterius generis, & clauigeri deferunt claues ante eos ordine conuerso, quæ etiam ad Matutinum obseruari debent. Non fit reuerentia per Cardinales: neq; Ministri Prophetias, Passionem, & Euangelium dicturi osculātur pedem Papæ, sed sine osculo omnia fiunt. Cærem. Ro. l. 2. c. 31.

13 Finita ea parte Passionis, quæ dicitur in tono Euangelij, fit sermo ab aliquo ex Patribus Societatis Iesu; prius tamen is, qui sermonē est habiturus, Cappa super vestes communes indutus, ante Pontificem genuflexus petit Indulgentias Populo publicandas; non tamen benedictionem: Finito sermone statim pronunciat Indulgentias a Summo Pontifice concessas; & non fit confessio, nec datur more solito benedictio; sed immediatè cantantur Orationes. Vbi supra c. 33

14 Hac die secundùm antiquas cæremonias, Papa in suis cameris non debet sedere super sedem, sed super scabellum, quod pariter obseruari deberet à DD. Cardinalibus, qui, finito Officio, deductoque Pontifice ad Cameram paramentorum, discedunt sine confabulatione aliqua. Cærem. Ro. l. 2. c. 33.

15 Obseruandum hoc loco est, quòd cum præsens hęc dies sit luctus, ac mœroris, non solùm in Ecclesiasticis cęremonijs peculiariter requiruntur doloris exteriora signa tanto mysterio congrua; verùm & laudabiliter à Religiosis viris singulari abstinentia in cibo, ac potu vacatur, item & ab omni lętitię signo prorsus abstinendum est, vnde & illorum cōmendanda erit consuetudo, qui ab omni verbo otioso cauentes, meditationibus, ab hominum conuersatione semoti, per totū id tēpus, quo à publicis Officijs vacant, sedulò incūbūt; qui verò vt Sacramēta proximis ministrent, vel alia pia opera exercentes exterius detinētur, ita Paris de Crass. li. 2. c. 33.

suum exequatur opus, vt ab omni superfluo abstineant, maximè cõfabulationes, & colloquia vitantes, præcipuè in Ecclesia; communis enim dolor, Ecclesiæque vniuersalis luctus omne excludit lætitiæ signum; importunaque erit omnis narratio in communi hoc Ecclesiæ luctu, in quo sacro silentio ad mœrorem, pietatē fletum, pęnitentiam, & contritionem inuitamur; sic enim decet, vt Christo pro nobis passo etiam vel insensatis elementis compatientibus, & ipsi, pro quibus talia pati dignatus est, propria deflentes peccata, mœroris signa interius exteriusque promamus, vt moriente Domino iugiter Crucis mortificationem in nostro corpore portemus.

SECTIO OCTAVA.

De Officio Sabbati Sancti.

De præparandis pro Officio Sabbati Sancti. Cap. I.

1 *Præparanda in Altari.*
2 *Incensi grana quomodo disponenda.*
3 *Tres candelæ in arundine, quomodo aptanda.*
4 *Locus pro igne benedicendo quomodo præparandus.*
5 *Præparanda in ipso Altari.*
6 *Hora diurna quo tempore, & quomodo celebranda.*

Sup. li. 2. sect. 1. c. 1. 1 IN primis pro solemni Officio Sabbati Sancti omnia Altaria solemniter ornentur; pariter Tribuna, & Ecclesia vndique interius, & exterius modo suo loco præscripto paretur; baldachinū amoto luctuoso solemne appendatur; Sedis Episcopi, Celebrãtis, ac Ministrorum apparatus etit solemnitati omnium solemniori congruus; præcipuè verò Altare maius splendidiùs alijs exornari decet, desuper Palliolo exemptili violacei coloris spillulis aptato Candelabra pretiosiora, & inter ipsa vasa cum flosculis, Cõsuet. Cleric. Regul. Theat. Sanctorumque Reliquiæ, vel Imagines disponantur; cerei omnes integri erunt, auroque ornati, præcipuè cereus Pascha lis, in quo infra Crucis effigiem, in qua bene disposita suis locis quinque incensi grana affigi debent, Sancti Patroni, vel Titularis aut loci, seu Religionis insignia dipingantur; aptando à latere Euangelii ad ipsum sustinendum, candelabrum eminens, seu etiam Angeli simulacrum, quod mysterio videtur congruum, & in eodem latere aptetur suppedaneum ligneum, seu etiam marmoreū, in quo suo tempore affigatur arundo.

2 Quinque incensi grana Ecclesiastico more ipsi cereo infigenda, aptare nostri Ordinis Clerici consueuerunt totidem ligneis instrumentis forma pineæ, ferreisque clauis suffultis, desuper selectis incensi granis albis, atque rotundis, quasi margaritis, adhibito ignis calore, per gyrum dispositis, ita vt in cuspide terminentur; quòd si auro, vt consueuimus, exornetur, obseruandum, vt incensum, quo pinea ipsa constare debet, non omnino tegatur, sed quasi cancellis aureis intus existens vndique pateat; neque hęc quia minutiora paruipendenda, immo cum Diuino cultui sint ordinata, maximi sunt æstimanda, illi namque relata, cuius omnipotentia non minus in paruis, quàm in maximis elucet, verūque, ac summę Religionis affectus talibus pietatis signis exprimitur, vt propterea ipsi Deo gratiora, hominibusque magis veneranda reddantur oblata. Pariter in pelui argentea flosculis vndique exornata præparari debet alia incensi quantitas vnà cum prędictis granis benedicenda. Cõsuet. Cleric. Regul. Theat.

3 Tres candelę in processione deferendę, atque accendendę eiusdem erunt qualitatis, ac ponderis quatuor, vel sex vnciarum, singulę inter se in inferiori parte intortę, ita depositę, vt triangulari forma, atque figura ęqualiter in summitate distent; arundo verò, cui affigi debent, erit altitudinis circiter palmorum Cõsuet. Cleric. Regul. Theat.

decem

decem, flosculis periti viri diligentia, virentibusque folijs, & auro vndique exornata, in cuius summitate stanneo orificio ad id ordinato, beneque aptato candelas affigere consueuimus, nec incongruè in aliquibus locis, nostri Ordinis Clerici in huiusmodi vigilantissimi triangulare candelabrum auratum, vel argenteum, quasi tria cornucopia in vno stipite conuenientia, tres habens in summitate cuspides, quibus candelæ ipsæ affigi debēt, inter se æqualiter distantes, adinuenerunt: cum enim experientia edocti, huiusmodi candelæ, vt supra contortæ difficilè ęqualiter, vt decet, aptentur, & cō seruentur, immo multoties, cum tempus instat, quo ipsis vti oportet, sua fragilitate vel intorqueātur, vel frangantur, ad euitanda inconuenientia tale adinuenerunt instrumentum.

4 Pro igne benedicendo extra Ecclesiam loco congruo paretur mensa cū paramentis albis, quibus benedicto igne, antequam procedatur, Diaconus, depositis violaceis, indui debet, locus ipse flosculis, & herbis odoriferis conspergatur, sicut & locus, quà transeundum est extra, & intra Ecclesiam. Vbi benedicendus est nouus ignis, sit supra credentiam thuribulum cum nauicula, vas aquæ benedictę, Missale pro benedictione, incensum in lance accommodatum, vt supra; à latere sit foculus cum igne recenter excusso, & candelula cum lignis sulphuratis, quibus suo tempore accendi possit; forcipes item ad accipiendos carbones; Crux pariter processionalis cum hasta, & arundo denique cum tribus candelis.

5 Super Altare à latere Epistolæ puluinum violaceum disponatur cum Missali pro celebrante; supra credentiam verò sit & liber pro Diacono, qui cantaturus est Prçconium, in quo in schedula Imperatoris nomen sit adnotatum; & si non sit coronatus, dicatur *Respice etiam ad deuotissimum N. electum Imperatorem nostrum*, postea addatur nomen Regis, Ducis, vel Reipublicę, seu Principis, quasi Regalem iurisdictionē habentis in quorū ditione Officium celebratur, subdendo postmodum *Quorum tu Deus desiderij vota pranoscens, &c.* & in fine concludens *Cum omni populo suo*.

6 Hora congrua, dato signo cum tabula, recitantur Horę diurnę in Choro, in quibus non adhibentur luminaria ita dispositis omnibus, vt hora diei tertia, quę erit circa quintadecimam incipiant Prophetię; ac circa meridiem Officium Missę compleatur.

De benedictione noui ignis, & Processione. Cap. II.

1 *Ordo procedendi ad benedictionē ignis.*
2 *Ordo procedendi ad Ecclesiam.*
3 *Candelæ quibus locis, & quomodo accendenda.*

1 DVm dicitur Nona, Sacerdos cū Ministris violaceis paramentis in Sacristia induitur, Celebrans videlicet Pluuiali, ministri verò Planetis plicatis, completaque Nona, pręcedente vniuerso Clero procedunt ad locum statutum pro nouo igne benedicendo, quò cum peruenerint, Subdiaconus accipiēs Crucem sistit se à dextris celebrantis, Acolythus verò ante celebrantem tenet librum apertum; à latere assistit Diaconus, reliquis circumcirca adstantibus; Tunc celebrans detecto capite, ac manibus iunctis dicit submissa voce *Dominus vobiscum*, & Ministris pariter respondentibus submissa voce, *Et cum spiritu tuo*, subdit Orationem *Deus qui filium tuum*, &c. in qua dicens *Sanctifica*, format signum Crucis super ignem, & per Diaconum eleuatur anterior pars fimbrię Pluuialis, & in fine cuiuslibet Orationis Ministri submissa voce respondent *Amen*: completis tribus primis Orationibus celebrans conuertit se ad benedicendum incēsum, quod Acolytus à dextris eius in vase tenet: ipse vero incensum benedicturus dicit, sine *Oremus, Veniat quæsu-*

mus, &c. Interim Thuriferarius cum forcipe de carbonibus benedictis in thuribulum immittit, & Diacono ministrante Celebrans ter incēsum ponit in thuribulum, illud more solito benedicens: deinde Diacono cum osculis ministrante asperforio prædicta grana incensi, & ignem ter aspergit aqua benedicta, dicens, *Asperges me*, &c. sine cantu, & fine Psalmo, & eodem modo Diacono pariter ministrante ter adolet incenso, & tūc Acolythus deferens candelulam, nouo igne adhibitis lignis sulphuratis accendit, adhibens etiam ad cautelam Laternam deferendam ab aliquo ex Mansionarijs, seu Custode Ecclesiæ, ne fortè cū extra Ecclesiam sit procedendum, ventorum vi lumen extinguatur. Interim omnia luminaria, quę sunt per Ecclesiā extinguuntur, vt igne benedicto postmodum accendantur.

2 Diaconus statim peracta benedictione depositis violaceis paramētis accipit Stolam, atque Dalmaticam albam cum manipulo; arundinem quoque cum tribus candelis. & ordinatur processio, in qua pręcedit Thuriferarius cum thuribulo fumigante, à sinistris habens Acolythum cum granis incēsi, sequitur Subdiaconus deferens Crucem, reliqui per ordinē; vltimus omnium procedit Celebrans Pluuiali violaceo indutus, ipsum tamen immediatè præcedit Diaconus Dalmatica alba indutus, arundinem cū tribus cādelis deferens, & à sinistris eius erit Acolythus paruam candelam accēsam portans.

3 Ecclesiam ingressi, cum Diaconus iam ante eius aditum fuerit, sistunt omnes; ipse verò inclinat diligenter, & cautè arundinem, & Acolythus candelulam deferens, cum ipsa accendit vnam ex tribus candelis in summitate ipsius positam, & statim ipse Diaconus arundinem eleuat, & tam ipse, quàm reliqui omnes genuflectunt, excepto Subdiacono Crucem deferente: tum Diaconus, tono mediocri, clara tamen, ac sonora voce cantat *Lumen Christi*, quo audito, celebrans, & omnes surgunt, & Chorus respondet in eodem tono. *Deo gratias*. Eodem modo accendendo ad medium Ecclesiæ sistunt, & accēditur alia candela, vt priùs, & genuflectendo altiori tamen voce idem Diaconus cantat *Lumen Christi*, & similiter respondetur per Chorum *Deo gratias*. Tandē ante gradus Altaris perueniendo accenditur tertia candela, & rursus genuflectentibus, vt prius, Diaconus cantat altiori voce *Lumen Christi*, Chorusque pariter surgentibus omnibus eodem tono respondet *Deo gratias*.

De Præconio, & Prophetijs. Cap. III.

1 *Diaconus quo loco benedictionem petat.*
2 *Ordo procedendi ad cantandum Præconium.*
3 *Modus standi dum cantatur Præconium.*
4 *Modus, ac tempus infigendi grana incensi.*
5 *Cereus quando accendi debeat.*
6 *Ordo recedendi post Cantum Præconij.*
7 *Celebrans quomodo Prophetiam legat.*
8 *Ordo accedendi ad cantandas Prophetias.*
9 *Ordo standi, ac genuflectendi ad Orationes.*

1 Diaconus, tradita arundine Acolytho ad id deputato, accipit librum de manu Magistri cęremoniarū, & accedens ad Celebrantem genuflexus petit benedictionem, vt fieri solet ad Euangelium, dicens *Iube Domne benedicere*; cui Celebrans respondebit *Dominus sit in corde tuo, vt dignè, & competenter annuncies suum Paschale Præconium. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti Amen*, prout in Missali recognito expressè habetur; interim more solito signum Crucis super ipsum effor-

mans,

mans;& ipse manum Celebrantis, vt fieri solet ad Euangelium, exosculatur.

2 Accepta benedictione Diaconus procedit ad Legile, seu Pulpitum: hoc ordine, præcedit Thuriferarius cum thuribulo, & cum eo deferens grana incensi sequitur Subdiaconus cum Cruce, & cum eo Acolythus cum arundine; vltimus Diaconus librum ante pectus clausum tenens. Vbi suggestum ascenderit, librum aperit, & ter incenso adolet; Subdiaconus à dextris Diaconi, extra suggestum tamen, Crucem tenet facie conuersa ad celebrantem; à sinistris verò Diaconi pariter extra suggestum stat Acolythus cum arundine; Thuriferarius, & Acolythus cum granis supra suggestum stant post Diaconum, & si locus, in quo affigi debet cereus Paschalis, non sit, vbi cantatur Præconium, debet deferri cereus per aliquem Acolythum ad id designatum, qui ipsum, dum cantatur Præconium supra suggestũ à dextris Diaconi sustinebit.

3 Cum incipit Prçconium, omnes detecto capite surgũt, ipse verò celebrãs in Altari stans iunctis manibus à latere Epistolæ faciem conuertit ad Diaconum, sicut cum cantatur Euangelium;& Diaconus incensato libro, non signando se ipsum, neque librum immediatè incipit *Exultet*, &c. prosequendo iunctis manibus cantum suum.

4 Cũ ad illa verba *Curuat Imperia*, peruentum fuerit, accedente Acolytho cum granis incensi, figit ea in modum Crucis, primum in superiori parte, secundum in media, tertium in infima, quartum à dextris, quintum denique à sinistris cerei.

5 Prosequendo Prçconij cantum subdit *In huius igitur noctis*, &c. & vbi iam dixerit, *Rutilans ignis accendit*, cereum ex arundine, seu etiam candelula sibi ab Acolytho porrecta accendit, vnde & cãdelarum minister aduertat, vt cerei elychnum sit bene depositum, quò facilè accendi possit; deinde prosequitur *Qui licet sit diuisus* vsque ad *Apis mater eduxit*; & tunc aliquantulum quiescens expectat; donec lampadarum minister candelula noui ignis lampades accendat.

6 Cantato Prçconio recedentes ordine, quo venerant, Subdiaconus in Sacristia Crucem deponit, Diaconus verò librum, & deposita Dalmatica alba, induitur Planeta plicata violacea, & sic parati accedunt ad celebrantem in Altari; qui arundinem portabat figit eam in pede ligneo, seu lapideo à latere Euangelij, vt supra præparato; cereus quoque aptatur in candelabro proprio à latere Euangelij.

7 Celebrans statim completo Prçconio deponit Pluuiale, & accepta Casula, ac manipulo in cornu Epistolæ legit submissa voce primam Prophetiam, Ministris interim assistentibus, videlicet Diacono à dextris celebrantis, & Subdiacono à dextris Diaconi, quam vbi legerit, donec compleatur cantus, vnà cum Ministris à latere Epistolę tecto capite sedet, & circa finem Prophetiæ, vel si dicatur Tractus, cum in Choro cantatur, ad Altare rediens, factaque in medio Cruci reuerentia profunda, accedit ad librum, vt cantet Orationem.

8 Lectores Prophetias in nudo Legili ante Presbyteriũ in medio plani præparato suo ordine cantant primò iuniores, deinde gradatim maiores, voce quidem sonora, atque intelligibili, non tamen morosè, sed expeditè, & in fine cuiuslibet cum debitis reuerentiis singuli recedunt, & vbi dicendum est *Flectamus genua*, non prius recedunt, quàm per Subdiaconum fuerit dictum *Leuate*.

9 Dum celebrans cantat Orationes post Prophetias, Ministri stant vnus post alium, & Diaconus dicens *Flectamus genua*, primus omniũ genuflectit; Subdiaconus verò subdens *Leuate*, primus omnium surgit, eodem modo alii omnes, excepto celebrante genuflectunt, ac surgunt. Rit. Miss. v. 5.

De benedictione Fontis. Cap. IV.

1 *Ordo procedendi ad benedictionem fontis.*
2 *Dicenda, & agenda super aquam.*
3 *Aqua ante consecrationem accipienda.*
4 *Oleum Cathecumenorum, & Chrisma in aquam immittendum.*
5 *Cathecumeni hac die baptizandi.*
6 *Habitus adulti baptizati.*
7 *Conferens baptismum quo habitu vtatur.*
8 *Ordo redeundi ad Altare.*

1 VBi sunt fontes benedicendi, finitis Prophetiis, dicta vltima Oratione, celebrans deposita Planeta, assumit Pluuiale violaceum,& procedẽte Subdiacono cum Cruce, & candelabris accensis,quẽ præcedere debet Acolythus deferens cereum accensum, sequentibus reliquis suo ordine, post omnes celebrans cum Ministris ad locum descendit, & interim cantabitur Tractus *Sicut ceruus*,&c. quo completo celebrãs iuxta fontem dicit *Dominus vobiscum*,& Orationem *Omnipotens*,&c.postea ad benedictionem procedens rursus dicit *Dominus vobiscum* cum sua Oratione, cui subnectitur Præfatio cantãda in suo tono, prout in Missali habetur, in qua vbi peruentum fuerit ad illa verba *Vnigeniti tui gratiam de Spiritu sancto*, celebrans manu extensa ad modum Crucis diuidit aquam,& eam statim linteo extergit, dicens, *Qui hanc aquam*, prosequendo vsque ad *Non inficiendo corrumpat*, & tunc aquam manu tangit; prosequitur deinde *Sit hac Sancta* vsque ad *Indulgẽtiam consequantur*, & facit tres Cruces super fontem,dicens, *Vnde benedico te creatura aquæ per Deum viuum*, vsq; ad *cuius spiritus super te ferebatur*, & tunc aquam manu diuidens effundit eam su per quatuor mundi partes,dicens, *Qui te de paradysi fonte*,vsque in finem. Missale Rom. benedict. fontis.

2 Tandem mutando vocem prosequitur in tono Lectionis *Hæc nobis præcepta*, &c. vbi dum subdit *Tu benignus aspira*, halat ter in aqua in modum Crucis, dicens,*Tu has simplices aquas*, vsque ad *purificandis mentibus efficaces*: tunc dimittens cereum in aqnam resumit tonum Præfationis, dicens; *Descendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus sancti*,quibus dictis extrahitur cereus de aqua,& iterum profundiùs mergitur aliquantò altiùs repetendo *Descendat*,&c. & rursum extraitur, ac tertiò emergendo ipsum vsque ad fundum, altiori voce repetitur *Descendat*, &c. Ac deinde sufflando ter in aqua secundum hanc figuram ✠. prosequitur *Totamq; huius aquę substantiam regenerãdi fœcundet effectu*, & tunc tollitur cereus de aqua, atque prosequendo in tono Præfationis *Hic omnium*, &c. tandem legendo concludit *Per Dominum nostrum*,&c.

3 Assistentes Sacerdotes spargunt de ipsa aqua benedicta super populum, & Sacrista, vel aliquis Minister ad id deputatus partem aquæ reponit in vase ad aspergendas domos,& alia loca.

4 Celebrans deinde oleum Cathecumenorum in modum Crucis in aquã infundit,intelligibili voce dicens *Sanctificetur,& fœcundetur fons, &c.* Eodem modo infundit de Chrismate,dicens *Infusio Chrismatis, &c.* Postea ambas ampullas olei sancti,& Chrismatis accipiens de vtroque simul in modum Crucis infundit,dicens *Commixtio Chrismatis,&c.* Tum oleum cum aqua miscens manu super omnem fontem spargit.

5 Si adsint baptizandi post benedictionẽ fontis,baptizari debent;hac enim die, & in Sabbato Pentecostes, quibus fontes benedicuntur, & consecrantur, hoc Sacramentum administrari maximè conuenit,quem ritum,quantùm fieri cõmodè potest,in adultis baptizandis, nisi vitę periculum immineat, retineri decet, aut non omnino prætermitti, præcipuè Rit. Ro. tit. ord. baptizãdi adultum.

in

in Metropolitanis, aut Cathedralibus Ecclesijs.

6 Baptizantur adulti forma à nobis tradita;ipsi verò baptizati induūtur albis vestibus nouis, quibus Ecclesiastico more vtuntur vsque ad Sabbatum in albis. Sup li.2. sect. 14. cap.4.

7 Celebrans conferens Baptismum in principio, videlicet in exorcismo vtitur Pluuiali violaceo; cum verò baptizat, induit Pluuiale album.

8 Completa benedictione, ac baptizatis omnibus celebrans vnà cum ministris violaceis vestibus indutus ad Altare reuertitur, ibique ante gradus deposito Pluuiali procumbit; reliqui in Choro suis locis genuflectunt.

De Litanijs, & Missa solemni dicenda cum Vesperis.
Cap. V.

1 POst benedictionem fontis, & collationem baptismi,& vbi non est fons, finita vltima Prophetia cum sua Oratione, Celebrans deposita Casula cum ministris ante Altare procumbit super puluinis violaceis ab Acolythis prius dispositis, ac reliquis omnibus genuflexis à designatis Cantoribus inchoantur, ac prosequuntur Litaniæ Choro semper idem repetente.

2 Verba illa *Per sanctam resurrectionem tuam* geminantur, ac lætiori voce cantantur. Paris de Crass.li. 2.c.48.

3 Dum dicuntur Litaniæ, Sacramentum ex sacello, in quo fuerat reconditum, cum intortitijs accensis reportatur ad Altare, vbi more solito in ciborio reponitur. Cōsuet Cleric. Regul. Theat.

4 Acolythi cereos in Altari, ac supra cancellos, seu parietes accendunt,& dum dicitur *Peccatores*,surgente celebrante cum ministris amouetur ab Altari pallium violaceum,& Clerici præcedente Magistro Cęremoniarum deferunt paramenta celebrantis,ac ministrorum singuli singula hoc ordine; primò procedit Thuriferarius cum thuribulo; post ipsum sequitur deferens Missalia cooperta in tegumentis pretiosis cum velo oblongo auriphrygiato super humeros Subdiaconi imponendo; alius puluinum cum tabella secretorum; alius ampullas cum peluicula; alius Calicem cum suis ornamentis pretiosis; alius in canistro argenteo deferet Stolas, ac Manipulos; alius Tunicellam; alius Dalmaticam; vltimus omnium sequitur deferens Casulam;quę suis locis supra credentiam, vel Altare reponuntur. In maioribus Ecclesijs, vbi est sufficiens ministrorum numerus celebrās,si sit Superior loci vnà cū ministris ante Altare induitur; in minoribus verò Ecclesijs,vbi non suppetit Acolythorum numerus, & in Cathedralibus, Prælato ac Superiore præsente, in Sacristia, vel

alio

alio loco congruo depositis violaceis, paramentis albi coloris induitur; nec opus est, vt processionaliter ad Missam hac die accedat, prout olim in ordine Romano Apostolicum consueuisse legimus; tunc enim Cantore dicente *Accendite*, Neophytorum cerei accendebantur, & processio post Litanias fiebat; modò ante Præconium, Romano more celebratur, in qua accenduntur tres candelæ in arundine modo præscripto; vnde non est necesse, vt post Litanias celebraturus, processionaliter ad Altare accedat.

Ordo Rom.

5 Omnibus bene dispositis celebrans facit cum Ministris confessionem, in qua dicitur Psalmus *Iudica me Deus*, cum *Gloria Patri*, & reliqua more solito, & incensatur Altare, interim in Choro cantantur *Kyrie eleyson*, cum pausa conueniente, donec celebrans facta confessione incenset Altare, & ipse incensetur, ac cum Ministris submissa voce, in cornu Epistolæ dicat *Kyrie eleyson*.

6 Cum dicitur *Gloria in excelsis Deo*, pulsantur campanæ, & Organum; si verò in Cathedrali Ecclesia non fuerint pulsatæ, tantùm minores aliarum Ecclesiarum campanę pulsentur; maiores verò videlicet, quæ sunt in campanili, expectent signum campanarum Ecclesiæ Cathedralis, vt decet.

Cærem. Episc. li. 2. c. 25.

Concil. Lateran. sub Leone X sess. 11. de celeb. Miss. c. 14.

7 Celebrans post Hymnum, dicta solemni Oratione, stans à latere Epistolę, legit submissa voce, assistente sibi Diacono, Epistolam cum triplici *Alleluia*, Versu, & Tractu, deinde dicens submissa voce aliquantulum versus Crucem inclinatus *Munda cor meum*, & *Iube Domine benedicere*, in eodem cornu Epistolæ legit pariter submissa voce Euangelium.

8 Finita Epistola Celebrans stans in eodem loco dicit *Alleluia*, ter eleuando vocem, Choro qualibet vice eadem voce idem repetente.

9 Subdiaconus postmodum manum celebrantis osculatur, librumque Diacono tradit, ac statim celebrantis librum cum puluino transfert ad latus Euangelij. Interim in Choro cantatur Versus cum Tractu.

10 Diaconus deposito libro super Altare, ministrat incensum, dicit *Munda cor meum*, & benedictionem petens more solito, ad Euangelium procedit, in quo non deferuntur luminaria, sed duo Acolythi à lateribus Subdiaconi assistūt sine candelabris.

11 Post Euangelium non dicitur *Credo*, sed *Dominus vobiscum*, & *Oremus*, non tamen dicitur Offertorium, & Subdiaconus defert Calicem cum suis ornamentis; ad Psalmum *Lauabo* dicitur *Gloria Patri*.

12 In Præfatione dicitur *Te quidem Domine omni tempore, sed in hac potissimum nocte*; item infra actionem; *Communicantes, & noctem sacratissimam celebrantes*, &c. & *Hanc igitur*, &c.

13 Dicto *Pax Domini*; non dicitur *Agnus Dei*, neque datur pacis osculum, dicuntur tamen tres Orationes consuetę ante communionem.

14 Si qui pro sua deuotione Communionem petant, poterit concedi, immo decet, tum maximè cum festum Annunciationis occurrit, & omnes eodem modo, quo feria V. in Cęna Domini, tam Sacerdos, quam reliqui Sacram sumant Communionem.

15 Post Sanguinis sumptionem, vel peracta communione, si sit facienda, Dignior in Choro Cantore præintonante, inchoabit pro Antiphona Vesperarum *Alleluia*, quàm Chorus prosequitur, & Cantores Psalmum *Laudate Dominum omnes gentes*, alternatim vtroque Choro prosequente, intonabunt.

16 Celebrans in Altari sumpta purificatione stans in cornu Epistolę, assistente sibi Diacono, submissa voce legit Antiphonam cum Psalmo, qua repetita à Choro, inchoat Antiphonam ad Magnificat *Vespera autem Sabbati*, quam Chorus prosequitur; ipse verò eam cum Diacono submissa voce complet, recitans

cum eodem alternatim Canticum *Magnificat*, & Antiphonam repetit.

17 Cum inchoatur Canticum, Celebrans, Diacono ministrante, imponit incensum in thuribulum, & benedicit, & statim incensat Altare more solito, quo incensato, & ipse triplici ductu à Diacono thurificatur; deinde idem Diaconus incensat Chorum, & reliquos more solito.

18 Repetita Antiphona à Choro, Celebrans osculato Altari in medio, conuertens se ad populum dicit *Dominus vobiscum*, & in cornu Epistolę cantat Orationem *Spiritum nobis*, &c. qua completa, & dicto à Celebrante iterum *Dominus vobiscum*, &c. Diaconus dicit *Ite Missa est* cum duplici *Alleluia*.

19 Data benedictione in fine, dictoq; Euangelio S. Ioannis, omnes lęti recedunt, Dominicę resurrectionis gaudia mutuò sibi annunciantes.

De Officio Sabbati sancti in Cathedralibus. Cap. VI.

1 *Nouus ignis quando, & quomodo ab Episcopo benedicatur.*
2 *Incensum quomodo ministrandum.*
3 *Ordo procedendi è Sacristia.*
4 *Candelæ quo ordine accendendæ.*
5 *Nona quando cantanda.*
6 *Paramenta quando, & quomodo accipienda.*
7 *Episcopus ad Prophetias quomodo procedat.*
8 *Ordo procedendi ad benedictionem fontis.*
9 *Ad Litanias quomodo procedendum.*
10 *Ad Confessionem quomodo.*
11 *Campanæ quando pulsandæ.*
12 *Alleluia quomodo præintonandum.*
13 *Ad Vesperas quomodo procedendum.*
14 *Obseruanda Episcopo non celebrante, sed assistente.*
15 *Obseruanda in Capella Papali.*
16 *Papæ, & Cardinalium habitus.*

1 IN Cathedralibus pręter ea, quę supra sunt explicata, addendū quòd dicta Sexta Episcopus ad Ecclesiam accedens, indutus Amictu, Alba, Stola, ac Pluuiali violaceo cum Mitra, astantibus Ministris cum Cruce, & alijs, vt sup. in sua sede benedicit ignem, & incensum, deinde deposito Pluuiali accipit Cappā; si verò ex aliqua vrgenti causa ipse ignem non benedicat, tunc Canonicus paratus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, ac Pluuiali violaceo ipsum benedicit vt supra.

2 Episcopus Cappa indutus, benedicto iā nouo igne à Canonico, ad Ecclesiam accedens, vel si ipse iā benedixerit, depositis sacris vestibus, Accepta Cappa in sua sede imponit incensum in thuribulum, ministrāte Presbytero assistēte more solito, deinde Thuriferarius, Subdiaconus paratus deferēs Crucem, Diaconus, & alii extra Capellam, vel ad Sacristiam accedunt, vbi accenditur parua candela ex dicto igne benedicto, quam portat vnus ex Acolythis, alter verò accipit peluim cum incenso, & Diaconus arundinem, interim Episcopus, & Canonici suis locis recto capite sedent.

3 Proceditur deinde è Sacristia hoc ordine; primò pręcedit omnes Mazzerius, siue minister Baculum deferens, sequuntur duo Acolythi, Thuriferarius videlicet cum thuribulo, & nauicula à dextris, alter verò à sinistris portās manu eleuatā peluim cū granis incensi, post eos procedit Subdiaconus Crucem deferēs, deinde Diaconus cum arundine habēs à sinistris Acolythum cum candela accēsa, & vltimò quatuor Acolythi cum Cottis.

4 Ante cācellos, seu aditū Chori accenditur prima candela, & tunc omnes surgunt, & proceditur eodem modo quo supra, primò in aditu Chori, secundò in medio, tertio ante gradus Altaris, tribus vicibus omnibus genuflectentibus, excepto deferente Crucem, semperque altiori tono dicitur *Lumen Christi*; ac tādē surgētibus omnibus, Episcopus,

ac reliqui sedent, Diaconus verò accedens ad Episcopũ petit ab eo benedictionem,& cum debitis reuerentijs vnà cum alijs procedit ad cantandum Præconium modo,& ordine supra explicato.

5 Cantato Præconio Diaconus deponit Dalmaticã,& Subdiaconus Planetam & in Albis ad Episcopũ accedũt, dictoq; *Pater noster*, & *Aue Maria* cantatur Nona, in cuius fine dum dicitur *Christus factus est*,&c. Episcopus genuflectit in faldistorio, dictoq; Psal. *Miserere*, adhuc genuflexus dicit Orationem *Respice*,&c.

6 Completa Nona Episcopus in sua sede accipit Sandalia, recitans Psalm. *Quàm dilecta*, cum precibus consuetis, & induitur Pontificalibus violacei coloris, ac Mitra simplici; non tamen, si sit Archiepiscopus, accipit pallium, sed cum induitur Casula, Canonici paramenta quilibet sui ordinis coloris violacei, & Ministri Planetas plicatas violaceas, & Manipulos accipiunt; Presbyter assistens Pluuiali violaceo indutus suum exequitur munus, pariter & alij duo Diaconi assistentes.

7 Paratis omnibus Episcopus cum Mitra & Baculo, comitantibus Assistentibus ad Altare accedens, deposito interim Baculo, ipsum in medio osculatur, mox recepto, factaque Cruci reuerentia, ad eandem sedem suam reuertitur; Diaconus verò Euangelii, & Subdiaconus parati remanent apud Altare, prout in Missa solemni, & omnibus in suis locis cõsedentibus cantãtur Prophetię, in quarũ fine Lectores cum debitis reuerentiis ad Episcopum accedentes eius manũ osculantur, antequam pro Oratione cantãda surgat, quam postea surgens, Presbytero assistente librum sustinente more solito extensis manibus cantat.

8 Si Episcopus fontes benedicere voluerit, completis Prophetijs, deponit Casulam,& Pluuiali violaceo indutus accipit Baculum, & præcedente Cruce Subdiaconus cereum accensum deferens, & Canonici omnes parati cum Episcopo per ordinem ad fontem accedunt, omnia vt supra præstando: Si verò Episcopus noluerit, vel non potuerit fontes benedicere, destinabit aliquem ex dignioribus Capituli, qui Pluuiali paratus præcedente cereo accenso cum Cruce,& alijs, omnia præstabit circa benedictionem,& post ipsam Cathecumenos baptizabit.

9 Post fontiũ benedictionem, & baptismi collationem, si Episcopus id præstiterit, eodem ordine ad Capellã rediens, deposito Pluuiali, ac Mitra procumbit ad Litanias,& si aderunt ordinandi se prosternunt, & Subdiaconus genuflexus supra scabellum versus cornu Epistolæ retro Episcopum habens ante se librum inchoat Litanias, Choro semper eadem intercalariter repetente; in quibus cum dicitur *Peccatores*, Episcopus surgens induitur albis paramentis adiuuãtibus Diacono, & Subdiacono, qui paulò ante assumere debent alba paramenta, vt Episcopo pręsto esse possint; in reliquis proceditur vt supra.

10 In fine Litaniarum ab Altari, & sede Episcopi remouentur violacea, statimque Cantores conuenienti pausa cãtabunt *Kyrie eleyson*, donec Episcopus facta confessione cum ministris more solito, & imposito incenso in thuribulum, Altare ascendẽs illud in medio, ac pariter librũ Euangeliorũ osculetur, atq; insuper incẽsato Altari & ipse à Diacono incẽsetur, ac deinde ad sedẽ reuersus submissa voce cũ Assistẽtibus dicat *Kyrie eleyson*.

11 Moneantur aliæ Ciuitatis Ecclesię, ne pulsent campanas, nisi audito signo Cathedralis Ecclesiæ; pulsantur autem, cum Episcopus ad suam sedem reuersus, dicto *Kyrie eleyson*, intonauerit Hymnũ *Gloria in excelsis Deo*. Cęrem. Episc. l. 1. c. 27. Cõc. Lateran. sub Leone X. c. 11.

12 Subdiaconus cõpleta Epistola immediatè accedẽs ad sedẽ Epi clara voce dicit *Reuerendiss. Pater annuntio vobis gaudiũ magnũ, quod est Alleluia*, & statim eius manum osculatur, tunc vnus ex Canonicis, vel is, cui ex officio incũbit præintonat Episcopo *Alleluia*, qui surgens

sine

sine Mitra ter cãtat *Alleluia*, semper gradatim vocem eleuando, & Chorus post quamliber vicem idem repetit.

13 Post cõmunionem Episcopus peracta purificatione lauat manus, & ad sedẽ suam reuertitur; & dum Chorus incipit *Alleluia* pro Vesperis, ipse sedet cũ Mitra; ad *Magnificat* Subdiacono præintonante ei Antiphonam, surgens ipsam repetit, deinde sedens cum Mitra, Presbytero assistente ministrante, imponit incensum more solito, & cum inchoatur *Magnificat*, ad Altare procedens ipsum incensat, postea ad sedem reuersus incensatur, stãs ad reliquum Cantici sine Mitra, & cum repetitur Antiphona, accepta Mitra sedet, qua completa ad Altare descendens dicit *Dominus vobiscum*, & Orationem; Diaconus verò *Ite Missa est Alleluia Alleluia*; ac datur benedictio, & publicantur Indulgentię.

14 Si Episcopus celebrare noluerit, Canonicus, dicta Nona, paratus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, ac Pluuiali violaceo loco consueto benedicit nouum ignem, & incensum sine cantu, deinde deposito Pluuiali accipit Planetam violaceam, Diaconus Dalmaticam albam, & Subdiaconus Planetam plicatam violaceam, & sic parati sedentes in scamno à sinistris Altaris expectant Episcopum venientem cum Cappa, qui ad Ecclesiam accedens, vbi aliquantisper orauerit, Presbytero assistente ministrante imponit incensum in thuribulum, & Diaconus cum alijs ministris procedit vt supra, celebrante interim in suo scamno manente, vbi sedet, vel surgit cũ opus est; cum verò inchoatur *Exultet* ascendens Altare stabit ibi manibus iunctis in cornu Epistolę respiciens Diaconum cantantem: ad Prophetias procedit vt supra; lector verò cantata Prophetia manum Episcopi osculatur. Ad Litanias Episcopus procumbit ad faldistorium in medio locatum, celebrans autem supra scabellum à sinistris Episcopi; ad *Peccatores* celebrans surgens cum suis ministris in Sacristia, vel alio congruo loco accipit paramenta albi coloris, & in fine Litaniarum surgente Episcopo amouetur faldistorium, & accedens celebrans ad eius sinistram facit cum ipso confessionem, & ad reliqua proceditur, vt in Missa solemni, quę coram Episcopo celebratur, seruatis singularibus huius diei.

15 Eadem respectiuè obseruantur in Capella Palatij Apostolici, in qua hac die celebrat Presbyter Cardinalis, qui antequam Papa accedat, ignem, & incensum benedicit; & accedẽte Papa cum Amictu, Alba, Cingulo, Stola, ac Pluuiali rubeo, & Mitra, DD. Card. cũ Cappis violaceis de Camelotto accedunt ad reuerentiã, deinde imponitur incẽsum in thuribulũ, Presbytero Cardinali assistente nauiculam more solito ministrante: Diaconus verò cum alijs ministris ad paruã Capellã, quę Paulina dicitur, procedens cum arundine, & alijs, vt sup. primo ante ostiũ Capellę, secundò ante cancellos, tertiò denique ante Altare accendit candelas, Papa interim, Card. ac alijs Pręlatis in suis locis stantibus: in reliquis omnia, vt supra respectiuè obseruantur; Lectores cantata Prophetia pedẽ Pontificis osculantur; in fine Litaniarũ cum dicitur *Peccatores*, Papa surgens deponit Mitrã, ac Pluuiale rubeum, & accipit album, ac Mitrã pretiosam; celebrãs verò cum ministris ad faldistorium reuersus depositis violaceis, accipit alba paramenta, & DD. Cardinales Cappis violaceis depositis rubeas accipiunt. Cantata Epistola Subdiaconus Apostolicus sacris indutus ante Solium Papę cum debitis reuerentijs accedẽs, conuersus ad Pontificem dicit alta voce; *Pater sancte annuncio vobis gaudium magnum, quod est Alleluia*, & tunc Pontifex surgens ipsum intonabit, vt supra. Cærem. Ro. l. 2. c. 57.

16 Completa Missa, Pontifex recedens, demissis paramentis in Camera Papagalli, accipit Biretum, Mozettã, Stolã, & Calceamenta albi coloris, Biretũ, & Mozzetta erũt ex serico Damasceno pellibus armellinis circumfulta cum veste Cærem. Rom li. 2. c. 58.

talari alba pariter ex serico, quibus vtitur vsque ad Dominicam in Albis. DD. Cardinales, exceptis ex Ordinibus Religiosorum assumptis, qui vtuntur colore sui Ordinis, omnes accipiūt vestes rubeas, etiam qui ratione obitus suorum consanguineorum in luctu fuerint, & hoc ob commune Ecclesiæ gaudium de Christi Domini Resurrectione.

De Missis priuatis, si Sabbato sancto aliqua celebretur, & Vesperis priuatè dicendis.
Cap. VII.

1 *Circumstantia obseruanda si priuatè hac die celebretur.*
2 *Ordo celebrandi Missam priuatam.*
3 *Vespera huius diei cur intra Missarum solemnia singulariter celebrentur.*
4 *Vesperum huius diei Dominicam repræsentat.*
5 *Vespera extra Chorum quomodo recitanda.*
6 *Ad Completorium quomodo procedendum.*
7 *Antiphona Regina Cæli quomodo cantanda.*

1 SI quis hac die priuatè celebrare velit, iuxta Doctorum probabilem sententiam, quam Suarez in praxi tutam iudicat, tria concurrere debent; primò vt adsit rationabilis causa, puta vt satisfiat ijs, qui publico, & solemni sacrificio interesse nō possunt, vel alia arbitrio boni viri, quæ tunc certior, & rationabilior, magisq; tuta censeri poterit, si Superioris auctoritate, ac licentia muniatur; secundò vt omni secluso scādalo in aliquo sacello remoto secretè celebretur; ac tertiò vt non antea celebretur, quàm in Ecclesia incipiant, vel saltem incipere probabiliter possint Officia Paschalia, olim namque iuxta antiqua iura hac die celebrari nō poterat, ratione Dominicæ Passionis, ac sepulturę, quæ repræsentatur; sed ad Vesperā Sabbati, quæ ipsam Dominicam diem præcedebat, sacrificiū Missæ celebrabatur; modò præueniēdo tempus, illa Missa, in qua noctis mysteriū recolitur, nō vt antiquitus nocturnis horis, sed ipso die Sabbati solemniter per singulas Ecclesias celebratur; & ideo cū iam de facto iuri antiquo, quo celebrari prohibebatur, sit derogatū, non erit inconueniens, si modo præscripto aliqua priuata Missa celebretur ijsdē verbis, quibus noctis mysteriū recolitur, repræsentatur.

Soto in 4. d. st. 13 q. 2. ar. 2. Suar. 3. p. to. 3. disp. 80. sect. 2. Mic. de Eccl. ob. ser. c. 53.

2 Quia tamen Missa huic diei assignata plura habet singularia, alia præcedētia; alia verò sequētia, ideo qui priuatè celebrare voluerit, non à Præconio, neque à Prophetijs initium sumet, sed à Litanijs, sic enim, ait Microl. suis temporibus post Baptismum Presbyteri priuatim celebrare consueuerunt, &, vt ipse innuit, non à Lectionibus, sed à Litaniis incipiebant, hoc est à *Kyrie eleyson*; cum enim hæc Missa non habeat Introitum, facta confessione, in qua dicitur Psalm. *Iudica me Deus*, immediatè à *Kyrie eleyson* incipit Missa; in qua nōn dicitur *Credo*, neque Offertorium, & in Præfatione dicitur *Te quidem Domine omni tempore, sed in hac potissimum nocte*. Infra actionem, *Communicantes, & noctem sacratissimam celebrantes* cum *Hanc igitur* propria, *Agnus Dei* non dicitur, & loco postcommunionis dicitur Antiphona *Vespera autem Sabbati*, sine Psalmo; post quam dicitur Oratio *Spiritum nobis*, &c. & *Ite Missa est* cum duplici *Alleluia*.

Micr. de Eccl. obser. c. 53.

3 Vesperæ huius diei solemniter in Ecclesia intra Missarum solemnia ex antiquissima consuetudine ab Orientali Ecclesia mutuata celebrantur; Græci enim in præsanctificatis feriis Quadragesimæ hora diei vltima aduesperascente die, quando ieiuniū soluebatur, celebrantes, vespertinam synnaxim liturgico iungere consueuerunt Officio, & nos antiquorum inhærentes vestigiis, in feriis Quadragesimę, licet tempus præueniamus, tamen quadam iuris fictione ad Vesperum ieiunium soluentes ante refectionem

Rit. Eccl. Græcæ.

vesper-

vespertinum celebramus Officium.

4 Præcipuè tamen huius diei Officium totum vespertinum Cæremoniali repræsentatione, atque iuris fictione, vt ita dicam, est: Vesperum enim Sabbati Dominicam diem præcedens recolitur, & ideo vespertinum Officium singulariter in publicis, ac solemnibus huius diei functionibus maiorum traditione rite inseritur.

5 Si quis ergo rationabili causa impeditus extra Chorum Vespertinum Officium huius diei celebrare voluerit, dicto secretò *Pater noster*, & *Aue Maria*, iuxta Rubricas inchoare debet Vesperas ab *Alleluia*, quæ Antiphona duplicatur cum Psalmo *Laudate Dominum omnes gentes*, & post Antiphonam, & Psalmum Antiphona *Vespera autem Sabbati* ante Canticum, prout in duplicibus, dicetur, qua repetita dicitur *Dominus vobiscum*, cum Oratione *Spiritum nobis*, &c. & loco *Ite Missa est Alleluia Alleluia*, dicetur *Benedicamus Domino Alleluia Alleluia*. Et hæc quidem ex Rubrica habentur, nihilominus vt à probatis, ac rerum Ecclesiasticarũ peritis viris habemus deberet etiam præmitti Versus *Deus in adiutorium meum*, cum Vers. *Gloria Patri*, & *Alleluia*, & in fine addendum Vers. *Fidelium animæ*, & *Pater noster*; hæc enim generalibus Rubricis satis consona videntur, & talis ordo semper iuxta Rubricas seruatur, excepto triduo maioris hebdomadæ, quando non dicitur ℣. *Gloria Patri*; vnde cum Vespertino Officio huius diei congruat ℣. *Gloria Patri*, videtur etiã apponendus, & Versus *Deus in adiutorium* in principio Vesperarum, cum exceptio in præcedentibus Officijs tradita, huic Horę non solũ nõ cõueniat, sed magis regulã generalem cõfirmet nõ cõueniat. Similiter cũ ex generali Rub. habeamus, quòd quandocũq; extra Chorũ terminanda aliqua Hora erit, dicto *Fideliũ animæ*, &c. dicatur *Pater noster*, secretò; cur in præsentis diei Vesperis extra Missam dicendis hoc obseruandum non sit, nulla ratio meo iudicio afferri potest.

Petr. de Ruyz in suo Cærem. de off. Ro. pa. 249.

Rub gene. Brc. XXXII, 1.

6 Ad Completorium huius diei post Capitulum, & Confessionem, quæ dicuntur more solito, dicitur Vers. *Conuerte nos Deus*, &c. & *Deus in adiutorium*, cum Vers. *Gloria Patri*, & *Alleluia*, deinde absq; Antiphona dicuntur quatuor Psalmi consueti, quibus completis Celebrãs immediatè intonabit Antiphonam *Vespere autem Sabbati*, quę non duplicatur, sed statim Cantore inchoante Chorus prosequitur Canticum *Nunc dimittis*, &c. post quem dicitur Antiphona *Vespere autem Sabbati*, &c. ac denique Celebrans, dicto *Dominus vobiscum*, dicit Orationem *Visita quæsumus Domine*, &c.

7 In fine Officij Celebrans inchoabit Antiphonam *Regina Cœli*, quę altiori tono à stantibus cantabitur, pariter ad sonum campanę, post Completoriũ, Matutinum, & Nonam stantes oramus, quod toto Paschali tempore omnino seruatur. Hodie per Parochum, necnon per locorum Superiori aspergi debent domus, & cubicula aqua benedicta è fontibus vt supra accepta; proceditur autem modo supra præscripto.

Sup. li. 2. sect. 11. c. 2. n. 2.

De Cereo Paschali. Cap. VIII.

1 *Origo Cerei Paschalis.*
2 *Quo tempore in Ecclesia stare debeat.*
3 *Quando accendendus.*
4 *In luctuosis nunquam accendendus.*
5 *In die Ascensionis quãdo accendendus, & extinguendus.*

1 Paschalis cerei originẽ Zosimo plures tribuunt, quem per Parochias illum benedicendi licentiam concessisse legimus; cũ tamen S. Ambr. illo antiquior cereorum Paschalium mentionẽ fecerit, qui & suę Mediolan. Ecclesię elegantissimam formam illum benedicẽdi reliquit; quod pariter ex Prudentij Hymno ante Zosimi Pontificatum præscripto manifestè colligitur; antiquissima Ecclesiastica hæc cõsuetudo benedicẽdi Paschalem

D. Amb. c. vlt. de Pascha. Micr. de Eccl obser. c. 53. Vualfr. de reb. Eccles. c. 30.

cereum in Sabbato sancto, quam Zosimo tribuunt, Sãcti Gregorij Magni prę conio, quo in cerei huius benedictione Ecclesia vtitur, mirabiliter illustratur, singula traditione potius, quàm lege scripta ad nos transfusa: vnde cum pauca de eo scriptis mandata inueniamus, quæ traditione de eo accepimus, hoc loco, ad nostros erudiendos Ecclesiasticos, notare intendimus.

2 Toto Paschali tempore, hoc est à die Sabbati sancti ad Missam, vsque ad diem Ascensionis Domini Cereus iste benedictus candelabro à latere Euangelij constituto semper infixus maneat; grana item incensi semper in eo fixa erunt; propterea eorum damnandus abusus, qui completis Officijs cereum in Sacristiam deferunt.

3 Accenditur autem in ipso die Sabbati sancti à principio benedictionis vsque ad finem Missæ, ac pariter ad Cõpletorium. In die sancto Paschæ accenditur ad totum Matutinum solemne, ac Laudes; item in Missa, ad Vesperas, & Completoriũ: Duobus verò sequentibus diebus, & diebus Dominicis ad Laudes, Missam solemnem, & Vesperas: diebus festis siue Domini siue Sanctorum per id tempus occurrentibus, licet aliqui in dubium reuocauerint; tamen quia dignum, & congruum est, vt ait S. Ambrosius, vt post lætitiam Paschæ, quam in Ecclesia celebrauimus, gaudia nostra cum Sãctis Martyribus conferamus, qui consortes fuerunt Dominicæ Passionis; cum Sanctorum festiua aliqua solemnitas, seu etiam causa lætitiæ votiua aliqua Missa solemnis intra id tempus ab Ecclesia celebratur, Romano more Paschalis cereus accendi debet.

Cõfuet. Cleric. Regul Theat.

S. Ambr. ser. 74.

4 In lucruosis, prout in supplicationibus, quibus violacea adhibentur paramenta, videlicet Litaniarum maiorum, & Rogationum, etsi pro quacumque necessitate Ecclesiæ, vel pro infirmis, vel pro peccatis solemniter celebretur, non tamen accendi debet, sicut nec cum pro defunctis celebratur.

5 In die Ascensionis accenditur ad primas Vesperas, Laudes, & Missam solemnem vsque ad Euangeliũ, tunc enim dicto Euãgelio extinguitur, nec amplius accenditur vsque ad Sabbatum sanctum Pentecostes in benedictione fontis; post Missam verò amouetur. Et hæc saluo meliori iudicio de cereo Paschali adnotasse sufficiant; cum in re indefinita, vt ita dicam, diuersarum Ecclesiarum varius sit vsus; maiorum Ecclesiarum potiora, ac magis probata hoc loco retulimus.

SECTIO NONA.

De solemnitate, & tempore Paschali vsque ad Octauam Pentecostes inclusiuè.

De die Sancto Paschæ. Cap. I.

1 *Celebritas huius diei præcipua est.*
2 *Officium huius diei singularem habet ritum.*
3 *Missa quomodo celebranda.*
4 *Obseruanda in Cathedralibus.*
5 *Ordo quo Papa ad S. Petrum hac die procedat.*
6 *Ordo procedendi ad locum benedictionis.*
7 *Quando Cardinales depositis paramentis Cappas accipiant.*
8 *Benedictio comestibilium hac die facienda.*

1 Festiuitas hodierna solemnitas solemnitatum, & Pascha Domini dicitur: est enim festorum omniũ festiua solemnitas, & dies quam fecit Dominus; sicut enim sancta sanctorum omnium locorum sanctiora, & Cantica Canticorum, quæ alia superabant cantica, dicebãtur; Ita magno, ac singulari studio ista à nobis est colenda festiuitas, quam omnium Ecclesiasticarum solemnitatum solemnissimam prædicamus.

2 Hu-

2 Huius igitur diei officium singulari ritu celebratur; Maturinum namque solemniter ante auroram, qua hora resurrexisse Dominū nostrum Iesum Christum credimus, solemniter celebratur; habetque has singularitates, videlicet, quòd post Inuitatorium non dicitur Hymnus, & post primam Lectionem in Resp. *Angelus Domini*, dicitur Vers. *Gloria Patri*, quod in pręcipuis tantùm solemnitatibus obseruatur; per totam octauam dicuntur tres solummodò Lectiones; ad Laudes non dicitur Capitulum, neque Hymnus, sed loco Capituli dicitur *Hac dies*, &c. & in fine *Benedicamus Domino* cum duplici *Alleluia*, quod etiā ad Vesperas obseruatur. Ad Primam non dicitur Hymnus, neque Antiphona, & antequam pronuncientur Kalendæ, Lector in Legili in medio Chori posito, tono solemniori annunciat solemnitatem Paschalem, dicens, *Hac die, quam fecit Dominus*, &c. interim omnes in Choro stant detecto capite; cum verò postmodum pronuncientur Kalendæ, & legitur Martyrologium omnes sedent more solito. Ad reliquas Horas non dicuntur Antiphonæ, neque Capitulum, neque Versus, sed tantùm *Hac dies*. Ad Completorium post Psalmos dicitur quater *Alleluia*, & sic proceditur per totam Octauam vsque ad Nonam Sabbati inclusiuè.

D.Th.3. p.q.53. art.2. ad 3.

3 Ante Missam solemnem, cum fit aspersio aquæ benedictæ, dicitur Antiphona *Vidi aquam*, quod etiam in alijs Dominicis vsque ad Pentecosten obseruatur. In Præfatione *Te quidem Domine*, &c. dicitur *In hac potissimum die*; in Infra actionem dicitur *Communicantes, & diem sacratissimum celebrantes*, &c. cum *Hanc igitur* propria, & in fine dicitur *Ite Missa est Alleluia Alleluia*, sicque proceditur etiam in Missis priuatis vsq; ad Sabbatum in Albis inclusiuè.

4 In Cathedralibus Episcopus, nisi fuerit legitimè impeditus, celebrabit Missam solemnem, Canonicis paratis assistentibus, modo suo loco præscripto, & in ipsa Missa fiet Communio generali.

5 Romæ hac die Sanctissimus D.N. celebrat solemniter in Basilica S.Petri, & Domini Cardinales accedunt cum Cappis rubeis ad Palatium, & ante aulam, vbi paratur Pontifex, accipiunt paramenta sacra albi coloris, cum quibus associabunt Papam, & assistent ad Missam, quę solemnissime celebratur.

6 Post Missam Papa eum Pallio, quo celebrauit, procedit sub Baldachino, præcedentibus Prælatis paratis, & ad locum publicæ benedictionis perueniens, benedicit populo, datque Indulgentias plenarias, quas Diaconus à dextris pronunciat latino Idiomate; qui verò à sinistris Italicè.

7 Cardinales, & Prælati exuunt se paramentis, & acceptis Cappis rubeis associant Pontificem ad Lectum paramentorum, exceptis duobus Diaconis Cardinalibus assistentibus, & Diacono Cardinali, qui cantauit Euangelium, qui redeunt parati, sine Mitris tamen, sed cum Biretis rubeis.

8 Et quia ex antiquissima traditione nihil hac die à fidelibus non benedictum assumi debet; Ideo Sacerdos benedicturus comestibilia indutus Superpelliceo, ac Stola alba, assistentibus Ministris cum Cottis, altero cum libro, altero cum vase aquæ benedictæ, benedicit agnū Paschalem, oua, panem, & cætera comestibilia benedictione, quæ habetur in fine Missalis, obseruans omnia, vt supra. Sup.li.2. sect.12. c.2.nu.5 p.305.

De duobus sequentibus diebus, & infra Octauam. Cap. II.

1 *Ordo Officij feria II. & III. Pascha.*
2 *Ordo Capellæ Papalis.*
3 *Ordo Officij infra Octauam Pascha.*
4 *Si occurrat festum solemne quid agendum.*
5 *Missa votiua non dicenda.*

6 Missa

6 *Missæ pro defunctis an infra hãc Octauam dicantur.*
7 *Defunctorum sepultura quibus diebus sit iure prohibita.*

1 FEria II. & III. Paschæ, cum Officium sit primæ classis, tertij tamen ordinis, obseruanda sunt omnia, quę in propriis locis dicta sunt; In Officio omnia iuxta formam, & ordinem in præcedenti die præscriptum seruari debent; in reliquis Altaris ornatus, & Celebrantis paramenta erunt quidem solemnia, non tamen pretiosiora, vt pridie: celebrabunt autem digniores, qui sunt in Collegio per ordinem.

Cærem. lo.l.2. ec.2.c.3 2 Romæ in Capella Papali, duobus his diebus celebratur per Presbyterum Cardinalem; & DD. Cardinales assistunt cum Cappis rubeis, & non fit sermo.

3 Infra Octauam Paschæ Officium ordinatur eodem modo, quo in die; non tamen duplicantur Antiphonæ: quodcumque festum duplex, vel semiduplex occurrens transfertur, ac de simplici fit tantùm commemoratio.

4 Occurrente festo solemni, puta Annunciationis B. Marię, S. Marci, &c. transfertur; tamen in ipsa die cantabitur Missa solemnis de die cum paramentis albis eodem modo, quo feria II. & III. Et vbi est Patronus, vel Titulus, si adsit concursus populi ad celebrandum festum, cantari poterunt duæ Missæ, altera de tempore, altera de festo, in qua infra actionem, & *Hanc igitur* semper erunt propria huius temporis, & in fine dicetur *Ite Missa est Alleluia, Alleluia.*

5 Missæ votiuę his diebus nullo modo dici debent, cum in duplicibus non dicantur; dies autem isti omnibus duplicibus præferuntur.

6 Missæ pro defunctis, excepto die obitus præsente corpore, his diebus dici non debẽt, & si ex institutionę, vel quacumque ex causa Anniuersarium pro defunctis sit celebrandum, transfertur post Octauam; non enim decet his diebus, quibus occurrens duplex etiam ex maioribus transfertur, pro Defunctis celebrare; & omnino cum Ecclesia his diebus in lætitia Dominicam celebret resurrectionem, luctuosa misceri non debent.

7 Defunctorum pariter cadauera sine necessitate, & Superiorum licentia in ipso die Paschæ sepeliri non debent, sicut nec feria V. in Cœna Domini, nec in die Natalis Domini, prout ex maiorum institutione satis rationabiliter a peritis accepimus.

De benedictione Agnorum Dei facienda à Romano Pontifice infra hebdomadam Paschæ.

Cap. III.

1 *Tempus quo à Romano Pontifice benedici solent.*
2 *Antiqua consuetudo circa efformationem Agnorum Dei.*
3 *Modus quo hodie efformantur.*
4 *Diebus benedictioni assignatis praeparanda.*
5 *Quo loco aqua exorcizari, atque benedici debeat.*
6 *Ordo quo Pontifex ad benedictionem accedere debet.*
7 *Balsamum, & Chrisma in aqua quomodo infundantur.*
8 *Orationes dicendæ super ipsos Agnos.*
9 *Ordo seruandus in immersione Agnorum.*
10 *Ministrorum habitus, & dispositio.*
11 *Orationes dicendæ à Pontifice super Agnos.*

1 ROmani Pontifices primo Anno sui Pontificatus, & deinceps septimo quoque anno, & aliquãdo etiam frequentiùs, prout res postulauerit, diebus Paschalibus Agnos benedicere consueuerunt.

2 Prius autem pro illis formandis

olim assumebatur cerei Paschalis anni preteriti benedicta cera, cui purissima alia cera admiscebatur, quam fideles ad hoc super Altare S. Petri offerebãt: Subdiaconus deinde Apostolicus, ex cera ipsa ex Altari accepta in Palatio Apostolico cum aliis Subdiaconis, & Acolythis Papę maxima reuerentia, ac munditia religiosè ipsos Agnos Dei efformabat, eam mollificando oleo Sancto, atque oleo Chrismatis, quod superfuerat anno preterito.

3 Modò antiqua illa consuetudine abolita, Anno quo benedici debent, Sacrista in Palatio Apostolico expensis Domini Papæ ex purissima cera Agnos ipsos per Ecclesię Ministros efformatos, sufficienti numero puros ac mundos in capsis adaptat opportuno tempore Sanctissimo Domino præsentandos.

4 Post Sacrum diem Dominicę Resurrectionis, duobus etiam sequentibus diebus, quibus celebratur Capella, transactis; ipsa IV. feria vsque ad Sabbatum in Albis exclusiuè, prout Pontifici videbitur, preparabitur in Aula Palatii sedes Pontificis cum Baldachino, & propè eam Scabella pro Cardinalibus: Vas argenteum magnum cum cochlearibus argenteis magnis, atque perforatis; item & alia vasa magna cum suis cochlearibus, & scabella pro Cardinalibus, atque Prelatis; complures pelues argenteę ad deferendos ipsos agnos; instrumenta item lignea auro, atque argento illita ad modum scyphi, quo deferri solet cęmentum, quibus deferantur postmodum Agni Dei ab aqua extracti, vt exficcentur: mensę item oblongę cum linteis mundis, quibus cereoli ipsi expandi debent, donec aqua exficcetur.

Cęrem. Rom. l. 1. sect. 7. c. 4. 5 Loco congruo ante Sedem Pontificis vas magnum argenteum aqua plenum aptetur, & per Episcopum aqua ipsa ante Aduentum Pontificis exorcizetur, atque benedicatur forma consueta. Prope ipsum vas, disponuntur capsę plenæ ipsis cereis benedicendis apertę.

6 Pontifex statuto die post Missę sacrificium indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Mitra simplici cum Cardinalibus, ac Prelaris ad hoc vocatis, necnon aliis Palatii Ministris, ad locum accedēs, stans supra predictum vas, deposita Mitra dicit Vers. *Adiutorium*, &c. cum Oratione *Domine Deus*, &c.

7 Oratione completa, Pontifex resumit Mitram, & accepta ampulla balsami, ipsum in aquam infundit ad modum Crucis dicens *Consecrare*, &c. ter manu formans signum Crucis super aquam: deinde accepta ampulla Chrismatis, ipsum pariter super aquam ad modū Crucis infundit, dicens *Consecrare*, &c. pariter ter efformans dextera signum Crucis super ipsam aquam.

8 Post aquę benedictionem surgens Pontifex sine Mitra conuertit se ad capsas, in quibus sunt Agni Dei, & dicens Vers. *Dominus vobiscum*, subdit Orationes *Deus omnium sanctificator*, &c. & aliam videlicet *Omnipotens sempiterne Deus*, &c. necnon tertiam *Oramus tuam clementiam*, &c.

9 Completis Orationibus, Pontifex precingitur linteo, & sumpta Mitra sedet apud vas aquę, & Cardinales rubeis induti vestibus, cum Rochetto, Mantelletto, atque Mozetta, hinc inde sedent in subselliis; & accedentibus Cubiculariis, vel etiam, vt aliquando Summis Pontificibus placuit; Sacerdotibus superpelliceis indutis ipsos Agnos Dei portantibus in peluibus, seu discis argenteis, ipsos in aquam immergit, & Cardinales adstãtes cum cochlearibus argenteis eos abstrahentes in ipsis scyphis auratis reponunt, per Sacerdotes pariter, vel Cubicularios, seu Capellanos Palatii super paratas mensas expandendos. Pariter & circa alia similia vasa aqua benedicta referta, atque consecrata, vt supra, alii Cardinales, atque Prelati eodem modo Sacerdotibus, seu Cubiculariis ministrãtibus eadem vt supra prestabunt.

10 Sacerdotes huic muneri destinati

super-

superpelliceo induti, contractis manicis, ne impediantur, detectoq; capite, discos cum Agnis deferentes, ad Pontificem accedunt, atque genuflexi ex disco in vas Agnos immittunt, deinde surgentes debitis adhibitis reuerentijs reuertuntur vacuas pelues suo loco referêtes, & alias plenas portantes; & si vna die opus non compleatur, poterit sequentibus diebus, prout Pontifici videbitur, suppleri.

11 Omnibus baptizatis, surgens Pontifex, & stans sine Mitra dicit super prædictos Agnos baptizatos Orationem *Alme Spiritus*, &c. prout in libro Pontificalium Orationum, quibus completis per Sacristam, & eius Ministros ipsi Agni benedicti in suis capsis reponuntur.

De Officio Sabbati, & Dominicæ in Albis. Cap. IV.

1 *Ordo Capellæ Sabbati in Albis.*
2 *Ordo procedendi in distributione Agnorum.*
3 *Cardinales, & Prælati quibus ceremonijs Agnos accipiant.*
4 *Vestes albæ quando deponantur.*
5 *Festum Pascha quando terminetur.*
6 *Dominica in Octaua Paschæ quomodo celebranda.*
7 *Ordo Officij Dominicæ in Albis.*

1 OLim Sabbato in Albis Romani Pontifices primo Pontificatus sui Anno Missam solemnem celebrare consueuerunt, prout factum legimus ab Vrbano V. & Gregorio XI. Auenione, necnon Romæ ab Vrbano VI. modò vsu receptum est, vt à Presbytero Cardinali celebretur, cui DD. Cardinales assistunt cum Cappis rubeis, & non fit sermo: Ipso autem anno, quo Agni Dei benedici debent intra Missarũ solemnia hac die distribuuntur hoc ordine.

Cærem. Ro. l. 1. sec. 7. c. 8

2 In ipsa Missa dicto *Agnus Dei*, & pace delata, DD. Cardinales accipiunt paramenta alba, quilibet sui ordinis, reliqui pariter Prælati albis se induunt paramentis, tamen extra cancellos. Deinde accedente Thuriferario cum thuribulo, Papa Presbytero Cardinali ministrante nauiculam, imponit more solito incensum in thuribulum, tum præcedête Subdiacono Capellæ cum Cruce inter Ceroferarios, quos præcedit Thuriferarius cum thuribulo fumigante, Magistro Cæremoniarum ordinante processionem, Subdiaconus Apostolicus sacris indutus vestibus, comitantibus alijs Capellanis superpelliceis indutis, lancem in loco præparato plenam Agnis Dei innolutis bombyce, ac mappula serica coopertis de manu Sacristæ accipit, & eodem ordine in Capellam reuertitur, & vbi fuerit intra ostium Capellæ, genuflectunt omnes, & Subdiaconus cantat competenti voce, ita vt ab omnibus audiatur. *Pater Sancte isti sunt Agni nouelli, qui annunciauerunt Alleluia, modò venerunt ad fontes, repleti sunt claritate Alleluia:* Et Cãtores eadem voce respondent: *Deo gratias Alleluia*; secundò ante cancellos, & tertiò ante solium Pontificis genuflexus idem præstabit. Deinde genuflexus à dextris Pontificis dictam Lancem tenet vsque ad finem distributionis; & per Pontificem distribuuntur Cardinalibus, & Prælatis suo ordine ante ipsum accedentibus.

3 Cardinales accepturi Agnos Dei, cum debitis reuerêtijs accedunt ad Pontificem, eique Mitras porrigunt cornua vertentes deorsum, & Papa imponit eis tot Agnos Dei, quot ei placet; ipsi verò manum Pontificis, ac genu dexterum osculantur: Prælati eodem modo, quo Cardinales in Mitra Agnos Dei accipiunt, & osculantur genu dexterum Papæ, non manum: Prothonotarij, & reliqui inferioris ordinis accipiunt Agnos Dei in manus genuflexi, & Pontificis pedem osculantur. Post distributionem Celebrans in Altari prosequitur Missam, dicendo Orationes more consueto, & in fine dicto *Ite Missa est*, cum duplici *Alleluia*, quod deinceps amplius non dici-

tur,

tur, Papa dat Benedictionem, & Indulgentias.

4 Poſt Miſſam Sanctiſſimus, depoſitis albis veſtibus, vtitur conſuetis, nimirum bireto, & Mozzetta rubeis ex ſerico, nam ſubtana ſemper eſt alba. Neophyti pariter hac die deponunt veſtes albas, quas in baptiſmate in præcedenti Sabbato ſancto acceperunt.

5 Ad Nonam huius diei terminatur Officium, & feſtum Paſchæ, quod iuxta Auguſtinum ad myſterium per hebdomadam celebratur; incipiens namque Sabbato ſancto poſt Nonam, totius hebdomadæ circulus ad Nonam huius diei perficitur.

6 Dominica hæc, quæ vulgò in Albis dicitur, conuenientius, prout in Breuiario, & Miſſali habetur, Dominica in octaua Paſchæ dici deberet, nam in præcedenti Sabbato Neophytorum terminantur feſta: ideo & in Sacramentorum libro vocatur hæc Dominica poſt Albas, & in Officio Ambroſiano Dominica in Albis depoſitis.

7 Huius Dominicæ Officium duplex eſt, & ideo ad Veſperas præcedentis Sabbati, completo iam Paſchali feſto, in ipſa Dominica, quæ octaua eſt Dominicæ Reſurrectionis, in qua & omnium Noſtrum reſurrectio præfigurarur, ordo Officij variatur; eſt namque primę claſſis, & quodcumque feſtum etiam Patroni, vel Titularis in ea occurrens transfertur, in ipſo autem Officio tàm huius Dominicę, quã ſequentium Dominicarum omnia tempori Paſchali in Breuiario aſſignata obſeruantur.

De Sanctorum feſtis, & Miſſis votiuis tempore Paſchali celebrandis.
Cap. V.

1 *Sanctorum feſta quomodo celebranda.*
2 *Officium Miſſæ quomodo ordinandum.*
3 *Miſſa votiua quomodo dicenda.*

1 IN feſtis Sanctorum hoc tempore occurrentibus, ſi fuerint Apoſtolorum, vel Martyrum, Officium celebratur, prout habetur in eorum communi tempore Paſchali, in alijs verò addito *Alleluia* in fine Antiphonarum, Verſuum, ac Reſponſoriorum, tres pſalmi per ſingulos Nocturnos ſub prima Antiphona illius Nocturni, dicantur.

2 In Miſſa, vbi propria non habetur iſtius temporis, in fine Introitus dicuntur duo *Alleluia*, & in fine Offertorij, & Cõmunionis vnũ *Alleluia*. Poſt Epiſtolã nõ dicitur Graduale, ſed eius loco dicuntur duo Verſus cũ quatuor *Alleluia*, videlicet Verſus, qui habetur poſt Graduale, addito alio, ſi proprium non habeat ex cõmuni: Præfatio, ſi propriã non habeat, ſemper erit *Te quidem omni tempore*, &c.

3 In Miſſis votiuis eadem reſpectiuè obſeruentur; & ſi Miſſa non ſit de Angelis in ea non dicitur *Gloria in excelſis*; dicitur tamen, ſi propriam non habeat, Præfatio tempori Paſchali aſſignata. Quòd ſi Miſſa votiua ſit ſolemnis, & pro re graui, ſeruatis omnibus iam dictis, dicatur vna tantùm Oratio cum *Gloria*, & *Credo*. In Miſſis votiuis eorum Sanctorũ, qui proprias habent Miſſas, ſi ſunt de numero eorum, quibus in communi aſſignatur proprium huius temporis Officium, puta Apoſtolorum, vel Martyrum; tunc pro Apoſtolis dicatur Miſſa *Protexiſti*, &c. prout in die S. Marci, vnde ſumitur Introitus, Verſus poſt Epiſtolam, Offertorium, & Communio; dicatur tamen Oratio, Epiſtola, & Euangelium propria eius diei aſſignata, & Præfatio erit de Apoſtolis. Si verò Sanctus, de quo celebratur Miſſa votiua, fuerit Martyr, dicitur eadem Miſſa, quæ habetur in communi vnius Martyris tempore Paſchali; Præfatio tamen erit de Tempore. Quòd ſi de pluribus Martyribus celebretur, Miſſa erit: *Sancti tui Domine*, &c. prout in communi plurimorum Martyrum, & ſi propriam habent Orationem, Epiſtolam, & Euangelium, non varian-

tur;

tur; & omnino tantùm Introitus, Versus post Epistolam, Offertorium, & Communio mutantur, addita Præfatione de Tēpore; quòd si tota Missa fuerit propria, & in ipsa vnus tantùm Versus post Graduale habeatur, lecta Epistola dicitur *Alleluia Alleluia* ante Versum ibi assignatū, & iterum dicto *Alleluia*, additur Versus desumptus ex communi, & post ipsum subditur *Alleluia*.

De Rogationibus. Cap. VI.

1 *Rogationum antiquitas.*
2 *Ordo Officij feria secunda Rogationum.*
3 *Ordo Processionis.*
4 *Priuatè Litania dicenda.*
5 *Festo occurrente quomodo celebrandum.*
6 *Ordo Officij feria tertia.*
7 *In Vigilia Ascensionis quomodo celebrandum.*
8 *Color paramentorum in his Officijs.*

1 ANtiquissima Sanctorum Patrum traditione ante festū Ascensionis Dñi celebrantur Rogationes, in quibus dicuntur Litaniç, seu supplicationes, quę ad distinctionem earum, quæ fiunt in die Sancti Marci dicuntur minores, de quibus meminit D. Augustinus, nec non Concil. Aurelianen. & in sacris Canonibus expresè fit mentio; quibus diebus olim fideles ieiunijs, & orationibus vacabant; in supplicationibus verò, quæ modò fiunt, dicuntur Litaniç Sanctorum cum precibus, tamen sine Psalmis pœnitentialibus. Baron. not. in Martyr. & ann. 474.n.4.

2 Itaque feria secunda Dominicæ quintæ post Pascha, si non occurrat festum nouem Lectionum, Officium erit de feria; in qua legitur Homilia in Euangelium huic diei assignata, cū tribus Responsorijs, nec in fine vltimę Lectionis dicetur Hymnus *Te Deum laudamus*; Altarisque, & Celebrantis paramenta erūt violacea.

3 Post horas diei fiunt supplicationes; procedit deferens Crucem medius inter Ceroferarios, sequitur Clerus per ordinem; vltimus omniū Celebrans cum Pluuiali violaceo, vel saltem stolam violaceam supra superpelliceum habens, & si solemniter sit celebrandum, ei assistunt Ministri violaceis induti vestibus; & seruantur omnia, quæ supra notantur. Sup.li.2. sect. 10. c.7. n.2. 3.4.& 5.

4 Priuatè celebrantes, etiam si non intersint processioni, dicūt Litanias cum precibus, & orationibus; & quidem feria secunda, si non occurrat festum nouem Lectionum, celebratur Missa Rogationum in paramentis violaceis sine *Gloria in excelsis*, & sine *Ite Missa est*; duobus verò sequentibus diebus, feria videlicet tertia, si non occurrat festum nouem Lectionem eodem modo dicetur Missa Rogationum in paramentis violaceis cum Commemoratione tantùm Dominicæ; feria quarta verò dicetur Missa Vigiliæ in paramentis albis cum Commemoratione Rogationum.

5 Si autem his diebus occurrat festū nouem Lectionum, Officium fit de festo, & quidem feria secunda nona Lectio erit de Homilia Euangelij Rogationū, & in Laudibus fit Cōmemoratio ferię. Pariter & Missæ priuatę erunt de Sācto cū Cōmemeratione ferię Rogationū, cuius Euāgelium dicetur in fine. In Collegiatis post Tertiā cantabitur, vel dicetur loco Missę conuentualis Missa de Sācto sine vlla commemoratione ferię; & post Nonam peracta processione dicetur Missa Rogationum in paramētis violaceis absque vlla commemoratione Sancti.

6 Feria tertia si occurrat festum nouem Lectionum, Officium erit de eo sine commemoratione ferię: in Missis tamen priuatis semper fieri debet commemoratio ferię Rogationum, cuius Missa post Litanias nunquam omittitur.

7 Pariter feria quarta, in qua celebratur Vigilia Ascensionis, quæ, quia est Vigilia exultationis, celebratur in paramētis albis, si in ea occurrat festum nouem Lectionū, Officium erit de Sancto, nona

tamen

tamen Lectio erit de Homilia Vigilię, cuius etiam commemoratio fieri debet in Laudibus. In Missis priuatis, quę erunt de Sancto in paramentis coloris Officio congrui, fiet commemoratio Vigilię, & Rogationum, & in fine legi debet Euangelium Vigiliæ. In Collegiatis dicuntur tres Missę, prima quidem de Sancto post Tertiam sine vlla commemoratione Vigilię, vel Rogationum; secunda de Vigilia in paramentis albis absque vlla commemoratione Sancti; tertia verò de Rogationibus dicetur post Litanias, & processionem in paramentis violaceis absque vlla commemoratione Sancti. Si feria secunda, & quarta occurrat festũ simplex, de eo fit tantùm commemoratio. Si festũ duplex in Vigilia Ascensionis occurrens fuerit primę classis, puta Patroni, vel Titularis, fit de eo absque vlla commemoratione Vigiliæ, non tamen prætermittuntur Litaniæ, quæ omnino his tribus diebus cum processione celebrari debent, & post Litanias dicitur Missa Rogationum.

8 Feriis secunda, nisi occurrat festum nouem Lectionum, Altaris, & Celebrantium paramenta vsque ad Nonam erunt coloris violacei; ad Vesperas, si Officium sit de feria, alba, si de Sancto, coloris illi conuenientis: feria tertia, & quarta Altaris, & Celebrantium paramenta erunt alba; dum tamen dicũtur Litanię, & Missa Rogationum, etiam si eo die occurrat festum solemne, Altaris, & Celebrantis paramẽta erunt violacea, in reliquo conueniant Officio, quod celebratur.

De festo Ascensionis Domini. Cap. VII.

1 *Apparatus Ecclesiæ.*
2 *Officij solemnitas in hac die.*
3 *Ordo Capellæ Papalis.*
4 *Ordo solemnis benedictionis.*
5 *Infra Octauam Ascensionis duplici occurrente, quomodo ordinandum sit Officium.*
6 *Octaua Patroni cum Octaua Ascensionis concurrente quid agendum.*
7 *Ordo Officij in die Octauæ.*

1 Festum Ascensionis est solemne primæ classis, secundi tamen ordinis; celebrat Superior, & si occurrat eo die festum quodcumque solemne, etiam Patroni, vel Titularis, transfertur in sequentem diem. Altare solemniter ornatur cum flosculis, ac SS. Imaginibus, atq; Reliquijs; Celebrantis, ac ministrorũ paramenta erunt alba ex pretiosioribus. Rub. gen. Breu. X. I.

2 Primæ Vesperæ, ac Matutinum cum Laudibus solemniter celebrabuntur; pariter & Missa, in qua dicto Euangelio extinguitur cereus Paschalis, nec amplius deinceps accẽditur, sed post horam Missarum in Sacristiam defertur, & candelabrum, cui fuerat affixus, amouetur. Rubric. par. Mis.

3 Romæ in Palatio Apostolico in Vigilia Ascẽsionis celebrantur Vesperæ solemnes, quibus Papa assistit, Pluuiali albo indutus cum Mitra pretiosa, & DD. Cardinales assistunt cum Cappis rubeis. Ipso die Ascensionis celebratur Missa solemnis apud Sanctum Petrum per Episcopum Cardinalem, cui Domini Cardinales assistunt cum Cappis rubeis, & fit sermo per Deputatum à Magistro Sacri Palatij. Cærem. Rom. l. 2. sect. 2. c. 11.

4 Finita Missa proceditur ad locum publicæ benedictionis, pręcedẽtibus Prelatis, atque DD. Card. cum ijsdem Cappis, quibus in Missa assistebant: Pontifex verò in prędicto loco dat solemnem benedictionem populo, & publicantur Indulgentiæ Plenarię, quibus peractis Papa eodem ordine associatus reuertitur in Cameram paramentorum.

5 Infra Octauam Ascensionis, si occurrat aliquod festum nouem Lectionũ, fit de eo cum commemoratione Octauę, & si festum, quod celebratur, nõ habeat propriam Prefationem, dicitur Præfatio de Ascensione, item infra actionem, quæ nunquã omittitur. Quòd si festum, quod celebratur, erit ex maioribus puta, Pa-

troni, vel Titularis celebratur de eo absque commemoratione Octauæ: Præfatio tamen, si non habeat propriam, erit de Octaua, & omnino infra actionem propria de Ascensione dici debet. Pariter & in fine Hymnorum semper dicitur *Gloria tibi Domine qui scandis super sidera*, & Resp. ad Primam dicetur semper ℣. *Qui scandis super sidera*.

6 Concurrente infra Octauã Patroni, cum infra Octauam Ascensionis, cum totum Officium de digniori celebrari debeat cum cõmemoratione de minus digno, & Domini festum omnibus aliis dignius censeatur, idcirco de Ascensione celebrari debet cum commemoratione S. Patroni, habita ratione dignitatis eius, de quo celebratur, prout dictum est in Rubr. generalibus Breuiarij, vbi agitur de ordine obseruando in faciendis commemorationibus; quod etiam colligitur ex Rubricis generalibus Missalis cap. de cõmemorationibus, vbi expresse monemur, vt in Orationibus votiuis ordinandis obseruetur dignitas Orationis; duplex enim ordo habetur in festis Sanctorum, Officii, & dignitatis, Officii videlicet duplicis primæ, vel secundæ classis, vel duplicis maioris, vel duplicis per annum, vel semiduplicis, vel etiam simplicis: est præterea ordo dignitatis, puta Sanctissimæ Trinitatis, de Spiritu sancto, de Beata Virgine, de Angelis, de Apostolis, de martyribus, de Pontificibus, de Confessoribus, de Virginibus, de muliere nec Virgine, nec martyre, &c. & hic ordo dicitur dignitatis, quæ bene obseruari debent.

Rub. gene. Bre. c. 9. n. 11 & cap 7. nu 3. Rub gene. Miss. VII. 5.

7 In die Octaua Ascensionis Officium duplex occurrens transfertur in sequentem diem, nisi fortè fuerit ex maioribus, nam si fuerit festum Patroni, fit de eo cum commemoratione Octauæ, seruatis aliis, quę dicta sunt de *Præfatione*, infra actionem, & Hymnorum conclusione.

De Vigilia Pentecostes, Cap. VIII.

1 *Priuilegium huius Vigiliæ.*
2 *Altaris, ac celebrantium paramenta.*
3 *Ordo procedendi ad Altare.*
4 *Prophetia quomodo cantanda.*
5 *Ordo procedendi ad fontem.*
6 *Ordo procumbendi ad Litanias.*
7 *Missa solemnis quomodo celebranda.*
8 *Ordo celebrandi Missas priuatas.*
9 *Missæ votiua, & pro defunctis hac die nullo modo dicenda.*

1 A Vigilia Pentecostes vsque ad Festum Sanctissimæ Trinitatis inclusiuè, quodcumq; festũ occurrẽs etiã ex maioribus transfertur post festum Sanctiss. Trinitatis; Officiũ tamen huius diei vsque ad Nonam inclusiuè semiduplici ritu, sicut infra Octauam celebrabitur.

2 Altare vsque ad Missam, dũ dicuntur Prophetię cum Litanijs, palliolo violaceo cooperietur, sicuti in Sabbato sancto dictũ est; ad Missam verò tam Altaris, quàm Celebrantis paramẽta erũt rubea.

3 In Ecclesiis maioribus post Horas diurnas, quę cantãtur in tono feriali absque vlla solemnitate, dicta Nona Altare cooperietur palliolo violaceo, & Celebrans, ac Ministri violaceis induti paramentis, videlicet Casula, & Planetis plicatis, pręcedẽtibus Acolythis sine cereis tamen, accedunt ad Altare, in quo neq; cerei accẽdi debent, factaq; in plano, vt moris est, reuerẽtia, Celebrãs Altare ascẽdens illud in medio osculatur, deinde in cornu Epistolę submissa voce, astantibus Ministris legit primam Prophetiam.

4 Interim Acolythus in Legili ante Presbyterium in plano cantat prophetiam, & in fine Celebrans dicit Orationem, in qua nõ dicitur *Flectamus genua*, non enim tempore Paschali genuflectendum est, & sic per ordinem cantantur sex Prophetiæ cum suis Orationibus, prout in Sabbato sancto. Sup. li. 3. sec. 8. c. 3 num 7.

5 Post sextam Prophetiã, dicta Ora-

tione

tione, Celebrans depoſita Caſula, accipit Pluuiale violaceum, & vnà cum Miniſtris procedens ad fontē, cantatur Tractus *Sicut ceruus*, &c. & ibi fiunt omnia ad benedictionem fontis, prout in Sabbato ſancto.

Sup. ſec. 3. 5. 4.

6 Vbi non fuerint fontes, finita ſexta Prophetia cum ſua Oratione, Celebrans deponit Caſulā, & cū Miniſtris ante Altare procumbit, & alijs omnibus genuflexis cantantur Litaniæ à duobus Cātoribus in medio Chori, vtroq; Choro idē ſimul reſpondente, & ℣. *Per Aduentū Spiritus Sācti Paracliti* duplicatur, ac ſtentori voce cantatur. Et cū peruentum fuerit ad *Peccatores*, &c. Sacerdos cū miniſtris ſurgit, depoſitiſq; violaceis induitur paramentis rubeis, remoueturq; palliolum violaceum ab Altari, & reliquis omnibus diſpoſitis in Altari, acceenſiſque luminaribus, proceditur ad Miſſam ſolemnem eodem ordine, quo ſupra in Sabbato ſancto dictum eſt.

7 In fine Litaniarū ſurgentibus omnibus ſolemniter cantabitur in Choro nouies *Kyrie eleyſon* ita moroſè, vt Celebranti tempus detur faciendi Confeſſionem, & incenſandi Altare, prout in Sabbato ſancto dictum eſt; & cū dicitur *Gloria in excelſis Deo*, campanæ omnes pulſantur. Ad Euangelium non deferuntur luminaria ſed incenſum tantùm; à lateribus Subdiaconi aſſiſtentibus Acolythis ſine cereis; non dicitur *Credo*, *Præfatio*, *Infra actionem*, & *Hanc igitur*, prout in die Pentecoſtes; reliqua omnia more ſolito perficiuntur.

8 Miſſæ priuatæ huius diei omnes erunt de Vigilia cum paramentis rubeis, omiſſis Prophetijs, Orationibus, ac Litanijs, dicetur in ipſis Introitus *Cum ſanctificatus fuero* &c. cum duplici *Alleluia*, prout in Miſſali emendato; dicitur vna tantùm Oratio ſine *Credo*, *Præfatio*, *Infra actionem*, & *Hanc igitur*, prout in die Pentecoſtes.

9 Nullo modo hodie dicantur Miſſę votiuę, neque pro defunctis, cū ſit hæc dies à Rubricis exceptuata, ſatiſq; ſolēnis, ac celebris, cum nec de Patrono in ea occurrente celebrare liceat.

De feſto Pentecoſtes, & eius Octaua. Cap. IX.

1 *Primæ Veſperæ huius diei ſolemnes.*
2 *Veſpera Capellæ Papalis.*
3 *Hac die celebratur ad S. Petrum.*
4 *Obſeruanda duobus ſequentibus diebus.*
5 *Miſſa votiua, & pro defunctis infra Octauam non dicenda.*
6 *Tempus Paſchale quando terminetur.*
7 *Solemnitas Dominicæ Trinitatis.*
8 *Ordo Officij huius Dominicæ.*
9 *Ordo quo in Palatio Apoſtolico hac die celebratur.*

1 PRimæ Veſperæ huius diei ſolemniter celebrantur à Superiore, vnde & Altare ſolemni apparatu ornabitur, prout dictū eſt de feſtis primæ claſſis primi ordinis.

2 Romæ in Palatio Apoſtolico ad Veſperas huius diei, quę ſolemniter celebrātur, fit mutatio Capparū; nam depoſitis pellibus, DD. Card. accipiunt alias cum ſerico rubeo, licet quandoq; arbitrio Pōtificis hęc mutatio fiat in Vigilia Aſcenſionis. Tempore verò Leonis X. in Concilio Lateranenſi fiebat in feſto Reſurrectionis: DD. Cardinales hac die ad Veſperas aſſiſtunt cum Cappis rubeis.

Cęrem. Rom. 1 2. ſect. 2. c. 11.

3 Ipſo die Pentecoſtes celebratur in Baſilica S. Petri per Epiſcopū Cardinalē; aſſiſtunt DD. Cardinales cum Cappis rubeis, & fit ſermo à deſignato Magiſtro Sacri Palatij. Si Sanctiſſimus voluerit celebrare, prout aliquando conſueuit, DD. Cardinales induti paramētis rubeis proceſſionaliter ipſum comitantur; eodem ordine, quo in die ſancto Paſchę dictum eſt. Hac die, & duobus ſequentibus DD. Cardinales etiam extra Capellam ad Miſſas, Veſperas, & Conciones erunt cū Cappis rubeis.

4 Feria secunda, & tertia solemniter celebratur, prout in duplicibus primæ classis tertij ordinis dictum est, celebrãtque digniores ex Collegio per ordinem, Altaris ornatus erit solemnis, non tamẽ vt in die, sed aliquantò remissior: paramenta quoque celebrantis, ac ministrorum erunt quidem pretiosa, non tamen vt pridie. Antiquitus in Capella olim celebrabatur, sicut in feria secunda, & tertia post Pascha, modò recessit ab vsu.

5 Obseruandum est insuper, quòd his diebus vsque ad Dominicam Sãctissimę Trinitatis nullo modo dici debent Missę votiuę, neque pro Defunctis, nisi fortè ratione exequiarum pręsente corpore; anniuersarię verò Missę transferuntur post Octauam; cum enim nec de Patrono occurrente his diebus celebrare liceat, multò minus decet Missas votiuas, vel pro defunctis absq; graui, & vrgẽti causa celebrare.

6 Sabbato post Nonam celebrata Missa terminatur tempus Paschale; quo loco obseruare oportet, quòd vtriusque Paschæ, videlicet Resurrectionis, & Pentecostes Officium eodem fere modo ordinatur initium scilicet, & finis Paschalis mysterij; nam celebratur vtraque festiuitas, vt notat D. Aug. ad mysteriũ per hebdomadã, & sicut Paschæ resurrectionis Officiũ incipit Sabbato sancto ad Missam, & terminatur Sabbato in Albis post Nonã; ita Officiũ Pentecostes, eiusq; celebritas incipiens à Sabbato ad Missam terminatur in sequenti Sabbato ad Nonam, completa Missa. Ad cœnam huius diei in benedictione non dicitur amplius ℣. *Spiritus Domini*; sicut nec ad cœnam Sabbati in albis Vers. *Hæc dies*; sed Vers. consuetus *Edent pauperes*, &c.

D. Aug. ep. 119.

7 Dominica in Octaua Pentecostes multiplici titulo decoratur; est enim dies Dominica, ac pariter festiua, Dominica Sanctissimæ Trinitatis, & Octaua Pentecostes; Festum est solemne, quia Sanctissimæ, summæque, atque Indiuiduæ Trinitati sacrum. Quatenus dies festus, est ex maioribus secundæ classis, talique ritu, quoad ordinationem Officij celebrari debet, vnde simplici eo die occurrente, de eo tantùm in laudibus, & Missis priuatis commemoratio fieri debet.

8 Dominica ista connumeratur inter maiores; ita vt quodcumque festum etiam ex maioribus in ipsa occurens transferri debeat; singulariterque huius festi Officium distinguntur ab Officio Dominicæ, cuius commemoratio fieri debet in Vesperis, & Laudibus cum Homilia, quæ dicitur pro nona Lectione, & in Missa legitur Euangelium in fine: In Ecclesia verò propria Officium est solemne primæ Classis, cum Octaua celebranda ordine infra præscripto; & licet ipsa die ratione festi color paramentorum sit albus; tamen infra hebdomadam in Officio currenti de feria assumi debet color viridis, tempori post Pentecosten assignatus.

9 In Palatio Apostolico in præcedẽti Sabbato celebrantur Vesperę solẽnes quibus assistit Pontifex Pluuiali albo indutus, & DD. Cardinales cum Cappis rubeis. Et ipso die celebratur Missa solemnis per Presbyterum Cardinalem, cui DD. Cardinales assistunt cum Cappis rubeis, & fit sermo ab aliquo à Magistro Sacri Palatij deputato.

Cærem. Ro. l. 2. sect. 2. c. 13.

SECTIO DECIMA.

De festo Sacratissimi Corporis Christi.

De præparandis pro celebratione Officij & Processionis. Cap. I.

1 *Institutio, & ordo huius festi.*
2 *Officium Vesperarum solemniter celebrandum.*
3 *Præparanda pro Processione.*
4 *Hostia consecrata quomodo in Ostensorio aptanda.*

5 *Obseruanda in conuersionibus in fine Missæ faciendis.*

1 FEstũ Sacratissimi Corporis Christi ab Vrbano IV. Rom. Pontifice institutum prima feria V. post Octauam Pentecostes solemni ritu celebrandum proponitur: est enim festũ primæ Classis secundi ordinis, in quo solemniter loci Superior vbique celebrare debet. Ideo Altaris ornatus solemnis esse debet, pariter Celebrantis, ac Ministrorum paramẽta: Ecclesia non solùm ratione festiuitatis, verùm etiam specialiter ratione Processionis vndique ornari debet.

Cõstit. 1. Vrb. IV. transitorius. Bull. to. 1. pa. 94.

2 Primæ Vesperę solemniter celebrãtur, non tamen in eis exponitur Sanctissimum Sacramentum, & ideo in Hymno cum dicitur *Tantum ergo Sacramentum*, non genuflectitur.

3 Post Missarum solemnia facienda est solemnis processio Sanctiss. Sacramẽti; ideo præparentur omnia necessaria modo suo loco fusiùs explicato.

Sup. li. 2. sect. 10. c. 2.

4 In Missa solemni, quæ post Tertiam celebrari debet, consecrãtur duæ Hostię, seruatis omnibus more solito vsque ad communionem; statim autẽ ac alterã celebrans assumpserit, sumpto etiã sanguine, alteram in tabernaculo in processione deferendam ita reponet, vt per vitrũ, seu crystallum, quo ipsum tabernaculum circumsectum esse debet, ex tertius adorantibus appareat; ipsum autem tabernaculum, antequam Celebrans ablutionem sumat, deferri debet à credentia per Subdiaconum, statimq; ac Celebrãs sacram Hostiam imposuerit, in medio Altaris super corporalia collocari debet.

5 Ante Sanctiss. Sacramentum quoties transire contigerit, genuflectet, obseruando tàm circa conuersiones, quàm in benedictione danda, ac reliquis omnia, quæ aliàs sunt adnotata: Completa verò Missa accenduntur intortitia, & ordinatur processio, in Collegialibus, & Cathedralibus ordine supra præscripto.

Sup. li. 2. sec. 7. c. 5 nu. 11.

De modo exponendi Sanctissimum Sacramentum, cum per Octauam Diuina Officia celebrantur. Cap. II.

1 *Officium huius Octaua solemniter celebrandum.*

2 *Vesperarum solemnitas.*

3 *Ordo ministrandi incensum in principio Vesperarum.*

4 *Vespera quomodo celebranda.*

5 *Matutinum quomodo.*

6 *Sanctissimum Sacramentum in fine Officij quomodo reponendum.*

1 QVia Rom. Pontifex Vrbanus IV. Sanctissimi Sacramenti pia deuotione affectus, quò in eius festo, & per sequentes Octauas huius institutionis honorificentiùs ageretur, stipendia spiritualia, Apostolica largitate concessit fidelibus, qui personaliter Horis nocturnis, atq; diurnis interessent, satis laudabiliter consueuit Ecclesia, dum Diuina celebrantur Officia, per totã Octauã ipsum Sacramentum decẽti ornatu super Altare exponere; ideo pręcipuè ad Tertiam, ac Missam solemnẽ ipso mane, nec non ad Vesperas, & Matutinum, dum exponitur, decet, vt congruo ornatu ipsum Altare aptetur, diuinaq; Officia solemniter celebrentur.

Vrb IV. Cõstit. 1 transit. Bullar. tom. 1. pag 94.

2 Ipso igitur die Sacratissimi Corporis Christi ad Vesperas solemnes, & per Octauam, Altare cũ luminaribus, ac flosculis, prout fieri solet in celebratione quadraginta Horarum, solemniter ornabitur, & hora cõgrua dato signo cãpanarũ conuenientibus omnibus ad Vesperarũ Officiũ celebrandũ, Celebrãs in Sacristia vnà cũ Assistentibus indutis Pluuialibus albi coloris, pręcedente Thuriferario cũ Ceroferariis, accensis in Altari luminibus, dum datur vltimum campanarũ signum, ad Altare procedit, vbi detecto capite, facta Altari reuerentia, aliquantulum genuflexi orabunt; mox primus assistens Altare ascendens ipsam sacram Hostiam loco præparato in ostenorio

Cõsuet. Cleric. Regul. Theat.

in medio Altari cum debitis reuerentiis collocabit.

3 Celebrans adorato Sanctiſsimo Sacramento ſurgit, & miniſtrante primo Aſsiſtẽte Nauiculam, incenſum in thuribulum imponit, nihil dicens, neque ſignũ Crucis efformans, tunc genuflexus, aſsiſtentibus hinc inde Pluuialis fimbrias eleuantibus, triplici ductu Sanctiſsimum Sacramentum incenſat, antea, & poſtea profundè inclinãs: interim tãguntur Organa ceſſante campanarum ſono; deinde reddito thuribulo Aſsiſtenti, qui illud ſine oſculis accipit, datque Thuriferario, in Chorum ad locum ſuum accedit.

4 Veſperæ ſolemniter cãtantur, prout in ſolemnioribus, omnibus ſtãtibus detecto capite. Ad *Magnificat* miniſtratur incenſum à ſtantibus, ita tamen ne terga vertat Sacramento, & omnia fiunt more ſolito cum oſculis, & benedictione incẽſi: ipſum autem Sacramentũ incenſatur triplici ductu à Celebrãte genuflexo, cui etiam Miniſtri omnes genuflexi aſsiſtũt, exceptis Ceroferariis, quos ſemper ſtare decet; deinde Celebrans ſurgens incenſabit primũ SS. Imagines, vel Reliquias, ſi adſint, mox cãdelabra, & Altare, ſẽper dũ per mediũ trãſite contingit, genuflectẽs. Sup. li. 2. ſect. 5. c. 8.

5 Si cantandum ſit Matutinum; omnes in Choro erunt detecto capite ſiue ſtantes, ſiue ad Lectiones ſedentes, eaq; omnia obſeruabunt, quę ſupra ſuis locis de Matutinis ſolemnibus ſunt adnotata: Laudes verò celebrãtur eodẽ ordine, quo de Veſp. dictũeſt, & ad *Benedictus* incenſatur Altare, prout ad *Magnificat*. Su. li. 2. ſect. 5. c. 11.

6 Completo Officio, omnibus Clericis, & Sacerdotibus intra Presbyterium, vel in Choro genuflexis, Celebrãs cũ Miniſtris ad Altare accedens Sacramentũ incenſat, vt ſup. interim in Choro cãtabitur *Tantum ergo Sacramentum*, deinde poſt Verſ. *Panem de cęlo*, &c. celebrans ſurgens dicit Orationem *Deus, qui nobis*, atque cum Sãctiſsimo Sacramento benedictionẽ, ac repoſito Sacramento intra ciborium, vbi eſt conſuetudo pulſandi campanulam, in fine Officii dabitur ſignum; & recedentibus omnibus ſuo ordine, tunc & non prius extinguuntur luminaria in Altari.

De obſeruandis in Miſſa ſolemni, cum Sanctiſsimum Sacramentum eſt expoſitum. Cap. III.

1 *Quomodo Celebrans ad Altare præſente Sacramento accedat.*
2 *De genuflexionibus in acceſſu, & receſſu in medium faciendis.*
3 *Ad Offertorium quomodo miniſtretur incenſum.*
4 *Obſeruanda circa conuerſiones.*
5 *Poſt communionem quomodo procedendum.*
6 *Ordo recedendi.*
7 *Si Celebrans intra Miſſam ſermonem habeat quid agendum.*

1 SI infra Octauã celebranda ſit Miſſa ſolemnis, quando Sãctiſs. Sacramentũ eſt expoſitum, Celebrãs cũ Miniſtris ad Altare accedens vtroq; genuflectit; facta confeſſione Altare aſcendens prius ante Sanctiſs. Sacramentũ genuflectit, mox dicens *Oramus te Domine*, more ſolito oſculatur Altare, & incenſum in thuribulũ imponit illud benedicendo, Diaconus nauiculã miniſtrat, & thuribulum porrigit cum oſculis. Celebrãs impoſito incenſo genuflexus ſupra gradum Altaris, accepto thuribulo à Diacono cũ oſculis, incenſat Sanctiſs. Sacramentũ ter ducens thuribulum antea, & poſtea profundè inclinãs, mox ſurgens incenſat Sãcrorum Reliquias, ſeu Imagines, cãdelabra, & Altare more ſolito, ac ipſe à Diacono pariter incenſatur.

2 Semper accedens, & recedens in mediũ genuflectit, cũ ſe conuertit, vt dicat *Dñus vobiſcũ*, prius genuflectit in medio, deinde, ne terga vertat Sacramẽto, conuertit ſe à latere Euangelij, & rediẽs, vt dicat Orationẽ in cornu Epiſtolæ per medium tranſiens genuflectit.

3 Poſt Offertorium, antequam ſe cõ-

uertat ad imponendum incensum genuflectit, & imponens incensum in thuribulum dicit: *Per intercessionem*, &c. & cũ dici *Dignetur Dominus benedicere*, more solito format signũ Crucis super thuribulum: mox ad Altare conuerrens genuflectit, ac surgens incensat oblata, Diacono interim manu Calicis pedem tenente, nec amouet, vt solet Calicem è medio, sed Celebrante genuflexo rer Sacramentum incensante, ipse aliquantulum retro pariter genuflexus Casulam eleuatam tenebit, cum eodem antea, & postea profundè inclinans. Incẽsato Sacramento Celebrans, & cum eo etiam Diaconus surgit, & incensatur Altare, ac tãdem ipse Celebrans, & reliqui omnes more solito. Post incensationem Celebrans lauat manus aliquantulum extra Altare.

4 Rediens in medium genuflectit, deinde profundè inclinatus dicit *In spiritu humilitatis*, &c. quo dicto rursum genuflectit in medio, & conuertens se, vt dicat *Orate fratres*; conuertit se ad latus Euangelij, ne terga Sanctissimo Sacramento vertat, nec complet circulum, sed rediens per eandem viam iterum genuflectit, & prosequitur secreta, ac reliqua omnia more solito.

5 Post Communionem conuertens se, vt dicat *Dominus vobiscum*, & Orationem, eadem obseruabit, quæ supra in Missa de die sunt adnotara; pariter ad benedictionem non complet circulum, neque ad Euangelium in fine signat Altare.

Sup. li. 1. sec. 3. c. 7 nu. 12. 6 In fine Missæ ab Altari recedens cũ Ministris, & alijs in plano vtroque genuflectit. In Missis priuatis omnia obseruãtur modo supra præscripto.

7 Si Celebrans intra Missarum solemnia sermonem sit habiturus, dicto Euangelio, facta prius Sanctissimo Sacramento reuerentia, conuertit se ad latus Euangelii, ibique detecto capite deuotè, ac grauiter pijs affectibus, ac meditationibus breuem sermonem astãtium mentes Verbo Dei pascere conabitur. Interim Ministri hinc inde à lateribus Altaris ante gradus genuflectent, reliqui verò ex Clero extra presbyterium. Completo sermone Celebrans in medium rediens genuflectit, Missamque prosequendo dicit, si dicendum sit, *Credo*, vel si non sit dicendum, *Dominus vobiscum*, & reliqua.

De Octaua, & infra Octauam Corporis Christi. Cap. IV.

1 *Ecclesia, in quibus ordinatur processio, quomodo ornanda.*
2 *Altaria erigenda per loca vnde transeundum erit.*
3 *Missa solemnis celebranda.*
4 *Processio in die octaua facienda.*
5 *Ordo obseruandus in fine Officij ipsa die octaua, vbi non fit processio.*

1 INfra Octauam Corporis Christi, in maioribus præcipuè Vrbibus, fieri consueuit processio per Parochias, & loca Ciuitatis, cuilibet suum diem assignando; Ecclesia igitur, vnde proceditur, interius, & exterius auleis, ac sericis pannis solemniter exornari debet: valuę quoque bracteolis, ac fasciis diuersi coloris, floribus, ac frondibus colligatis Sãctissimi Sacramenti Imaginem in superlimine appensã habebunt: viæ, per quas transeundum erit, pannis sericis, siue aulæis, vel ex corio, sacrisq; Imaginibus, non tamen profanis, vel indecentibus vndique parentur, floribus, ac frondibus vndequaque conspersis; lætitiæ signa, campanarum sono, aliisque musicis instrumentis personantibus, deuotè, ac religiosè vbique audiantur.

2 Ante fores Ecclesiæ, per quas transire contingerit, Altare construatur cum luminibus benè ornatum; supra verò apponatur Baldachinum; in medio ipsius Altaris extendatur Corporale, si fortè super eo Sanctissimum Sacramentum sit reponendum; dum transit pro

cessio,

cessio, campanę pulsentur, & Ecclesiæ Presbyteri superpelliceis induti ante Altare assistant: decet etiam, vt ex ipsis aliquis Pluuiali albo indutus, assistentibus Acolythis cum Thuribulo, ante Altare in aliqua Sede, dum transit processio, permaneat, & cum Sanctiss. Sacramentū ad locum peruenerit, genuflexus triplici ductu illud incenset, Acolythis interim Pluuialis fimbrias eleuatas tenentibus.

3 In ipsis autem Ecclesiis, in quibus solemniter processio in honorem Sanctissimi Sacramenti celebratur, etiam si Officium non fuerit de Octaua, sed de Sancto occurrente, seu etiam de Dominica, poterit celebrari Missa solemnis de Sanctissimo Sacramento, prout in die cum sequentia; si enim ratione Orationis Quadraginta Horarum, dum Sacramentum exponitur, celebratur, multò magis ratione solemnis processionis, cum hoc tamen discrimine, quòd ibi vt votiua celebratur; hic verò, quia sumus infra octauam.

4 In die octaua post Officium Vesperarum fit solemnis processio, prout in die, Celebranti assistentibus Ministris cū Dalmatica, & Tunicella, deferentes verò Baldachinum erunt cum Pluuialibus albis, & Subdiaconus deferens Crucem Tunicella alba indutus medius inter Ceroferarios procedit. In processione omnia, vt in die obseruari debent; fit autem processio circa Ecclesiam iuxta locorum consuetudinem, in qua in principio incensabitur Sacramentum, pariter & in fine, ac tandem datur benedictio cum Sacramento, prout in die.

5 Vbi non fit processio, saltem completo Officio Vesperarum, dictoq; Completorio, omnibus ex Choro ante Presbyterium cum cereis accensis circumcirca conuenientibus, post omnes procedit Celebrans cum Assistentibus, præcedente Thuriferario, & in medium genuflexi, vbi aliquantisper orauerint, Cantoribus inchoantibus cantabitur Hymnus *Pange lingua*, &c. in quo cum dicitur Vers. *Tantum ergo*, &c. Assistente ministrante nauiculam, imponitur incensum in Thuribulum sine benedictione, & sine osculis, triplicique ductu Sanctissimum Sacramentum incensabitur, cum debitis inclinationibus antea, & postea, & interim pulsantur campanæ.

De obseruandis in Palatio Apostolico in celebritate Corporis Christi. Cap. V.

1 *Missa in Palatio Apostolico quomodo celebranda.*
2 *Ordo seruandus in processione Papali.*
3 *Obseruanda post processionem.*
4 *Habitus Cardinalium in processionibus per Octauam.*

1 Romæ in solemni die Corporis Christi, olim Missam solemnem celebrare consueuit Presbyter Cardinalis; modò vsu factum est, vt celebret Sanctissimus Dominus sine cantu; Domini verò Cardinales accipiunt paramenta sacra, quilibet sui ordinis ante cancellos Capellæ; reliqui Prelati extra cancellos, & ita parari assistunt Missæ. Cærem Ro. l. 1 sect. 2. c. 15.

2 Post Missam ordinatur processio, in qua Pontifex Pluuiali albo indutus, priore Cardinalium Presbyterorum ministrante nauiculam, imponit incensum in duo thuribula, deinde genuflexus Sāctissimum Sacramentum triplici ductu incensat, & imposito sibi velo à Cardinali assistente, genuflexus accipit Sacramentum de manu Diaconi assistentis à dextris: tum surgens procedit sub Baldachino duobus Cardinalibus Diaconis ei assistentibus, & dum pedester incedit, Diaconi hinc inde fimbrias Pluuialis eleuatas portant, quòd si in Sede Papa Sacramentum deferens portetur, tunc Cardinales Diaconi assistentes ante ipsum procedunt. In ipsa autem generali processione post omnes secularis, & Regularis Cleri ordines procedunt Prælati, atque Domini Cardinales sacris indu-

ti vesti-

ti vestibus cũ intortitijs accẽsis:procedit autẽ processio à Palatio Apostolico per viam rectam vsq; ad castrum S. Angeli,& per aliam viam, quæ sancta dicitur, reuertitur ad Basilicam S. Petri; poterit tamen longiori, vel breuiori via arbitrio Pontificis iter disponi; aliquando enim ratione ingruentis pluuiæ à Palatio ad Ecclesiam S. Petri legitur fuisse ordinatam processionem.

3 In Ecclesia S.Petri reposito Sacramento per manus Diaconi assistentis super Altare, Pontifex sine Mitra stans, ministrante Priore Presbyterorum Cardinalium, imponit incensum in thuribulũ, & genuflexus ter Sacramentum incensat, postea dicit Orationem *Deus qui nobis, &c.* ac tandem dat benedictionem, & Indulgentias.

4 Domini Cardinales per totã Octauam ad processiones, quæ fiunt per Vrbem, semper eunt cum cappis rubeis.

SECTIO VNDECIMA.

De Tempore post Pentecosten.

Obseruanda à Dominica III. post Pentecosten, vsque ad Dominicam I. Augusti. Cap. I.

1 *Color paramentorum in Officio de tempore.*
2 *Ordo Officij.*
3 *Responsoria quo ordine dici debeant.*
4 *Ordo Homiliarum.*

Rub. gene. Miss. VIII, 4. 1 POst Pentecosten vsque ad Aduẽtum, quando celebratur de Feria, Altaris ornamenta, ac Celebrantium paramẽta erunt viridis coloris, exceptis Dominicis infra aliquam Octauã occurrentibus; nam tunc color erit conformis Sancto, cuius Octaua celebratur.

Rub. gene. Breu. 2 Officium autem ordinatur, prout in Psalterio, exceptis Lectionibus à Feria II. post festum Sanctissimæ Trinitatis vsque ad Dominicam primam Augusti, quæ erũt ex Historia Librorum Regum, & licet in Breuiario per decem hebdomadas distributæ sint, nam tot ad summum inter Pentecosten, & mensem Augusti incidere possunt; nihilominus quãdo minor earum fuerit numerus, adueniente ipsa I. Dominica, quod superest Librorum Regum, eo anno omittitur, quamuis de aliquo libro nihil sit lectũ; omnes enim hi libri censentur, ac si vnus esset liber. Rub. gene. Breu. 26.8.

3 Responsoria quoque hoc tempore ex eadem Historia sumpta suo ordine recitantur, repetendo in alijs Dominicis eadem, quæ in III. Dominica habentur, vsque ad Dominicam I. Augusti exclusiuè: & quę in illa hebdomada posita sunt per ferias, eadem repetuntur eodem Ordine in iisdem ferijs per sequentes hebdomadas; vbi verò non adsunt propria, semper sumuntur ex Nocturno Dominicæ; tamen prima feria secunda non dicitur responsorium illius feriæ, sed primum primi Nocturni Dominicæ, videlicet *Praparate*, &c. cum enim in Dominica non fuerit dictum, debet poni prima die hẽbdomadæ, in qua occurrit de feria, omissis propriis illi diei assignatis; quòd si prædicta secunda feria pariter fuerit impedita, dici omnino debet primo loco, cum de feria celebratur, quod semper est obseruandum. Octauum responsorium semper diebus Dominicis post Pentecosten, & post Epiphaniam erit de Sanctissima Trinitate *Duo Seraphim*, nec vnquam variatur. Dies enim Dominica Sanctissimæ Trinitati, præcipuè ex antiqua traditione fuit dicata. Rub. gene. Bre. 27.7.

4 Homiliæ in Euangelium assumuntur per ordinem, prout habentur in Breuiario post Dominicam V. Nouembris, videlicet Dominica III. post Pentecosten, quæ immediatè sequitur post Octauam Corporis Christi, quę ibi primo loco habetur sub titulo Dominicę III. post Pentecosten, dicuntur autem ordine infra explicando.

Obser-

Obſeruanda in Dominicis Menſis Auguſti, & Septembris.
Cap. II.

1 *Dominica prima menſis quanam cenſeatur.*
2 *Lectiones menſis Auguſti.*
3 *Reſponſoria quomodo repetenda.*
4 *Lectiones Dominica prima, & ſecunda Septembris.*
5 *Lectiones Dominica tertia, & Quatuor Temporum.*
6 *Ordo Miſſa Quatuor Temporum.*
7 *Lectiones quartę Dominicę.*

Rub. gene Breu. IV. De Dominicis nu. 7.

1 IN primis obſeruare oportet, quòd illa dicitur cuiuſque menſis prima Dominica, quæ incipit in Kalendis, vel eſt proximior Kalendis illius menſis, ita vt ſi Kalendę fuerint ſecunda, tertia, vel quarta feria, illa cẽſeatur prima menſis Dominica, quę pręcedit ipſas Kalendas; ſi autem Kalendę fuerint feria quinta, ſexta, vel Sabbato, prima Dominica menſis erit illa, quę ſequitur ipſas Kalẽdas, & in ea liber ſcripturę, qui ponitur in prima hebdomada, inchoari debet, ita vt præcedenti Sabbato ponatur Antiphona ad *Magnificat* illius Hiſtorię, quę in prima menſis Dominica legi debet, & hac regula vti debemus in aſſignandis tantùm Lectionibus horum quatuor menſium, in quibus celebratur Officium poſt Pentecoſten, videlicet in menſe Auguſto, Septembri, Octobri, atque Nouembri.

2 Menſe igitur Auguſti ponuntur libri Salomonis, de quibus legitur vſque ad Dominicam primam Septembris; videlicet Dominica prima ponuntur Parabolę; Dominica ſecunda legitur liber Eccleſiaſtes; Dominica tertia liber Sapientię, ita vt ſi ipſa tertia Dominica venerit in die Aſſumptionis Beatę Marię Virginis, vel in die octaua S. Laurentii, de eo legatur in feſto S. Bernardi, & poſt octauam Aſſumptionis B. Marię, ſi ſuperſint dies vſq; ad ſequẽtem Dominicam; Dominica verò quarta legitur liber Eccleſiaſtici, & ſi ſequens Dominica non fuerit propinquior Kalẽdis Septembris, in ipſa pariter de eodem libro legetur, quòd, ſi Kalendę ſint proximę, eo anno omittitur.

3 Reſponſoria Lectionibus Sapientialibus correſpondentia in prima Dominica aſſignata, repetuntur in alijs Dominicis huius menſis vſque ad Dominicam primam Septembris; & infra hebdomadam, vbi propria non habentur, ſumuntur ex Dominica; propria verò aſſignata feriæ ſecundę, & tertię repetuntur in omnibus ſecundis, & tertijs feriis vſq; ad Dominicam primam Septembris: quòd ſi propter feſtum occurrens huiuſmodi reſponſoria in feriis, quibus ſunt aſſignata dici non poſſint, non propterea debent transferri in alium diem, ſed tunc omittuntur.

4 Dominica prima Septembris, ea videlicet, quæ proximior eſt Kalẽdis Septembris, legitur liber Iob, prout etiam in ſequenti ſecunda Dominica; Reſponſoria conſona ſunt Lectionibus ex eadem hiſtoria deſumpta, & repetuntur in ſequenti hebdomada.

5 Dominica tertia legitur liber Tobię cum ſuis Reſponſoriis; & quia infra hanc Hobdomadam celebratur ieiunium quatuor Temporum Autumnalium; Feria quarta Altaris, ac Miniſtrorum paramenta erunt violacea; ad Matutinum Lectiones ex Homilia Euangelii in Breuiario aſſignatę ad Benedictus Antiphona *Hoc genus Dæmoniorum*, poſt quam dicuntur preces flexis genibus, & Oratio propria, quę repetitur per Horas diei tãtùm cum precibus ferialibus; nam ad Veſperas, ſi Officium fiat de feria, dicuntur quidem preces flexis genibus; Oratio tamen erit Dominicæ præcedentis.

6 Miſſa huius diei erit propria, prout in Miſſali poſt Dominicam decimamſeptimam poſt Pentecoſten, & celebrabitur in paramentis violaceis; in qua dicto *Kyrie eleyſon*, quia dicuntur plures

Lectio-

Lectiones, ante primam dicitur *Flectamus genua*, & *Leuate*. Eadem respectiuè obseruari debent in sequentibus feriis Sexta, & Sabbato, quibus assignatur propria Homilia, & Oratio in Officio, atque etiam habemus propriam Missam præcipuè in Sabbato, in qua dicuntur sex Lectiones, & ante Orationes, vltima excepta, præmittuntur genuflexiones, vt supra, & Ministro respondente *Leuate*, Celebrãs statim surgens dicit Orationē, & post ipsam legit primã Lectionem ex Amos Propheta, postmodum dicto Graduali, conuertens se ad populum dicit, *Dominus vobiscum* cum Oratione *Præsta quæsumus*, &c. post quam subdit secundam Orationem *Acunctis*, & tertiam ad libitum. Eadem respectiuè obseruentur in sequentibus feriis VI. & Sabbato.

7 Dominica quarta Septembris legitur liber Iudith cum suis propriis responsoriis, quæ per hebdomadam repetuntur. Et si hęc hebdomada fuerit vltima, feria quinta ponitur Liber Esther cũ suis Responsoriis, & legitur etiam in duabus sequentibus feriis, & si occurrunt celebranda festa, quibus non possint huiusmodi respõsoria poni, eo anno omittuntur. Si verò non fuerit vltima, legetur de Libro Iudith vsque in finem hebdomadę, & Dominica quinta legetur Liber Esther cum suis responsoriis.

De obseruandis mense Octobris, & Nouembris. Cap. III.

1 *Lectiones Mensis Octobris.*
2 *Historia libri Martyrij Machabæorum omnino legenda.*
3 *Prophetę quando, & quomodo in Ecclesia legendi.*
4 *Responsoria in hoc mense quomodo ordinanda.*

1 Mense Octobri leguntur Libri Machabæorum quatuor, vel quinque Dominicis cum suis propriis Responsoriis, quæ per hebdomadam repetuntur ordine suo, exceptis feria secunda, & tertia, quæ habent propria responsoria repetenda in aliis feriis secundis, & tertiis vsque ad Dominicam primam Nouembris.

2 Notandum tamen est, quòd eo anno, quo quatuor tantùm hebdomadæ mensi Octobris conueniunt, ne prætermittatur Historia martyrii Machabeorũ, feria quinta quartæ hebdomadæ legi debent lectiones assignarę sequenti Dominicæ quintæ, nec non feriis secundę, & tertię illius hebdomadę: quando verò huiusmodi Lectiones in quinta hebdomada leguntur, si huiusmodi dies fuerint impediti, legantur Lectiones Dominicę, ferię secundæ, & tertiæ in sequentibus diebus, ita vt historia Martirii Machabæorum omnino legatur.

3 Mense Nouembri vsque ad Aduentum leguntur Prophetæ, videlicet duo ex maioribus, & duodecim minores; nam ex quatuor maioribus Isaias legitur in Aduentu ratione mysterii Incarnationis ab ipso prędicti, quòd tũc tem poris celebratur; Ieremias verò, qui plura de Christi Domini passione scripsit, in Quadragesima intra hebdomadam Passionis, & maiorem, quando Christi Domini passio recolitur, Ezechiel itaque, qui tertium locum in ordine inter Prophetas maiores obtinet, in hac prima hebdomada Nouembris in Ecclesia legitur; & si Nouember habeat quinque Dominicas, etiam in secunda hebdomada de Ezechiele legetur, prout in Breuiario; si verò tantum quatuor habebit, in secunda hebdomada legũtur Lectiones Danielis, qui inter maiores est quartus, quæ habentur in tertia hebdomada; duabus verò sequẽtibus hebdomadis leguntur Prophetę minores, quorum quinque videlicet Osea, Ioel, Amos, Abdias, & Ionas in quarta hebdomada in Breuiario sunt assignati, septem verò in vltima, videlicet Micheas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggęus, Zacharias, & Mala-

chias,

chias, quorum initia, si eo die, quo sunt posita, aliquo festo nouem Lectionum habente proprias Lectiones de scriptura, impedito dici non poterunt, transferantur, & legantur in sequenti feria, alio simili initio scripturę ponendo, vel festo non impedita, alioquin in pręcedenti similiter non impedita legantur, & si aliter dici non poterunt, plura initia eodem die legantur, ita vt nullo modo omittantur.

4 Responsoria, quę in prima Dominica ponuntur, Lectionibus Prophetarum, ex quibus vt plurimum sunt desumpta, satis congruunt, & repetuntur in sequentibus Dominicis vsque ad Aduentum; pariter et in ferijs secunda, tertia, & quarta, nam in omnibus secundis, tertijs, & quartis ferijs eiusdem mensis, quæ in prima hebdomada habentur, repeti debent; ita vt feria quarta semper dicatur primum Responsorium proprium ibi assignatum secundum; & tertium erit, quod post primum feriæ secundæ habetur; Sabbato si Officium fiat de feria, Responsorium primum erit, quod septimo loco habetur in Dominica, videlicet *Laudabilis*, &c. secundum, & tertium, quod post secundam, & tertiam Lectionem habetur feria secunda, feria verò quinta resumuntur Responsoria primi Nocturni Dominicę, & feria sexta secundi Nocturni.

De Euangelijs, & Homilijs post Pentecosten ritè ordinandis. Cap. IV.

1 *Dominicę post Pentecosten in Breuiario assignatę.*
2 *Dominicę post Pentecosten plures, vel pauciores esse contingit.*
3 *Numerus Dominicarum post Pentecosten.*
4 *Seruanda quando numerus Dominicarum minor fuerit.*
5 *Quid si Dominicæ superstites post Epiphaniam non possint suppleri post Pentecosten.*
6 *Ordo seruandus in Missis quę supersunt post Epiphaniam, cum dici debeant post Pentecosten.*

1 POst vltimam Dominicam Nouembris habemus in Breuiario Homilias cum Antiphonis ad *Benedictus*, & *Magnificat* cum proprijs Orationibus singulis Dominicis à Dominica tertia post Pentecosten vsque ad Aduentum assignatis.

2 Obseruandum propterea hoc loco est, quod cum Pascha non semper eodem tempore occurrat, sed aliquando citiùs, aliquando tardiùs, idcirco & Dominicæ post Pentecosten aliquando plures, aliquando pauciores occurrunt: Incipiunt autem huiusmodi Homiliæ à Dominica tertia; nã prima occurrit cum festo Sanctissimæ Trinitatis, & secunda infra Octauam Corporis Christi.

3 Omnes Dominicæ à Pentecoste vsque ad Aduentum licet in Breuiario, & Missali vigintiquatuor assignentur, ad summum erunt viginti & octo, & ad minus vigintitres; assumere verò debemus Homilias, & Orationes cum Antiphonis ad *Benedictus*, & *Magnificat*, quãdo plures vigintiquatuor erunt, ex Dominicis, quę supersunt post Epiphaniam, ita vt vigintiquatuor Dominicæ post Pentecosten vnà cum sex post Epiphaniã numerum triginta Dominicarum compleant, ac propterea iuxta Rubricas, si Dominicę post Pentecosten fuerint vigintiquinque ponendo quę eo anno post Epiphaniam ante Septuagesimã supersunt post vigesimamtertiam, vigesimaquarta erit sexta post Epiphaniã, & si fuerint vigintisex, vigesimaquarta erit quinta post Epiphaniam, & sic per ordinem, ita vt vigesimaquarta semper sit vltima. Rub. gene Breu. IV. De Dominicis nu. 4.

4 Si verò minor fuerit numerus Dominicarum post Pentecosten, videlicet viginti tres, nam minor esse non poterit, tunc vigesima quarta ponitur loco vigesimę tertię, & in pręcedenti Sabbato,

quod

quod non sit impeditum festo nouem Lectionum, ponitur Homilia Dominicæ vigesimętertiæ, cuius Antiphona dicitur ad *Benedictus*, & oratio repetitur ad reliquas Horas, quòd si Sabbatum impeditũ fuerit festo nouem Lectionum, in pręcedenti feria, in qua fiat Officium de feria, omissis Lectionibus scripturæ currentis ponatur Homilia Dominicæ vigesimętertiæ, & in Laudibus dicatur Antiphona ad *Benedictus*, & Oratio Dominicæ vigesimętertiæ, quòd si tota Hebdomada sit impedita festo nouem Lectionum, vel aliqua Octaua, tunc iuxta Rubricas Breuiarij emendati, in Sabbato legatur nona Lectio de Homilia vigesima tertia post Pentecosten, & de ea fiat cõ memoratio in Laudibus tantùm cũ Antiphona, & Oratione propria.

5 Verùm quia, vt diximus, Dominicę post Pentecosten cum Dominicis post Epiphaniam assignatis, cum res postulauerit, suppleri debent, sciẽdum est, quòd illæ sex istis vigintiquatuor adiunctę triginta Dominicarum numerũ complent, vnde quot tempori post Epiphaniam superfunt, tot post vigesimãtertiã post Pẽtecosten addi debent; cũ autẽ quandoq; contingat, vt tertia, quarta, quinta vel sexta post Epiphaniam Dominica superstes, nec et ã Dominica vigesimatertia post Pentecosten poni possit, tunc de ea fiat Officium in Sabbato ante Dominicã Septuagesimę, vel alia pręcedenti feria, eodem modo quo supra dictum est.

6 Idem ordo omnino seruari debet in celebratione Missarum, cũ enim Dominicę post Pentecosten fuerint plures viginriquatuor, tunc quemadmodum in Officio resumuntur Homiliæ, quę supersunt post Epiphaniam ordine pręscripto, in Missis eodem ordine resumuntur tantùm Orationes, Epistolæ, & Euangelia illarum Dominicarum; Introitus autem, Graduale, & Offertorium, ac etiã cõmunio dicuntur, vt in præcedẽti Dominica vigesimatertia; Missa enim Officio conuenire debet; Et hoc modo post Epiphaniam, prætermissa ita in hoc tempore post Pentecosten cum Officio, quod mense Nouembri celebratur, ritè misceantur, vt retento Officio temporis, illis tantùm superadditis, quę tali tempori desunt, & illi supersunt, nihil ad Dei cultum peragendum desideretur amplius, nihil omnino prætermittatur; sed plenè totum tempus, quòd post Pentecosten dicitur, mira varietate pro prijs, atque ordinatè distinctis Officijs perficiantur.

Et hæc de Ecclesiasticis temporibus, quibus per Hebdomadas mira varietate iterum, ac sępius in suos circulos reuolutas, Sanctorumq; festis velut pretiosissimis gemmis annulo aureo compactis cęlestis sponsa oppigneratur: ipsa namque Ecclesiastica tempora die Dominico inchoata ad mysterium, vt ait D. Augustinus, terminantur in Sabbato; ac propterea cuiusque temporis prima Dominica solemniter celebratur, put patet ex Dominica prima Aduentus, prima Quadragesimæ, prima post Pascha, quę suis temporibus initia dant, ac vltimò ipsa Dominica Trinitatis, quæ, cum inde initium sumãt Dominicæ per annum, qui bus Trinitatis sacrum mysterium pręcipuè colitur, inter duplicia maiora computatur, expletis itaque temporum circulis, pronuboq; completo annulo, quo Christi spõsa subarrhatur, reliquum est, vt de pretiosissimis alijs margaritis in ipso coagmentandis, Sanctorum videlicet dierum aliqua tandem subnectamus.

SECTIO DVODECIMA.

De festis Sanctorum per annum.

De ijs, quæ generaliter in particularium Ecclesiarum festiuitatibus, & Octauis sunt obseruanda.

Cap. I.

1 *Necessaria ad plenam dierum festorum tractationem disponenda.*

2 *Festa particularium Ecclesiarum obseruanda.*
3 *Octauæ in Quadragesima, Natiuitate Domini, & Pentecoste nō celebrādæ.*
4 *Obseruanda in cōcurrentia Octauarū.*
5 *Translato festo nō transfertur Octaua.*
6 *Dominica infra octauam quomodo celebranda.*
7 *Semiduplex infra Octauam quomodo transferendum.*
8 *Officium infra Octauam quomodo celebrandum.*
9 *Lectiones infra Octauam quomodo ordinandæ.*
10 *Tituli Lectionum infra Octauam quomodo legendi.*

Lib. 2. sect. 5. 1 FVsius supra titulo de celebratione festorum, eorū ordines distinguendo, modum, quo celebrari debeant, explicauimus; deinde cum in hoc tertio libro de Temporibus singularia Natalis Domini, Epiphaniæ, Purificationis cum sequentibus festis mobilibus proprijs locis sint disposita; ne aliquid amplius desideretur ad plenam rei, de qua agimus, tractationem, particularium Ecclesiarum officia, cum solemniter, & cum Octaua celebrantur, quo ordine sint peragenda, explicare tandem debemus.

Rub. gene. Bre. I. 2. 2 Iuxta Rubricas Breuiarii Festum Titularis, Patroni principalis, & aliorum Sanctorum, qui apud quasdam Ecclesias, Congregationes, & Religiones solemniter celebrari consueuerunt, erit primæ classis cum Officio proprio, vbi à Sede Apostolica approbatum habetur, vel ex communi, seruatis iis, quæ supra in celebratione festi primę classis primi ordinis adnotauimus. Sup. li. 3 sec. 5. c. 1

Sup. li. 2. sec. 5. c. 7 3 Et quia iuxta Rubricas huiusmodi festis maioribus conceditur Octaua, præter aliàs à nobis adnotata, addendū hoc loco ex emēdati Breuiarii rubrica, quòd in Quadragesima nullius festi celebratur Octaua; & si aliquod festum, quod celebrari solet cum Octaua, paulo ante Quadragesimam venerit, etiam si per aliquot Rub. gene. Bre. VII. 1. dies factum sit Officium de eius Octaua, adueniente Quadragesima nihil amplius fit de ea, nec commemoratio, quod etiā obseruatur de Octauis nondum absolutis, adueniente festo Pentecostes, & Natiuitatis Domini, vbi ex Octauario nouiter approbato addimus, quòd festū Natiuitatis Domini, & Pentecostes includunt etiam Vigilias ipsorum, in quibus nihil eodem modo fit, nec commemoratio de Octaua. Octau. Roman. Ru vii. de Octauis.

4 Si Octaua Patroni, vel Titularis cōcurrat cū alia Octaua dignioris gradus, & ordinis, prefertur dignior, habita ratione gradus, & omnino iuxta Octauarii rubricas, cæteris paribus attendenda est dignitas ex titulo, quòd ab Ecclesia vniuersali celebratur. Octau. vbi sup.

5 Festum Patroni, vel Titularis occurrens infra hebdomadam maiorē, Octauā Paschę, & Pētecostes, vel cum alio festo primę classis superioris Ordinis trāsfertur, nō tamen Octaua trāsferri debet, sed de ipsa celebratur, quod superest, vsq; ad diē octauū, & si post totam Octauam festum sit transferendū, eo anno celebrabitur sine Octaua, nisi ex priuilegio Titularis Ecclesiæ aliter fieri oporteat. Rub. X. Breu. de Trās. at. festorū.

6 In Dominicis infra Octauas semper Officium erit de Dominica cum cōmemoratione Octauæ, non tamen fiunt suffragia Sanctorū, nec dicuntur Preces ad Primam, & Cōpletoriū, & in Missa duæ tantùm Orationes dicuntur, quarum altera erit pro commemoratione Octauæ; nisi fortè aliæ commemorationes sint faciendæ Sanctorum occurentium; color verò paramentorum semper erit conformis festo, de quo celebratur Octaua; exceptis illis Dominicis, quibus tributus est color violaceus. Rub. gene. Miss. IX. 10. Rub. gene. Miss XVIII. 2.

7 Festū semiduplex occurrens in Dominicis infra Octauam trāsfertur in immediatè sequentem diem cum cōmemoratione Octauæ, quòd si fuerit impedita, transfertur post Octauā, cū semiduplex infra octauā translatum, non nisi in proximè sequentem diem celebrari possit. Rub. gene. Bre. X. 5.

8 Offi-

8 Officium infra octauam semper celebratur sicut in die, exceptis Lectionibus, quæ ordinari debent modo infra præscripto; Ordo verò Officij erit semiduplex sine suffragijs, ac Precibus, Missa dicitur sicut in die cum orationibus assignatis; ipsa verò die octaua Officium erit duplex, quòd si concurrat cum alio duplici per annum, duplex occurrens trãsfertur, nisi fortè fuerit ex maioribus nam tunc fit de illo cum commemoratione diei Octauæ, quæ nunquam omittitur. Et si dies octaua occurrat in Dominicis priuilegiatis primæ, vel secundæ classis, Officium erit de Dominica cum commemoratione Octauæ, & vt declaratum iam est in sacra Rituum Congre- (Declar. Congr.) gatione die 9. Nouembris 1622. in eo casu, nec primæ Vesperæ debentur ipsi Octauç, cum non habeat Officium in ipsa die, ac propterea in Sabbato Vesperç erunt à Capitulo de Dominica.

9 Infra octauam semper Lectiones primi Nocturni erunt de scriptura currenti; in feriis verò quatuor Temporum, & Rogationum desumuntur ex communi, quç habetur in Octauario infra Octauam cuiuslibet ordinis, & gradus Sanctorum; Lectiones verò tertii Nocturni sumuntur ex Homiliis singulis Euangeliis assignatis, quæ in eodem Octauario habentur, siue ex propriis Sanctorum, siue ex communi. (Octau. Rub. de Lectionibus. Rub. gene. Bre. xxiii.)

10 Obseruandum insuper ex iis, quæ habenrur in Rubricis noui Octauarii, quod in Lectionibus assignatis infra Octauas primo loco notantur Tituli *Sermo Sancti N.* vel *Homilia Sancti N.* in sequentibus verò diebus habetur titulus *De Sermone*, vel *De Homilia*; quãdo ipsa prima die occurrente aliquo festo, de quo sit celebrandum, omittitur *Sermo*, vel *Homilia* in ea assignata, in sequenti non legitur, vt habetur ibi præscriptum *De Sermone*, vel *De Homilia*, sed *Sermo*, vel *Homilia*. (Octau. Rubric. xxvi. de Lectionibus.)

De obseruandis in festis, & Octauis Domini, B. Mariæ Virginis, & Angelorum. Cap. II.

1 *Festum Sanctissimæ Trinitatis quomodo cum Octaua sit celebrandum.*
2 *An Octaua Sanctiss. Trinitatis Octaua Corporis Christi sit præferenda.*
3 *Festum Trasfigurationis Domini quomodo in propria Ecclesia sit celebrandum.*
4 *Festum Circumcisionis Domini non habet Octauam.*
5 *Festa Sãctæ Crucis quomodo celebrãda.*
6 *Festa Assumptionis, Natiuitatis, & Annunciationis B. Virginis quomodo celebranda.*
7 *Festum Conceptionis quomodo celebrandum.*
8 *Festum Purificationis.*
9 *Festum Visitationis.*
10 *Festum Dedicationis ad Niues, & præsentationis quomodo.*
11 *Festa votiua B. Virginis per annum, quomodo celebranda.*
12 *Festa Angelorum quomodo celebranda.*

1 Cum festa per annum occurrentia suis gradibus distinguantur, earum dignitatis ordinem iuxta Rubricas obseruantes, primo loco se nobis offert festum Sanctiss. Trinitatis, quod li- (Octau. pa. 1.) cet in vniuersali Ecclesia, vt supra adnotauimus, sit secundç classis, tamen vbi est Titulus, solemniter ipso die vt festum primç classis primi ordinis modo supra prçscripto celebrari debet, & vt ex Octauario Romano nuper à Sacra Rituũ Congregatione approbato habemus, ei debetur Octaua; ac propterea infra Octauam omnia sicut in die, semiduplici tamen ritu ordinantur, exceptis Lectionibus, quæ in primo Nocturno erunt ex Primo Libro Regum; in secundo verò Nocturno feria II. III. & IV. habentur propriæ assignatæ in ipso Octauario: feria V. fit de festo Corporis Christi

absque Commemoratione octauę; feria VI. & Sabbato fit de octaua Sanctissimæ Trinitatis cum Lectionibus, quæ habentur in ipso Octauario, cum commemoratione octauæ Corporis Christi, ratione cuius etiam in fine Hymnorum dicitur *Gloria tibi Domine, qui natus es de Virgine*; & semiduplex his diebus occurrens transfertur, ratione octauę Corporis Christi; in qua non fit de semiduplici in ea occurrente. In die octaua, nimirum Dominica secunda post Pentecosten, & infra octauam Corporis Christi, Officium est duplex, sicut in festo; Lectiones secundi, & tertij Nocturni habentur in Octauario.

Octau. pa. 8.

Octau. pa. 12.

2 Et licet hoc loco, cum per specialia generalibus derogetur, dubitari possit; an octauæ Patroni, de quo iuxta generales Rubricas est celebrandum, preferri debeat Octaua priuilegiata, qualis est Corporis Christi, cui à Rubricis plura tribuuntur, quę non debentur Octauæ Patroni, nihil tamen mihi in hoc assumendum censeo, sicut & alterius difficultatis apud Micrologum, qui Sacratissimę Trinitati proprium festum minimè assignandum censet, cum pręsens hęc dies initium sit eius memorię, quę per anni circulū quotidie, & pręcipuè diebus Dominicis celebratur; ait enim, pię memorię Alexandrum Papam de hoc inquisitum respondisse, iuxta Romanum ordinem, nullum diem specialiter ascribi debere solemnitati S. Trinitatis, sicut nec Sanctæ Vnitatis, pręcipuè cum in omni Dominica, immo quotidie, vtriusq; memoria celebretur. Quapropter iudicium, ad quos spectat, relinquimus.

Microl. de Eccl. obseru. c. 60.

3 Festum Transfigurationis Domini, seu Saluatoris in propria Ecclesia est solemne primæ classis, & celebratur absque vlla cōmemoratione Sāctorum cū omni ornatu, & apparatu, ordine supra explicato; & quia in Breuiario nona Lectio est de Sanctis, quæ omitti debet, habetur in Octauario nona Lectio ex Homilia Diui Chrysostomi *Tu verò*, &c. Infra octauam habentur in eodem Octauario Lectiones propriæ cum ordine, quo ipsa octaua celebrari debet.

Octau. pa. 14.

Octau. pa. 15.

4 Festo Circumcisionis Domini non debetur octaua; tū quia spectat ad octauam Natiuitatis Domini; tum quia sequentes dies omnes sunt impediti.

5 In festo Inuētionis S. Crucis, vbi est Titulus, Officiū est primæ classis; & ideo non debet fieri cōmemoratio Sanctorū Alexādri, &c. & quia nona Lectio est de Sanctis, quæ omittitur, octaua Lectio in duas diuiditur; Lectiones verò infra octauā assignantur in ipso Octauario, ex quo pariter habetur, quomodo in festo Exaltationis S. Crucis, & infra eius octauam sit procedēdū. Ipsa verò die octaua, quia festum S. Matthæi in ea occurrens est ex maioribus videlicet secūdę classis, Officiū fit de eo cum commemoratione octauę.

Octau. pa. 23.

Octau. pa. 30.

6 B. M. Virginis festiuitates pręcipuæ sunt Assumptionis, quę alijs omnibus præfertur, ac solemnius celebratur cum octaua ordine supra præscripto; Natiuitatis, quę etiā solemniter, & cum octaua celebratur, prout supra explicauimus; & Annunciationis, quę licet eiusdē sit ordinis, & gradus tū cum tēpore Quadragesimę, vel infra octauā Paschę occurrat, caret octaua, de istis itaq; tribus Virg. Matris festiuitatibus nihil hoc loco addendum, sed vnaquæq; ipsarum modo proprio loco pręscripto celebrari debet.

Sup. li. 2. sect. 4. c. 1. n. 2.

Ibid. c. 4. nu. 3.

7 Festū Cōceptionis B. Virg. in ppria Ecclesia solemniter celebratur cū octaua, exceptis die IV. & VI. in quibus de Sanctis occurrentibus fit; Lectiones secundi Noctur. erunt prout in festis B. Virg. dicatis, Homilię verò diebus II. III. V. ac VII. desumuntur ex infra octauam Natiuitatis, & in die octaua habentur proprię, & assignatæ in ipso Octauario.

Octau. pa. 35.

8 Festum Purificationis B. Marię in propria Ecclesia celebratur cum octaua; Lectiones secundi, & tertij Nocturni habentur propriæ in Octauario.

Octau. pa. 33. & 37.

9 In festo Visitationis B. M. Virginis, vbi Officium est solemne, omitti debet

com-

commemoratio, ac nona Lectio Sanctorum, & octaua, quæ habetur in Breuiario in duas diuidi debet, atque initiũ sumitur ex illis verbis, *Non enim sola*, infra octauam verò in eodem Octauario habentur assignatę Homilię.

Octau. pa. 41.

10 Festum Dedicationis S. Mariæ ad Niues celebratur in propria Ecclesia cum octaua; in secundo Nocturno sumuntur Lectiones assignatę octauis Beatę Virginis; in tertio verò Nocturno assignatur Homilię in ipso Octauario. Eodem modo celebrari debet Festum Pręsentationis in propria Ecclesia cum iisdem Lectionibus, quę assignantur infra octauam ad Niues; nam & infra octauam Præsentationis habemus tres alios dies, in quibus de Sanctis occurrentibus celebrari oportet.

Octau. pa. 33.
Octau pa. 47.
Octau. pa. 50.

11 In alijs festiuitatibus votiuis B. Marię Virginis, quę in aliquibus locis, iuxta fidelium pietatem celebrantur, puta S. Mariæ de Victoria, de Carmelo, vel Constantinopolitanę, seu etiam de Miraculis, & similibus, eodem modo videtur procedendum, quo in festo ad Niues, & infra octauam habemus Lectiones in secundo Nocturno assignatas in ipso Octauario; in tertio verò Nocturno Homilię desumi debent quinq; assignatę infra octauam ad Niues, & vbi earum numerus non suppetit, resumi poterunt aliàs recitatæ.

Octau. pa. 33.

12 In festis, quæ solemniter celebrãtur de Angelis, habemus Officium proprium cum octaua aliàs à Sacra Rituum Congregatione approbatum, & nouissimè in Octauario relatum, vbi satis distinctè habemus, quo ordine infra octauas Dedicationis, & Apparitionis S. Michaelis Archangeli sit procedendũ; addendo, quòd vbi solemniter celebratur festum Angeli Custodis, seruatis omnibus, quæ propria habentur in eius Officio à Sacra Congregatione approbato, infra Octauam Lectiones secũdi, & tertij Nocturni desumi poterunt ex eodem Octauario.

Octau. pa. 51.

De festis, & Octauis Apostolorum, & Euangelistarum.
Cap III.

1 IN Octauario nuper edito habemus in communi Apostolorum pro eorum octauis celebrandis Lectiones secundi Nocturni tantùm; pro Euangelistis verò, præter Lectiones secundi Nocturni assignantur etiam Homilię super Euangelium *Designauit Dominus.* Octau. pa. 113. & 119. Octau. pa. 118.

2 Infra octauam S. Andreę omnia sicut in die, exceptis Lectionibus secundi, & tertii Nocturni, quæ habentur in Octauario: Dominica infra octauam Officium erit de Dominica in paramentis violaceis cum cõmemoratione Octauę sine Precibus; In die octaua Officium erit duplex sicut in die, exceptis Lectionibus, quę ex Octauario sumũtur. Quòd si festum venerit in Dominica, etiam Octau. pag. 61.

in propria Ecclesia transfertur, poterit tamen, vbi erit populi concursus, celebrari Missa de Sancto, cuius Octauā non transfertur, sed tantùm de ea in secunda Dominica Aduentus fit commemoratio, & secundæ Vesperæ erunt de sequenti duplici cum commemoratione Octauę.

Octau. pag. 71. Rub. gene. miss. VI.

3 De S. Thoma Apostolo infra Octauam celebratur die 22. & 23. Decēbris semiduplici ritu; omnia sicut in die, exceptis Lectionibus, quæ in secundo Nocturno desumũtur ex communi Apostolorum, & habentur in Octauario cum Homiliis propriis; & si occurrat dies Dominica, Officium est de ea, cum Commemoratione Octauæ; adueniente verò Vigilia Natiuitatis Domini, nihil amplius fit de Octaua; vnde etiam in Ecclesia S. Thomæ debet celebrari Officiũ feriale modo in Breuiario præscripto absque commemoratione Octauæ; nam vbi in Rubrica habebatur, quòd in Octauis nō absolutis adueniente festo Pentecostes, & Natiuitatis Domini, nihil amplius fit de Octauis nondum absolutis; in Rubrica Octuarii additur, quòd huiusmodi festa includunt etiam Vigilias ipsorum, in quibus nihil fit de Octaua.

Octau. pa. 113.

Rubr. VII. de Octauis nu. 1.

4 In Conuersione S. Pauli Apostoli die 25. Ianuarii Officium in propria Ecclesia est duplex primæ classis, Lectiones verò secũdi, & tertii Nocturni habentur assignatæ in Octauario; & si Dominica infra Octauam venerit in Septuagesima, color paramentorum erit violaceus, & in Missa non dicitur *Gloria in excelsis*, sed fit cōmemoratio Octauæ, & S. Petri; die verò octaua Officium erit duplex, & festum S. Ignatii ea die occurrens transfertur; & si venerit in Dominica Septuagesimæ, de ipsa Octaua, & de S. Petro fieri debet commemoratio, & Præfatio erit de Apostolis.

Octau. pa. 71.

5 Festum S. Matthiæ in propria Ecclesia erit duplex primæ classis; & si venerit ante Quadragesimā, celebrabitur cum Octaua; quòd si Octaua nondũ absoluta superuenerit Quadragesima, nihil amplius fit de ea; ante Quadragesimam Lectiones secundi Nocturni desumũtur ex infra Octauam communis Apostolorum, quę habentur in Octauario; in tertio verò Nocturno ex Homilia in Euangelium *Confiteor tibi*, &c. quæ in eodem Octauario assignatur infra Octauā communis plurimorum Martyrum; & si festũ occurat feria IV. Cinerum, vel Dominica prima Quadragesimæ transfertur.

Octau. pa. 113.

Octau. pa. 234.

6 In propria Ecclesia Sanctorũ Apostolorũ Philippi, & Iacobi ipsa die prima Maii Officium erit duplex primæ classis; infra Octauam verò cum die II. III. VI. & VII. fit celebrãdum de Sanctis occurrentibus, in Officio fit commemoratio Octauæ, & die IV. & V. nisi occurrat dies Dominicus, Officium erit de Octaua semiduplici ritu, omnia sicut in die, exceptis Lectionibus primi Nocturni, quæ erunt de Scriptura currenti, & si incidat in feriam II. Rogationum, vel Vigiliam Ascensionis desumũtur de cōmuni Apostolorum: in secundo Nocturno Lectiones erunt ex infra Octauam communis Apostolorum; Homiliæ verò proprię habētur assignatæ in Octauario; si occurrat Octaua Ascensionis, Officium fit de digniori, videlicet de Ascensione, & commemoratio de minus digno, nempe de Apostolis. Die octaua Officium erit duplex, & festum S. Michaelis transfertur; & si ipsa dies octaua occurrat die Ascensionis, Officium fit de Ascensione cum commemoratione Octauæ.

Octau. pa. 113.

Octau. pa. 82.

7 Vbi festum S. Ioannis ante portam Latinam die 6. Maij solemniter celebratur, Officium erit duplex primę classis; infra Octauam verò omnia sicut in die, exceptis Lectionibus, quæ in secundo Nocturno desumi debent ex infra Octauam communis Apostolorum; & in tertio Nocturno Homiliç erunt ex Octauario assignatæ infra Octauam S. Iacobi.

Octau. pa. 113.

Octau. pag. 91.

8 Die 11. Iunij festum S. Barnabæ Apostoli in propria Ecclesia, & vbi est Patronus, celebratur solemniter, & Officium est primæ classis; infra Octauam

Octau. pa. 113.

vero

vero Lectiones secūdi Nocturni sumuntur ex infra Octauam communis Apostolorum: Homiliç tertij Nocturni habentur in Octauario Quòd si Octaua S. Barnabæ aliquando concurrat cum Octaua Pentecostes, nihil amplius fit de S. Barnaba; si verò cum Octaua Corporis Christi, Officium erit de ista, cum commemoratione S. Barnabæ.

Octau. pa. 86.

9 Die 29. Iunij festum Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli solemniter per totū orbem celebratur, & est primæ classis; solemniùs tamen in Vrbe pluribus lætitiç signis; celebrat Romanus Pōtifex apud S. Petrum. Et quia ipsa die totum Officium spectat ad S. Petrum; antiquitus consueuerunt Romani Pontifices ex Vaticano ad S. Paulum via Ostiēsi procedere, ibique Officium, ac Missam Coapostoli Pauli celebrabant; modò vtriusque Apostoli prima die in Oratione tantùm commune est Officium; in sequenti verò die celebratur commemoratio S. Pauli, deinceps post nonam, vt Octaua vtriusque simul celebretur, Officium est ex communi. In die octaua habemus Euangelium particulare, ratione mysterij ad B. Petrum spectantis, quod ea die recolitur, sicut & in Octaua Epiphaniç singulare Euāgelium, nō absque mysterio assignatur: hæc autem singularia sunt specialium solemnitatum ex priuilegio, quæ alijs non competunt, nec meo iudicio, in exemplum sunt adducēda, nec locum habent, cum in Rubricis dicitur, seruata forma Breuiarij, nam intelligitur de forma ordinaria, non de specialibus.

10 S. Iacobi Apostoli festum die 25. Iulij in propria Ecclesia duplici ritu, seruatis omnibus, quæ in Officio festi primç classis primi ordinis sunt adnotata, solēniter celebratur; infra Octauam omnia ex infra Octauam communis Apostolorum desumuntur; Homiliæ propriæ habētur in Octauario; die verò octaua Officium est duplex, & Homilia desumitur ex festo S. Ioann is ante portam Latinā, & translato festo S. Petri ad Vincula fit commemoratio Sanctorū Machabçorū.

Octau. pa. 113.
Octau. pag. 90.

11 In festo S. Petri ad Vincula in propria Ecclesia ipsa die prima Augusti Officium est duplex primæ classis absq; cōmemoratione Sanctorum; infra octauam omnia sicut in die, exceptis Lectionibus, quæ in secundo Nocturno desumuntur ex infra octauam communis Apostolorum; Homiliæ verò ex festis vtriusque Cathedræ S. Petri, & Sanctorū Apostolorum Petri, & Pauli. Eadem respectiuè obseruentur, quando festum Cathedrç in aliquo loco solemniter, & cum octaua sit celebrandum; nam tunc infra octauam omnia sicut in die, exceptis Lectionibus quæ in secundo Nocturno erunt ex communi Apostolorū; Homiliæ verò vt supra.

Octau. pa. 91.

12 S. Bartholomæi festum iuxta locorum consuetudinem die 24. vel 25. Augusti celebratur, in propria Ecclesia habet ritū solemnem, & infra octauam omnia ex communi, exceptis Homilijs, quç habentur propriç in Octauario.

Octau. pa. 92.

13 Festum S. Matthçi in propria Ecclesia solemniter celebratur; infra octauam omnia sicut in die, præter Lectiones, quç erunt in primo Nocturno de Scriptura currenti; & si occurrat in ferijs Quatuor Temporum, legitur initium Ezechielis, prout in communi Euangelistarum; in secundo verò Nocturno desumuntur Lectiones, quæ habentur infra octauam communis Apostolorum; Homiliç in tertio Nocturno legendç habentur in Octauario.

Octau. pa. 97.

14 In festo Apostolorum Simonis, & Iudç, vbi solemniter celebratur, Officiū est duplex primç classis, infra octauam, exceptis Lectionibus primi Nocturni, quç erunt de Scriptura currenti, omnia de communi Apostolorum; Homiliç verò propriç in tertio Nocturno legendç habentur in Octauario.

Octau. pa. 103.

15 Festa Sanctorum Marci, & Lucç Euangelistarum, vbi solemniter celebrātur, habebūnt octauam, vnde infra eam

omnia

omnia sicut in die, exceptis Lectionibus secundi Nocturni, quę erunt ex communi, & habẽtur in Octauario post octauam Apostolorum; Homiliæ verò in Euãgelium *Designauit Dominus*, &c. pariter ex ipso Octauario infra octauam Euangelistarum desumuntur.

Octau. pa. 119. Octau. pa. 128.

De Festis aliorum Sanctorum per annum occurrentibus.

Cap. IV.

1 *Pro Festorum Officio ordinando distinguenda Euangelia.*
2 *Octaua Decollationis S. Ioannis Baptistæ quomodo celebranda.*
3 *Festum S. Mariæ Magdalenæ.*
4 *S. Athanasij.*
5 *S. Monicæ.*
6 *Sanctorum Nerei, Archilei, &c.*
7 *Sanctorum septem Fratrum.*
8 *S. Apollinaris Episcopi, & Martyris.*
9 *Sanctorum Cyriaci, Largi, &c.*
10 *S. Gregorij Thaumaturgi.*
11 *S. Leonis Papæ.*
12 *S. Marthæ Virginis.*
13 *S. Francisci Confessoris.*
14 *Generalia obseruanda in celebrandis festis Patroni.*
15 *In Translationibus Sanctorum quomodo procedendum.*
16 *In festo Canonizationis, vel Beatificationis Sanctorũ quomodo procedendum.*

1 Alijs Sanctorum festiuitatibus, quæ per anni circulum celebrantur, aliquibus proprium tribuitur Euangelium, aliquibus etiam iuxta Missalis, atque Breuiarij rubricas, vel alienũ, vel ex communi accomodatur; & ipso die quomodo sit procedendum, pariter ex eisdem Missali, & Breuiario patebit; vbi verò solemniter celebratur aliquod festum, quomodo infra Octauam sit ordinandum Officium, singula adnotando explicare oportet.

2 Festum Decollationis S. Ioannis Baptistæ, quod die 29. Augusti celebratur, proprium habet Euangelium, & Antiphonas; vnde infra Octauã omnia sicut in die, tamen semiduplici ritu, exceptis Lectionibus secundi Nocturni, quæ ex communi vnius Martyris non Pontificis in ipso Octauario desumuntur. In Missa verò vel legatur Euangelium sicut in die, vel iuxta Rubricam in Octauario approbato, vel aliud ex communi vnius Martyris non Pontificis *Nolite arbitrari*, &c. semper tamen in die octaua legi debet Euangelium sicut in die.

Octau. pa. 61

3 Festum S. Mariæ Magdalenæ, quod celebratur die 22. Iulij, habet peculiare Officium, ac proprium Euangelium; Lectiones verò infra Octauam in secundo Nocturno, & Homiliæ propriæ in tertio Nocturno legendæ assignantur in ipso Octauario.

Octau. pa. 108.

4 Cum festum S. Athanasij, quod die 2. Maij celebratur, proprium habeat Euangelium *Cum vos persequentur*, &c. nec in Breuiario, nec in Octauario Homiliarum numerus habeatur, iuxta ipsius Octauarij rubricas, vbi solemniter, & cũ Octaua celebratur, Lectiones secundi Nocturni infra Octauam sumi debẽt ex cõmuni Doctorum, prout in Octauario; Homiliæ verò in tertio Nocturno erunt ex Euangelio *Vos estis sal terræ*, quæ in eodem communi habentur; & in Missa retentis alijs, variatur tãtùm Euãgelium, quod erit *Vos estis sal terræ*; in die verò octaua habemus in Octauario, quòd assumatur Homilia vel ex die festo, vel ex die S. Polycarpi 26. Ianuarij; cur autẽ eidem festo tria Euangelia sint tribuenda, ijs ad quos spectat, animaduertendũ relinquo.

Octau. pa. 280.

5 In festo S. Monicæ, quod in die 4. Maii celebratur, habemus propriũ Euangelium *Ibat Iesus in ciuitatem*, &c. vnde ipsa die, quæ celebris est, habetur propria Homilia: Infra Octauam verò legi debent Lectiones secũdi Nocturni, quę habentur in Octauario ex communi nec Virginis, nec Martyris, & Euangeliũ erit *Simile est regnum cælorum thesauro*, &c. cuius Homiliæ legendæ in tertio No-

Octau. pa. 367. Octau. pa. 343.

cturno

cturno assignantur in Octauario ex communi Virginum. In die octaua omnia sicut in die. Obseruandū tamen hoc loco est, quòd cum infra Octauam S. Monicę die III. IV. V. & VI. celebrari debeat de Sanctis occurrentibus, quibus si addatur Dominica, duo tantum dies supersunt, quibus de Octaua celebrari poterit, & in Breuiario habemus duas Homilias Euangelij *Ibat Iesus*, alteram S. Ambrosij, *Et hic locus*, &c. quę habetur Dominica XV. post Pentecosten; alteram S. Augustini *De Homine illo*, &c. quę habetur feria V. post IV. Dominicam Quadragesimæ, cum nulla necessitas vrgeat, immuraris Officijs idem Euangelium legi posse videretur.

Octau. pa. 111.

6 In festo Sanctorum Nerei, Archillei, &c. die 12. Maii habemus proprium Euangelium *Erat quidam Regulus* cum sua Homilia; in die verò octaua legi poterit Homilia, quę habetur in Breuiario Dominica XX. post Pentecosten; infra Octauam aliis immutatis legitur Euangelium *Sedente Iesu*, &c. cum suis Homiliis, quæ habentur in Octauario infra Octauam communis plurimorum Martyrum.

Octau. pa 116.

7 Sanctorum septem Fratrum festum celebratur die 10. Iulii, quod habet proprium Euangelium *Loquente Iesu ad turbas*, &c. cum sua Homilia: vbi solemniter celebratur infra Octauam Lectiones secundi Nocturni erunt ex communi plurimorum Martyrum; Euangelium verò in Missa retentis aliis erit *Descendens Iesus de monte*, &c. cum suis Homiliis, quę in eodem communi habentur; die verò octaua Euangelium cum Homilia sicut in die.

Octau. pa. 111.

Octau. pa. 119.

8 Festum S. Apollinaris, quod celebratur die 23. Iulii, habet proprium Euangelium *Facta est contentio*, &c. si solemniter celebretur, Lectiones secundi Nocturni sumuntur ex Octauario, in communi vnius Martyris Pontificis, pariter & Homilię super Euangelium *Si quis venit ad me*; & in die octaua Euangelium, & Homilia sicut in die.

9 In festo Sanctorum Cyriaci, Largi, &c. die 8. Augusti habemus Euangelium proprium *Euntes in mundum vniuersum*, &c. cum sua Homilia; infra Octauam in ipso Octauario assignantur Homilię ex Euangelio *Cum audieritis prælia*, desumendę ex communi plurimorum Martyrum, & in die octaua assignatur Homilia, quę habetur in Breuiario in Sabbato infra Octauam Ascensionis: verùm quia die octaua occurrit festum Assumptionis B. Mariæ Virginis, quod solemniter celebratur cum commemoratione Octauæ; fortè infra Octauam non mutando Euangelium, Homilia, quę ipso die habetur, cum altera, quę habetur Sabbato infra Octauam Ascēsionis, & in Octauario assignatur diei Octauę, si alternatim dicantur, nihil innouando, integrum habebimus Officium, quod iis, ad quos spectat, considerandum relinquimus.

Octau. pa. 111.

10 Festum S. Gregorii Thaumaturgi, quod celebratur die 17. Nouēbris, habet proprium Euangelium *Habete fidem*, &c. vnde vbi solēniter celebratur, infra Octauam Lectiones secundi Nocturni erunt ex communi Confessorum Pontificum, quæ habentur in Octauario, & legitur Euangelium *Homo quidam*, &c. cum suis Homilijs, prout ex eodem communi; in die verò octaua Lectiones tertij Nocturni erunt sicut in die.

Octau. pa. 150. & 157.

Octau. pa. 112.

11 Nunc ad illa festa, quæ habent Euangelium mutuatum ex proprijs aliorum deueniendo, se nobis offert festum S. Leonis Papę, quod 11. die Aprilis celebratur, & legitur Euangelium festi S. Petri, *Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi*, &c. vnde iuxta tradita in Octauario, vbi solēniter celebratur, infra Octauam legi debet Euãgelium *Vigilate*, &c. cum suis Homiliis, quę habētur in Octaua communis Confessorum Pontificum; in die verò octaua legi debet Euangelium Cathedræ Antiochenæ. Verùm cum in Breuiario habeamus tres Homi-

Octau. pa. 110.

lias

lias huius Euangelii, primã in festo Apostolorum die 29. Iunii, secundam in festo Cathedrę Romanę die 18. Ianuarii; tertiam in Cathedra Antiochena 22. Februarii, videtur in diebus infra Octauam occurrentibus, immutato Euangelio, repeti posse, cum opus est, eędem Homilię, salua tamen auctoritate Octauarii, quam semper præferendam existimo, donec aliter fuerit ordinatum.

12 Festum S. Marthę Virginis officiatur die 29. Iulii cum Euangelio *Intrauit Iesus in quoddam castellum* &c. desumpto ex festo Assumptionis B. Marię Virginis; vnde & Homilię ex eadem Octaua desumendę legi debent ordine in Octauario præscripto.

Octau. pa. 110.

13 In die S. Francisci Confessoris 4 Octobris habemus Euangelium *Confiteor tibi Pater*, &c. mutuatum ex festo S Matthiæ Apostoli; vnde iuxta rubricas Octauarii infra Octauam desumi debent Homilię eiusdem Euangelii, quę habentur in Octauario sub communi plurimorum Martyrum; & omnino siue Euangelia sint mutuata ex propriis alterius, siue ex communi alterius ordinis, vt in festo S. Basilii, S. Clementis Papę, S. Syluestri, & similium, siue sint ex communi sui ordinis, Homilię infra Octauam desumi debent ex suo prototypo, vbi habentur.

Octau. pa. 234.

14 Si Patronus, vel Titularis occurrat cum Sancto in Kalendario descripto, in ea Ecclesia fit tantùm de Patrono, vel Titulari; & si Sanctus sit descriptus in Kalendario sub ritu duplici, vel semiduplici, transfertur in primam diem non impeditam; si verò Sanctus ille fuerit primæ classis, tunc Officium celebrabitur de digniori, translato minus digno.

15 Si festum, quod celebratur, non fuerit Natalis Sancti currentis, sed Inuentio, Translatio, vel votiua Festiuitas, vt sæpè contingit, tunc in Oratione loco *Natalitia*, dicetur *Cuius Inuentionem*, vel *Translationem*, seu *Festiuitatem colimus*.

16 Cum primùm iuxta Ecclesiasticos ritus à Romano Pontifice aliquis in Sanctorum numerum fuerit relatus; pręter solemnem festiuitatem, quæ ei in propria Ecclesia debetur die Natalis eiusdem, Canonizationis festum solemniter celebrari consueuit cum processione, in qua defertur Vexillum cum Imagine Sancti canonizati, & Reliquiis, procedendo ordine aliàs præscripto. Officium erit solemne primæ classis cum Octaua desumptum ex communi iuxta gradum, ac dignitatem Sancti, & in Oratione dicetur; *Cuius Canonizationem colimus*; ipsius etiam laudes virtutem, ac miraculorum à Concionatoribus ad id electis populo annuncientur, quò Sancti cognitis meritis pio affectu omnes ad venerationem, ac singuli ad eius imploranda suffragia excitentur. Eadem respectiuè obseruari poterunt in particularibus Ecclesiis, cum alicuius Beatificatio solemniter celebratur.

Sup li. 2. lect. 10. c. 4.

Hactenus de Cæremoniarum Praxi; satis enim de modo, quo in hoc temporis decursu Diuina sint celebranda iam diximus, in sequenti volumine vberiùs, ac fusiùs Theoriam, si Deo placuerit, in lucem daturi; quò sacrarum actionum, quæ in Ecclesia peraguntur, originem, causam, atque scopum percipientes, per speciem, & in enigmate Fidei nostræ sacra mysteria summo studio, & qua decet pietate, religiosè pertractemus, & ita temporalia festa peragamus in his diebus nostrę mortalitatis, vt tandem completo orbe, consummatisque omnibus, quæ finem habent, pertingere ad gaudia æterna feliciter mereamus. Præstante Domino nostro Iesu Christo, cum quo Patri, & Spiritui sancto est sempiterna laus, & gloria. Amen.

FINIS.



INDEX ALPHABETICVS EORVM, quæ in hoc volumine continentur.

Primus numerus indicat Librum; Secundus Sectionem; Tertius Caput; Quartus numerum Capitis, Vltimus paginam: Crux verò sequens ✠ denotat totum Numerum.

Ad

propria

E

Papæ

Faldi-

F

G

INDEX.

Mani-

V

I N D E X.

F I N I S,

Imprimatur. 

Lælius Tastius Vicarius Generalis.

Andreas Letteresius Canonicus Deputatus vidit.

V. Vrbanus Felicæus Dep.

NEAPOLI,
Excudebat Lazarus Scoriggius.
M. DC. XXXI.

